BX2080
A21
1777
V.4
c.1

1080047042

ALERE FLAMMAM VERITATIS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

E144.H97

"no registrado"

26

# BREVIARIUM
## ROMANUM
### EX DECRETO

Sacroſanćti Concilii Tridentini reſtitûtum,

S. Pii V. Pontíficis Máximi juſſu éditum, & Clementis VIII. primùm, nunc dénuò Urbani PP. VIII. auctoritâte recógnitum:

In quo ómnia ſuis locis ad longum pósita ſunt, pro majóri recitántium commoditâte.

*PARS AUTUMNALIS.*



MATRITI. M.DCC.LXXVII.

Apud Antonium de Sancha Typógraphum & Bibliópolam.

Sũmptibus Régiæ Societatis Typographorum Bibliopolarúmque.

264

110307

FONDO BIBLIOTECA PUBLICA DEL ESTADO DE NUEVO LEON

32298

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BX2000
A3
1777
V.4

fr. Gero.mo de Guadalupe

FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

# SUMMA BULLARUM
## SUMMORUM PONTIFICUM,
### Pro editione hujus Breviarii.

PIUS V. Bulla, quæ incipit: Quod a nobis, data Romæ septimo Idus Julii anno 1568. significat causam edendi hujus Breviarii, nempè ad tollendam orandi varietatem.

Enarrat ea, quæ in hac re præstitêre Paulus & Pius nomine Quarti, & quam ipse adhiberi operam curavit, ex Decreto Concilii Tridentini.

Tollit, & abolet omninò Breviarium, à Cardinale S. Crucis compositum, quod erat brevissimum. Item alia Breviaria Romana, & alia, quæ ex institutione, vel consuetudine legitima non superant ducentos annos.

Permittit tamen ut antiquiora ducentis annis possint mutari in hoc Breviarium, iis omissis, si Episcopus, & universum Capitulum consentiant.

Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, Privilegia, licentias, & indulta precandi, & psallendi more, & ritu prædictorum Breviariorum suppressorum.

Præcipit observari hoc Breviarium toto orbe, cum exceptione 200. annorum, de quo suprà.

Statuit in eo nihil mutandum, addendum, & detrahendum.

Obligat quosque, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, aliàs non satisfaciant muneri suo.

Jubet omnibus Prælatis, ut hoc introducant tam in Choro, quam extra Chorum.

Tollit peccati obligationem, quæ erat, recitandi in Choro Officium parvum B. M.V. & Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, & Graduales, juxta Rubricas Breviarii.

Hortatur, ut recitentur eadem, propositis Indulgentiis dierum centum recitantibus Officium parvum B. M. V. & Defunctorum: quinquaginta recitantibus Psalmos Pœnitentiales, & Graduales, quando Rubricæ ea præscribant.

Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, ubi est recitandi Officium parvum B. M. V. in Choro, imò eamdem confirmat, & tandem tempus decernit obligationis ad usum Breviarii post ejusdem publicationem.

CLEMENS VIII. Bulla quæ incipit: *Cum in Ecclesia*, data Romæ die x. Maii anno 1602. declarat, se per viros pios & eruditos Breviarium Romanum à Pio V. editum, & progressu temporis in multis depravatum, examinasse, & in statum pristinum restituisse: illudque sic restitutum in Typographia Vaticana imprimi, & divulgari jussisse. Prohibet ne alibi imprimatur nisi juxta exemplar Vaticanum, & habita Ordinariorum licentia, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Interdicit usum Breviariorum impressorum absque tali Ordinariorum licentia in scriptis, quæ fidem faciat de collatione facta prædictorum Breviariorum cum Originali Romano: cujus etiam licentiæ copia initio, vel in calce cujusque Breviarii semper imprimatur. Prædictis Ordinariis prohibet ne aliquid addi, vel detrahi permittant. Et hæc sub pœna excommunicationis, suspensionis à divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Verumtamen in gratiam pauperum, Breviaria hactenùs impressa vendere, apud se retinere, ac illis uti permittit.

URBANUS VIII. Bulla quæ incipit: *Divinam Psalmodiam*, data Romæ die 25. Januarii anno 1631. declarat se, piorum doctorumque virorum adhibita cura, Breviarium à Pio V. editum, & à Clemente VIII. recognitum, à pluribus mendis expurgasse: Hymnos ad metri, & latinitatis regulas revocasse: In Psalmis, & Canticis interpunctionem editionis vulgatæ restituisse: Sermones, Homilias, & Sanctorum historias, collatis veteribus manuscriptis, recognovisse. Quamobrem jubet ut juxta hanc correctionem Romæ imprimatur, alibi juxta Romanum exemplar excudatur, servatis conditionibus in suprascripta Clementis Bulla enumeratis, quas ferè iisdem verbis repetit. Adjungens, easdem conditiones servandas in impressione eorum, quæ à Breviario Romano ortum habent, cujusmodi sunt Missalia, Diurnalia, Officia parva B. M. V. Officia Majoris Hebdomadæ, & alia id genus.

LI

# LICENCIA

## DEL ILUSTRISSIMO SEÑOR

## COMISARIO APOSTOLICO GENERAL

## DE LA S.^TA CRUZADA.

NOS Don Manuel Ventura Figueroa, Caballero de la Real distinguida Orden Española de CARLOS TERCERO, Arcediano de Nendos, Dignidad de la Santa Apostolica Metropolitana Iglesia de Santiago, del Consejo, i Cámara de S. M. Gobernador del Real de Castilla, Comisario Apostolico General de la Santa Cruzada, i demás Gracias en todos sus Reynos, i Señorios, i Juez Privativo Apostolico i Real, para todo lo tocante al Nuevo Rezado, &c. Mediante que con permiso i licencia nuestra se ha reimpreso por la Real Compañia de Impresores i Libreros de esta Corte, el Breviario en dozavo de quatro Tomos, i haberse visto, i corregido por Fray Eugenio de Zeballos, del Orden de San Agustin, Maestro de Sagrada Theologia, i del Número de la Provincia de Castilla, como Revisor nombrado à este fin: Mandamos se venda cada egemplar en papel à ochenta i seis reales i quatro maravedis de vellon no mas, en que va incluso el medio pliego de aumento, por Santos Nuevos que ha tenido à los de la anterior impresion,

 con

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

con su proporcion, i respecto à la contrata hecha entre la misma Compañia, i el Real Monasterio del Escorial; i que esta nuestra tasa se ponga al principio de cada uno de dichos egemplares. Dada en Madrid à quatro de Febrero de mil setecientos setenta i siete.

*D. Manuel Ventura Figueroa.*

Por mandado de S. I.

*D. Antonio de Quadra.*

---

## SUMMA LICENTIÆ REGIÆ.

CAthólicus Hispaniárum & Indiárum Rex D. N. Cárolus III. Regiæ Societati Typographórum, & Bibliopolárum eorúmdem Regnórum licéntiam indúlsit in præfatis Regnis imprimendi Missália, Breviária, Diurnália, & réliqua Officia ad usum Ecclésiæ Cathólicæ Romanæ futúra, prout patet ex Régiis litteris datis in Oppido vulgò de Aranjuez III. Junii, MDCCLXIV.



## Ex Decretorum Registro S. Rituum Congregationis hæc ad Breviarium Romanum attinent.

SAcra Rituum Congregatio declaravit & decrevit, non potuisse post Bullam Pii V. de Breviario Romano, neque posse locorum Ordinarios tam Sæculares quam Regulares, addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur: neque propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum: neque extendere concessa Officia de loco ad locum.

Item vetuit & prohibuit celebrari per totam civitatem vel Diœcesim, etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate, Festum cum Officio, eò quòd in loco adsit Ecclesia Parochialis vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur Corpus, aut insignis Reliquia, & non alibi.

Insignes autem Reliquias declaravit esse, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est Martyr, modò sit integra, & non parva, & legitimè ab Ordinariis approbata.

De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Civibus, & aliis Festis, de quibus in Kalendario Romano seu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed omninò consulatur sacra Rituum Congregatio.

Decretum quoque nuper editum super electione Sanctorum in Patronos, & impressum, omninò servetur.

Et hæc omnia decrevit, statuit, & mandavit, innovando pœnas Constitutionis Pii V. respective.

Facta demum relatione horum Decretorum Sanctissimo D. N. Urbano Papæ VIII. ea laudavit & approbavit, atque ab omnibus ubique sub prædictis pœnis servari præcepit, nec non in novis Breviariis de mandato Sanctitatis suæ imprimendis, apponi jussit.

Loco ✠ Sigilli.

*T. Tegrimius Episc. Assisien. Secret.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## Eadem pro Sanctis in Martyrologio non descriptis.

Officia Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiæ recitanda ex Decr. Sac. Rit. Congreg. 11. Augusti 1691. intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodò constet de identitate Corporis, seu Reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus: de ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus à S. Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, & Missas celebrari vetuerunt, non obstante quòd ipsorum Corpora vel insignes Reliquiæ in Ecclesiis asserventur: quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam Fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio & Missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione S. Pii contentis. Die 11. Augusti 1691. & Sanctissimus approbavit die 19. Octobris ejusdem anni 1691.

Loco ✠ Sigilli.

*J. Vallemanus. S. R. C. Secret.*



## Decreta Generalia circa Rubricas.

Cum Sacrorum Rituum Congregationi demissè supplicatum fuerit sequentia dubia declarare:

Primum, An, cùm multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit à Sancta Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadis, vel mensibus celebrentur varia Officia per annum, verbi gratia de SS. Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo Duplici vel Semiduplici, facere liceat ejusmodi Officia etiam in diebus sanctæ Quadrag. Adventus, Vigil. & Quatuor Temporum, etiam si de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus.

Secundum, An dies impediti Festo Duplici, vel Semiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est Officium de Festo Duplici, vel Semiduplici translato, quemadmodùm dicitur responsum fuisse olim à Sac. Congregatione, quod scilicet Festum Duplex, vel Semiduplex etiam translatum, nec non dies Octavæ sit dies impeditus respectu talium Officiorum.

Tertium, An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum possint addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, & Confiteor, itemque recitare Officia & Missas concessas aliis Religionibus.

Sacrorum Rit. eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Colloredo respondit:

Ad Primum, Negativè, & hujusmodi indulta non habere locum in Feriis Adventus, Quadrag. Quatuor Temporum, Vigil. sive cum jejunio, sive absque jejunio: nec in Feria ii. Rogationum, nec in illa Feria, in qua secundùm Rubricas sit reponendum Officium Dominicæ.

Ad Secundum, Affirmativè.

Ad Tertium, Negativè in omnibus.

Et ita declaravit, ac servari voluit, ac insuper ut Declarationes, seu Decreta prædicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit. Die 20. Martii 1706.

*G. Card. Carpineus.*

Loco ✠ Sigilli.

*B. Inghirami Sacr. Rit. Congregat. Secret.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL

# DE ANNO ET EJUS PARTIBUS.

ANNUS menses habet duodecim, hebdomadas duas & quinquaginta, & diem unum: dies verò trecentos sexaginta quinque, & ferè sex horas: tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt: hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur.

## De anni correctione, ejusque necessitate, ac Kalendario Gregoriano.

QUod dictum est, Annum continere trecentos & sexaginta quinque dies, & ferè sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365. contineret integras sex horas, & factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem: qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non solùm Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, à qua jam à Concilio Nicæno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582. præcedendo recesserat, quod à Concilio ad xij. Kalendas Aprilis fuerat constitutum, & xiv. Lunam Paschalem suo in loco reposuit: sed viam quoque tradidit, & rationem, qua cavetur, ut in posterum & Æquinoctium vernum, & xiv. Luna Paschalis à propriis sedibus numquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xij. Kalendas Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582. eximerentur, ut post quartam diem Octobris, sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ità error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne à xij. Kal. April. Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis; qui quamvis Bissextiles anteà semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600. anno correctionis proximum, post eum tamen, qui deinceps consequentur, centesimi non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur; quartus verò quisque centesimus esset Bissextilis, ita ut annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles non sint, anno verò 2000. more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29. continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuò conservaretur.

## Quatuor Tempora.

QUatuor Tempora celebrantur quarta & sexta Feria, ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post Festum Exaltationis sanctæ Crucis.

## Nuptiæ quando celebrari non possint juxta Decretum Concilii Tridentini.

A Dominica prima Adventus usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè, sancta Synodus solemnitates nuptiarum prohibet. In aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

| TABULA PASCHALIS | | | | | | ANTIQUA REFORMATA. | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aurei numeri. | | Cyclus Epactarum. | Litterae Dominicales. | Septuagesima. | Dies Cinerum. | Pascha. | Ascensio. | Pentecoste. | Corpus Christi. | Dominicae post Pentecosten. | Prima Dominica Adventus. |
| 16 | | xxiij | | Januarii. | Februarii. | Martii. | Aprilis. | Maii. | Maii. | | |
| 5 | | xxij | d | 18 | 4 | 22 | 30 | 10 | 21 | 28 | 29. Nov. |
| | | xxj | e | 19 | 5 | 23 | 1. Maii. | 11 | 22 | 28 | 30 |
| 13 | | xx | f | 20 | 6 | 24 | 2 | 12 | 23 | 28 | 1. Dec. |
| 2 | | xix | g | 21 | 7 | 25 | 3 | 13 | 24 | 28 | 2 |
| | | xviij | A | 22 | 8 | 26 | 4 | 14 | 25 | 28 | 3 |
| 10 | | xvij | b | 23 | 9 | 27 | 5 | 15 | 26 | 27 | 27. Nov. |
| | | xvj | c | 24 | 10 | 28 | 6 | 16 | 27 | 27 | 28 |
| 18 | | xv | d | 25 | 11 | 29 | 7 | 17 | 28 | 27 | 29 |
| 7 | | xiv | e | 26 | 12 | 30 | 8 | 18 | 29 | 27 | 30 |
| | | xiij | f | 27 | 13 | 31 | 9 | 19 | 30 | 27 | 1. Dec. |
| 15 | | xij | g | 28 | 14 | 1. Aprilis. | 10 | 20 | 31 | 27 | 2 |
| 4 | | xj | A | 29 | 15 | 2 | 11 | 21 | 1. Junii. | 27 | 3 |
| | | x | b | 30 | 16 | 3 | 12 | 22 | 2 | 26 | 27. Nov. |
| 12 | | ix | c | 31 | 17 | 4 | 13 | 23 | 3 | 26 | 28 |
| 1 | | viij | d | 1. Februar. | 18 | 5 | 14 | 24 | 4 | 26 | 29 |
| | | vij | e | 2 | 19 | 6 | 15 | 25 | 5 | 26 | 30 |
| 9 | | vj | f | 3 | 20 | 7 | 16 | 26 | 6 | 26 | 1. Dec. |
| | | v | g | 4 | 21 | 8 | 17 | 27 | 7 | 26 | 2 |
| 17 | | iv | A | 5 | 22 | 9 | 18 | 28 | 8 | 25 | 3 |
| 6 | | iij | b | 6 | 23 | 10 | 19 | 29 | 9 | 25 | 27. Nov. |
| | | ij | c | 7 | 24 | 11 | 20 | 30 | 10 | 25 | 28 |
| 14 | | j | d | 8 | 25 | 12 | 21 | 31 | 11 | 25 | 29 |
| 3 | | * | e | 9 | 26 | 13 | 22 | 1. Junii. | 12 | 25 | 30 |
| | | xxix | f | 10 | 27 | 14 | 23 | 2 | 13 | 25 | 1. Dec. |
| 11 | | xxviij | g | 11 | 28 | 15 | 24 | 3 | 14 | 25 | 2 |
| | | xxvij | A | 12 | 1. Martii. | 16 | 25 | 4 | 15 | 25 | 3 |
| 19 | 25. | xxvj | b | 13 | 2 | 17 | 26 | 5 | 16 | 24 | 27. Nov. |
| 8 | xxv | xxiv | c | 14 | 3 | 18 | 27 | 6 | 17 | 24 | 28 |
| | | | d | 15 | 4 | 19 | 28 | 7 | 18 | 24 | 29 |
| | | | e | 16 | 5 | 20 | 29 | 8 | 19 | 24 | 30 |
| | | | f | 17 | 6 | 21 | 30 | 9 | 20 | 24 | 1. Dec. |
| | | | g | 18 | 7 | 22 | 31 | 10 | 21 | 24 | 2 |
| | | | A | 19 | 8 | 23 | 1. Junii. | 11 | 22 | 24 | 3 |
| | | | b | 20 | 9 | 24 | 2 | 12 | 23 | 23 | 27. Nov. |
| | | | c | 21 | 10 | 25 | 3 | 13 | 24 | 23 | 28 |

# TABULA PASCHALIS

| Litteræ Dominicales | Cyclus Epactarum | Septuagesima. | Dies Cinerum. |
|---|---|---|---|
| D | 23. | 18. Jan. | 4. Febr. |
| | 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. | 25. Jan. | 11. Febr. |
| | 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. | 1. Febr. | 18. Febr. |
| | 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. | 8. Febr. | 25. Febr. |
| | 1. * 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24. | 15. Febr. | 4. Mart. |
| E | 23. 22. | 19. Jan. | 5. Febr. |
| | 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. | 26. Jan. | 12. Febr. |
| | 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. | 2. Febr. | 19. Febr. |
| | 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. | 9. Febr. | 26. Febr. |
| | * 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24. | 16. Febr. | 5. Mart. |
| F | 23. 22. 21. | 20. Jan. | 6. Febr. |
| | 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. | 27. Jan. | 13. Febr. |
| | 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. | 3. Febr. | 20. Febr. |
| | 6. 5. 4. 3. 2. 1. * | 10. Febr. | 27. Febr. |
| | 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24. | 17. Febr. | 6. Mart. |
| G | 23. 22. 21. 20. | 21. Jan. | 7. Febr. |
| | 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. | 28. Jan. | 14. Febr. |
| | 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. | 4. Febr. | 21. Febr. |
| | 5. 4. 3. 2. 1. * 29. | 11. Febr. | 28. Febr. |
| | 28. 27. 26. 25. 25. 24. | 18. Febr. | 7. Mart. |
| A | 23. 22. 21. 20. 19. | 22. Jan. | 8. Febr. |
| | 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. | 29. Jan. | 15. Febr. |
| | 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. | 5. Febr. | 22. Febr. |
| | 4. 3. 2. 1. * 29. 28. | 12. Febr. | 1. Mart. |
| | 27. 26. 25. 25. 24. | 19. Febr. | 8. Mart. |
| B | 23. 22. 21. 20. 19. 18. | 23. Jan. | 9. Febr. |
| | 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. | 30. Jan. | 16. Febr. |
| | 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. | 6. Febr. | 23. Febr. |
| | 3. 2. 1. * 29. 28. 27. | 13. Febr. | 2. Mart. |
| | 26. 25. 25. 24. | 20. Febr. | 9. Mart. |
| C | 23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. | 24. Jan. | 10. Febr. |
| | 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. | 31. Jan. | 17. Febr. |
| | 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. | 7. Febr. | 24. Febr. |
| | 2. 1. * 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24. | 14. Febr. | 3. Mart. |
| | | 21. Febr. | 10. Mart. |



# NOVA REFORMATA.

| Pascha. | Ascensio. | Pentecostes. | Corpus Christi. | Dominicæ post Pent. & Adv. | Prima Dominica Adventus. |
|---|---|---|---|---|---|
| 22. Mart. | 30. Apr. | 10. Maii | 21. Maii | 28 | 29. Nov. |
| 29. Mart. | 7. Maii | 17. Maii | 28. Maii | 27 | 29. |
| 5. Apr. | 14. Maii | 24. Maii | 4. Iunii | 26 | 29. |
| 12. Apr. | 21. Maii | 31. Maii | 11. Iunii | 25 | 29. |
| 19. Apr. | 28. Maii | 7. Iunii | 18. Iunii | 24 | 29. |
| 23. Mart. | 1. Maii | 11. Maii | 22. Maii | 28 | 30. Nov. |
| 30. Mart. | 8. Maii | 18. Maii | 29. Maii | 27 | 30. |
| 6. Apr. | 15. Maii | 25. Maii | 5. Iunii | 26 | 30. |
| 13. Apr. | 22. Maii | 1. Iunii | 12. Iunii | 25 | 30. |
| 20. Apr. | 29. Maii | 8. Iunii | 19. Iunii | 24 | 30. |
| 24. Mart. | 2. Maii | 12. Maii | 23. Maii | 28 | 1. Dec. |
| 31. Mart. | 9. Maii | 19. Maii | 30. Maii | 27 | 1. |
| 7. Apr. | 16. Maii | 26. Maii | 6. Iunii | 26 | 1. |
| 14. Apr. | 23. Maii | 2. Iunii | 13. Iunii | 25 | 1. |
| 21. Apr. | 30. Maii | 9. Iunii | 20. Iunii | 24 | 1. |
| 25. Mart. | 3. Maii | 13. Maii | 24. Maii | 28 | 2. Dec. |
| 1. Apr. | 10. Maii | 20. Maii | 31. Maii | 27 | 2. |
| 8. Apr. | 17. Maii | 27. Maii | 7. Iunii | 26 | 2. |
| 15. Apr. | 24. Maii | 3. Iunii | 14. Iunii | 25 | 2. |
| 22. Apr. | 31. Maii | 10. Iunii | 21. Iunii | 24 | 2. |
| 26. Mart. | 4. Maii | 14. Maii | 25. Maii | 28 | 3. Dec. |
| 2. Apr. | 11. Maii | 21. Maii | 1. Iunii | 27 | 3. |
| 9. Apr. | 18. Maii | 28. Maii | 8. Iunii | 26 | 3. |
| 16. Apr. | 25. Maii | 4. Iunii | 15. Iunii | 25 | 3. |
| 23. Apr. | 1. Iunii | 11. Iunii | 22. Iunii | 24 | 3. |
| 27. Mart. | 5. Maii | 15. Maii | 26. Maii | 27 | 27. Nov. |
| 3. Apr. | 12. Maii | 22. Maii | 2. Iunii | 26 | 27. |
| 10. Apr. | 19. Maii | 29. Maii | 9. Iunii | 25 | 27. |
| 17. Apr. | 26. Maii | 5. Iunii | 16. Iunii | 24 | 27. |
| 24. Apr. | 2. Iunii | 12. Iunii | 23. Iunii | 23 | 27. |
| 28. Mart. | 6. Maii | 16. Maii | 27. Maii | 27 | 28. Nov. |
| 4. Apr. | 13. Maii | 23. Maii | 3. Iunii | 26 | 28. |
| 11. Apr. | 20. Maii | 30. Maii | 10. Iunii | 25 | 28. |
| 18. Apr. | 27. Maii | 6. Iunii | 17. Iunii | 24 | 28. |
| 25. Apr. | 3. Iunii | 13. Iunii | 24. Iunii | 23 | 28. |

# TABELLA TEMPORARIA

| Anni Dñi. | Litteræ Dominic. | Aureus numerus | Epactæ | Septuagesima | Dies Cinerum | Pascha. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1777 | e | 11 | xx | 26. Ian. | 12. Febr. | 30. Mar. |
| 1778 | d | 12 | j | 15. Febr. | 4. Mar. | 19. Apr. |
| 1779 | c | 13 | xij | 31. Ian. | 17. Febr. | 4. Apr. |
| 1780 | b A | 14 | xxiij | 23. Ian. | 9. Febr. | 26. Mar. |
| 1781 | g | 15 | iv | 11. Febr. | 28. Febr. | 15. Apr. |
| 1782 | f | 16 | xv | 27. Ian. | 13. Febr. | 31. Mar. |
| 1783 | e | 17 | xxvj | 16. Febr. | 5. Mar. | 20. Apr. |
| 1784 | d c | 18 | vij | 8. Febr. | 25. Febr. | 11. Apr. |
| 1785 | b | 19 | xviij | 23. Ian. | 9. Febr. | 27. Mar. |
| 1786 | A | 1 | * | 12. Febr. | 1. Mar. | 16. Apr. |
| 1787 | g | 2 | xj | 4. Febr. | 21. Febr. | 8. Apr. |
| 1788 | f e | 3 | xxij | 20. Ian. | 6. Febr. | 23. Mar. |
| 1789 | d | 4 | iij | 8. Febr. | 25. Febr. | 12. Apr. |
| 1790 | c | 5 | xiv | 31. Ian. | 17. Febr. | 4. Apr. |
| 1791 | b | 6 | xxv | 20. Febr. | 9. Mar. | 24. Apr. |
| 1792 | A g | 7 | vj | 5. Febr. | 22. Febr. | 8. Apr. |
| 1793 | f | 8 | xvij | 27. Ian. | 13. Febr. | 31. Mar. |
| 1794 | e | 9 | xxviij | 16. Febr. | 5. Mar. | 20. Apr. |
| 1795 | d | 10 | ix | 1. Febr. | 18. Febr. | 5. Apr. |
| 1796 | c b | 11 | xx | 24. Ian. | 10. Febr. | 27. Mar. |
| 1797 | A | 12 | j | 12. Febr. | 1. Mar. | 16. Apr. |
| 1798 | g | 13 | xij | 4. Febr. | 21. Febr. | 8. Apr. |
| 1799 | f | 14 | xxiij | 20. Ian. | 6. Febr. | 24. Mar. |
| 1800 | e | 15 | iv | 9. Febr. | 26. Febr. | 13. Apr. |
| 1801 | d | 16 | xv | 1. Febr. | 18. Febr. | 5. Apr. |
| 1802 | c | 17 | xxvj | 14. Febr. | 3. Mar. | 18. Apr. |
| 1803 | b | 18 | vij | 6. Febr. | 23. Febr. | 10. Apr. |
| 1804 | A g | 19 | xviij | 29. Ian. | 15. Febr. | 1. Apr. |
| 1805 | f | 1 | * | 10. Febr. | 27. Febr. | 14. Apr. |
| 1806 | e | 2 | xj | 2. Febr. | 19. Febr. | 6. Apr. |
| 1807 | d | 3 | xxij | 25. Ian. | 11. Febr. | 29. Mar. |
| 1808 | c b | 4 | iij | 14. Febr. | 2. Mar. | 17. Apr. |
| 1809 | A | 5 | xiv | 29. Ian. | 15. Febr. | 2. Apr. |
| 1810 | g | 6 | xxv | 18. Febr. | 7. Mar. | 22. Apr. |
| 1811 | f | 7 | vj | 10. Febr. | 27. Febr. | 14. Apr. |



# FESTORUM MOBILIUM.

| Anni Dñi. | Ascensio. | Pentecostes. | Corporis Christi. | Indictio. | Domin. post Pent. | Prima Dom. Advent. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1777 | 8. Maii | 18. Maii | 29. Maii | 10 | 27 | 30. Nov. |
| 1778 | 28. Maii | 7. Iunii | 18. Iunii | 11 | 24 | 29. Nov. |
| 1779 | 13. Maii | 23. Maii | 3. Iunii | 12 | 25 | 28. Nov. |
| 1780 | 4. Maii | 14. Maii | 25. Maii | 13 | 28 | 3. Dec. |
| 1781 | 24. Maii | 3. Iunii | 14. Iunii | 14 | 25 | 2. Dec. |
| 1782 | 9. Maii | 19. Maii | 30. Maii | 15 | 27 | 1. Dec. |
| 1783 | 29. Maii | 8. Iunii | 19. Iunii | 1 | 24 | 30. Nov. |
| 1784 | 20. Maii | 30. Maii | 10. Iunii | 2 | 25 | 28. Nov. |
| 1785 | 5. Maii | 15. Maii | 26. Maii | 3 | 27 | 27. Nov. |
| 1786 | 25. Maii | 4. Iunii | 15. Iunii | 4 | 25 | 3. Dec. |
| 1787 | 17. Maii | 27. Maii | 7. Iunii | 5 | 28 | 2. Dec. |
| 1788 | 1. Maii | 11. Maii | 22. Maii | 6 | 28 | 30. Nov. |
| 1789 | 21. Maii | 31. Maii | 11. Iunii | 7 | 25 | 29. Nov. |
| 1790 | 13. Maii | 23. Maii | 3. Iunii | 8 | 26 | 28. Nov. |
| 1791 | 2. Iunii | 12. Iunii | 23. Iunii | 9 | 23 | 27. Nov. |
| 1792 | 17. Maii | 27. Maii | 7. Iunii | 10 | 26 | 2. Dec. |
| 1793 | 9. Maii | 19. Maii | 30. Maii | 11 | 27 | 1. Dec. |
| 1794 | 29. Maii | 8. Iunii | 19. Iunii | 12 | 24 | 30. Nov. |
| 1795 | 14. Maii | 24. Maii | 4. Iunii | 13 | 26 | 29. Nov. |
| 1796 | 5. Maii | 15. Maii | 26. Maii | 14 | 27 | 27. Nov. |
| 1797 | 25. Maii | 4. Iunii | 15. Iunii | 15 | 25 | 3. Dec. |
| 1798 | 17. Maii | 27. Maii | 7. Iunii | 1 | 26 | 2. Dec. |
| 1799 | 2. Maii | 12. Maii | 23. Maii | 2 | 28 | 1. Dec. |
| 1800 | 22. Maii | 1. Iunii | 12. Iunii | 3 | 25 | 30. Nov. |
| 1801 | 14. Maii | 24. Maii | 4. Iunii | 4 | 26 | 29. Nov. |
| 1802 | 27. Maii | 6. Iunii | 17. Iunii | 5 | 24 | 28. Nov. |
| 1803 | 19. Maii | 29. Maii | 9. Iunii | 6 | 25 | 27. Nov. |
| 1804 | 10. Maii | 20. Maii | 31. Maii | 7 | 27 | 2. Dec. |
| 1805 | 23. Maii | 2. Iunii | 13. Iunii | 8 | 25 | 1. Dec. |
| 1806 | 15. Maii | 25. Maii | 5. Iunii | 9 | 26 | 30. Nov. |
| 1807 | 7. Maii | 17. Maii | 28. Maii | 10 | 27 | 29. Nov. |
| 1808 | 26. Maii | 5. Iunii | 16. Iunii | 11 | 24 | 27. Nov. |
| 1809 | 11. Maii | 21. Maii | 1. Iunii | 12 | 27 | 3. Dec. |
| 1810 | 31. Maii | 10. Iunii | 21. Iunii | 13 | 24 | 2. Dec. |
| 1811 | 23. Maii | 2. Maii | 13. Iunii | 14 | 25 | 1. Dec. |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxj | d | vj | 8 | Joannis de Matha Confes. duplex. |
| xx | e | v | 9 | Appolloniæ virginis & mart. |
| xix | f | iv | 10 | Scholasticæ virginis. duplex. |
| xviij | g | iij | 11 | |
| xvij | A | Prid. | 12 | |
| xvj | b | Idib. | 13 | |
| xv | c | xvj | 14 | Valentini Presbyt. & mart. |
| xiv | d | xv | 15 | Faustini & Jovitæ martyr. |
| xiij | e | xiv | 16 | |
| xij | f | xiij | 17 | |
| xj | g | xij | 18 | Simeonis Episcopi & mart. |
| x | A | xj | 19 | |
| ix | b | x | 20 | |
| viij | c | ix | 21 | |
| vij | d | viij | 22 | Cathedra S. Petri Antiochiæ. duplex. |
| vj | e | vij | 23 | Vigilia. |
| v | f | vj | 24 | MATHIÆ Apost. duplex. |
| iv | g | v | 25 | |
| iij | A | iv | 26 | |
| ij | b | iij | 27 | |
| j | c | Prid. | 28 | |

In Anno Bissextili Februarius est dierum 29. & festum sancti Mathiæ celebratur 25. Februarii, & bis dicitur Sexto Kalendas; id est, die 24. & die 25. & littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem, ut si in Januario littera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ est g &c. & littera f bis ſervit 24. 25.

## MARTIUS.

| Cyclus Epact. | Litteræ Dom. | | Dies Mensis. | |
|---|---|---|---|---|
| * | d | Kal. | 1 | |
| xxix | e | vj | 2 | |
| xxviij | f | v | 3 | |
| xxvij | g | iv | 4 | Casimiri Confessoris. semid. cum Commemoratione S. Lucii Papæ & martyris. |
| 25. xxvj | A | iij | 5 | |
| xxv | b | Prid. | 6 | |
| xxiv | c | Non. | 7 | Thomæ de Aquino Confessoris & Ecclesiæ Doctoris. duplex. & Commemoratio SS. Perpetuæ & Felicitatis martyrum. |
| xxiij | d | viij | 8 | Joannis de Deo Conf. dupl. |
| xxij | e | vij | 9 | Franciscæ viduæ Romanæ. duplex. |
| xxj | f | vj | 10 | Quadraginta Martyrum. semidupl. |
| xx | g | v | 11 | |
| xix | A | iv | 12 | Gregorii Papæ, Confess. & Ecclesiæ Doctoris. dupl. |
| xviij | b | iij | 13 | |
| xvij | c | Prid. | 14 | |
| xvj | d | Idib. | 15 | |
| xv | e | xvij | 16 | |
| xiv | f | xvj | 17 | Patricii Ep. & Conf. semid. |
| xiij | g | xv | 18 | |
| xij | A | xiv | 19 | JOSEPH Confessoris. dupl. |
| xj | b | xiij | 20 | |
| x | c | xij | 21 | Benedicti Abbatis. duplex. |
| ix | d | xj | 22 | |
| viij | e | x | 23 | |
| vij | f | ix | 24 | |
| vj | g | viij | 25 | ANNUNTIATIO BEATÆ MARIÆ Virginis. duplex. |
| v | A | vij | 26 | |
| iv | b | vj | 27 | |
| iij | c | v | 28 | |
| ij | d | iv | 29 | |
| j | e | iij | 30 | |
| * | f | Prid. | 31 | |

Feria sexta post Dominicam Passionis fit Officium de Septem Doloribus B. Mariæ Virginis. duplex. ut in principio mensis Aprilis.

APRI-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## APRILIS.

| Cyclus Epact. | Litteræ Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxix | g | Kal. | 1 | |
| xxviij | A | iv | 2 | Francisci de Paula Confessoris. duplex. |
| xxvij | b | iij | 3 | |
| 25. xxvj | c | Prid. | 4 | Isidori Episc. & Conf. dupl. |
| xxv. xxiv | d | Non. | 5 | Vincentii Ferrer. Conf. dupl. |
| xxiij | e | viij | 6 | |
| xxij | f | vij | 7 | |
| xxj | g | vj | 8 | |
| xx | A | v | 9 | |
| xix | b | iv | 10 | |
| xviij | c | iij | 11 | Leonis Papæ, Confessoris, & Ecclesiæ Doct. duplex. |
| xvij | d | Prid. | 12 | |
| xvj | e | Idib. | 13 | Hermenegildi mart. semid. |
| xv | f | xviij | 14 | Tiburtii, Valeriani, & Maximi martyr. |
| xiv | g | xvij | 15 | |
| xiij | A | xvj | 16 | |
| xij | b | xv | 17 | Aniceti Papæ & martyris. |
| xj | c | xiv | 18 | |
| x | d | xiij | 19 | |
| ix | e | xij | 20 | |
| viij | f | xj | 21 | Anselmi Episcopi & Confessoris. duplex. |
| vij | g | x | 22 | Soteris & Caii pontificum & martyrum, semiduplex. |
| vj | A | ix | 23 | Georgii martyris, semidupl. |
| v | b | viij | 24 | |
| iv | c | vij | 25 | Marci Evangelistæ, duplex. |
| iij | d | vj | 26 | Cleti & Marcellini Pontificum & mart. semiduplex. |
| ij | e | v | 27 | |
| j | f | iv | 28 | Vitalis martyris. |
| | g | iij | 29 | Petri martyris. duplex. |
| xxix | A | Prid. | 30 | Catharinæ Senensis virginis. duplex. |

MA-

## MAJUS.

| Cyclus Epact. | Litteræ Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxviij | b | Kal. | 1 | PHILIPPI & JACOBI Apostolorum. duplex. |
| xxvij | c | vj | 2 | Athanasii Episcopi & Confessoris. duplex. |
| xxvj | d | v | 3 | INVENTIO SANCTÆ CRUCIS. duplex, & Commemoratio SS. Alexandri, Eventii, & Theoduli martyrum, ac Iuvenalis Episcopi & Confessoris, in Laudibus tantum. |
| 25. xxv | e | iv | 4 | Monicæ viduæ. duplex. |
| xxiv | f | iij | 5 | Pii Quinti Papæ & Confessoris, semiduplex. |
| xxiij | g | Prid. | 6 | Joannis ante portam Latinam. duplex. |
| xxij | A | Non. | 7 | Stanislai Episcopi & martyris. duplex. |
| xxj | b | viij | 8 | Apparitio S. Michaëlis Archangeli. duplex. |
| xx | c | vij | 9 | Gregorii Nazianzeni Episcopi & Confessoris. duplex. |
| xix | d | vj | 10 | Antonini Episcopi & Conf. semiduplex, cum Commemoratione SS. Gordiani & Epimachi martyrum, |
| xviij | e | v | 11 | |
| xvij | f | iv | 12 | Nerei, Achillei, & Domitillæ virginis, atque Pancratii martyrum. semiduplex. |
| xvj | g | iij | 13 | |
| xv | A | Prid. | 14 | Bonifacii martyris. |
| xiv | b | Idib. | 15 | |
| xiij | c | xvij | 16 | Ubaldi Episcopi & Confessoris, semiduplex. |
| xij | d | xvj | 17 | |
| xj | e | xv | 18 | Venantii martyris, semidup. |

Pe-

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| x | f | xiv | 19 | Petri Cæleſtini Papæ & Confeſſoris. duplex. cum Commemor. S. Pudentianæ virginis. |
| ix | g | xiij | 20 | Bernardini Senenſis Confeſſoris. ſemiduplex. |
| viij | A | xij | 21 | |
| vij | b | xj | 22 | |
| vj | c | x | 23 | |
| v | d | ix | 24 | |
| iv | e | viij | 25 | Gregorii VII. Papæ & Confeſ. duplex, cum Commem. S. Urbani Papæ & martyris. |
| iij | f | vij | 26 | Philippi Neri Conf. duplex. cum Commemor. S. Eleutherii Papæ & mart. |
| ij | g | vj | 27 | Mariæ Magdalenæ de Pazzis virginis. ſemiduplex cum Commem. S. Joannis Papæ & martyris. |
| j | A | v | 28 | |
| * | b | iv | 29 | |
| xxix | c | iij | 30 | Felicis Papæ & martyris. |
| xxviij | d | Prid. | 31 | Petronilæ virginis. |

## JUNIUS.

| Cyclus Epact. | Litteræ Dom. | | Dies Menſis. | |
|---|---|---|---|---|
| xxvij | e | Kal. | 1 | |
| xxvj | f | iv | 2 | Marcellini, Petri atque Eraſmi martyrum. |
| xxv.xxiv | g | iij | 3 | |
| 25. xxiij | A | Prid. | 4 | |
| xxij | b | Non. | 5 | |
| xxj | c | viij | 6 | Norberti Epiſcopi & Conf. duplex. |
| xx | d | vij | 7 | |
| xix | e | vj | 8 | |
| xviij | f | v | 9 | Primi & Feliciani martyrum. |
| xvij | g | iv | 10 | Margaritæ Reginæ Scotiæ. ſemiduplex. |
| xvj | A | iij | 11 | Barnabæ Apoſtoli. duplex. |
| xv | b | Prid. | 12 | Ioannis à S. Facundo Conf. duplex. cum Comm. SS. Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii martyrum. |
| xiv | c | Idib. | 13 | Antonii de Padua Conf. dup. |
| xiij | d | xviij | 14 | Baſilii Magni Ep. & Conf. dup. |
| xij | e | xvij | 15 | Viti, Modeſti, atque Creſcentiæ martyrum. |
| xj | f | xvj | 16 | |
| x | g | xv | 17 | |
| ix | A | xiv | 18 | Marci & Marcelliani mart. |
| viij | b | xiij | 19 | Julianæ de Falconeriis virg. duplex. cum Commem. SS. Gervaſii & Protaſii mart. |
| vij | c | xij | 20 | Silverii Papæ & martyris. |
| vj | d | xj | 21 | |
| v | e | x | 22 | Paulini Epiſcopi & Confeſ. Vigilia. |
| iv | f | ix | 23 | |
| iij | g | viij | 24 | NATIVITAS S. IOANNIS BAPTISTÆ. duplex. |
| ij | A | vij | 25 | De Octava Nativitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ. |
| j | b | vj | 26 | Ioannis & Pauli mart. duplex. cum Commemorat. Oct. Nativ. S. Ioannis. |
| * | c | v | 27 | De Octava Nativitatis ſancti Ioannis. |
| xxix | d | iv | 28 | Leonis Papæ & Confeſſoris. ſemiduplex, cum Comm. Octavæ & Vigiliæ. |
| xxviij | e | iij | 29 | PETRI ET PAULI Apoſtolorum. duplex. |
| xxvij | f | Prid. | 30 | Commemoratio S. Pauli Apoſt. duplex. cum Commemorat. Octavæ Nativitatis S. Ioannis. |



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

## IULIUS.

| Cyclus Epact. | Litteræ Dom. | Dies Menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxvj | g | Kal. | 1 | Octava Nativitatis S. Ioannis Baptiſtæ. duplex & Commem Oct. Apoſtolorum. |
| 25. xxv | A | vj | 2 | Viſitatio B. Mariæ Virginis. duplex. cum Commem. Oct. Apoſtolorum, & SS. Proceſsi & Martiniani martyrum. |
| xxiv | b | v | 3 | De Octava Apoſtolorum. |
| xxiij | c | iv | 4 | De Octava. |
| xxij | d | iij | 5 | De Octava. |
| xxj | e | Prid. | 6 | Octava Apoſtol. Petri & Pauli. duplex. |
| xx | f | Non. | 7 | |
| xix | g | viij | 8 | Eliſabeth Reginæ Portugal. Vid. ſemiduplex. |
| xviij | A | vij | 9 | |
| xvij | b | vj | 10 | Septem Fratrum mart. & SS. Rufinæ ac Secundæ martyrum. ſemiduplex. |
| xvj | c | v | 11 | Pii Papæ & martyris. |
| xv | d | iv | 12 | Ioannis Gualberti Abbatis. duplex. cum commemor. SS. Naboris & Felicis martyrum. |
| xiv | e | iij | 13 | Anacleti Papæ & martyris. ſemiduplex. |
| xiij | f | Prid. | 14 | Bonaventuræ Epiſcopi, Confeſſoris, & Eccleſiæ Doctoris. duplex. |
| xij | g | Idib. | 15 | Henrici Imperatoris Confeſſ. ſemiduplex. |
| xj | A | xvij | 16 | Commemoratio ſolemnis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo. duplex. |
| x | b | xvj | 17 | Alexii Confeſſoris. ſemidup. |
| ix | c | xv | 18 | Camilli de Lelis Confeſſoris. duplex. cum Commem. S. Simphoroſæ cum ſeptem Filiis mart. |
| viij | d | xiv | 19 | Vincentii à Paulo Confeſſoris. duplex. |
| vij | e | xiij | 20 | Margaritæ virginis & mart. |
| vj | f | xij | 21 | Praxedis virginis & mart. |
| v | g | xj | 22 | Mariæ Magdalenæ. duplex. |
| iv | A | x | 23 | Apollinaris Epiſcopi & martyris. duplex. cum Comm. S. Liborii Epiſc. & Conf. |
| iij | b | ix | 24 | Vigilia. & Commemor. S. Chriſtinæ virginis & martyris. |
| ij | c | viij | 25 | IACOBI Apoſtoli. duplex. & Commem. S. Chriſtophori martyr. in Laudibus tantùm. |
| j | d | vij | 26 | ANNÆ Matris B. MARIÆ. duplex. |
| * | e | vj | 27 | Pantaleonis martyris. |
| xxix | f | v | 28 | Nazarii, Celſi, & Victoris Papæ & martyris, ac Innocentii Papæ & Confeſſoris. ſemiduplex. |
| xxviij | g | iv | 29 | Marthæ virginis. ſemidup. & Commem. SS. Felicis Papæ, Simplicii, Fauſtini & Beatricis martyrum. |
| xxvij | A | iij | 30 | Abdon & Sennem martyrum. |
| 25. xxvj | b | Prid. | 31 | Ignatii Confeſſoris. duplex. |



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

| Cyclus Epact. | Litteræ Dom. | Dies Menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxv.xxiv | c | Kal. | 1 | Petri ad Vincula. duplex. & Commemoratio SS. Machabæorum martyrum. |
| xxiij | d | iv | 2 | Stephani Papæ & martyris. |
| xxij | e | iij | 3 | Inventio S. Stephani Protomart. ſemiduplex. |
| xxj | f | Prid. | 4 | Dominici Confeſſor. duplex. |
| xx | g | Non. | 5 | Dedicatio B. Mariæ ad Nives. duplex. |
| xix | A | viij | 6 | Transfiguratio Domini. duplex. & Commemor. SS. Xiſti Papæ, Feliciſſimi, & Agapiti mart. |
| xviij | b | vij | 7 | Cajetani Thienæi Confeſſor. duplex. cum Commemor. S. Donati Epiſcopi & martyris. |
| xvij | c | vj | 8 | Cyriaci, Largi, & Smaragdi martyrum. ſemiduplex. |
| xvj | d | v | 9 | Vigilia. & Commemor. S. Romani martyris. |
| xv | e | iv | 10 | LAURENTII martyris. duplex. |
| xiv | f | iij | 11 | De Octava S. Laurentii. & Commemor. SS. Tiburtii & Suſannæ martyrum. |
| xiij | g | Prid. | 12 | Claræ virginis. duplex. cum Commem. Octav. |
| xij | A | Idib. | 13 | De Octava. & Commemoratio SS. Hippolyti &c. martyrum. |
| xj | b | xix | 14 | De Octava. cum Commemor. Vigiliæ. & S. Euſebii Confeſſoris. |
| x | c | xviij | 15 | ASSUMPTIO B. MARIÆ Virginis. duplex. * Dominica infra Oct. Aſſumpt. Feſtum S. Joachim Confeſſ. patris B. V. Mariæ. duplex. cum Commemor. Dominicæ. |
| ix | d | xvij | 16 | Hyacinthi Confeſſoris. duplex. cum Commem. Oct. Aſſumptionis, & S. Laurentii. |
| viij | e | xvj | 17 | Octava S. Laurentii. duplex, & Commem. Octavæ Aſſumptionis. |
| vij | f | xv | 18 | De Octava. & Commemor. S. Agapiti mart. |
| vj | g | xiv | 19 | De Octava. |
| v | A | xiij | 20 | Bernardi Abbatis. duplex. cum Commem. Octavæ Aſſumptionis. |
| iv | b | xij | 21 | De Octava. |
| iij | c | xj | 22 | Oct. Aſſumpt. B. M. duplex. cum Commmc. SS. Timothei, Hippolyti & Simphoriani martyrum. |
| ij | d | x | 23 | Philippi Benitii Confeſſoris. duplex. & Commemor. Vigiliæ. |
| j | e | ix | 24 | BARTHOLOMÆI Apoſtoli. duplex. Romæ celebratur die 25. |
| * | f | viij | 25 | Ludovici Regis Franciæ Confeſſ. ſemidup. Romæ 26. |
| xxix | g | vij | 26 | Zephyrini Papæ & martyris. |
| xxviij | A | vj | 27 | |
| xxvij | b | v | 28 | Auguſtini Epiſc. Conf. & Eccleſiæ Doctoris. duplex. & Commem. S. Hermetis martyris. |

AS- De-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxvj | c | iv | 29 | Decollatio S. Ioannis Baptiſtæ. duplex. & Commemoratio S. Sabinæ martyris. |
| 25. xxv | d | iij | 30 | Roſæ à S. Maria viginis Limanæ. duplex. & Comm. SS. Felicis, &c. mart. |
| xxiv | e | Prid. | 31 | Raymundi Nonati Confeſſoris. duplex. |

## SEPTEMBER.

| Cyclus Epact. | Litteræ Dom. | | Dies Menſis. | |
|---|---|---|---|---|
| xxiij | f | Kal. | 1 | Ægidii Abbatis. & Commemor. SS. Duodecim Fratrum martyrum. |
| xxij | g | iv | 2 | Stephani Regis Hungariæ Confeſſoris. ſemiduplex. |
| xxj | A | iij | 3 | |
| xx | b | Prid. | 4 | |
| xix | c | Non. | 5 | Laurentiæ Iuſtiniani Epiſc. & Confeſſ. ſemiduplex. |
| xviij | d | viij | 6 | |
| xvij | e | vij | 7 | |
| xvj | f | vj | 8 | NATIVITAS B. MARIÆ Virginis. duplex. & Commemor. S. Adriani martyris. in Laudibus tantùm. * Dominica infra Octavam. Feſtum Sanctiſſimæ Nominis B. Mariæ Virginis. duplex. |
| xv | g | v | 9 | De Oct. Nativ. B. Mariæ. & Comm. S. Gorgonii mart. |
| xiv | A | iv | 10 | Nicolai de Tolentino Confeſſ. duplex. cum Commemor. Octav. Nativ. B. Mariæ. |
| xiij | b | iij | 11 | De Octava. & Commemor. SS. Proti & Hyacinthi martyrum. |
| xij | c | Prid. | 12 | De Octava. |
| xj | d | Idib. | 13 | De Octava. |
| x | e | xviij | 14 | Exaltatio S. Crucis. duplex. cum Commemor. Octavæ Nativitatis B. V. Mariæ. |
| ix | f | xvij | 15 | Octava Nativitatis B.V. Mariæ. duplex, cum Commemorat. ſancti Nicomedis martyris. |
| viij | g | xvj | 16 | Cornelii & Cypriani Pontificum & mart. ſemiduplex, cum Commem. SS. Euphemiæ, Luciæ, & Geminiani martyrum. |
| vij | A | xv | 17 | Impreſſio Stigmat. ſancti Franciſci. ſemiduplex. |
| vj | b | xiv | 18 | Thomæ à Villanova Epiſcopi & Confeſſoris. ſemiduplex. |
| v | c | xiij | 19 | Ianuarii Epiſcopi & Sociorum martyrum. duplex. |
| iv | d | xij | 20 | Euſtachii & Sociorum martyrum. duplex. & Commemoratio. Vigiliæ. |
| iij | e | xj | 21 | MATTHÆI Apoſt. & Evangeliſtæ. duplex. |
| ij | f | x | 22 | Mauritii & Sociorum martyrum. |
| j | g | ix | 23 | Lini Papæ & martyris. ſemiduplex, & Commemoratio S. Theclæ virginis & martyris. |
| * | A | viij | 24 | Feſtum B.V. Mariæ de Mercede. duplex. |



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxix | b | vij | 25 | |
| xxviij | c | vj | 26 | Cypriani & Iuſtinæ martyrum. |
| xxvij | d | v | 27 | Coſmæ & Damiani martyr. ſemiduplex. |
| 25. xxvj | e | iv | 28 | wenceſl. Duc. & mart. ſemiduplex. |
| xxv. xxiv | f | iij | 29 | DEDICATIO SANCTI MICHAELIS Archangeli. duplex. |
| xxiij | g | Prid. | 30 | Hieronymi Presbyt. Confeſſ. & Eccleſiæ Doct. duplex. |

## OCTOBER.

| Cyclus Epact. | Litteræ Dom. | Dies Menſis | | * Dominica prima Octobris. Feſtum SS. Roſarii B. Virginis Mariæ. duplex. |
|---|---|---|---|---|
| xxij | A | Kal. | 1 | Remigii Epiſcopi & Confes- soris. |
| xxj | b | vj | 2 | Angelorum Cuſtodum. dupl. |
| xx | c | v | 3 | |
| xix | d | iv | 4 | Franciſci Confeſſ. duplex. |
| xviij | e | iij | 5 | Placidi & Sociórum martyr. |
| xvij | f | Prid. | 6 | Brunonis Confeſſoris. dupl. |
| xvj | g | Non. | 7 | Marci Papæ & Confeſſoris. cum Commemor. SS. Sergii, Bacchi, Marcelli & Apuleii martyrum. |
| xv | A | viij | 8 | Brigittæ Viduæ. duplex. |
| xiv | b | vij | 9 | Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii martyrum. ſemiduplex. |
| xiij | c | vj | 10 | Franciſci de Borgia Confeſſ. ſemiduplex. |
| xij | d | v | 11 | |
| xj | e | iv | 12 | |
| x | f | iij | 13 | Eduardi Regis Confeſſoris. ſemiduplex. |



| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| ix | g | Prid. | 14 | Calliſti Papæ & martyris. ſemiduplex. |
| viij | A | Idib. | 15 | Tereſiæ Virginis. duplex. |
| vij | b | xvij | 16 | |
| vj | c | xvj | 17 | Hedwigis viduæ. ſemidupl. |
| v | d | xv | 18 | Lucæ Evangeliſtæ. duplex. |
| iv | e | xiv | 19 | Petri de Alcantara Confeſſ. duplex. |
| iij | f | xiij | 20 | |
| ij | g | xij | 21 | Hilarionis Abbatis. & Commemor. SS. Urſulæ & Sociarum virginum & mart. |
| j | A | xj | 22 | |
| * | b | x | 23 | |
| xxix | c | ix | 24 | |
| xxviij | d | viij | 25 | Chryſanthi & Dariæ martyr. |
| xxvij | e | vij | 26 | Evariſti Papæ & martyris. |
| xxvj | f | vj | 27 | Vigilia. |
| 25. xxv | g | v | 28 | SIMONIS ET IUDÆ Apoſtolorum. duplex. |
| xxiv | A | iv | 29 | |
| xxiij | b | iij | 30 | |
| xxij | c | Prid. | 31 | Vigilia. |

## NOVEMBER.

| Cyclus Epact. | Litteræ Dom. | Dies Menſis | | |
|---|---|---|---|---|
| xxj | d | Kal. | 1 | FESTUM OMNIUM SANCTORUM. duplex. |
| xx | e | iv | 2 | Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. duplex. & de Octava Omnium Sanctorum. |
| xix | f | iij | 3 | De Octava. |
| xviij | g | Prid. | 4 | Caroli Epiſcopi & Confeſſor. duplex. cum Comm. Octavæ, & SS. Vitalis & Agricolæ martyrum. |



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xvij | A | Non. | 5 | De Octava. |
| xvj | b | viij | 6 | De Octava. |
| xv | c | vij | 7 | De Octava. |
| xiv | d | vj | 8 | Octava Omnium Sanctorum. duplex, & Commemorat. Sanctorum Quatuor Coronatorum martyrum. |
| xiij | e | v | 9 | Dedicatio Baſilicæ Salvatoris. duplex. & Commem. S. Theodori martyris. |
| xij | f | iv | 10 | Andreæ Avellini Conf. ſemiduplex, cum Comm. SS. Tryphonis, Reſpicii & Nymphæ martyrum. |
| xj | g | iij | 11 | Martini Epiſcopi & Conf. duplex. & Commemoratio S. Mennæ martyris. |
| x | A | Prid. | 12 | Martini Papæ & martyris. ſemiduplex. |
| ix | b | Idib. | 13 | Didaci Confeſſor. ſemidup. |
| viij | c | xviij | 14 | |
| vij | d | xvij | 15 | Gertrudis Virginis. duplex. |
| vj | e | xvj | 16 | |
| v | f | xv | 17 | Gregorii Thaumaturgi Epiſc. & Confeſſoris. ſemidup. |
| iv | g | xiv | 18 | Dedicatio Baſilicarum Petri & Pauli. duplex. |
| iij | A | xiij | 19 | Eliſabeth Viduæ. dupl. cum Commemorat. S. Pontiani Papæ & martyris. |
| ij | b | xij | 20 | Felicis de Valois Conf. dup. |
| j | c | xj | 21 | Præſentatio B. Mariæ Virginis. duplex. |
| * | d | x | 22 | Cæciliæ Virg. & mart. dupl. |
| xxix | e | ix | 23 | Clementis Papæ & martyris. ſemiduplex, & Commem. S. Felicitatis martyris. |
| xxviij | f | viij | 24 | Joannis à Cruce Confeſſoris. duplex. cum Commemor. S. Chryſogoni martyris. |
| xxvij | g | vij | 25 | Catharinæ Virginis & mart. duplex. |
| 25. xxvj | A | vj | 26 | Petri Alexandrini Epiſcopi & martyris. |
| xxv. xxiv | b | v | 27 | |
| xxiij | c | iv | 28 | |
| xxij | d | iij | 29 | Vigilia. & Commem. S. Saturnini martyris. |
| xxj | e | Prid. | 30 | ANDREÆ Apoſt. duplex. |

## DECEMBER.

| Cyclus Epact. | Litteræ Dom. | Dies Menſis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xx | f | Kal. | 1 | |
| xix | g | iv | 2 | Bibianæ virginis & martyris. ſemiduplex. |
| xviij | A | iij | 3 | Franciſci Xaverii Confeſſor. duplex. |
| xvij | b | Prid. | 4 | Petri Chryſologi Epiſcopi & Confeſſor. duplex. cum Commem. S. Barbaræ virginis & martyris. |
| xvj | c | Non. | 5 | Sabbæ Abbatis. Commemor. |
| xv | d | viij | 6 | Nicolai Epiſc. & Conf. dupl. |
| xiv | e | vij | 7 | Ambroſii Epiſc. Confeſſ. & Eccleſiæ Doctoris. duplex. |
| xiij | f | vj | 8 | CONCEPTIO B. MARIÆ Virginis. duplex. |
| xij | g | v | 9 | De Octava. |
| xj | A | iv | 10 | De Octava. & Commem. S. Melchiadis Papæ & mart. |
| x | b | iij | 11 | Damaſi Papæ & Conf. ſemid. cum Commem. Octavæ. |
| ix | c | Prid. | 12 | De Octava. |
| viij | d | Idib. | 13 | Luciæ Virginis & martyris. duplex. cum Commemor. Octavæ. |



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | vij | e | xix | 14 | De Octava. |
| | vj | f | xviij | 15 | Octava Conceptionis B. Mariæ. duplex |
| | v | g | xvij | 16 | Euſebii Vercellenſis Epiſcopi & martyr. ſemiduplex. |
| | iv | A | xvj | 17 | |
| | iij | b | xv | 18 | |
| | ij | c | xiv | 19 | |
| | j | d | xiij | 20 | Vigilia. |
| | * | e | xij | 21 | THOMÆ Apoſtoli. duplex. |
| | xxix | f | xj | 22 | |
| | xxviij | g | x | 23 | |
| | xxvij | A | ix | 24 | Vigilia. |
| | xxvj | b | viij | 25 | NATIVITAS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. duplex. |
| 25. | xxv | c | vij | 26 | STEPHANI Protomartyris. duplex. cum Commemor. Octavæ Nativitatis. |
| | xxiv | d | vj | 27 | IOANNIS Apoſt. & Evangeliſtæ. duplex. cum Commemorat. Octavarum. |
| | xxiij | e | v | 28 | SS. INNOCENTIUM Martyrum. duplex. cum Commemorat. Octavarum. |
| | xxij | f | iv | 29 | Thomæ Cantuarienſis Episc. & martyris. ſemid. cum Commemor. Octavarum. |
| | xxj | g | iij | 30 | De Dominica infra Octavam Nativitatis, vel de Octava Nativitatis. cum Comm. aliarum Octavarum. |
| 19. | xx | A | Prid. | 31 | SYLVESTRI Papæ & Conf. duplex. cum Commemoratione. Octavarum. |

Hæc Epacta 19. nigra numquam eſt in uſu, niſi quando eodem anno concurrit cum aureo num. xix.

DUÆ

# DUÆ TABELLÆ
## EX RUBRICIS GENERALIBUS EXCERPTÆ,

In quarum prima ſtatim videri poterit, de quo celebrandum erit Officium, ſi plura eodem die Feſta occurrant.

In ſecunda verò, quomodò Officium præcedens concurrat in Veſp. cum Offic. ſequentis diei.

Ex utraque Tabella hoc ordine reperietur quod quæritur.

Primum inveniatur numerus poſitus in quadrangulo illo, in quo Feſta, de quibus eſt controverſia, ſibi invicem occurrunt: deindè legatur Regula iuxta dictum numerum deſcripta, & ex ea clarè videbitur, quid ſit agendum.

Exempli gratia. Quadrangulus, in quo ſibi invicem occurrunt Duplex primæ claſſis, & Dominica primæ claſſis, erit qui eſt in angulo ſuperiori primæ Tabellæ, in quo ſignatus eſt numerus 1. quia ſi ad eum tam Duplex, quàm Dominica prædicta ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo ſibi invicem occurrerent. Regula autem iuxta dictum numerum appoſita ſic habet, 1. Translatio de primo, Officium de ſecundo. Id eſt, Duplex primæ claſſis prædictum transferatur, & Officium fiat de Dominica primæ claſſis: quia cùm in his Regulis dicitur, De primo, ſeu præcedenti, intelligitur de Feſto in ſuperiori parte Tabellæ appoſito, ùt Duplex prædictum: cùm de ſecundo vel ſequenti, de Feſto in inferiori parte ſub numer. appoſito, ut Domin. prædicta.

In aliquibus autem quadrangulis nullus appoſitus eſt numerus, vel quia nullus occurſus neque concurſus eſſe poteſt, vel quia in propriis locis annotatur in Brev. quid ſit agendum.

Scire tamen oportet, quæ ſint Duplicia primæ & ſecundæ claſſis, & maiora per annum, & quæ Dominicæ & Feriæ maiores dicantur.

DU-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## DUPLICIA PRIMÆ CLASSIS,

In quibus nulla fit Commemoratio quorumcumque Feſtorum occurrentium, niſi prout ſuprà in Rubricis.

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Paſcha Reſurrectionis, cum tribus antecedentibus, & duobus ſequentibus diebus.
Aſcenſio Domini.
Pentecoſtes, cum duobus ſequentibus diebus.
Feſtum Corporis Chriſti.
Nativitas S. Ioannis Baptiſtæ.
Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.
Aſſumptio B. Mariæ virginis.
Feſtum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriæ Eccleſiæ.
Patronus, vel Titulus Eccleſiæ.

## DUPLICIA SECUNDÆ CLASSIS,

In quibus de Simplicibus fit Commemoratio in Laudibus tantùm.

Circumciſio Domini.
Feſtum ſanctiſſimi Nominis Ieſu.
Feſtum ſanctiſſimæ Trinitatis.
Purificatio, Annuntiatio, Nativitas, Conceptio } B. Mariæ.
Natalitia duodecim Apoſtol.
Feſtum Evangeliſtarum.
Feſtum S. Ioſeph.
Inventio ſanctæ Crucis.
Feſtum ſancti Laurentii.
Dedicatio S. Michaëlis Archangeli.

## DOMINICÆ MAIORES

dividuntur in duas claſſes.

Dominicæ primæ claſſis, quæ numquam omittuntur.

Prima Adventus.
Prima Quadrageſimæ.
Paſſionis.
Palmarum.
Paſchæ.
In Albis.
Pentecoſtes.
Trinitatis.

## DOMINIC. SECUNDÆ CLASSIS,

Quæ non omittuntur, niſi occurrente Patrono vel Titulari Eccleſiæ, & eiuſdem Dedicatione: & tunc de iis fit ſemper Commemoratio in utriſque Veſperis & Laudibus.

Secunda, Tertia, Quarta } Adventus.

Do-

Dominicæ { Septuageſ. Sexageſimæ. Quinquageſ.
Secunda, Tertia, Quarta } Quadrageſ.

## DUPLICIA MAIORA PER ANNUM.

Quæ aliis duplicibus minoribus præferuntur.

Transfiguratio Domini.
Exaltatio ſanctæ Crucis.
Feſtum Nivis, Viſitatio, Præſentatio, Feſtum SS. Nominis, Feſtum de Mercede, Feſtum SS. Roſarii, Feſtum de Monte Carmelo, Feſtum Septem Dolorum. } B. Mariæ.
Feſtum S. Annæ Matris B. V. Mariæ.
Apparitio S. Michaëlis Archangeli.
Cathedra S. Petri, utraque.
Feſtum eiuſdem ad Vincula.
Converſio S. Pauli Apoſtoli.
Feſtum ſancti Ioannis ante Portam Latinam.
S. Barnabæ Apoſtoli.
Feſtum S. Ioachim patris B. V. Mariæ.
Patronorum minùs principalium.

Feriæ maiores, de quibus ſemper fit Commemor.

Adventus.
Quadrageſimæ.
Quatuor Temporum, &
Secunda Rogationum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# SI OCCURRAT EODEM DIE.

| | Vigilia. | Feria Major. | S. Maria in Sabbato. | Simplex. | Semiduplex. | Dies Octavæ. | Dies infra Octavam. | Duplex per annum. | Duplex ſecundæ Claſsis. | Duplex primæ Claſsis. | Dominica per annum. | Dominica ſecundæ Claſsis. | Dominica primæ Claſsis. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Duplex j. Clas. & | 6 | 4 | 0 | 6 | 2 | 4 | 6 | 2 | 2 | 8 | 4 | 4 | 1 |
| Duplex ij. Clas. | 4 | 4 | 0 | 4 | 2 | 4 | 6 | 2 | 8 | 1 | 4 | 1 | 1 |
| Dupl. per annum, | 4 | 4 | 0 | 4 | 2 | 1 | 4 | 8 | 1 | 1 | 4 | 1 | 1 |
| Dies infra Octav. | 4 | 4 | 0 | 4 | 3 | 3 | 7 | 3 | 5 | 5 | 3 | 3 | 3 |
| Dies Octavæ, | 4 | 4 | 0 | 4 | 2 | 7 | 4 | 1 | 3 | 3 | 4 | 5 | 3 |
| Semiduplex, | 4 | 4 | 0 | 4 | 8 | 1 | 4 | 1 | 1 | 1 | 1 | 1 | 1 |
| Simplex, | 3 | 3 | 3 | 0 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 5 | 3 | 3 | 3 |
| S. Maria in Sabb. | 5 | 5 | 0 | 4 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 |
| Feria Major, | 6 | 0 | 6 | 4 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 0 | 0 | 0 |
| Vigilia, | 0 | 5 | 6 | 4 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 5 | 0 | 0 | 0 |

1. Tranſlatio de primo, Officium de ſecundo.
2. Offic. de prim. Tranſl. de ſec.
3. Commem. de primo, Offic. de ſecundo.
4. Offic. de primo, commem. de ſecundo.
5. Nihil de primo, Offic. de ſec.
6. Offic. de prim. nihil de ſec.
7. Offic. de digniori, commemoratio de minùs digno.
8. Offic. de digniori, tranſlatio de minùs digno.

No-

Notandum, quòd Duplex quodcumque, etiam Patroni, & Tituli Eccleſiæ, vel Dedicationis eiuſdem, occurrens in Vigiliis Nativitatis Domini & Pentecoſtes, in die Circumciſionis, in die Octava Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, ac in tota maiori Hebdomada, & infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, in Aſcenſione Domini, in feſto Corporis Chriſti, in feſto Aſſumptionis B. M. Virginis, & omnium Sanctorum transfertur.

Infra Octavam Epiphaniæ fit tantùm de Patrono, vel Titulari Eccleſiæ, & eiuſdem Dedicatione, cum commemoratione Octavæ: alia Feſta transferuntur poſt Octavam.

Infra Octavam Corporis Chriſti, Semiduplex transfertur, neque fit de Duplici translato; & de ea, quocumque adveniente Duplici, fit commemoratio.

Infra illas Octavas, in quibus fit de Feſtis occurrentibus, Semiduplex, occurrens in Dominica, transfertur in proximè ſequentem diem: quæ ſi fuerit impedita alio ſimili Feſto, transfertur poſt Octavam.

De Octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ & Corporis Chriſti, ſemper fit commemoratio quocumque Feſto in illis occurrente.

De aliis Octavis, quæ non ſunt in Kalendario, nihil fit à Feria quarta Cinerum uſque ad Dominicam in Albis, & à Vigilia Pentecoſtes uſque ad feſtum Trinitatis incluſivè, & à die 17. Decembris uſque ad Epiphaniam.

Dies Octavæ numquam transfertur: ideo quamquam Nativitas ſancti Ioannis Baptiſtæ occurrens in die Corporis Chriſti, transferatur in diem ſequentem, non tamen transfertur Octava; ſed de ea fit tantùm commemoratio in Officio de Octava Corporis Chriſti.

Si occurrat, ut Patronus vel Titulus Eccleſiæ deſcriptus ſit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Eccleſia fit tantum de Patrono, vel Titulari abſque commemoratione aliorum. Qui ſi in dicto Kalendario deſcripti ſint ſub Officio Duplici,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

plici, vel Semiduplici, transferuntur in primam diem ſimili Officio non impeditam, & de eis fiat Officium Semiduplex: niſi tamen ſint de maioribus Feſtis, quia tunc de tranſlato quoque fiet Officium Duplex, ac ſi proprio die celebraretur. Si verò in Kalendario omnes ſint tamquam Feſtum Simplex, de aliis nihil fit.

De Feriis Adventus & Quadrageſimæ, quando de eis non fit Officium, fit commemoratio in utriſque Veſperis & Laudibus cuiuſcumque Feſti: de Quatuor Temporibus, & Feria ſecunda Rogationum, ac Vigiliis, in Laudibus tantum. Si verò aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadrageſima, & Quatuor Temporibus, vel in diebus Feſtorum Duplicium primæ claſſis, ſive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Eccleſiæ, de ea nihil fit, nec etiam in Laudibus.

QUAN-

# QUANDO CONCURRIT

| | S. Maria in Sabbato. | Die infra Octavam. | Die Octavæ. | Simplici. | Semiduplici. | Duplici per annum minori. | Duplici per annum maiori. | Patrono, vel Titulo Eccleſiæ. | Duplici ſecundæ claſſis. | Duplici primæ claſſis. | Dominica quacumque. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Dñica. maj. ſeu j. & ij. claſ. cum | 0 | 4 | 3 | 4 | 4 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 0 |
| Dñica min. ſeu per an. | 0 | 4 | 3 | 4 | 4 | 3 | 3 | 1 | 1 | 1 | 0 |
| Duplex primæ Claſ. | 2 | 2 | 4 | 2 | 4 | 4 | 4 | 0 | 4 | 6 | 4 |
| Duplex ſecundæ Claſ. | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 3 | 6 | 3 | 4 |
| Patron. ſeu Tit. Eccl. | 2 | 2 | 4 | 2 | 4 | 4 | 4 | 0 | 4 | 0 | 4 |
| Duplex per ann. maj. | 4 | 4 | 5 | 4 | 4 | 4 | 6 | 1 | 3 | 1 | 4 |
| Duplex per ann. min. | 4 | 4 | 5 | 4 | 4 | 5 | 3 | 1 | 3 | 1 | 4 |
| Semiduplex. | 4 | 5 | 3 | 4 | 5 | 3 | 3 | 1 | 1 | 1 | 5 |
| Dies Octavæ. | 4 | 4 | 5 | 4 | 4 | 5 | 3 | 2 | 3 | 1 | 4 |
| Dies infra Octavam, | 0 | 0 | 3 | 4 | 5 | 3 | 3 | 1 | 1 | 1 | 5 |

1. Totum de ſequenti, nihil de præcedenti.
2. Totum de præcedenti, nihil de ſequenti.
3. Totum de ſequenti, commemoratio de præcedenti.
4. Totum de præcedenti, commemoratio de ſequenti.
5. Capitulum de ſequenti, commemoratio de præcedenti.
6. Totum de digniori, commemoratio de minùs digno.

Simplex, & S. Maria in Sabbato, Feria, & Vigilia non concurrunt.

No-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Notandum, quòd in primis Veſperis diei Octavæ Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, totum Officium fit de Octava, cum commemoratione præcedentis Feſti Duplicis, niſi fuerit Feſtum ſolemne principale, vel primæ vel ſecundæ Claſſis, quia tunc de Feſto fieret Officium, & commemoratio de Octava.

In ſecundis Veſperis diei Octavæ Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, de ſequenti Duplici fit tantùm commemoratio, niſi illud fuerit primæ vel ſecundæ Claſſis, ſeu Patronus vel Titulus, aut Dedicatio Eccleſiæ; quia tunc de Feſto fieret Officium, & de Octava commemoratio. Et ſimiliter die Octava Corporis Chriſti in ſecundis Veſperis concurrente cum die Octava S. Ioannis Baptiſtæ, Veſperæ erunt de Octava Corporis Chriſti cum commemor. Octavæ S. Ioannis.

Cùm plures fiunt Commemorationes ſervetur hic ordo. De Duplici, de Dominica, de Semiduplici, de die infra Octavam, de Feria maiori, ſeu Vigilia, de ſancta Maria in Sabbato, de Simplici.

ORA-

# ORATIO

## Dicénda ante divínum Officium.

APeri, Dómine, os meum ad benedicéndum nomen ſanctum tuum: munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, pervérſis, & aliénis cogitatiónibus: intelléctum illúmina, afféctum inflámma, ut dignè, atténtè, ac devótè hoc Officium recitáre váleam, & exaudíri mérear ante conſpéctum divínæ Maieſtátis tuæ. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Dómine, in unióne illius divínæ intentiónis, qua ipſe in terris laudes Deo perſolvíſti, has tibi Horas perſólvo.

Oratiónem ſequéntem devótè poſt Officium recitántibus Leo Papa X. defectus & culpas in eo perſolvéndo ex humána fragilitáte contráctas indúlſit.

SAcroſánctæ & indivíduæ Trinitáti, crucifíxi Dómini noſtri Ieſu Chriſti humanitáti, beatíſſimæ & glorioſíſſimæ, ſempérque vírginis Maríæ fœcúndæ integritáti, & ómnium Sanctórum universitáti ſit ſempitérna laus, honor, virtus & glória ab omni creatúra, nobíſque remíſſio ómnium peccatórum, per infiníta ſæcula ſæculórum. ℟. Amen. ℣. Beáta víſcera Maríæ vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. ℟. Et beáta úbera, quæ lactavérunt Chriſtum Dóminum. Pater noſter. Ave María.

AB-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# ABSOLUTIONES
## ET BENEDICTIONES

Dicéndæ ante Lectiónes in Officio novem & trium Lectiónum.

In j. Noctúrno, & pro ij. & v. Féria, Abſolútio.

EXáudi Dómine Ieſu Chriſte preces ſervórum tuórum, & miſerére nobis: qui cum Patre & Spíritu ſancto vivis & regnas in ſǽcula ſæculórum. ℟. Amen.

Benedictiónes.

1. Benedictióne perpétua benedícat nos Pater ætérnum. ℟. Amen.

2. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere & adiuváre dignétur.

3. Spíritus ſancti grátia illúminet ſenſus & corda noſtra.

In ij. Noctúrn. & pro iij. & vj. Feria, Abſolútio.

IPſius piétas & miſericórdia nos ádiuvet qui cum Patre & Spíritu S. vivit & regnat in ſæcula ſæculór. ℟. Amen.

Benedictiónes.

4. Deus Pater omnípotens ſit nobis propítius & clemens. ℟. Amen.

5. Chriſtus perpétuæ det nobis gáudia vitæ.

6. Ignem ſui amóris accéndat Deus in córdibus noſtris.

In tertio Noctúrno, & pro Féria quarta, & Sábbato, Abſolútio.

A Vínculis peccatórum noſtrórum abſolvat nos omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Benedictiónes.

7. Evangélica léctio ſit nobis ſalus & protéctio. ℟. Amen.

8. Divínum auxílium máneat ſemper nobíſc.

9. Ad ſocietátem cívium ſupernórum perdúcat nos Rex Angelór.

Si Officium ſit de Sancto novem Lectiónum octáva Benedíctio erit.

Cuius feſtum cólimus, ipſe, vel ipſa intercédat pro nobis ad Dóminum.

Quando ſunt plures, dícitur Quorum, vel Quarum feſtum cólimus, ipſi, vel ipſæ intercédant pro nobis ad Dóminum.

Si Officium ſit de ſancta María, octáva Benedíctio erit.

Cuius feſtum cólimus, ipſa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

Si in última Lect. legéndum ſit aliud Evangélium cum Homilía nona Benedíctio erit.

Per Evangélica dicta deleántur noſtra delícta.

In Officio trium Lectiónum dicúntur Abſolutiónes & Benedictiónes prædíctæ órdine ſupériùs in Rúbricis generálibus, & in prima Domínica de Advéntu deſcripto: & in eo, quando non légitur Homil. cum Evangél. & Benedict. ſuméndæ ſunt ex iij. Noct. prima Benedíctio erit.

1. Ille nos benedícat, qui ſine fine vivit & regn.

2. Divínum auxílium.

3. Ad ſocietátem.

In Officio trium Lectiónum quando légitur Homilía cum Evangélio, prima Benedíctio erit.

1. Evangélica Léctio.

2. Divínum auxílium.

3. Ad ſocietátem.

Si Officium ſit de Sancto trium Lectión. prima Benedíctio erit.

1. Ille nos benedíc. qui ſine fine vivit & regnat.

2. Cuius, vel Quorum.

3. Ad ſocietátem.

In Officio de ſancta María in Sábbato, Abſolútio & Benedictiónes, quæ ibidem ponúntur.

PSAL-

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



# PSALTERIUM DISPOSITUM PER HEBDOMADAM,

## Cum Ordinário Officii de Témpore,

## *PARS AUTUMNALIS.*

## DOMINICA AD MATUTINUM.

Ante Matutinum, & omnes Horas, præterquam ad Completorium, dicitur secreto.

PATER noster, qui es in cælis, sanctificêtur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat volúntas tua, sicut in cælo, & in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: & dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimittimus debitóribus nostris: Et ne nos indúcas in tentatiónem: sed libera nos a malo. Amen.

AVe María, grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui Jesus. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus nunc, & in hora mortis nostræ, Amen.

In princípio Matutini, & Primæ, ac in fine Completórii, dicitur étiam Symbolum Apostolórum.

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli & terræ. Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum: qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex María vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, & sepúltus: descéndit ad ínferos: tértia die resurréxit a mórtuis: ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam, Amen.

Deinde clara voce dicitur
Versus.

Domine làbia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiàbit laudem tuam. ℣. Deus in adjutòrium meum intènde. ℟. Dòmine ad adjuvandum me festina. Glòria Patri, & Filio, & Spirìtui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculòrum, Amen. Allelùia.

Sic dicitur Allelùia, ad omnes Horas per Annum.

Invitatòrium sequens dicitur ab Octava Pentecòstes usque ad Advéntum.

Invitatòrium. Adorèmus Dòminum, * Qui fecit nos. Repetitur Adorèmus Dòminum, qui fecit nos.

Psalmus 94.

Venite, exultèmus Dòmino, jubilèmus Deo salutari nostro: præoccupèmus faciem ejus in confessiòne, & in psalmis jubilèmus ei. Adorèmus Dòminum, qui fecit nos.

Quòniam Deus magnus Dòminus, & Rex magnus super omnes deos: quòniam non repellet Dòminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitùdines montium ipse cònspicit. Qui fecit nos.

Quòniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & àridam fundavèrunt manus ejus: venite adorèmus, & procidàmus ante Deum: plorèmus coram Dòmino, qui fecit nos, quia ipse est Dòminus Deus noster: nos autem pòpulus ejus, & oves pascuæ ejus. Adorèmus Dòminum, qui fecit nos.

Hòdie si vocem ejus audièritis, nolite obduràre corda vestra, sicut in exacerbatiòne secùndum diem tentatiònis in desèrto: ubi tentavèrunt me patres vestri, probavèrunt, & vidèrunt òpera mea. Qui fecit nos.

Quadraginta annis pròximus fui generatiòni huic, & dixi: Semper hi errant corde: ipsi verò non cognovèrunt vias meas, quibus juràvi in ira mea, si introibunt in rèquiem meam. Adorèmus Dòminum, qui fecit nos.

Glòria Patri, & Filio, & Spirìtui sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculòrum. Amen. Qui fecit nos. Adorèmus Dòminum, qui fecit nos.

Sequens Hymnus dicitur ab Octava Pentecòstes usque ad Dominicam proximiòrem Kaléndis Octòbris.

Hymnus.

Nocte surgèntes vigilèmus omnes,
Semper in psalmis meditèmur, atque
Voce concòrdi Dòmino canàmus
Dùlciter hymnos.
Ut pio Regi pariter canèntes
Cum suis Sanctis mereàmur aulam
Ingredi cæli, simul & perènnem
Dùcere vitam.
Præstet hoc nobis Dèitas beàta
Patris, ac Nati, parìterque sancti
Spìritus, cujus rèsonat per omnem
Glòria mundum. Amen.



Sequens Hymnus dicitur a Dominica proximiòri Kaléndis Octòbris usque ad Advéntum.

Hymnus.

Primo die, quo Trinitas
Beàta mundum còndidit,
Vel quo resùrgens Cònditor
Nos morte victa liberat,
Pulsis procul torpòribus
Surgàmus omnes ocyùs:
Et nocte quæràmus Deum,
Prophèta sicut præcipit:
Nostras preces ut àudiat,
Suàmque dextram pòrrigat,
Et expiàtos sòrdibus
Reddat polòrum sèdibus;
Ut, quique sacratissimo
Hujus diéi tèmpore
Horis quiètis psallìmus,
Donis beàtis mùneret.
Jam nunc Patèrna clàritas
Te postulàmus àffatim,
Absint faces libìdinis,
Et omnis actus nòxius.
Ne fœda sit, vel lùbrica,
Compàgo nostri còrporis,
Ob cujus ignes ìgnibus
Avérnus urat àcrius.
Mundi Redémptor, quæsumus,
Tu probra nostra dìluas:
Nobìsque largus còmmoda
Vitæ perènnis cònferas.
Præsta, Pater piìssime,
Patrìque compar Unice,
Cum Spìritu Paràclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Per Annum, Antiphòna. Servite Dòmino.

Asteriscus * notat pausam cantus in Choro.

Psalmus 1.

Beàtus vir, qui non àbiit in consilio impiòrum, & in via peccatòrum non stetit, * & in càthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dòmini volùntas ejus, * & in lege ejus meditàbitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantàtum est secus decùrsus aquàrum, * quod fructum suum dabit in tèmpore suo.

Et fòlium ejus non deflùet: * & òmnia quæcùmque fàciet prosperabùntur.

Non sic impii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fàcie terræ.

Ideò non resùrgent impii in judìcio: * neque peccatòres in concilio justòrum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * & iter impiórum peribit.

Glória Patri, & Filio, * & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, * & in sæcula sæculórum, Amen.

*Hic Versus Glória Patri, semper dicitur in fine omnium Psalmorum, nisi aliter notetur.*

## Psalmus 2.

Quare fremuérunt Gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsus Dóminum, & advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Filius meus es tu: ego hódiè génui te.

Póstula à me, & dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tanquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudímini qui judicátis terram.

Servite Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplinam, nequándo irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

## Psalmus 3.

Domine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporátus sum: * & exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Psal



## Psalmus 6.

Domine, ne in furóre tuo árguas me: * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dómine, quóniam infirmus sum: * sana me Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè: * sed tu Dómine úsquequò?

Convértere Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudivit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudivit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur & erubéscant valdè velóciter.

*Per Annum, Antiphona.* Servite Dómino in timóre, & exultáte ei cum tremóre.

*Antiphona.* Deus judex justus.

## Psalmus 7.

Domine Deus meus in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus si ſeci istud, * si est iníquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam, * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge Dómine in ira tua: * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti: * & synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me Dómine secúndùm justítiam meam, * & secúndùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, & díriges justum, * scrutans corda & renes Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis,

A 3 &

& pátiens: * numquid iráscitur per singulos dies?

Nisi conversi fueritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum tetendit, & parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagittas suas ardentibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam: * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum: * & incidit in fóveam, quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus: * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndùm justítiam ejus: * & psallam nómini Dómini Altíssimi.

## Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minùs ab Angelis, glória & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas: insuper & pécora campi.

Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

## Psalmus 9.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde meo: * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te: * psallam nómini tuo Altíssime,

In converténdo inimícum meum retrórsum: * infirmabúntur, & períbunt à fácie tua.

Quóniam fecísti judícium meum & causam meam: * sedísti super thronum qui júdicas justítiam.

Increpásti Gentes, & périit ímpius: * nomen eórum delésti in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem: * & civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu: * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum: * & ipse judicábit or-



orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi: * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te qui novérunt nomen tuum: * quóniam non dereliquísti quæréntes te Dómine.

Psállite Dómino, qui hábitat in Sion: * annuntiáte inter Gentes stúdia ejus:

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est: * non est oblítus clamórem páuperum.

Miserére mei Dómine: * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in salutári tuo: * infíxæ sunt Gentes in intéritu, quem fecérunt.

In láqueo isto, quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum: * omnes Gentes quæ obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exúrge Dómine, non confortétur homo: * judicéntur Gentes in conspéctu tuo.

Constítue Dómine legislatórem super eos: * ut sciant Gentes quóniam hómines sunt.

Ut quid Dómine recessísti longè, * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ: * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secúndùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, & amaritúdine, & dolo: * sub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páupe-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rem: * rípere páuperem, dum attrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, * inclinábit se, & cadet, cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, * avértit fáciem suam, ne videat in finem.

Exúrge Dómine Deus, exaltétur manus tua: * ne oblivíscaris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas: * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni: * quærétur peccátum illius, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in sæculum sæculi: * períbitis Gentes de terra illius.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

Psalmus 10.

IN Dómino confído: quomodò dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer: *

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus:

Oculi ejus in páuperem respiciunt: * pálpebræ ejus intérrogant filios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, & justítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.

Per Annum, Antiphona.

Deus judex justus, fortis & longánimis, numquid iráscetur per síngulos dies?

Antiphona. Tu Dómine.

Psalmus 11.

SAlvum me fac Dómine, quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútæ sunt veritátes à filiis hóminum.

Vana locúti sunt unusquisque ad próximum suum: * lábia dolósa, in corde & corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univér-





sa lábia dolósa, * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt, * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum, & gémitum páuperum * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári: * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta: * argéntum igne examinátum, probátum terræ purgátum séptuplum.

Tu Dómine servábis nos & custódies nos * à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * secúndum altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Psalmus 12.

USquequò Dómine oblivísceris me in finem? * Usquequò avértis fáciem tuam à me?

Quamdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me: * réspice, & exáudi me Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus: Prævalui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi: * & psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus 13.

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cælo prospéxit super fílios hóminum, * ut videat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlchrum patens est guttur eórum: linguis suis dolósè agébant, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum est: * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt: * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt, * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quóniam Dóminus in generatióne justa est, consilium inopis confudístis: * quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cum avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.

## Psalmus 14.

Dómine quis habitábit in tabernáculo tuo: * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justitiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * & opprobrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui jurat próximo suo, & non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocentem non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum.

Per Annum, Antiphona. Tu Dómine servábis nos, & custódies nos. ℣. Memor fui nocte nóminis tui Dómine. ℟. Et custodívi legem tuam.

Post Versiculum cujúslibet Nocturni dicitur Pater noster, secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

## Absolútio.

Exáudi Dómine Jesu Christe preces servórum tuórum, & miserére nobis, qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas in sǽcula sæculórum. ℟. Amen. ℣. Jube domne benedícere. Benedíctio. Benedictióne perpétua benedícat nos Pater ætérnus. ℟. Amen.

Deinde leguntur Lectiónes cum Responsóriis, ut in Próprio de Tempore assignántur.

Pro secúnda Lectióne, Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Pro tertia Lectióne, Benedíctio. Spíritus sancti grátia illúminet sensus & corda nostra. ℟. Amen.

## IN II. NOCTURNO.

Per Annum, Antiphona. Bonórum meórum.

## Psalmus 15.

Consérva me Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Mul-



Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, & cálicis mei: * tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hereditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea: * ínsuper & caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Per Annum, Antiphona. Bonórum meórum non índiges, in te sperávi, consérva me Dómine.

Antiphona. Propter verba.

## Psalmus 16.

Exáudi Dómine justítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, & visitásti nocte: * igne me examinásti, & non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis: * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me: * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

 Sus-

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: * & sicut catulus leónis hábitans in abditis.

Exurge Dómine, præveni eum, & supplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine à paucis de terra divide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt filiis: * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspectui tuo: * satiábor cum apparúerit glória tua.

Per Annum, Antiphona. Propter verba labiórum tuórum ego custodivi vias duras.

Antiphona. Diligam te.

Et non repetitur in Psalmo, quod semper fit, quando Antiphona incipit à primo Versu Psalmi, & Psalmus tunc incipitur ab eo verbo, in quo desinit Antiphona, sive integra dicátur, sive tantum inchoáta, si tamen eadem sint verba, & continuátur Antiphona cum Psalmo.

Psalmus 17.

Diligam te Dómine fortitúdo mea: * Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus: * & sperábo in eum.

Protéctor meus, & cornu salútis meæ, * & suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum: * & ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * & torrentes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: * & clamor meus in conspéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta est, & contrémuit terra: * fundaménta móntium conturbáta sunt, & commóta sunt, quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus: & ignis à fácie ejus exársit: * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cælos, & descéndit: * & calígo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, & volávit: * volávit super pennas ventórum.

Et posuit ténebras latíbulum suum, in circúitu ejus tabernáculum ejus: * tenebrósa aqua in núbibus aëris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, * grando & carbónes ignis.



Et intónuit de cælo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam: * grando & carbónes ignis.

Et misit sagittas suas, & dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum: * & reveláta sunt fundaménta orbis terrárum:

Ab increpatióne tua Dómine, * ab inspiratióne spíritus iræ tuæ.

Misit de summo, & accépit me: * & assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, & ab iis qui odérunt me: * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ: * & factus est Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retribuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam: * & secúndum puritátem mánuum meárum retribuet mihi:

Quia custodivi vias Dómini, * nec impie gessi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo: * & justítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo: * & observábo me ab iniquitáte mea.

Et retribuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam: * & secúndum puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * & cum viro innocénte innocens eris.

Et cum elécto eléctus eris: * & cum perverso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies: * & óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam Dómine: * Deus meus illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * & in Deo meo transgrédiar murum.

Deus meus impollúta via ejus: elóquia Dómini igne examináta: * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcinxit me virtúte: * & pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum: * & super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad prælium: * & posuísti, ut arcum æreum, bráchia mea,

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ: * & déxtera tua suscépit me:

Et disciplína tua corréxit me in finem: * & disciplína tua ipsa me docébit.

Dila-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dilatásti gressus meos subtus me : * & non sunt infirmata vestigia mea :

Pérsequar inimícos meos, & comprehéndam illos : * & non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare : * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum : * & supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * & odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret, ad Dóminum : * nec exaudívit eos.

Et comminúam eos ut púlverem ante fáciem venti : * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli : * constítues me in caput Géntium.

Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi : * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi, * fílii aliéni inveteráti sunt, & claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus, * & exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me : * a viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus Dómine : * & nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes Regis ejus, & fáciens misericórdiam christo suo David, * & sémini ejus usque in sæculum.

Per Annum, Antiphona. Diligam te Dómine virtus mea. ℣. Quóniam tu illúminas lucernam meam Dómine. ℟. Deus meus illúmina ténebras meas. Pater noster, secréto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Absolútio.

Ipsíus píetas & misericórdia nos adjuvet, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Jube domne benedícere. Benedíctio. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius & clemens. ℟. Amen.

Pro v. Lectióne, Benedíctio. Christus perpétuæ det nobis gáudia vitæ. ℟. Amen.

Pro vj. Lectióne, Benedíctio. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Per Annum, Antiphona. Non sunt loquélæ.

Psal-



Psalmus 18.

CÆli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi eructat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam : * à summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum : * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea : * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * & redémptor meus.

Per Annum, Antiphona. Non sunt loquélæ, neque sermónes, quorum non audiántur voces eórum.

Antiphona. Exáudiat.

Psalmus 19.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * & holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * & in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exau-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Exaudiet illum de cælo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligáti sunt, & cecidérunt : * nos autem surréximus, & erécti sumus.

Dómine salvum fac regem, * & exaudi nos in die, qua invocavérimus te.

Per Annum, Antiphona. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis.

Antiphona. Dómine.

Psalmus 20.

DOmine in virtúte tua lætábitur rex : * & super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuisti ei : * & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * & semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Per Annum, Antiphona. Dómine in virtúte tua lætábitur rex. ℣. Exaltáre Dómine in virtúte tua. ℟. Cantábimus & psallémus virtútes tuas. Pater noster, secréto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolútio.

A Vínculis peccatórum nostrórum absólvat nos omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

℣. Jube domne benedícere.





Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus & protéctio. ℟. Amen.

Pro octava Lectióne, Benedíctio. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Pro nona Lectióne, Benedíctio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum. ℟. Amen.

Sequens Hymnus semper dícitur post últimam Lectiónem in ómnibus Domínicis & Festis tantum : in feriali Offício non dícitur; sed ejus loco ponitur tertium Responsórium.

Hymnus SS. Ambrósii & Augustini.

TE Deum laudámus : te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem : omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli : tibi cæli, & univérsæ potestátes.

Tibi Chérubim & Séraphim : incessábili voce proclámant,

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli & terra : majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus Apostolórum chorus.

Te Prophetárum laudábilis númerus.

Te Mártyrum candidátus laudat exércitus.

Te per orbem terrárum, sancta confitétur Ecclésia,

Patrem imménsæ majestátis.

Venerándum tuum verum & únicum Fílium,

Sanctum quoque Paráclitum Spíritum.

Tu rex glóriæ Christe.

Tu Patris sempitérnus es Fílius.

Tu ad liberándum susceptúrus hóminem : non horruísti Vírginis úterum.

Tu devícto mortis acúleo : aperuísti credéntibus regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes : in glória Patris.

Judex créderis esse ventúrus.

Te ergo quǽsumus, tuis fámulis súbveni : quos pretióso Sánguine redemísti.

Ætérna fac cum Sanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum Dómine : & bénedic hereditáti tuæ.

Et rege eos : & extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies, benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in sæculum : & in sæculum sæculi.

Dignáre Dómine die isto : sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri Dómine : miserére nostri.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos : quemádmodum sperávimus in te.

In te Dómine sperávi : non confúndar in ætérnum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## AD LAUDES, ℣.

DEus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sǽcula sæculórum, Amen. Allelúia.

Ab Octáva Pentecóstes usque ad Advéntum.

Antiphona. Allelúia.

Psalmus 92.

DOminus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * a sǽculo tu es.

Elevavérunt flúmina Dómine: * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos: * a vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris, * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo Dómine in longitúdinem diérum.

Psalmus 99.

JUbiláte Deo omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte, quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus: * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: confitémini illi.

Laudáte nomen ejus: quóniam suávis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus: * & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Psalmus 62.

DEus Deus meus * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multiplíciter tibi caro mea.

In terra desérta, & ínvia, & inaquósa: * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam, & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea: * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhǽsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.





Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo: * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 66.

DEus misereátur nostri & benedícat nobis: * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam: * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus: * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes: * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus: confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: * & metúant eum omnes fines terræ.

Glória Patri, & Fílio.

Per Annum, Antiphona.

Allelúia, allelúia,

Antiphona. Tres púeri.

Canticum trium puerorum.

Danielis 3. c

BEnedícite ómnia ópera Dómini Dómino, * laudáte & superexaltáte eum in sǽcula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino: * benedícite cæli Dómino.

Benedícite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino: * benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol & luna Dómino: * benedícite stellæ cæli Dómino.

Benedícite omnis imber & ros Dómino: * benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis & æstus Dómino: * benedícite frigus & æstus Dómino.

Benedícite rores & pruína Dómino: * benedícite gelu & frigus Dómino.

Benedícite glácies & nives Dómino: * benedícite noctes & dies Dómino.

Benedícite lux & ténebræ Dómino: * benedícite fúlgura & nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum: * laudet & superexáltet eum in sǽcula.

Benedícite montes & colles Dómino: * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino: * benedícite mária & flúmina Dómino.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Benedicite cete, & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino: * benedicite omnes vólucres cæli Dómino.

Benedicite omnes bestiæ & pécora Dómino: * benedicite filii hóminum Dómino.

Benedicat Israël Dóminum: * laudet & superexáltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Dómini Dómino: * benedicite servi Dómini Dómino.

Benedicite spiritus & animæ justórum Dómino: * benedicite sancti & húmiles corde Dómino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Dómino: * laudate & superexaltáte eum in sæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu: * laudémus & superexaltémus eum in sæcula.

Benedictus es Dómine in firmaménto cæli: * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltatus in sæcula.

Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen. In aliis Canticis dicuntur.

Per Annum, Antiphona. Tres púeri jussu regis in fornácem missi sunt, non timéntes flammam ignis, dicéntes: Benedictus Deus.

Antiphona. Allelúja.

Psalmus 148.

Laudáte Dóminum de cælis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus: * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol & luna: * laudáte eum omnes stellæ, & lumen.

Laudáte eum cæli cælórum: * & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandávit, & creáta sunt.

Statuit ea in ætérnum, & in sæculum sæculi: * præcéptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellárum: * quæ faciunt verbum ejus.

Montes, & omnes colles: * ligna fructifera, & omnes cedri.

Bestiæ & universa pécora: * serpéntes, & vólucres pennátæ:

Reges terræ, & omnes pópuli: * príncipes & omnes júdices terræ.

Júvenes, & vírgines: senes cum junióribus laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen ejus solius.

Conféssio ejus super cælum & terram: * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus: * filiis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dicitur Glória.

Psalmus 149.

Cantáte Dómino cánticum novum: * laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israël in eo, qui fecit eum: * & filii Sion exúltent in Rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano & psaltério psallant ei:

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo: * & exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória, * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum: * & gládii ancipites in mánibus eórum

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus: * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus: * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 150.

Laudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério, & cíthara.

Laudáte eum in tympano, & choro: * laudáte eum in chordis, & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus: laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spiritus laudet Dóminum.

Glória Patri, & Filio.

Per Annum, Antiphona. Allelúja, allelúja, allelúja.

Sequens Capitulum dicitur in Dominicis, à Dominica tértia post Pentecosten usque ad Advéntum.

Capitulum. *Apoc. 7. c*

Benedíctio, & cláritas, & sapiéntia, & gratiárum áctio, honor, virtus & fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum, Amen.

℟. Deo grátias.

Sic respondétur in fine ómnium Capitulórum.

Ab Octáva Pentecóstes usque ad Dominicam proximiórem Kaléndis Octóbris.

Hymnus.

Ecce jam noctis tenuátur umbra,
Lux & auróræ rútilans coruscat:
Súpplices rerum Dóminum canóra
Voce precémur.

Ut reos culpæ miserátus, omnem
Pellat angórem, tríbuat salútem,
Donet & nobis bona sempitérnæ
Múnera pacis.

Præ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

Per Annum, ℣. Dóminus regnávit, decórem induit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se virtúte.

A Dominica proximióri Kaléndis Octóbris usque ad Advéntum.

Hymnus.

Ætérne rerum Cónditor,
Noctem diémque qui regis,
Et temporum das témpora,
Ut álleves fastídium.
Noctúrna lux viántibus
A nocte noctem ségregans,
Præco diéi jam sonat,
Jubárque solis évocat.
Hoc excitátus lúcifer
Solvit polum calígine;
Hoc omnis errónum cohors
Viam nocéndi déserit.
Hoc nauta vires cólligit,
Pontíque mitéscunt freta:
Hoc, ipsa petra Ecclésiæ
Canénte, culpam díluit.
Surgámus ergo strénue,
Gallus jacéntes éxcitat,
Et somnoléntos íncrepat,
Gallus negántes árguit.
Gallo canénte spes redit,
Ægris salus refúnditur,
Mucro latrónis cónditur,
Lapsis fides revértitur.
Jesu labántes réspice,
Et nos vidéndo córrige:
Si réspicis, labes cadunt,
Fletúque culpa sólvitur.
Tu lux refúlge sénsibus,
Mentísque somnum díscute:
Te nostra vox primùm sonet,
Et vota solvámus tibi.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

Per Annum, ℣. Dóminus regnávit, decórem induit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se virtúte.

Canticum Zachariæ.

*Lucæ 1. 68*

Benedíctus Dóminus Deus Israël, * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ:
Et eréxit cornu salútis nobis: * in domo David púeri sui:
Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à sæculo sunt, prophetárum ejus:
Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium, qui odérunt nos:
Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * & memorári testaménti sui sancti.
Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:
Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.





In sanctitáte & justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.
Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:
Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus: * in remissiónem peccatórum eórum:
Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos, óriens ex alto:
Illumináre his, qui in ténebris, & in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.
Glória Patri. Sicut erat.

Deinde dicitur Antiphona, & Orátio própria, & post eam, si occúrrat eo die aliquod Festum Simplex, fit de eo Commemorátio. Postrémo (si id tempus requírit) fiunt Commemoratiónes de S. María, de Apóstolis, & de Patróno Ecclésiæ in órdine aliárum Commemoratiónum secúndum illius dignitátem, & último loco de Pace, ut infra in Vésperis Sábbati. 155.

In fine, si discedéndum sit à Choro, dícitur Antiphona, Salve Regína. ut habétur infra post Completórium. 160.

## DOMINICA AD PRIMAM.

Pater noster. Ave María. Credo. ℣. Deus in adjutórium, ut suprà. 18.

Hymnus.

Jam lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet à nocéntibus.
Linguam refrǽnans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.
Sint pura cordis íntima,
Absístat & vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.
Ut cùm dies abscésserit,
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

In Domínicis per Annum, Antiphona. Allelúia.

Psalmus 53.

Deus in nómine tuo salvum me fac: * & in virtúte tua júdica me.
Deus exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.
Quóniam alieni insurrexérunt advérsùm me: & fortes quæsiérunt ánimam meam: * & non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.
Ecce enim Deus ádjuvat me: * & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

Per Annum, ℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se virtúte.

A Dominica proximióri Kaléndis Octóbris usque ad Advéntum.

Hymnus.

ÆTérne rerum Cónditor,
Noctem diémque qui regis,
Et témporum das témpora,
Ut álleves fastídium.
Noctúrna lux viántibus
A nocte noctem ségregans,
Præco diéi jam sonat,
Jubárque solis évocat.
Hoc excitátus lúcifer
Solvit polum calígine;
Hoc omnis errónum cohors
Viam nocéndi déserit.
Hoc nauta vires cólligit,
Pontíque mitéscunt freta:
Hoc, ipsa petra Ecclésiæ
Canénte, culpam díluit.
Surgámus ergo strénue,
Gallus jacéntes éxcitat,
Et somnoléntos íncrepat,
Gallus negántes árguit.
Gallo canénte spes redit,
Ægris salus refúnditur,
Mucro latrónis cónditur,
Lapsis fides revértitur.
Jesu labántes réspice,
Et nos vidéndo córrige:
Si réspicis, labes cadunt,
Fletúque culpa sólvitur.
Tu lux refúlge sénsibus,
Mentísque somnum díscute:
Te nostra vox primùm sonet,
Et vota solvámus tibi.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sǽculum. Amen.

Per Annum, ℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se virtúte.

Canticum Zachariæ.

*Lucæ 1. g*

BEnedíctus Dóminus Deus Israël, * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ:
Et eréxit cornu salútis nobis: * in domo David púeri sui:
Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à sǽculo sunt, prophetárum ejus:
Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium, qui odérunt nos:
Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * & memorári testaménti sui sancti.
Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:
Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In



In sanctitáte & justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.
Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:
Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus: * in remissiónem peccatórum eórum:
Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos, óriens ex alto:
Illumináre his, qui in ténebris, & in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.
Glória Patri. Sicut erat.

Deinde dicitur Antiphona, & Orátio própria, & post eam, si occúrrat eo die áliquod Festum Simplex, fit de eo Commemorátio. Postrémo (si id tempus requírit) fiunt Commemoratiónes de S. María, de Apóstolis, & de Patróno Ecclésiæ in órdine aliárum Commemoratiónum secúndum illius dignitátem, & último loco de Pace, ut infra in Vésperis Sábbati. 155.

In fine, si discedéndum sit à Choro, dícitur Antíphona, Salve Regína. ut habétur infra post Completórium. 160.

## DOMINICA AD PRIMAM.

Pater noster. Ave María. Credo. ℣. Deus in adjutórium, ut supra. 18.

Hymnus.

JAm lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet à nocéntibus.
Linguam refrǽnans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.
Sint pura cordis íntima,
Absístat & vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.
Ut cum dies abscésserit,
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sǽculum. Amen.

In Domínicis per Annum, Antiphona. Allelúia.

Psalmus 53.

DEus in nómine tuo salvum me fac: * & in virtúte tua júdica me.
Deus exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.
Quóniam alieni insurrexérunt advérsum me: & fortes quæsiérunt ánimam meam: * & non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.
Ecce enim Deus ádjuvat me: * & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

A ver-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Avérte mala inimícis meis: * & in veritâte tua dispérde illos.

Voluntàriè sacrificâbo tibi: * & confitébor nómini tuo Dómine: quóniam bonum est:

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * & super inimícos meos despéxit óculus meus.

Sequens Psalmus Confitémini Dómino, dicitur tantum in Dominicis, quando fit Officium de Dominica, ut in Psalterio.

Psalmus 117.

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israel quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum: * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum: * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjûtor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjûtor: * & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quam confídere in hómine.

Bonum est sperâre in Dómino, * quam sperâre in princípibus.

Omnes Gentes circuiérunt me: * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me: * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis: * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem: * & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus: * & factus est mihi in salûtem.

Vox exultatiónis, & salûtis: * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtûtem: déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtûtem.

Non móriar, sed vivam: * & narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus: * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ, ingréssus in eas confitébor Dómino: * hæc porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me: * & factus es mihi in salûtem.

Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes: * hic factus est in caput ánguli.



A Dómino factum est istud: * & est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dóminus: * exultémus, & lætémur in ea.

O Dómine salvum me fac, ò Dómine benè prosperâre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altâris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi: * Deus meus es tu, & exaltâbo te.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me: * & factus es mihi in salûtem.

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Psalmus 118.

Beáti immaculáti in via: * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus: * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitâtem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandâta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ, * ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar, * cùm perspéxero in ómnibus mandâtis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis: * in eo quòd dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam: * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: * ne repéllas me à mandâtis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua: * ut non peccem tibi.

Benedíctus es Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandâtis tuis exercébor: * & considerâbo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: * non obliviscar sermónes tuos.

Retríbue servo tuo, vivífica me: * & custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos: * & considerâbo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscóndas à me mandâta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos : * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium, & contémptum : * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur : * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam & testimónia tua meditátio mea est : * & consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhǽsit paviménto ánima mea : * vivífica me secúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudísti me : * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me : * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tǽdio : * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me : * & de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi : * judícia tua non sum oblítus.

Adhǽsi testimóniis tuis Dómine : * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cum dilatásti cor meum.

*Sequens Symbolum dicitur in Dominicis tantum, quando fit Officium de Dominica, ut in Psalterio.*

## Symbolum S. Athanasii.

Quicúmque vult salvus esse, * ante ómnia opus est, ut téneat Cathólicam fidem:

Quam nisi quisque íntegram, inviolatámque serváverit, * absque dúbio in ætérnum peribit.

Fides autem Cathólica hæc est : * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in unitáte venerémur.

Neque confundéntes persónas, * neque substántiam separántes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritus sancti.

Sed Patris, & Fílii, & Spíritus sancti una est divínitas, * æquális glória, coætérna majéstas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Fílius, * imménsus Spíritus sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres ætérni, * sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi; * sed unus increátus, & unus imménsus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus sanctus.

Et



Et tamen non tres omnipoténtes; * sed unus omnípotens.

Ità Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres Dii; * sed unus est Deus.

Ità Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres Dómini; * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquámque persónam Deum, ac Dóminum confitéri Christiána veritáte compéllimur : * ità tres Deos, aut Dóminos dícere Cathólica religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est; * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre & Fílio; * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres : unus Fílius, non tres Fílii; * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus; * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt, & coæquáles.

Ità ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * & únitas in Trinitáte, & Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ità de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus & homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sǽcula génitus : * & homo est ex substántia matris in sǽculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo, * ex ánima rationáli, & humána carne subsístens.

Æquális Patri secúndùm divinitátem; * minor Patre secúndùm humanitátem.

Qui licèt Deus sit, & homo; * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem, non conversióne divinitátis in carnem; * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno non confusióne substántiæ; * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro unus est homo : * ità Deus & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostra : descéndit ad ínferos : * tértia die resurréxit à mórtuis.

Ascéndit ad cælos : sedet ad déxteram Dei Patris omnipo-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

poténtis: * inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis: * & redditúri sunt de factis própriis rationem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam: * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc est fides Cathólica, * quam nisi quisque fidéliter firmitérque credíderit, salvus esse non póterit.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 1. Tim. 1. d

REgi sæculórum immortáli & invisíbili, soli Deo honor & glória in sæcula sæculórum, Amen.

℟. Deo grátias.

℟. breve. Christe Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Et repétitur, Christe Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. ℟. Miserére nobis. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. ℟. Christe Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Sequentes Preces non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas, sed tunc dicto ℟. brevi, dicitur, Dóminus vobiscum, & Oratio. Dómine Deus omnípotens, ut infrà. 29.

KYrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secretò usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. Credo in Deum, secretò usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam, Amen. ℣. Et ego ad te Dómine clamávi. ℟. Et manè orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine avérte fáciem tuam à peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me à fácie tua. ℟. Et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. ℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

Deindè Hebdomadarius facit Confessionem

COnfíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, & vobis fratres, quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, & ópere: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideò precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & vos fratres, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet:

MIsereátur tui omnípotens Deus, & dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Deindè repetit Confessionem, & ubi dicitur vobis fratres, & vos fratres, dicitur tibi pater, & te pater. Facta Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit:

MIsereátur vestri omnípotens Deus, & dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

INdulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Et prosequitur ℣. Dignáre Dómine die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecísti: tua nos hódiè salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deindè in Choro legitur Martyrologium. Et quandò dicenda est Prima de beata Maria, præponitur Lectioni Martyrologii. Postea Hebdomadarius dicit ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus.

Et absolutè sine Orémus.

Oratio.

SAncta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum: ut nos mereámur ab eo adjuvári &

& salvári, qui vivit & regnat in sæcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me feſtina.
Et dicitur ter: ultimo additur: Glória Patri. Sicut erat.
Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, ſecreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Réſpice in ſervos tuos Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum. ℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Orátio.

Dirígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre Dómine Deus Rex cæli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes, & actus noſtros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum, ut hic, & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & liberi eſſe mereámur, Salvátor mundi: Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum.
℟. Amen.
℣. Jube domne benedícere.
Benedictio. Dies & actus noſtros in ſua pace diſpónat Dóminus omnípotens.
℟. Amen.

Ad Abſolutiónem Capituli in Domínicis & Feriis per Annum, ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum excluſivè.

Lectio brevis. 2. Theſſ. 3. b

Dóminus autem dírigat corda & córpora noſtra in charitáte Dei, & patiéntia Chriſti. Tu autem Dómine miſerére nobis.
℟. Deo grátias.
Poſt Lectiónem brevem dicitur ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Benedicite ℟. Deus.
Benedictio. Dóminus nos benedícat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perdúcat ætérnam: & Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

## IN FERIALI OFFICIO AD PRIMAM.

Pater noſter. Ave María. Credo. ℣. Deus in adjutórium, ut ſupra. 18.

Hymnus.

Jam lucis orto ſídere
Deum precémur ſúpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos ſervet à nocéntibus.
Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror inſonet:
Viſum fovéndo contegat,
Ne vanitátes háuriat.
Sint pura cordis íntima,
Abſiſtat & vecórdia:
Carnis terat ſupérbiam
Potus cibíque párcitas:
Ut,



Ut, cùm dies abſcéſſerit,
Noctémque ſors redúxerit,
Mundi per abſtinéntiam
Ipſi canámus glóriam.
Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc & per omne ſæculum. Amen.

Per Annum, Antiphona. Beáti qui ámbulant.

Psalmus 53.

Deus in nómine tuo ſalvum me fac: * & in virtúte tua júdica me.
Deus exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.
Quóniam aliéni insurrexérunt advérſum me, & fortes quæſiérunt ánimam meam: * & non propoſuérunt Deum ante conſpéctum ſuum.
Ecce enim Deus ádjuvat me: * & Dóminus suſcéptor eſt ánimæ meæ.
Avérte mala inimícis meis: * & in veritáte tua diſpérde illos.
Voluntárie ſacrificábo tibi, * & confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum eſt.
Quóniam ex omni tribulatióne eripuíſti me: * & ſuper inimícos meos deſpéxit óculus meus.

Poſt Pſalmum Deus in nómine tuo, loco Pſalmi Confitémini, dícitur unus ex infraſcriptis Pſalmis, ſecúndum Ferias diſtinctus: Sábbato autem dicúntur tantum tres Pſalmi, ſicut in Feſtis.

## FERIA SECUNDA.

Psalmus 23.

Dómini eſt terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérſi, qui hábitant in eo.
Quia ipſe ſuper mária fundávit eum: * & ſuper flúmina præparávit eum.
Quis aſcéndet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?
Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.
Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.
Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.
Attóllite portas príncipes veſtras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.
Quis eſt iſte rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.
Attóllite portas príncipes veſtras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.
Quis eſt iſte rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipſe eſt rex glóriæ.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

& salvári, qui vivit & regnat in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína.
Et dicitur ter: último additur: Glória Patri. Sicut erat.
Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Réspice in servos tuos Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Orátio.

Dirígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre Dómine Deus Rex cæli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes, & actus nostros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum, ut hic, & in ætérnum, te auxiliánte, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi: Qui vivis & regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Jube domne benedícere.
Benedictio. Dies & actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens.
℟. Amen.

Ad Absolutiónem Capituli in Domínicis & Fériis per Annum, ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusivè.

Lectio brevis. 2. *Thess.* 3. *b*

Dóminus autem dírigat corda & córpora nostra in charitáte Dei, & patiéntia Christi. Tu autem Dómine miserére nobis. ℟. Deo grátias.
Post Lectionem brevem dicitur ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Benedícite. ℟. Deus. Benedictio. Dóminus nos benedícat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perdúcat ætérnam: & Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

## IN FERIALI OFFICIO AD PRIMAM.

Pater noster. Ave María. Credo. ℣. Deus in adjutórium, ut supra. 18.

Hymnus.

Jam lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet à nocéntibus.
Linguam refrænans témperet,
Ne litis horror insonet:
Visum fovéndo contegat,
Ne vanitátes háuriat.
Sint pura cordis íntima,
Absistat & vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas:

Ut,



Ut, cùm dies abscésserit,
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc & per omne sǽculum. Amen.

Per Annum, Antiphona. Beáti qui ámbulant.

Psalmus 53.

Deus in nómine tuo salvum me fac: * & in virtúte tua júdica me.
Deus exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.
Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, & fortes quæsiérunt ánimam meam: * & non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.
Ecce enim Deus ádjuvat me: * & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.
Avérte mala inimícis meis: * & in veritáte tua dispérde illos.
Voluntárie sacrificábo tibi, * & confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum est.
Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * & super inimícos meos despéxit óculus meus.
Post Psalmum Deus in nómine tuo, loco Psalmi Confitémini, dicitur unus ex infrascriptis Psalmis, secúndum Férias distinctus: Sábbato autem dicúntur tantum tres Psalmi, sicut in Festis.

## FERIA SECUNDA.

Psalmus 23.

Dómini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.
Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.
Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?
Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.
Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.
Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.
Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.
Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prǽlio.
Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.
Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## FERIA TERTIA.

Psalmus 24.

AD te Dómine levávi ánimam meam: * Deus meus in te confido, non erubescam:

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim universi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agentes * supervácue.

Vias tuas Dómine demónstra mihi: * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me: * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine, * & misericordiárum tuárum, quæ à sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu: * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia & véritas, * requiréntibus testaméntum ejus, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo: * multum est enim:

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem statuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur: * & semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: * & testaméntum ipsius ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum: * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére mei: * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum: * & dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi: * quia sustínui te.

Líbera Deus Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

## FERIA QUARTA.

Psalmus 25.

JUdica me Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum: * & in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est: * & complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis: * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium: * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas: * & circúmdabo altáre tuum Dómine:

Ut áudiam vocem laudis, * & enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine diléxi decórem domus tuæ: * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam:

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum: * rédime me, & miserére mei.

Pes meus stetit in dirécto: * in ecclésiis benedícam te Dómine.

## FERIA QUINTA.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus: * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

## FERIA SEXTA.

Psalmus 21.

DEus Deus meus réspice in me: quare me dereliquísti? * longè à salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, & non exáudies: * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * Laus Israël.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, & liberásti eos.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt: * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo: * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me derisérunt me: * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ. In te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discésseris à me:

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: * & in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas, & pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt & inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem Dómine ne elongáveris auxílium tuum à me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámea Deus ánimam meam: * & de manu canis únicam meam:

Salva me ex ore leónis: * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio Ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israel: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis:

Nec avértit fáciem suam à me: * & cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in Ecclésia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, & saturabúntur: & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur & converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ:

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ Géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * & ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * & semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cæli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Si vero nihil addatur, ut supra in Rubrica 31. Deinde dicitur Psalmus 118.

Beati immaculáti in via: * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus: * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ: * ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar, * cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis: * in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam: * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: * ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua: * ut non peccem tibi.

Benedíctus es Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor: * & considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: * non oblivíscar sermónes tuos.

Retríbue servo tuo, vivífica me: * & custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos, * & considerábo mirabília de lege tua.

Íncola ego sum in terra: * non abscóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos: * male-





UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ledícti qui declinant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium, & contémptum: * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, & adversùm me loquebántur: * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam & testimónia tua meditátio mea est: * & consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea, * vivífica me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudísti me: * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me: * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio: * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me: * & de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi: * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis Dómine: * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cùm dilatásti cor meum.

Per Annum, Antiphona.

Beáti, qui ámbulant in lege tua Dómine.

Capitulum. *Zachariæ 8. d*

PAcem & veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens. ℟. Deo grátias.

℟. breve. Christe Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Et repetitur. Christe Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. ℟. Miserére nobis. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. ℟. Christe Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

KYrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secretò ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. Credo in Deum, secretò. ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Et ego ad te Dómine clamávi. ℟. Et manè orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine avérte fáciem tuam à peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me à fácie tua. ℟. Et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. ℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

Quando ad Laudes non sunt dictæ Preces feriales, statim dicitur, Adjutórium nostrum, & Confíteor Deo, &c. ut infrà. 39.

Quando autem ad Laudes dictæ sunt Preces feriales inferius positæ post Laudes Feriæ secundæ, tunc ad Primam prædictæ Preces & sequentes dicuntur flexis genibus.

℣. Eripe me Dómine ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. ℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me. ℣. Sic Psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. ℣. Exáudi nos Deus salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terræ, & in mari longè. ℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. ℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális. ℟. Miserére nobis. ℣. Bénedic ánima mea Dómino. ℟. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Bénedic ánima mea Dómino. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. ℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus. ℣. Qui replet in bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

Deinde Hebdomadarius facit Confessionem.

COnfíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, & vobis fratres: quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, & ópere: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideò precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes sanctos, & vos fratres, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet:

MIsereátur tui omnípotens Deus, & dimíssis peccátis tuis perdúcat te ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Deinde repetit Confessionem, & ubi dicitur vobis fratres, & vos fratres, dicitur tibi pater, & te pater.

Fac-

Facta Confeſſione à Choro, Hebdomadarius dicit:

MIsereâtur veſtri omnípotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris, perdûcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

INdulgéntiam, abſolutiònem, & remiſſionem peccatôrum noſtrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Et proſequitur ℣. Dignâre Dómine die iſto. ℟. Sine peccáto nos cuſtodíre. ℣. Miserére noſtri Dómine. ℟. Miserére noſtri. ℣. Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos. ℟. Quemádmodùm ſperávimus in te. ℣. Dómine exaudi oratiònem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. Orátio.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diei nos perveníre fecíſti: tua nos hódiè ſalva virtûte, ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam noſtra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus ſancti Deus, per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Et quando dicenda eſt Prima de beata Maria, præponitur Lectioni Martyrologii. Poſtea Hebdomadarius dicit ℣. Pretiósa in conſpéctu Dómini. ℟. Mors ſanctórum ejus.

Et abſolutè ſine Orémus.

Orátio.

SAncta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum: ut nos mereâmur ab eo adjuvári & ſalvári, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen. ℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína. Et dicitur ter; tertiò additur, Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon. Pater noſter, ſecretò. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Reſpice in ſervos tuos Dómine, & in ópera tua, & dírige filios eórum. ℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Orátio.

DIrígere & ſanctificâre, régere & gubernâre dignâre Dómine Deus Rex cæli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes, & actus noſtros in lege tua, & in opéribus mandatòrum tuórum: ut hic, & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereâmur, Salvátor mundi: Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

℣. Jube domne benedícere. Benedíctio. Dies & actus noſtros in ſua pace diſpónat Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Ad Abſolutiónem Capituli in Dominicis & Feriis per Annum, ab Octava Pentecóſtes uſque ad Adventum excluſivè.

Lectio brevis. 2. Theſſ. 3. b

DOminus autem dírigat corda & córpora noſtra in charitáte Dei, & patiéntia Chriſti. Tu autem Dómine miserére nobis. ℟. Deo grátias.

Poſt Lectiónem brevem dicitur ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Benedícite. ℟. Deus. Benedíctio. Dóminus nos benedícat, & ab omni malo deféndat, & ad vitam perdúcat ætérnam: & Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.



## IN FESTIS.

Per Annum.

Poſt Pſalmum Deus in nómine tuo, dicuntur tantùm Pſalmi Beáti immaculáti, & Retríbue. 25. Deinde Antiphona competens, & reliqua ut ſupra in Dominica. 28. Sed in Duplicibus, & infra Octávas non dicuntur Preces. Dicto Benedicámus Dómino, dicitur Prima de B. Maria, ſi dicenda eſt; poſtea legitur Martyrologium in Choro. Deinde dicitur ℣. Pretiósa, cum reliquis ut ſupra. 38.

Ad Abſolutionem Capituli in Feſtis dicitur Capitulum Nonæ.

## AD TERTIAM.

Pater noſter. Ave María. Deus in adjutórium. 18.

Hymnus.

NUnc ſancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Filio,
Dignâre promptus ingeri
Noſtro refúſus péctori.
Os, lingua, mens, ſenſus, vigor,
Confeſſionem pérſonent,
Flammeſcat igne cháritas,
Accéndat ardor próximos.
Præſta, Pater piiſſime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paráclito
Regnans per omne ſæculum. Amen.

In Dominicis per Annum, Antiphona. Allelúia.

In

Facta Confeſſione à Choro, Hebdomadarius dicit:

M Isereâtur veſtri omnípotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris, perdûcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

I Ndulgéntiam, abſolutiònem, & remiſſiònem peccatòrum noſtròrum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Et proſequitur ℣. Dignâre Dómine die iſto. ℟. Sine peccàto nos cuſtodíre. ℣. Miserère noſtri Dómine. ℟. Miserère noſtri. ℣. Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos. ℟. Quemádmodùm ſperávimus in te. ℣. Dómine exáudi oratiònem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. Oratio.

D Ómine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diei nos pervenìre feciſti: tua nos hódiè ſalva virtûte, ut in hac die ad nullum declinémus peccàtum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam noſtra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & opera. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitàte Spíritus ſancti Deus, per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Et quando dicenda eſt Prima de beata Maria, præponitur Lectioni Martyrologii. Poſtea Hebdomadarius dicit ℣. Pretiòſa in conſpéctu Dómini. ℟. Mors ſanctòrum ejus.

Et abſolute ſine Oremus.

Oratio.

S Ancta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum: ut nos mereâmur ab eo adjuvari & ſalvari, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen. ℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me feſtina. Et dicitur ter; tertio additur, Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon. Pater noſter, ſecreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiònem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Réſpice in ſervos tuos Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum. ℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.





Orémus. Oratio.

D Irígere & ſanctificâre, régere & gubernâre dignâre Dómine Deus Rex cæli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes, & actus noſtros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum: ut hic, & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereâmur, Salvátor mundi: Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen. ℣. Jube domne benedícere. Benedictio. Dies & actus noſtros in ſua pace dispónat Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Ad Abſolutionem Capituli in Dominicis & Feriis per Annum, ab Octava Pentecóſtes uſque ad Adventum excluſive.

Lectio brevis. 2. Theſſ. 3. b

D Óminus autem dírigat corda & córpora noſtra in charitàte Dei, & patiéntia Chriſti. Tu autem Dómine miſerère nobis. ℟. Deo grátias.

Poſt Lectionem brevem dicitur ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Benedícite. ℟. Deus. Benedictio. Dóminus nos benedícat, & ab omni malo deféndat, & ad vitam perdûcat ætérnam: & Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

## IN FESTIS.

Per Annum.

Poſt Pſalmum Deus in nómine tuo, dicuntur tantum Pſalmi Beáti immaculáti, & Retríbue. 25. Deinde Antiphona competens, & reliqua ut ſupra in Dominica. 28. Sed in Duplicibus, & infra Octavas non dicuntur Preces. Dicto Benedicámus Dómino, dicitur Prima de B. Maria, ſi dicenda eſt: poſtea legitur Martyrologium in Choro. Deinde dicitur ℣. Pretióſa, cum reliquis ut ſupra. 38.

Ad Abſolutionem Capituli in Feſtis dicitur Capitulum Nonæ.

## AD TERTIAM.

Pater noſter. Ave María.
Deus in adjutórium. 18.

Hymnus.

N Unc ſancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignâre promptus íngeri
Noſtro refúſus péctori.
Os, lingua, mens, ſenſus, vigor,
Confeſſiònem pérſonent,
Flammeſcat igne cháritas,
Accéndat ardor próximos.
Præſta, Pater piíſſime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne ſæculum. Amen.

In Dominicis per Annum,
Antiphona. Allelúia.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In feriali Officio per Annum, Antiphona. Deduc me.

Psalmus.

LEgem pone mihi Dómine viam justificatiónum tuárum : * & exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, & scrutábor legem tuam : * & custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum : * quia ipsam vólui.

Inclina cor meum in testimónia tua : * & non in avaritiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem : * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod suspicátus sum : * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua : * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua Dómine : * salutáre tuum secúndùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum : * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque : * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper : * in sæculum & in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine : * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in testimóniis tuis in conspéctu regum : * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi : * & exercébar in justificatiónibus tuis.

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea : * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iniquè agébant usquequáque : * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à sæculo Dómine : * & consolátus sum.

Deféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui Dómine : * & custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi : * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea Dómine, * dixi, custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo : * miserére mei secúndùm elóquium tuum.

Cogi-



Cogitávi vias meas : * & convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, & non sum turbátus : * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me : * & legem tuam non sum oblítus.

Média nocte surgébam ad confiténdum tibi, * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te : * & custodiéntium mandáta tua.

Misericórdia tua Dómine plena est terra : * justificatiónes tuas doce me.

BOnitátem fecísti cum servo tuo Dómine : * secúndùm verbum tuum.

Bonitátem, & disciplínam & sciéntiam doce me : * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer ego delíqui : * proptéreà elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu : * & in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum : * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum : * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me : * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super míllia auri & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me : * da mihi intelléctum, & discam mandáta tua.

Qui timent te vidébunt me, & lætabúntur : * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi Dómine quia æquitas judícia tua : * & in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secúndùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam : * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injústè iniquitátem fecérunt in me : * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te : * & qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis : * ut non confúndar.

Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia.

Sequens Capitulum, & alia in aliis Horis, dicuntur in Dominicis à feria post Pentecosten usque ad Adventum. Responsoria brevia, similiter & quæ sequuntur in Feriali Officio.

Capitulum. *1. Joan. 4. c*

DEus cháritas est : & qui manet in charitáte, in Deo manet, & Deus in eo.

℟. bre-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℟. breve. Inclina cor meum Deus, * In testimónia tua. Inclina. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem: in via tua vivífica me. ℟. In testimónia tua. Glória Patri. ℟. Inclina cor. ℣. Ego dixi, Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi.

In feriali Officio per Annum, Antiphona. Deduc me Dómine in sémitam mandatórum tuórum.

Capitulum. *Jerem. 17. b*

SAna me Dómine, & sanábor: salvum me fac, & salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. breve. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi, Dómine miserére mei. ℟. Quia. Glória Patri. Sana. ℣. Adjútor meus esto, ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me Deus salutáris meus.

Quando ad Matutinum dictæ sunt Preces, ad Tertiam, Sextam, & Nonam, flexis genibus dicitur Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Oratio conveniens.

## AD SEXTAM.

Pater noster. Ave María.

Deus in adjutórium. 18.

Hymnus.

REctor potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus merídiem.
Extíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

In Dominicis per Annum, Antiphona. Allelúia.

In feriali Officio per Annum, Antiphona. Adjuva me.

Psalmus.

DEfécit in salutáre tuum ánima mea: * & in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes: Quando consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína: * justificatiónes tuas non sum oblítus.



Quot sunt dies servi tui: * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes: * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníque persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minùs consummavérunt me in terra: * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndum misericórdiam tuam vivífica me: * & custódiam testimónia oris tui.

In ætérnum Dómine, * verbum tuum pérmanet in cælo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundásti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tua persevérat dies: * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditátio mea est: * tunc fortè periíssem in humilitáte mea.

In ætérnum non obliviscar justificatiónes tuas: * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac: * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me exspectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimis.

QUómodo diléxi legem tuam Dómine? * tota die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo: * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi: * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi: * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos: * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi: * quia tu legem posuísti mihi.

Quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua: * super mel ori meo!

A mandátis tuis intelléxi: * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

Jurávi, & státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque Dómine: * vivífica me secúndum verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac Dómine: * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper: * & legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi: * & de mandátis tuis non errávi.

Hereditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum: * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in ætérnum : * Propter retributiónem.

INíquos ódio hábui : * & legem tuam diléxi.

Adjútor & suscéptor meus es tu : * & in verbum tuum supersperávi.

Declináte à me malígni : * & scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndùm elóquium tuum, & vivam : * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & salvus ero : * & meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes à judíciis tuis : * quia injústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ : * ídeo diléxi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas : * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & justítiam : * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum : * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum : * & in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndùm misericórdiam tuam : * & justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : * da mihi intelléctum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi Dómine : * dissipavérunt legem tuam.

Ideò diléxi mandáta tua, * super aurum & topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar : * omnem viam iníquam ódio hábui.

Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. *Galat. 6.*

ALter altérius ónera portáte, & sic adimplébitis legem Christi.

℟. breve. In ætérnum Dómine, * Pérmanet verbum tuum. In ætérnum. ℣. In sæculum sæculi véritas tua. ℟. Pérmanet. Glória Patri. In ætérnum. ℣. Dóminus regit me, & nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

In feriáli Officio per Annum, Antiphona. Adjuva me, & salvus ero Dómine.

Capitulum. Alter altérius.

℟. breve. Benedícam Dóminum, * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. ℟. In omni. Glória Patri. Benedícam. ℣. Dóminus regit me, & nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Quando ad Matutinum dictæ sunt Preces, Sexta feriis dicitur Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secretò. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Orátio convéniens.



## AD NONAM.

Pater noster. Ave María.

Deus in adjutórium. 18.

Hymnus.

RErum Deus tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successíbus detérminans :
Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed præmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

In Domínicis per Annum, Antiphona. Allelúia.

In feriáli Officio per Annum, Antiphona. Aspice in me.

Psalmus.

MIrabília testimónia tua : * ideò scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat : * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi spíritum : * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, & miserére mei, * secúndùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndùm elóquium tuum : * & non dominétur mei omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum : * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum : * & doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei : * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es Dómine : * & rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua : * & veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus : * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter : * & servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, & contémptus : * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætérnum : * & lex tua véritas.

Tribulátio & angústia invenérunt me : * mandáta tua meditátio mea est.

Æqui-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Æquitas testimónia tua in ætérnum: * intelléctum da mihi & vivam.

CLamávi in toto corde meo, exáudi me Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac: * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi: * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo: * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndum misericórdiam tuam Dómine: * & secúndum judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti: * a lege autem tua longè facti sunt.

Prope es tu Dómine: * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis: * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me: * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

Longe à peccatóribus salus: * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ Dómine: * secúndum judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, & tríbulant me: * a testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabescébam: * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi Dómine: * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum, véritas: * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.

PRíncipes persecúti sunt me gratis: * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua: * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus sum: * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi: * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam: * & non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum Dómine: * & mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua: * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & testimónia tua: * quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.





Intret postulátio mea in conspéctu tuo: * secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cum docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum: * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me: * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum Dómine: * & lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te: * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi, sicut ovis, quæ périit: * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 1. Cor. 6. d

EMpti enim estis prétio magno. Glorificáte, & portáte Deum in córpore vestro.

℟. breve. Clamávi in toto corde meo, * Exáudi me Dómine. Clamávi. ℣. Justificatiónes tuas requíram. ℟. Exáudi. Glória Patri. Clamávi. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In feriali Officio per Annum, Antiphona. Aspice in me, & miserére mei Dómine. Capitulum. Empti enim, ut supra.

℟. breve. Rédime me Dómine, * Et miserére mei. Rédime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. ℟. Et miserére. Glória Patri. Rédime. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Quando ad Matutinum dictæ sunt Preces, flexis génibus dicitur Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Orátio conveniens.

Vesperæ in Dominica, & in Feriis, habentur initium post Laudes Sabbati. 131.

## FERIA SECUNDA.

### Ad Matutinum.

Pater noster. Ave María. Credo. ℣. Dómine lábia mea apéries, ut supra. 2.

Invitator. Veníte, * Exultémus Dómino. Psalm. Jubilémus Deo salutári nostro, ut supra. 2.

Æquitas testimónia tua in ætérnum: * intelléctum da mihi & vivam.

CLamávi in toto corde meo, exáudi me Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac: * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi: * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo: * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndum misericórdiam tuam Dómine: * & secúndum judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti: * a lege autem tua longè facti sunt.

Prope es tu Dómine: * & omnes viæ tuæ véritas.

Initio cognóvi de testimóniis tuis: * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me: * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

Longe à peccatóribus salus: * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ Dómine: * secúndum judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, & tribulant me: * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabescébam: * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi Dómine: * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum, véritas: * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.

PRíncipes persecúti sunt me gratis: * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua: * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus sum: * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi: * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam: * & non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum Dómine: * & mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua: * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & testimónia tua: * quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

In-



Intret postulátio mea in conspéctu tuo: * secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cum docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum: * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me: * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum Dómine: * & lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te: * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi, sicut ovis, quæ périit: * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 1. Cor. 6. d

EMpti enim estis prétio magno. Glorificáte, & portáte Deum in córpore vestro.

℟. breve. Clamávi in toto corde meo, * Exáudi me Dómine. Clamávi. ℣. Justificatiónes tuas requíram. ℟. Exáudi. Glória Patri. Clamávi. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In feriali Officio per Annum, Antiphona. Aspice in me, & miserére mei Dómine. Capitulum. Empti enim, ut supra.

℟. breve. Rédime me Dómine, * Et miserére mei. Rédime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. ℟. Et miserére. Glória Patri. Rédime. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Quando ad Matutinum dictæ sunt Preces, flexis genibus dicitur Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Oratio conveniens.

Vesperæ in Dominica, & in Feriis, inveniuntur initio post Laudes Sabbati. 131.

## FERIA SECUNDA.

### Ad Matutinum.

Pater noster. Ave María. Credo. ℣. Dómine lábia mea apéries, ut supra. 2.

Invitator. Veníte, * Exultémus Dómino. Psalm. Jubilémus Deo salutári nostro, ut supra. 2.

Hym-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hymnus.

SOmno refectis ártubus,
Spreto cubili súrgimus:
Nobis, Pater, canéntibus
Adésse te depóscimus.
Te lingua primum cóncinat,
Te mentis ardor ámbiat:
Ut actuum sequentium
Tu, sancte, sis exórdium.
Cedant tenébræ lúmini,
Et nox diurno síderi:
Ut culpa, quam nox íntulit,
Lucis Lavat múnere.
Precámur iidem súpplices,
Noxas ut omnes ámputes,
Et ore te canéntium
Laudéris omni témpore.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Invitatória per Férias dicuntur in Feriáli Officio ab Octáva Epiphaníæ usque ad Advéntum. Hymni vero tam ad Matutinum, quam ad Laudes & Vésperas, & Antiphonæ Nocturnórum, ut infra.

Aña. Dóminus defénsor.

Psalmus 26.

DOminus illuminátio mea & salus mea, * quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, * à quo trepidábo?
Dum apprópiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas:
Qui tribulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, & cecidérunt.
Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.
Si exúrgat advérsum me prælium, * in hoc ego sperábo.
Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini, ómnibus diébus vitæ meæ.
Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.
Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.
In petra exaltávit me: * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.
Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo, & psalmum dicam Dómino.
Exáudi Dómine vocem meam qua clamávi ad te: * miserére mei, & exáudi me.
Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea, * fáciem tuam Dómine requíram.
Ne avértas fáciem tuam à me: * ne declínes in ira à servo tuo.
Adjútor meus esto: * ne derelínquas me, neque despícias me Deus salutáris meus.
Quóniam pater meus, & mater mea reliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Le-



Legem pone mihi Dómine in via tua: * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.
Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.
Credo vidére bona Dómini: * in terra vivéntium.
Exspécta Dóminum, viríliter age: * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

Psalmus 27.

AD te Dómine clamábo, Deus meus ne síleas à me: * nequándo táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.
Exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te: * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.
Ne simul trahas me cum peccatóribus: * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.
Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.
Da illis secúndum ópera eórum, * & secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.
Secúndum ópera mánuum eórum tribue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.
Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus * déstrues illos, & non ædificábis eos.
Benedíctus Dóminus: * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.
Dóminus adjútor meus, & protéctor meus: * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.
Et reflóruit caro mea: * & ex voluntáte mea confitébor ei.
Dóminus fortitúdo plebis suæ: * & protéctor salvatiónum Christi sui est.
Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ: * & rege eos, & extólle illos usque in ætérnum.

Antiphona. Dóminus defénsor vitæ meæ.

Antiphona. Adoráte.

Psalmus 28.

AFférte Dómino fílii Dei: * afférte Dómino fílios aríetum:
Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.
Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.
Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vox Dómini confringéntis cedros : * & confringet Dóminus cedros Líbani :

Et comminuet eas tamquam vitulum Líbani : * & diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * Vox Dómini concutiéntis desértum : & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa : * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : * & sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Psalmus 29.

EXaltábo te Dómine quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te, * & sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus : * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * non movébor in ætérnum.

Dómine in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam à me, * & factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo : * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar : * Dómine Deus meus in ætérnum confitébor tibi.

Antiphona. Adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Antiphona. In tua justítia.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.





Esto mihi in Deum protectórem : & in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu : * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum : * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, * supervácue.

Ego autem in Dómino sperávi : * exultábo, & lætábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam, * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci : * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei Dómine, quóniam tríbulor : * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus :

Quóniam defécit in dolóre vita mea : * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea : * & ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium & vicínis meis valdè * & timor notis meis.

Qui vidébant me, foràs fugérunt à me : * oblivióni datus sum, tamquam mórtuus à corde.

Factus sum tamquam vas pérditum : * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu :

In eo dum convenírent simul advérsum me, * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi Dómine : * dixi : Deus meus es tu : in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericórdia tua : * Dómine non confúndar quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpii, & deducántur in inférnum : * muta fiant lábia dolósa.

Quæ loquúntur advérsus justum iniquitátem, * in supérbia, & in abusióne.

Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine : * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis, qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito fáciei tuæ * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * a contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus : * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ : * Projéctus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudísti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Psalmus 31.

BEáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes : * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in ærúmna mea, dum configítur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino : * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exultátio mea érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte justi, * & gloriámini omnes recti corde.

Antiphona. In tua justítia líbera me Dómine.

Antiphona. Rectos decet.

Psalmus 32.

EXultáte justi in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Can-



Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * & ómnia ópera ejus in fide.

Diligit misericórdiam & judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit & facta sunt : * ipse mandávit & creáta sunt.

Dóminus díssipat consília Géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem & generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo : * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat à morte ánimas eórum : * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor & protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos : * quemadmodùm sperávimus in te.

Psalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum, * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me : * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

 Accé-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Accédite ad eum, & illuminámini: * & facies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suavis est Dóminus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte Filii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes qui sperant in eo.

Antiphona. Rectos decet collaudátio.

Antiphona. Expúgna.

Psalmus 34.

Júdica Dómine nocéntes me, * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & scutum: * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérsus eos, qui persequúntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.

Confundántur & revereántur, * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum, & confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti: * & Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum: * & Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui: * supervácue exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus, quem ignórat: & cáptio, quam abscóndit, apprehéndat eum: * & in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino: * & delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiórum ejus: * egénum & páuperem à diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iníqui, * quæ ignorábam, interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis: * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi molésti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam: * & orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens & contristátus sic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti sunt, & convenérunt: * congregáta sunt super me flagélla, & ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti, tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne: * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine quando respícies? * restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè: * qui odérunt me gratis & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacífice loquebántur: * & in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum: * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti Dómine, ne síleas: * Dómine ne discédas à me.

Exúrge & inténde judício meo: * Deus meus, & Dóminus meus in causam meam.

Júdica me secúndum justítiam tuam Dómine Deus meus, * & non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ: * nec dicant: Devorávimus eum.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Erubéscant & revereántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne & reveréntia * qui magna loquúntur super me.

Exúltent & læténtur qui volunt justítiam meam: * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * tota die laudem tuam.

Psalmus 35.

Dixit injústus, ut delínquat in semetípso: * non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóse egit in conspéctu ejus: * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas, & dolus: * nóluit intelligere ut benè ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo: * ástitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine in cælo misericórdia tua: * & véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei: * judícia tua abyssus multa.

Hómines & juménta salvábis Dómine: * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam Deus.

Filii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ: * & torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ: * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * & justítiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ, * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem: * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Antiphona. Expugna impugnántes me.

Antiphona. Revéla.

Psalmus 36.

Noli æmulári in malignántibus: * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent: * & quemádmodum ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem: * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino: * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & spera in eo * & ipse fáciet.





Et edúcet quasi lumen justítiam tuam: & judícium tuum tamquam merídiem: * súbditus esto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo, qui prosperátur in via sua: * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, & derelínque furórem: * noli æmulári ut malignéris.

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur: * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hereditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, & non erit peccátor: * & quæres locum ejus, & non invénies.

Mansuéti autem hereditábunt terram, * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum: * & stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum: * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres: * intendérunt arcum suum,

Ut dejíciant páuperem & inopem * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum: * & arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur: * confírmat autem justos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum: * & heréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, & in diébus famis saturabúntur: * quia peccatóres períbunt.

Inimíci vero Dómini mox ut honorificáti fúerint, & exaltáti: * deficiéntes, quemádmodùm fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, & non solvet: * justus autem miserétur, & tríbuet.

Quia benedicéntes ei hereditábunt terram: * maledicéntes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur: * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur: * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui: * & non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

Tota die miserétur & cómmodat: * & semen illíus in benedictióne erit.

Declína a malo, & fac bonum: * & inhábita in sæculum sǽculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet sanctos suos: * in ætérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur : * & semen impiórum peribit.

Justi autem hereditábunt terram : * & inhabitábunt in sæculum sæculi super eam.

Os justi meditábitur sapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsius : * & non supplantabúntur gressus ejus.

Considerat peccátor justum : * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus : * nec damnábit eum cum judicábitur illi.

Expécta Dóminum, & custódi viam ejus : & exaltábit te, ut hereditáte cápias terram : * cum períerint peccatóres vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat : * & quæsívi eum, & non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem : * quóniam sunt reliquiæ hómini pacífico.

Injústi autem disperíbunt simul : * reliquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum a Dómino : * & protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos : * & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos : quia speravérunt in eo.

Psalmus 37.

Domine ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi : * & confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ : * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum : * & sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt, & corrúptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem : * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus : * & non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, & humiliátus sum nimis : * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum : * & gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, dereliquit me virtus mea : * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amí-



mici mei, & próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt : * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes : * & dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens : * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te Dómine sperávi : * tu exáudies me Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei : * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum : * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me : * & multiplicáti sunt qui odérunt me inique.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me Dómine Deus meus : * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Antiphona. Revéla Dómino viam tuam.

Per Annum, ℣. Dómine in cælo misericórdia tua. ℟. Et véritas tua usque ad nubes.

Pro uno Mártyre, ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pro plúribus Martyribus, ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Pro Confessóre Pontífice, & non Pontífice, ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Pro una Sancta, ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, & regna.

## AD LAUDES,

℣. Deus in adjutórium meum inténde, ut supra. 18.

Antiphona. Miserére.

Psalmus 50.

Miserére mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

 Am-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Injústi puniéntur : * & semen impiórum peribit.

Justi autem hereditábunt terram : * & inhabitábunt in sæculum sæculi super eam.

Os justi meditábitur sapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsius : * & non supplantabúntur gressus ejus.

Considerat peccátor justum : * & quærit mortificáre eum.

Dominus autem non derelínquet eum in mánibus ejus : * nec damnábit eum cum judicábitur illi.

Expécta Dóminum, & custódi viam ejus : & exaltábit te, ut hereditáte cápias terram : * cum períerint peccatóres vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat : * & quæsívi eum, & non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem : * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injústi autem disperíbunt simul : * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino : * & protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos : * & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos : quia speravérunt in eo.

Psalmus 37.

Domine ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi : * & confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ : * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum : * & sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt, & corrúptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem : * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus : * & non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, & humiliátus sum nimis : * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum : * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, dereliquit me virtus mea : * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amí-



mici mei, & próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt : * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes : * & dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens : * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te Dómine sperávi : * tu exáudies me Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei : * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum : * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me : * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me Dómine Deus meus : * ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Antiphona. Revéla Dómino viam tuam.

Per Annum, ℣. Dómine in cælo misericórdia tua. ℟. Et véritas tua usque ad nubes.

Pro uno Mártyre, ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pro plúribus Martýribus, ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Pro Confessóre Pontífice, & non Pontífice, ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Pro una Sancta, ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

## AD LAUDES.

℣. Deus in adjutórium meum inténde, ut supra. 18.

Antiphona. Miserére.

Psalmus 50.

Miserére mei Deus, * secúndùm magnam misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

 Am-

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci: * ut justificéris in sermónibus tuis & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Asperges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam, * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * & spíritum rectum innova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua: * & spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * & spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ, * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, & holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Antiphona. Miserére mei Deus.

Antiphona. Intéllige.

Psalmus 5.

Verba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odis-



Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant: * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt: & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Antiphona. Intéllige clamórem meum Dómine.

Antiphona. Deus Deus meus, ad te de luce vígilo.

Psalmus idem, ut supra. 19.

Antiphona. Convérsus est.

Canticum Isaiæ Prophetæ. Cap. 12.

Confitébor tibi Dómine, quóniam irátus es mihi: * convérsus est furor tuus, & consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus, * fiduciáliter agam, & non timébo.

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salvatóris: * & dicétis in illa die: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit, * annuntiáte hoc in univérsa terra.

Exúlta, & lauda habitátio Sion: * quia magnus in médio tui sanctus Israël.

Antiphona. Convérsus est furor tuus Dómine, & consolátus es me.

Antiphona. Laudáte Dóminum de cælis. Psalmus idem. 20.

Capitulum sequens dicitur in feriali Officio ab Octava Pentecóstes usque ad Advéntum.

Capitulum. *Rom. 13. d.*

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit: abjiciámus ergo ópera tenebrá-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

brârum: & induâmur arma lucis: sicut in die honestè ambulémus.

Hymnus.

SPlendor Patérnæ glóriæ,
De luce lucem próferens,
Lux lucis, & fons lúminis,
Diem dies illúminans:
Verúsque sol illábere,
Micans nitóre pérpeti:
Jubárque sancti Spíritus
Infunde nostris sénsibus.
Votis vocémus & Patrem,
Patrem poténtis grátiæ,
Patrem perénnis glóriæ,
Culpam reléget lúbricam.
Confírmet actus strénuos:
Dentes retúndat invidi:
Casus secúndet ásperos:
Agenda rectè dírigat.
Mentem gubérnet, & regat:
Sit pura nobis cástitas:
Fides calóre férveat:
Fraudis venéna nésciat.
Christúsque nobis sit cibus,
Potúsque noster sit fides:
Læti bibámus sóbriam
Profusiónem Spíritus.
Lætus dies hic tránseat:
Pudor sit ut dilúculum:
Fides velut merídies:
Crepúsculum mens nésciat.
Auróra lucem próvehit,
Cum luce nobis pródeat,
In Patre totus Fílius,
Et totus in verbo Pater.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

Per Annum, ℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. Benedíctus Dóminus Deus Israel.

In Feriis Quatuor Témporum, & Vigiliárum quæ jejunántur post Antiphonam ad Benedictus, & in Vesperis ad Magníficat, dicúntur sequentes Preces flexis génibus, áliis tempóribus non dicúntur.

KYrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, totum dícitur clara voce, etiam in Vesperis. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Ego dixi, Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemadmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent. ℣. Dómine salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto congre-



gatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, & lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflíctis & captívis. ℟. Líbera eos Deus Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. ℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde dícitur Psalmus De profúndis, qui infrà habétur in Vesperis Feriæ quartæ. 141. Et in fine, Glória Patri. In Vesperis ejus loco dícitur Psalmus Miserére mei Deus, * secúndum magnam. 59. Finito Psalmo dícitur ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde dícitur Orátio própria. Et quando in feriali Officio fiunt Commemoratiónes communes de S. María, de Apóstolis, & de Pace, ante eas tam in Laudibus quam in Vesperis fit sequens Commemorátio de Cruce. Antiphona. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos Deus noster. ℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo Dómine.

Orémus. Orátio.

PErpétua nos, quæsumus Dómine, pace custódi: quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Quæ Commemorátio de Cruce fit étiam, quando non dicúntur Preces in feriali eódem Officio.

## FERIA TERTIA.

### Ad Matutinum.

Invitatórium. Jubilémus Deo, * Salutári nostro. Psalmus Veníte, exultémus, ut supra. 2.

Hymnus.

COnsors Patérni lúminis,
Lux ipse lucis, & dies,
Noctem canéndo rúmpimus:
Assíste postulántibus.
Aufer ténebras méntium:
Fuga catérvas dæmonum:
Expélle somnoléntiam,
Ne pigritántes óbruat.
Sic Christe nobis ómnibus
Indúlgeas credéntibus,

Ut

brârum: & induâmur arma lucis: sicut in die honestè ambulémus.

Hymnus.

SPlendor Patérnæ glóriæ,
De luce lucem próferens,
Lux lucis, & fons lúminis,
Diem dies illúminans:
Verúsque sol illábere,
Micans nitóre pérpeti:
Jubárque sancti Spíritus
Infúnde nostris sénsibus.
Votis vocémus & Patrem,
Patrem poténtis grátiæ,
Patrem perénnis glóriæ,
Culpam relégat lúbricam.
Confírmet actus strénuos:
Dentes retúndat ínvidi:
Casus secúndet ásperos:
Agénda recté dírigat.
Mentem gubérnet, & regat:
Sit pura nobis cástitas:
Fides calóre férveat:
Fraudis venéna nésciat.
Christúsque nobis sit cibus,
Potúsque noster sit fides:
Læti bibámus sóbriam
Profusiónem Spíritus.
Lætus dies hic tránseat:
Pudor sit ut dilúculum:
Fides velut merídies:
Crepúsculum mens nésciat.
Auróra lucem próvehit,
Cum luce nobis pródeat,
In Patre totus Fílius,
Et totus in verbo Pater.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

Per Annum, ℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. Benedíctus Dóminus Deus Israel.

In Feriis Quatuor Témporum, & Vigiliárum quæ jejunántur post Antiphonam ad Benedictus, & in Vesperis ad Magnificat, dicúntur sequéntes Preces flexis génibus, aliis tempóribus non dicúntur.

KYrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, totum dícitur clara voce, étiam in Vesperis. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Ego dixi, Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent. ℣. Dómine salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, & lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflíctis & captívis. ℟. Líbera eos Deus Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. ℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde dicitur Psalmus De profúndis, qui infrà habétur in Vésperis Feriæ quartæ. 141. Et in fine, Glória Patri. In Vesperis ejus loco dicitur Psalmus Miserére mei Deus, * secúndum magnam. 59. Finito Psalmo dicitur ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.



Deinde dicitur Oratio própria. Et quando in feriali Officio fiunt Commemoratiónes commúnes de S. María, de Apóstolis, & de Pace, ante eas tam in Laudibus quam in Vesperis fit sequens Commemoratio de Cruce. Antiphona. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos Deus noster. ℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo Dómine.

Orémus. Oratio.

PErpétua nos, quǽsumus Dómine, pace custódi: quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Quæ Commemoratio de Cruce fit étiam, quando non dicúntur Preces in feriali tantùm Officio.

## FERIA TERTIA.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Jubilémus Deo, * Salutári nostro. Psalmus Veníte, exultémus, ut supra. 2.

Hymnus.

COnsors Patérni lúminis,
Lux ipse lucis, & dies,
Noctem canéndo rúmpimus:
Assíste postulántibus.
Aufer ténebras méntium:
Fuga catérvas dæmonum:
Expélle somnoléntiam,
Ne pigritántes óbruat.
Sic Christe nobis ómnibus
Indúlgeas credéntibus,

Ut

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ut prosit exorántibus,
Quod præcinéntes psállimus.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Antiphona. Ut non delínquam.

Psalmus 38.

Dixi : Custódiam vias meas : * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor advérsum me.

Obmútui, & humiliátus sum, & sílui à bonis : * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me : * & in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in lingua mea : * Notum fac mihi Dómine finem meum,

Et númerum diérum meórum quis est : * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos : * & substántia mea tamquam nihilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo : * sed & frustrà conturbátur.

Thesaurízat : * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? * nonne Dóminus? & substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me : * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum, quóniam tu fecísti : * amove à me plagas tuas.

A fortitúdine manus tuæ ego deféci in increpatiónibus : * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam Dómine, & deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas : quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam, * & ámpliùs non ero.

Psalmus 39.

Expéctans expectávi Dóminum, * & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * & edúxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos : * & diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.





Vidébunt multi, & timébunt : * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : * & non respéxit in vanitátes & insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua : * & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi & locútus sum : * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum & pro peccáto non postulásti : * tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo : Dómine tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam, & salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam, & veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem Dómine ne longè fácias miseratiónes tuas a me : * misericórdia tua & véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus : * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei : * & cor meum dereliquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me : * Dómine ad adjuvándum me réspice.

Confundántur & revereántur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsùm, & revereántur, qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent, & læténtur super te omnes quæréntes te : * & dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, & pauper : * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es : * Deus meus ne tardáveris.

Antiphona. Ut non delínquam in lingua mea.

Antiphona. Sana Dómine.

Psalmus 40.

Beátus qui intélligit super egénum & páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra: * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * universum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine miserére mei: * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idípsum.

Advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me: * Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi: * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére mei, & resúscita me: * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti: * & confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel à sǽculo, & usque in sǽculum: * fiat, fiat.

Psalmus 41.

Quemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum: * ità desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei:

In voce exultatiónis, & confessiónis: * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * proptéreà memor ero tui de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum invocat, * in voce cataractárum tuárum.



Omnia excélsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam: * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, dicam Deo: * Suscéptor meus es,

Quare oblítus es mei? * & quare contristátus incédo, dum affligit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei:

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Antiphona. Sana Dómine ánimam meam: quia peccávi tibi.

Antiphona. Eructávit.

Psalmus 43.

Deus áuribus nostris audívimus: * patres nostri annuntiavérunt nobis.

Opus, quod operátus es in diébus eórum: * & in diébus antíquis.

Manus tua gentes dispérdidit, & plantásti eos: * afflixísti pópulos, & expulísti eos:

Nec enim in gládio suo possedérunt terram: * & bráchium eórum non salvávit eos.

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultus tui: * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus: * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo: * & gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de affligéntibus nos: * & odiéntes nos confudísti.

In Deo laudábimur tota die: * & in nómine tuo confitébimur in sǽculum.

Nunc autem repulísti & confudísti nos: * & non egrediéris Deus in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsùm post inimícos nostros: * & qui odérunt nos diripiébant sibi.

Dedísti nos tamquam oves escárum: * & in Géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio: * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derísum his, qui sunt in circúitu nostro.

Po-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Posuísti nos in similitúdinem Géntibus : * commotiónem cápitis in pópulis.

Tota die verecúndia mea contra me est, * & confúsio faciéi meæ coopéruit me.

A voce exprobrántis, & obloquéntis : * a fácie inimíci & persequéntis.

Hæc ómnia venérunt super nos, nec obliti sumus te : * & iníque non égimus in testaménto tuo.

Et non recéssit retrò cor nostrum : * & declinásti sémitas nostras a via tua :

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus manus nostras ad deum aliénum :

Nonne Deus requíret ista ? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur tota die : * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exúrge, quare obdórmis Dómine ? * exúrge, & ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis, * oblivísceris inópiæ nostræ, & tribulatiónis nostræ ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra : * conglutinátus est in terra venter noster.

Exúrge Dómine, ádjuva nos : * & rédime nos propter nomen tuum.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua & pulchritúdine tua * inténde, prósperè procéde & regna,

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam : * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent : * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem : * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.





Audi fília, & vide, & inclína aurem tuam : * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus : * in fímbriis áureis circúmamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * & in sæculum sæculi.

Antiphona. Eructávit cor meum verbum bonum.

Antiphona. Adjútor.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium, & virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra : * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus, in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus manè dilúculò.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Venite, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma : * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Psalmus 46.

OMnes Gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * & Gentes sub pédibus nostris.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Elégit nobis hereditátem suam, * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascendit Deus in júbilo: * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite: * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham: * quóniam dii fortes terræ, vehementer eleváti sunt.

Antiphona. Adjútor in tribulatiónibus.

Antiphona. Magnus Dóminus.

## Psalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis: * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, civitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi videntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu vehementi cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

## Psalmus 48.

AUdíte hæc omnes Gentes: * áuribus percípite omnes, qui habitátis orbem:

Quique terrígenæ, & fílii hóminum: * simul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam: * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam: * apériam in psaltério propositiónem meam.



Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me:

Qui confídunt in virtúte sua: * & in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo: * non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ: * & laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cum víderit sapiéntes moriéntes: * simul insípiens & stultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias suas: * & sepúlchra eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie, & progénie: * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo cum in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis: * & póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt: * mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justi in matutíno: * & auxílium eórum veteráscet in inférno à glória eórum.

Verúntamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cum accéperit me.

Ne timúeris cum dives factus fúerit homo: * & cum multiplicáta fúerit glória domus ejus.

Quóniam cum intérierit, non sumet ómnia: * neque descéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsius benedicétur: * confitébitur tibi, cum benefééceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum: * & usque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cum in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Antiphona. Magnus Dóminus, & laudábilis nimis.

Antiphona. Deus deórum.

## Psalmus 49.

DEus deórum Dóminus locútus est: * & vocávit terram,

A solis ortu usque ad occásum: * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus manifésté véniet: * Deus noster & non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet: * & in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit cælum desúrsum: * & terram discérnere pópulum suum.

Con-

Congregáte illi sanctos ejus : * qui órdinant testaméntum ejus super sacrificia.

Et annuntiábunt cæli justítiam ejus : * quóniam Deus judex est.

Audi pópulus meus, & loquar : Israel, & testificábor tibi : * Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis árguam te : * holocausta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accipiam de domo tua vitulos : * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cæli : * & pulchritúdo agri mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi : * meus est enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrificium laudis: * & redde Altíssimo vota tua.

Et invoca me in die tribulatiónis : * éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enárras justítias meas, & assúmis testaméntum meum per os tuum?

Tu veró odísti disciplínam: * & projecísti sermónes meos retrórsum :

Si vidébas furem, currébas cum eo : * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia : * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris, & advérsus filium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecísti, & tácui.

Existimásti iniquè quòd ero tui símilis : * árguam te, & státuam contra fáciem tuam.

Intelligite hæc qui oblivíscimini Deum : * nequando rápiat, & non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * & illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Psalmus 51.

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte.

Tota die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem : * iniquitátem magis, quam loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem : * evéllet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, & timébunt, & super eum ridébunt, & dicent : * Ecce homo, qui non pósuit Deum adjutórem suum.

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum : * & præváluit in vanitáte sua.

Ego autem, sicut oliva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Confitébor tibi in sæculum quia fecísti : * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

Antiphona. Deus deórum Dóminus locútus est.

Per Annum, ℣. Immola Deo sacrificium laudis. ℟. Et redde Altíssimo vota tua.

Pro uno Martyre, ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Pro Confessore Pontifice, ℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Pro Confessore non Pontifice, ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Pro una Sancta, ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.



## AD LAUDES.

Antiphona. Dele Dómine iniquitátem meam. Psalm. Miserére, ut supra, 59.

Antiphona. Salutáre.

Psalmus 42.

JUdica me Deus, & discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea : * quare me repulísti? & quare tristis incédo, dum affligit me inimícus?

Emitte lucem tuam & veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara Deus Deus meus : * quare tristis es ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Antiphona. Salutáre vultus mei, & Deus meus.

Antiphona. Ad te de luce vigilo Deus. Psalmus Deus Deus meus, ut supra, 18.

Antiphona. Cunctis diébus.

Canticum Ezechiæ.

*Isaiæ 38. b.*

EGo dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas inferi.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Congregáte illi sanctos ejus : * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.
Et annuntiábunt cæli justítiam ejus : * quóniam Deus judex est.
Audi pópulus meus, & loquar : Israel, & testificábor tibi : * Deus Deus tuus ego sum.
Non in sacrifíciis tuis árguam te : * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.
Non accípiam de domo tua vítulos : * neque de grégibus tuis hircos.
Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus & boves.
Cognóvi ómnia volatília cæli : * & pulchritúdo agri mecum est.
Si esuríero, non dicam tibi : * meus est enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.
Numquid manducábo carnes taurórum ? * aut sánguinem hircórum potábo ?
Immola Deo sacrifícium laudis : * & redde Altíssimo vota tua.
Et ínvoca me in die tribulatiónis : * éruam te, & honorificábis me.
Peccatóri autem dixit Deus : * Quare tu enárras justítias meas, & assúmis testaméntum meum per os tuum ?
Tu vero odísti disciplínam : * & projecísti sermónes meos retrórsum :
Si vidébas furem, currébas cum eo : * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.
Os tuum abundávit malítia : * & lingua tua concinnábat dolos.
Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, & advérsus fílium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecísti, & tácui.
Existimásti iníque quod ero tui símilis : * árguam te, & státuam contra fáciem tuam.
Intellígite hæc qui obliviscímini Deum : * nequándo rápiat, & non sit qui erípiat.
Sacrifícium laudis honorificábit me : * & illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Psalmus 51.

Quid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte.
Tota die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecísti dolum.
Dilexísti malítiam super benignitátem : * iniquitátem magis, quam loqui æquitátem.
Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.
Proptérea Deus déstruet te in finem : * evéllet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terra vivéntium.
Vidébunt justi, & timébunt, & super eum ridébunt, & di-



dicent : * Ecce homo, qui non pósuit Deum adjutórem suum.
Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum : * & præváluit in vanitáte sua.
Ego autem, sicut oliva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum, & in sæculum sæculi.
Confitébor tibi in sæculum quia fecísti : * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.
Antiphona. Deus deórum Dóminus locútus est.
Per Annum, ℣. Immola Deo sacrifícium laudis. ℟. Et redde Altíssimo vota tua.
Pro uno Mártyre, ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.
Pro plúribus Martyribus, ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.
Pro Confessóre Pontífice, ℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.
Pro Confessóre non Pontífice, ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.
Pro una Sancta, ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

## AD LAUDES.

Antiphona. Dele Dómine iniquitátem meam. Psalm. Miserére, ut supra, 59.
Antiphona. Salutáre.

Psalmus 42.

Júdica me Deus, & discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo & dolóso érue me.
Quia tu es Deus fortitúdo mea : * quare me repulísti ? & quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus ?
Emítte lucem tuam & veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.
Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.
Confitébor tibi in cíthara Deus Deus meus : * quare tristis es ánima mea ? & quare contúrbas me ?
Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, & Deus meus.
Antiphona. Salutáre vultus mei, & Deus meus.
Antiphona. Ad te de luce vígilo Deus. Psalmus Deus Deus meus, ut supra, 18.
Antiphona. Cunctis diébus.

Canticum Ezechiæ. *Isaiæ 38. b.*

Ego dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsivi residuum annórum meórum, * dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hóminem ultrà, * & habitatórem quiétis.

Generátio mea ablâta est, & convolûta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcisa est velut à texénte, vita mea: dum adhuc ordiret, succidit me: * de manè usque ad vésperam finies me.

Sperâbam usque ad manè, * quasi leo sic contrivit ómnia ossa mea:

De manè usque ad vésperam finies me: * sicut pullus hirúndinis sic clamâbo, meditábor ùt colúmba:

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum.

Dómine vim pátior, respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit?

Recogitâbo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine si sic vivitur, & in tâlibus vita spiritus mei, corrípies me, & vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima:

Tu autem eruisti ánimam meam ut non periret, * projecisti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non infernus confitébitur tibi, neque mors laudábit te: * non expectábunt qui descéndunt in lacum, veritâtem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódiè: * pater filiis notam fáciet veritâtem tuam.

Dómine salvum me fac, * & psalmos nostros cantábimus cunctis diêbus vitæ nostræ in domo Dómini.

Antiphona. Cunctis diébus vitæ nostræ salvos nos fac Dómine.

Antiphona. Omnes Angeli ejus laudâte Dóminum de cælis. Psalmus L. audâte Dóminum de cælis. 20.

Capitulum. *Rom.* 13. *d*

Nox præcéssit, dies autem appropinquâvit: abjiciâmus ergo ópera tenebrárum: & induámur arma lucis: sicut in die honéstè ambulémus.

Hymnus.

Ales diéi núntius
Lucem propinquam præcinit,
Nos excitâtor méntium
Jam Christus ad vitam vocat.
Auferte, clamat, léctulos,
Ægro sopôre désides:
Castique, recti, ac sóbrii
Vigilâte: jam sum próximus.
Jesum ciâmus vócibus,
Flentes, precántes, sobrii:
Inténta supplicátio
Dormíre cor mundum vetat.

Tu



Tu Christe somnum discute:
Tu rumpe noctis vincula:
Tu solve peccâtum vetus,
Novúmque lumen ingere.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,
Cum Spiritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectâti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. Eréxit nobis Dóminus cornu salûtis, in domo David púeri sui.

Preces quando dicúntur habéntur supra in Feria secúnda. 62.

## FERIA QUARTA

Ad Matutinum.

Invitatórium. In manu tua Dómine, * Omnes fines terræ. Psalmus Venite, exultémus. 2.

Hymnus.

Rerum Creâtor óptime,
Rectórque noster, áspice:
Nos à quiéte nóxia
Mersos sopôre libera.
Te, sancte Christe, póscimus:
Ignósce culpis ómnibus:
Ad confiténdum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.
Mentes manúsque tóllimus,
Prophêta sicut nóctibus
Nobis geréndum præcipit,
Paulúsque gestis cénsuit.
Vides malum, quod fécimus:
Occúlta nostra pándimus:
Preces geméntes fúndimus,
Dimitte quod peccávimus.
Præsta, Pater piíssime,
Patrique compar únice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Antiphona. Avértit Dóminus.

Psalmus 52.

Dixit insipiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui faciat bonum.

Deus de cælo prospéxit super filios hóminum: * ut videat si est intélligens, aut requirens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitâtem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipâvit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cùm convérterit Deus captivitâtem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.



UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quæsivi residuum annôrum meôrum, * dixi: Non vidêbo Dóminum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hóminem ultrà, * & habitatôrem quietis.

Generátio mea ablâta est, & convolûta est à me, * quasi tabernáculum pastôrum.

Præcisa est velut à texénte, vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me: * de manè usque ad vésperam finies me.

Sperâbam usque ad manè, * quasi leo sic contrivit ómnia ossa mea:

De manè usque ad vésperam finies me: * sicut pullus hirúndinis sic clamâbo, meditâbor ùt colúmba:

Attenuâti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum.

Dómine vim pátior, respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit?

Recogitâbo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine si sic vivitur, & in tálibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima:

Tu autem eruisti ánimam meam ut non periret, * projecisti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non infernus confitébitur tibi, neque mors laudâbit te: * non expectábunt qui descéndunt in lacum, veritâtem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódiè: * pater filiis notam fáciet veritâtem tuam.

Dómine salvum me fac, * & psalmos nostros cantábimus cunctis diêbus vitæ nostræ in domo Dómini.

Antiphona. Cunctis diêbus vitæ nostræ salvos nos fac Dómine.

Antiphona. Omnes Angeli ejus laudâte Dóminum de cælis. Psalmus L. audâte Dóminum de cælis. 20.

Capitulum. *Rom.* 13. *d*

Nox præcéssit, dies autem appropinquâvit: abjiciâmus ergo ópera tenebrárum: & induâmur arma lucis: sicut in die honéste ambulêmus.

Hymnus.

Ales diéi núntius
Lucem propinquam præcinit,
Nos excitâtor méntium
Jam Christus ad vitam vocat.
Auferte, clamat, léctulos,
Ægro sopôre désides:
Castique, recti, ac sóbrii
Vigilâte: jam sum próximus.
Jesum ciêamus vócibus,
Flentes, precántes, sobrii:
Inténta supplicátio
Dormîre cor mundum vetat.

T u



Tu Christe somnum discute:
Tu rumpe noctis vincula:
Tu solve peccâtum vetus,
Novúmque lumen ingere.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,
Cum Spiritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

℣. Replêti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectâti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. Eréxit nobis Dóminus cornu salûtis, in domo David púeri sui.

Preces quando dicuntur habéntur supra in Feria secúnda. 62.

# FERIA QUARTA

## Ad Matutinum.

Invitatórium. In manu tua Dómine, * Omnes fines terræ. Psalmus Venite, exultémus. 2.

Hymnus.

Rerum Creâtor óptime,
Rectórque noster, áspice:
Nos à quiéte nóxia
Mersos sopôre libera.
Te, sancte Christe, póscimus:
Ignósce culpis ómnibus:
Ad confiténdum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.
Mentes manúsque tóllimus,
Prophêta sicut nóctibus
Nobis geréndum præcipit,
Paulúsque gestis cénsuit.
Vides malum, quod fécimus:
Occúlta nostra pándimus:
Preces geméntes fúndimus,
Dimitte quod peccávimus.
Præsta, Pater piíssime,
Patrique compar única,
Cum Spiritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Antiphona. Avértit Dóminus.

Psalmus 52.

Dixit insipiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui fáciat bonum.

Deus de cælo prospéxit super filios hóminum: * ut videat si est intélligens, aut requirens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitâtem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timore, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eôrum qui homínibus placent: * confússi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.

D 2 Psal-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### Psalmus 54.

EXáudi Deus oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam: * inténde mihi, & exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea: * & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes: * & in ira molésti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me: * & formído mortis cécidit super me.

Timor & tremor venérunt super me: * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, * & volábo, & requiéscam?

Ecce elongávi fúgiens: * & mansi in solitúdine.

Exspectábam eum, qui salvum me fecit * à pusillanimitáte spíritus, & tempestáte.

Præcipíta Dómine, dívide linguas eórum: * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas: * & labor in médio ejus, & injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra, & dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi, * sustinuíssem útique.

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuísset: * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu verò homo unánimis: * dux meus, & notus meus:

Qui simul mecum dulces capiébas cibos: * in domo Dei ambulávimus cum consénsu.

Véniat mors super illos: * & descéndant in inférnum viventes:

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum: * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi: * & Dóminus salvábit me.

Véspere, & manè, & merídie narrábo & annuntiábo: * & exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his, qui appropínquant mihi: * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, & humiliábit illos, * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutátio, & non timuérunt Deum: * exténdit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus, divísi sunt ab ira vultus ejus: * & appropinquávit cor illíus.

Molliti sunt sermónes ejus super óleum: * & ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, & ipse te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo.

Tu verò Deus dedúces eos, * in púteum intéritus.

Viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos: * ego autem sperábo in te Dómine.

Antiphona. Avértit Dóminus captivitátem plebis suæ.

Antiphona. Quoniam.

### Psalmus 55.

MIserére mei Deus, quóniam conculcávit me homo: * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die: * quóniam multi bellántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur: * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum, in malum.

Inhabitábunt & abscóndent: * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro nihilo salvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus vitam meam annuntiávi tibi: * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Sicut & in promissióne tua: * tunc converténtur inimíci mei retrórsùm:

In quacúmque die invocávero te: * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem: * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua: * quæ reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu: * ut pláceam coram Deo in lúmine viventium.

### Psalmus 56.

MIserére mei Deus, miserére mei: * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum: * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, & liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma & sagíttæ: * & lingua eórum gládius acútus.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Exaltáre super cælos Deus:* & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis: * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam: * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum Deus, parátum cor meum: * cantábo, & psalmum dicam.

Exúrge glória mea, exúrge psaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine: * & psalmum dicam tibi in géntibus:

Quóniam magnificáta est usque ad cælos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cælos Deus:* & super omnem terram glória tua.

Antiphona. Quóniam in te confídit ánima mea.

Antiphona. Justa judicáte.

Psalmus 57.

SI verè útique justítiam loquímini: * recta judicáte fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini: * in terra injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero: * locúti sunt falsa.

Furor illis secúndum similitúdinem serpéntis: * sicut áspidis surdæ, & obturántis aures suas,

Quæ non exáudiet vocem incantántium: * & venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet Dóminus.

Ad nihilum devénient tamquam aqua decúrrens: * inténdit arcum suum donec infirméntur.

Sicut cera, quæ fluit, auferéntur: * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

Priúsquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: * sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus cùm víderit vindíctam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique est fructus justo: * útique est Deus júdicans eos in terra.

Psalmus 58.

ERipe me de inimícis meis Deus meus: * & ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem: * & de viris sánguinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum Dómine: * si-



sine iniquitáte cucúrri, & dirèxi.

Exúrge in occúrsum meum, & vide: * & tu Dómine Deus virtútum, Deus Israel,

Inténde ad visitándas omnes gentes: * non miseréaris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam: * & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, & gládius in lábiis eórum: * quóniam quis audívit?

Et tu Dómine deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus misericórdia ejus prævéniet me.

Deus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas eos: * nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua: * & depóne eos protéctor meus Dómine:

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum: * & comprehendántur in supérbia sua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in consummatióne: * in ira consummatiónis, & non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob: * & fínium terræ.

Converténtur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum: * si verò non fúerint saturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: * & exultábo manè misericórdiam tuam.

Quia factus es suscéptor meus, * & refúgium meum, in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus misericórdia mea.

Antiphona. Justa judicáte fílii hóminum.

Antiphona. Da nobis.

Psalmus 59.

DEus repulísti nos, & destruxísti nos: * irátus es, & misértus es nobis.

Commovísti terram, & conturbásti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura: * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem: * ut fúgiant à fácie arcus:

Ut liberéntur dilécti tui: * salvum fac déxtera tua, & exáudi me.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Deus locûtus est in sancto suo: * Lætábor, & partíbor Sichimam: & convállem tabernaculòrum metíbor.

Meus est Gálaad, & meus est Manásses: * & Ephraim fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus: * Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceaméntum meum: * mihi alienigenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munitam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui repulisti nos: * & non egrediêris Deus in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatiône: * quia vana salus hóminis.

In Deo faciêmus virtútem: * & ipse ad nihilum dedúcet tribulántes nos.

Psalmus 60.

Exáudi Deus deprecatiônem meam: * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi: * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis à fácie inimici.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula: * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu Deus meus exaudisti oratiônem meam: * dedisti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies: * annos ejus usque in diem generatiônis & generatiônis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus quis requiret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi: * ut reddam vota mea de die in diem.

Antiphona. Da nobis Dómine auxílium de tribulatiône.

Antiphona. Nonne Deo.

Psalmus 61.

Nonne Deo subjécta erit ánima mea? * ab ipso enim salutare meum.

Nam & ipse Deus meus, & salutáris meus: * suscéptor meus, non movébor ámplius.

Quoúsque irrúitis in hóminem: * interfícitis universi vos: tamquam parieti inclináto & macériæ depúlsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere, cucúrri in siti: * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto ánima mea: * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, & salvátor meus: * adjutor meus, non emigrabo.





In Deo salutáre meum, & glória mea: * Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est.

Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra: * Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in statéris: * ut decipiant ipsi de vanitáte in idipsum.

Nolite speráre in iniquitáte, & rapinas nolite concupiscere: * divitiæ si affluant, nolite cor appónere.

Semel locûtus est Deus, duo hæc audivi, quia potéstas Dei est, & tibi Dómine misericórdia: * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Psalmus 64.

Exáudi Deus oratiônem meam cum déprecor: * à timôre inimici éripe ánimam meam.

Protexisti me à convéntu malignántium: * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram, ut sagittent in occúltis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum, & non timébunt: * firmavérunt sibi sermônem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutinio.

Accédet homo ad cor altum: * & exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulôrum factæ sunt plagæ eôrum: * & infirmátæ sunt contra eos linguæ eòrum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei: * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo, * & laudabúntur omnes recti corde.

Antiphona. Nonne Deo subjécta erit ánima mea?

Antiphona. Benedicite.

[illegible]

Jubiláte Deo omnis terra, psalmum dicite nómini ejus: * date glóriam laudi ejus.

Dicite Deo, quàm terribília sunt ópera tua Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimici tui.

Omnis terra adôret te, & psallat tibi: * psalmum dicat nómini tuo.

Venite, & vidéte ópera Dei: * terribilis in consiliis super filios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, óculi ejus super Gentes respíciunt: * qui exásperant, non exalténtur in semetipsis.

Benedícite Gentes Deum nostrum: * & auditam fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam: * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos Deus: * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem & aquam: * & eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis: * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum: * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * & exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo: * non exáudiet Dóminus.

Proptéreà exaudívit Deus, * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, & misericórdiam suam à me.

Psalmus 67.

Exúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus: * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant: * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei: * & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascéndit super occásum: Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspéctu ejus, * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo: * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo:

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos, qui exásperant, qui hábitant in sepúlchris.

Deus cùm egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto:

Ter-



Terra mota est, étenim cæli distillavérunt à fácie Dei Sinai, * à fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis Deus hereditáti tuæ: * & infirmáta est, tu verò perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea: * parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multa.

Rex virtútum dilécti dilécti: * & speciéi domus divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ colúmbæ deargentátæ, * & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit cæléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon: * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis: * ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo: * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem: * accepísti dona in homínibus:

Etenim non credéntes, * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie: * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciendi: * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum: * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus: Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris:

Ut intingátur pes tuus in sánguine: * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos Deus, * ingréssus Dei mei: Regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psalléntibus: * in médio juvenculárum tympanistriárum.

In Ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, * in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum: * príncipes Zábulon, príncipes Néphthali.

Manda Deus virtúti tuæ: * confírma hoc Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

 In

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Increpa feras arúndinis, congregátio taurôrum in vaccis populôrum: * ut exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes, quæ bella volunt: vénient legáti ex Ægypto: * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo: * psállite Dómino:

Psállite Deo, qui ascéndit super cælum cæli, * ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtûtis, date glóriam Deo super Israël, * magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtûtem & fortitúdinem plebi suæ, * benedíctus Deus.

Antiphona. Benedícite Gentes Deum nostrum.

Per Annum, ℣. Deus vitam meam annuntiávi tibi. ℟. Posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Pro uno Martyre, ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam & magnum decôrem impónes super eum.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Pro Confessore Pontifice, ℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndùm órdinem Melchísedech.

Pro Confessore non Pontifice, ℣. Lex Dei ejus in corde ipsîus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus

Pro una Sancta, ℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

## AD LAUDES,

Antiphona. Amplius lava me Dómine ab injustítia mea.

Psalmus Miserére. 59.

Antiphona. Te decet.

Psalmus 64.

Te decet hymnus Deus in Sion: * & tibi reddêtur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiônem meam: * ad te omnis caro véniet:

Verba iniquôrum prævaluérunt super nos: * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, & assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, & in mari longe.

Præparans montes in virtûte tua, accínctus poténtia: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos

nos



nos à signis tuis: * éxitus matutíni & véspere delectábis.

Visitásti terram, & inebriásti eam: * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replêtum est aquis, parásti cibum illôrum: * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ: * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti: * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Antiphona. Te decet hymnus Deus in Sion.

Antiphona. Lábia mea laudábunt te in vita mea, Deus meus. Psalmus Deus Deus meus * ad te. 18.

Antiphona. Dóminus judicábit.

Canticum Annæ.

1. Reg. 2.

Exultávit cor meum in Dómino: * & exaltátum est cornu meum in Deo meo:

Dilatátum est os meum super inimícos meos: * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus: neque enim est álius extra te, * non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, * gloriántes:

Recédant vétera de ore vestro: quia Deus scientiárum Dóminus est, * & ipsi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est, * & infírmi accíncti sunt róbore.

Repléti prius, pro pánibus se locavérunt: * & famélici saturáti sunt.

Donec stérilis péperit plúrimos: * & quæ multos habêbat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat & vivíficat, * dedúcit ad ínferos & redúcit.

Dóminus páuperem facit & ditat, * humíliat & súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * & de stércore élevat páuperem:

Ut sedeat cum princípibus, * & sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * & pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, & ímpii in ténebris conticéscent: * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus: * & super ipsos in cælis tonábit:

Dóminus judicábit fines terræ, & dabit impérium Regi suo,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

suo, * & sublimábit cornu Christi sui.

Antiphona. Dóminus judicábit fines terræ.

Antiphona. Cæli cælórum laudáte Deum. Psalmus Laudáte Dóminum de cælis. 20.

Capitulum. *Rom.* 13. *d*

NOx præcéssit, dies autem appropinquávit: abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis: sicut in die honéstè ambulémus.

Hymnus.

NOx, & tenébræ, & núbila,
Confúsa mundi, & túrbida:
Lux intrat: albéscit polus:
Christus venit: discédite.
Caligo terræ scinditur,
Percússa solis spículo,
Rebúsque jam color redit,
Vultu niténtis síderis.
Te, Christe, solum nóvimus:
Te mente pura, & símplici,
Flendo, & canéndo, quǽsumus,
Inténde nostris sénsibus.
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgéntur tua:
Tu vera lux cæléstium
Vultu seréno illúmina.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. De manu ómnium qui odérunt nos, líbera nos Dómine.

Preces, quando dicuntur, habentur supra in secunda Feria. 62.

# FERIA QUINTA

## Ad Matutinum.

Invitatórium. Dóminum qui fecit nos, * Veníte adorémus. Psalmus Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

NOx atra rerum cóntegit
Terræ colóres ómnium:
Nos confiténtes póscimus
Te, juste judex córdium:
Ut áuferas piácula,
Sordésque mentis ábluas;
Donésque, Christe, grátiam,
Ut arceántur crímina.
Mens ecce torpet ímpia,
Quam culpa mordet nóxia:
Obscúra gestit tóllere,
Et te, Redémptor, quǽrere.
Repélle tu calíginem
Intrinsecùs quàm máximè,
Ut in beáto gáudeat
Se collocári lúmine.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Antiphona. Dómine Deus.

Psalmus 68.

SAlvum me fac Deus: * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

I n-



Infíxus sum in limo profúndi: * & non est substántia.

Veni in altitúdinem maris: * & tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injústè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus tu scis insipiéntiam meam: * & delícta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me, qui expéctant te Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me: * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium: * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domus tuæ comédit me: * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam: * & factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium: * & factus sum illis in parábolam.

Advérsùm me loquebántur qui sedébant in porta: * & in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te Dómine: * tempus benepláciti Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, * in veritáte salútis tuæ:

Eripe me de luto, ut non infígar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, neque absórbeat me profúndum: * neque úrgeat super me púteus os suum.

Exáudi me Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua: * secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo: * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam, * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, & confusiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, * impropérium expectávit cor meum, & misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, & non fuit: * & qui consolarétur, & non invéni.

E t

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et dedérunt in escam meam fel: * & in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * & in retributiónes, & in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne videant: * & dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam: * & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta: * & in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt: * & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum: * & non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium: * & cum justis non scribántur.

Ego sum pauper & dolens: * salus tua Deus suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico: * & magnificábo eum in laude:

Et placébit Deo super vitúlum novéllum: * córnua producéntem & úngulas.

Vídeant páuperes, & læténtur: * quǽrite Deum, & vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus: * & vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cæli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion: * & ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hereditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam: * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Psalmus 69.

Deus in adjutórium meum inténde: * Dómine ad adjuvándum me festína.

Confundántur, & revereántur, * qui quærunt ánimam meam:

Avertántur retrórsum, & erubéscant, * qui volunt mihi mala:

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te, * & dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, & pauper sum: * Deus ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu: * Dómine ne moréris.

Antiphona. Dómine Deus in adjutórium meum inténde.

Antiphona. Esto mihi.

Psalmus 70.

In te Dómine sperávi * non confúndar in ætérnum: * in justítia tua líbera me, & éripe me.

I n-



Inclína ad me aurem tuam, * & salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum: * ut salvum me fácias.

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus éripe me de manu peccatóris: * & de manu contra legem agéntis, & iníqui:

Quóniam tu es patiéntia mea Dómine: * Dómine spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero: * de ventre matris meæ tu es protéctor meus.

In te cantátio mea semper: * tamquam prodígium factus sum multis: & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam: * tota die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis: * cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi: * & qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum, persequímini, & comprehéndite eum: * quia non est qui erípiat.

Deus ne elongéris à me: * Deus meus in auxílium meum réspice.

Confundántur & defíciant detrahéntes ánimæ meæ: * operiántur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo: * & adjíciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit justítiam tuam: * tota die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus docuísti me à juventúte mea: * & usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Et usque in senéctam & sénium: * Deus ne derelínquas me,

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni, quæ ventúra est:

Poténtiam tuam, & justítiam tuam Deus usque in altíssima, quæ fecísti magnália: * Deus quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas, & malas: & convérsus vivificásti me: * & de abyssis terræ íterum reduxísti me:

Multiplicásti magnificéntiam tuam: * & convérsus consolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam: * Deus psallam tibi in cíthara, sanctus Israel.

Exul-

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi : * & ánima mea, quam redemísti.

Sed & lingua mea tota die meditábitur justítiam tuam : * cùm confúsi & revériti fúerint, qui quærunt mala mihi.

Psalmus 71.

DEus judícium tuum regi da : * & justítiam tuam fílio regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum : * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis : * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare : * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes : * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum & Saba dona addúcent ;

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes Gentes sérvient ei :

Quia liberávit páuperem à poténte : * & páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & ínopi : * & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum : * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : * omnes Gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus :

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum : * & replébitur majestáte ejus omnis terra, fiat, fiat.

Antiphona. Esto mihi Dómine in Deum protectórem.

Antiphona. Liberásti virgam.

Psal-



Psalmus 72.

QUàm bonus Israël Deus : * his, qui recto sunt corde !

Mei autem penè moti sunt pedes : * penè effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum : * & firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideò ténuit eos supérbia, * opérti sunt iniquitáte & impietáte sua.

Prodiit quasi ex ádipe iníquitas eórum : * transiérunt in affectum cordis.

Cogitavérunt, & locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in cælum os suum : * & lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hic : * & dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt : Quómodò scit Deus, * & si est sciéntia in excélso ?

Ecce ipsi peccatóres, & abundántes in sæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa justificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas :

Et fui flagellátus tota die, * & castigátio mea in matutínis.

Si dicébam : Narrábo sic : * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc, * labor est ante me :

Donec intrem in sanctuárium Dei : * & intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis : * dejecísti eos dum allevaréntur.

Quómodò facti sunt in desolatiónem, súbitò defecérunt : * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, & renes mei commutáti sunt : * & ego ad nihilum redáctus sum, & nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te : * & ego semper tecum.

Tenuísti manum déxteram meam : & in voluntáte tua deduxísti me : * & cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cælo ? * & à te quid vólui super terram ?

Defécit caro mea, & cor meum : * Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

Quia

Quia ecce, qui elóngant se à te, peribunt: * perdidisti omnes, qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærêre Deo bonum est: * pónere in Dómino Deo spem meam:

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis filiæ Sion.

Psalmus 73.

UT quid Deus repulisti in finem: * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hereditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te: * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa: * & non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idipsum: * in secúri & áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni Sanctuárium tuum: * in terra pollüérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * quiescere faciámus omnes dies festos Dei à terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est Prophéta: * & nos non cognoscet ámplius.

Usquequò Deus improperábit inimícus: * irritat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, & dexteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula: * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmasti in virtúte tua mare: * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregisti cápita dracónis: * dedisti eum escam pópulis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes, & torrentes: * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox: * tu fabricátus es auróram & solem.

Tu fecisti omnes términos terræ: * æstátem & ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino: * & pópulus insipiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum: * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus, * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exurge Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum, qui te odérunt, ascendit semper.

Antiphona. Liberásti virgam hereditátis tuæ.

Antiphona. Et invocábimus.

Psalmus 74.

COnfitébimur tibi Deus: * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, & omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere: * & delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu:

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque à desértis móntibus: * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, & hunc exáltat: * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: verúmtamen fæx ejus non est exinanita: * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum: * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confringam: * & exaltabúntur córnua justi.

Psalmus 75.

NOtus in Judæa Deus: * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis: * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum: * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua Deus Jacob: * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecisti judícium: * terra trémuit & quiévit.

Cum exúrgeret in judícium Deus: * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quó-

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi : * & reliquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo vestro : * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terribili & ei qui aufert spíritum príncipum : * terríbili apud reges terræ.

Antiphona. Et invocábimus nomen tuum Dómine.

Antiphona. Tu es Deus.

Psalmus 76.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum : * & non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea, * memor ſui Dei, & delectátus sum, & exercitátus sum : & defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei : * turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos : * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, * & exercitábar, & scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus : * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet : * à generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi, Nunc cœpi : * hæc mutátio déxteræ Excélsi.

Memor ſui óperum Dómini : * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum.

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis : * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus in sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus, qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis virtútem tuam : * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob, & Joseph.

Vidérunt te aquæ Deus, vidérunt te aquæ : * & timuérunt, & turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitus aquárum : * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttæ tuæ tránseunt : * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ : * commóta est, & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis : * & vestígia tua non cognoscéntur.

Dedu-



Deduxísti sicut oves pópulum tuum : * in manu Móysi & Aaron.

Psalmus 77.

Atténdite pópule meus legem meam : * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum : * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea : * & patres nostri narravérunt nobis?

Non sunt occultáta à fíliis eórum, * in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob : * & legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis : * ut cognóscat generátio áltera.

Fílii qui nascéntur, & exúrgent : * & narrábunt fíliis suis :

Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscántur óperum Dei : * & mandáta ejus exquírant.

Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava & exásperans :

Generátio, quæ non diréxit cor suum : * & non est créditus cum Deo spíritus ejus.

Fílii Ephrem intendéntes & mitténtes arcum : * convérsi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei : * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus, quæ ostendit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, & perdúxit eos : * & státuit aquas quasi in utre.

Et dedúxit eos in nube diei : * & tota nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo : * & adaquávit eos velut in abysso multa.

Et edúxit aquam de petra : * & dedúxit tamquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt Excélsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas animábus suis.

Et male locúti sunt de Deo : * dixérunt : Numquid póterit Deus paráre mensam in desérto?

Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, * & torréntes inundavérunt.

Numquid & panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ideò

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Ideò audivit Dóminus, & distulit: * & ignis accénsus est in Jacob, & ira ascéndit in Israel:

Quia non crediderunt in Deo, * nec speravérunt in salutari ejus:

Et mandavit núbibus désuper, * & januas cæli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducandum, * & panem cæli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo: * cibária misit eis in abundántia.

Transtulit Austrum de cælo: * & indúxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes: * & sicut arenam maris volatilia pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum: * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt & saturáti sunt nimis, & desidérium eórum áttulit eis: * non sunt fraudáti a desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum * & ira Dei ascéndit super eos.

Et occidit pingues eórum, * & electos Israel impedivit.

In omnibus his peccavérunt adhuc: * & non credidérunt in mirabilibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum: * & anni eórum cum festinatióne.

Cum occideret eos, quærébant eum: * & revertebántur, & dilúculò veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum: * & Deus excélsus redémptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * & lingua sua mentiti sunt ei:

Cor autem eórum non erat rectum cum eo: * nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus:

Ipse autem est miséricors, & propitius fiet peccatis eórum: * & non dispérdet eos.

Et abundávit ut avérteret iram suam: * & non accéndit omnem iram suam:

Et recordátus est quia caro sunt: * spíritus vadens, & non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto, * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et convérsi sunt, & tentavérunt Deum: * & sanctum Israel exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manus ejus, * die qua redémit eos de manu tribulántis,

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * & prodigia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum: * & imbres eórum, ne biberent.





Misit in eos cœnomyiam, & comédit eos: * & ranam, & dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum: * & labóres eórum locústæ.

Et occidit in grándine víneas eórum: * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum: * & possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ: * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem: immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, non pepércit à morte animábus eórum: * & juménta eórum in morte conclúsit.

Et percússit omne primogénitum in terra Ægypti: * primitias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Et ábstulit sicut oves pópulum suum: * & perdúxit eos tamquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in spe, & non timuérunt: * & inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem, quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à facie eórum Gentes: * & sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israel.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excélsum: * & testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, & non servavérunt pactum: * quemádmodum patres eórum, convérsi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis: * & in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audivit Deus, & sprevit: * & ad nihilum redégit valdè Israel.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum: * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum: * & hereditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis: * & vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt: * & viduæ eórum non plorabántur.

Et excitátus est tamquam dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus à vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra: * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph: * & tribum Ephraim non elégit.

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terra, * quam fundávit in sæcula.

Et elégit David servum suum, & sustulit eum de grégibus ovium: * de post fœtántes accépit eum.

Páscere Jacob servum suum, * & Israel hereditátem suam:

Et pavit eos in innocéntia cordis sui: * & in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Antiphona. Tu es Deus, qui facis mirabília.

Antiphona. Propitius esto.

Psalmus 78.

DEus venérunt Gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cæli: * carnes sanctórum tuórum bestiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem: * & non erat qui sepeliret.

Facti sumus oppróbrium vicinis nostris: * subsannátio & illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequò Dómine irascéris in finem: * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in Gentes, quæ te non novérunt: * & in regna, quæ nómen tuum non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob: * & locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, citò antícipent nos misericórdiæ tuæ: * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutáris noster: & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos: * & propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum:

Ne forte dicant in Géntibus: Ubi est Deus eórum? * & innotéscat in Natiónibus coram óculis nostris.

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est: * introëat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui: * pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicinis nostris séptuplum in sinu eórum: * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi Dómine.

Nos autem pópulus tuus: & oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in sæculum:

In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Psal-



Psalmus 79.

QUi regis Israël, inténde: * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim,* manifestáre coram Ephraim, Benjamin, & Manasse.

Excita poténtiam tuam, & veni, * ut salvos fácias nos.

Deus convérte nos: * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúsque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum: * & potum dabis nobis in lácrymis in mensúra.

Posuísti nos in contradictiónem vicinis nostris: * & inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum convérte nos: * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Víneam de Ægypto transtulísti: * ejecísti Gentes, & plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus: * plantásti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus: * & arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare: * & usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus: * & vindémiant eam omnes, qui prætergrediúntur viam?

Exterminávit eam aper de silva: * & singuláris ferus depástus est eam.

Deus virtútum convértere: * réspice de cælo, & vide, & vísita víneam istam.

Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua: * & super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, & suffóssa * ab increpatióne vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, * & super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Et non discédimus à te: vivificábis nos: * & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum convérte nos: * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Antiphona. Propítius esto peccátis nostris Dómine.

Per Annum, ℣. Gaudébunt lábia mea, cùm cantávero tibi. ℟. Et ánima mea, quam redemísti.

Pro uno Martyre. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pro plúribus Martyribus. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Pro Confessóre Pontífice, & non Pontífice, ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Pro una Sancta, ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

AD LAUDES,

Antiphona. Tibi soli peccávi, Dómine miserére mei. Psalmus Miserére. 50.

Antiphona. Dómine.

Psalmus 89.

DOmine, refúgium factus es nobis: * a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fierent, aut formarêtur terra & orbis: * à sæculo & usque in sæculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem: * & dixísti: Convertímini fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna quæ prætériit.

Et custódia in nocte, * quæ pro nihilo habéntur, eórum anni erunt.

Manè sicut herba tránseat, manè flóreat, & tránseat: * véspere décidat, indúret, & aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo: * sæculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt: * & in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur: * dies annórum nostrórum in ipsis, septuaginta anni.

Si autem in potentátibus, octoginta anni: * & ámplius eórum, labor & dolor.

Quóniam supervênit mansuetúdo: * & corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ: * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Dexteram tuam sic notam fac: * & erudítos corde in sapiéntia.

Convértere Dómine úsquequò? * & deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus manè misericórdia tua: * & exultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti: * annis, quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, & in ópera tua: * & dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, & ópera mánuum nostrárum dírige super nos: * & opus mánuum nostrárum dírige.

An-



Antiphona. Dómine refúgium factus es nobis.

Antiphona. In matutínis meditábor in te. Psalmus Deus, Deus meus. 18.

Antiphona. Cantémus.

Cánticum Moysi.

*Exodi 15.*

CAntémus Dómino: gloriósè enim magnificátus est, * equum & ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, & glorificábo eum: * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, omnípotens nomen ejus. * Currus Pharaônis & exércitum ejus projécit in mare:

Elécti príncipes ejus submérsi sunt in mari rubro. * Abyssi operuérunt eos, descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua Dómine magnificáta est in fortitúdine: déxtera tua, Dómine, percússit inimícum. * Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos:

Misísti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam. * Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ:

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar & comprehéndam, * dívidam spólia, implébitur ánima mea:

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare: * submérsi sunt quasi plumbum in aquis vehementíbus.

Quis símilis tui in fórtibus Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, & devorávit eos terra: * dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti:

Et portásti eum in fortitúdine tua, * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, & iráti sunt: * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor: * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui:

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus Dómine, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hereditátis

 tuæ,

tuæ, * firmissimo habitáculo tuo quod operátus es Dómine:

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ: * Dóminus regnávit in ætérnum, & ultra.

Ingréssus est enim eques Pharao cum cúrribus & equitibus ejus in mare: * & redúxit super eos Dóminus aquas maris:

Filii autem Israël ambulavérunt per siccum: * in médio ejus.

Antiphona. Cantémus Dómino glorióse.

Antiphona. In sanctis ejus laudáte Deum. Psalm. Laudáte Dóminum de cælis. 20.

Capitulum. *Rom.* 13. *d*

NOx præcéssit, dies autem appropinquávit: abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis: sicut in die honéstè ambulémus.

Hymnus.

LUx ecce surgit áurea:
Pallens facéssat cæcitas,
Quæ nosmet in præceps diu
Erróre traxit dévio.
Hæc lux serénum cónferat,
Purósque nos præstet sibi:
Nihil loquámur súbdolum:
Volvámus obscúrum nihil.
Sic tota decúrrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus,
Oculíve peccent lúbrici,
Ne noxa corpus ínquinet.
Speculátor adstat désuper,
Qui nos diébus ómnibus,
Actúsque nostros próspicit
A luce prima in vésperum.
Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Filio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. In sanctitáte serviámus Dómino, & liberábit nos ab inimícis nostris.

Preces, quando dicéndæ sunt, habéntur supra in secunda Feria. 62.

## FERIA SEXTA.

### Ad Matutinum.

Invitatorium. Adorémus Dóminum, * Quóniam ipse fecit nos. Psalmus Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

TU Trinitátis únitas,
Orbem poténter quæ regis,
Atténde laudis cánticum,
Quod excubántes psállimus.
Nam léctulo consúrgimus
Noctis quiéto témpore,
Ut flagitémus ómnium
A te medélam vúlnerum.
Quo fraude quidquid dæmonum
In nóctibus delíquimus,
Abstérgat illud cælitus
Tuæ potéstas glóriæ.
Ne corpus adstet sórdidum,
Nec torpor instet córdium,
Nec



Nec críminis contágio
Tepéscat ardor spíritus.
Ob hoc Redémptor, quæsumus,
Reple tuo nos lúmine,
Per quod diérum círculis,
Nullis ruámus áctibus.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Antiphona. Exultáte.

Psalmus 80.

EXultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date tympanum: * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israël est: * & judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, & liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis: probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, & contestábor te: * Israël si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de Terra Ægypti: * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam: * & Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndùm desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me: * Israël si in viis meis ambulásset:

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem: * & super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei: * & erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti: * & de petra melle saturávit eos.

Psalmus 81.

DEus stetit in synagóga deórum: * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem: * & fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno, & pupíllo: * húmilem & páuperem justificáte.

Erípite páuperem: * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: *



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tuæ, * firmissimo habitáculo tuo quod operátus es Dómine:

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ: * Dóminus regnávit in ætérnum, & ultra.

Ingréssus est enim eques Pharao cum cúrribus & equitibus ejus in mare: * & redúxit super eos Dóminus aquas maris:

Filii autem Israël ambulavérunt per siccum: * in médio ejus.

Antiphona. Cantémus Dómino gloriósè.

Antiphona. In sanctis ejus laudáte Deum. Psalm. Laudáte Dóminum de cælis. 20.

Capitulum. *Rom.* 13. *d*

NOx præcéssit, dies autem appropinquávit: abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis: sicut in die honéstè ambulémus.

Hymnus.

LUx ecce surgit áurea:
Pallens facéssat cæcitas,
Quæ nosmet in præceps diu
Erróre traxit dévio.
Hæc lux serénum cónferat,
Purósque nos præstet sibi:
Nihil loquámur súbdolum:
Volvámus obscúrum nihil.
Sic tota decúrrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus,
Oculive peccent lúbrici,
Ne noxa corpus inquinet.
Speculátor adstat désuper,
Qui nos diébus ómnibus,
Actúsque nostros próspicit
A luce prima in vésperum.
Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. In sanctitáte serviámus Dómino, & liberábit nos ab inimícis nostris.

Preces, quando dicéndæ sunt, habentur supra in secunda Feria. 62.

# FERIA SEXTA.

## Ad Matutinum.

Invitatorium. Adorémus Dóminum, * Quóniam ipse fecit nos. Psalmus Venite, exultémus. 2.

Hymnus.

TU Trinitátis únitas,
Orbem poténter quæ regis,
Attende laudis cánticum,
Quod excubántes psállimus.
Nam léctulo consúrgimus
Noctis quieto témpore,
Ut flagitémus ómnium
A te medélam vúlnerum.
Quò fraude quidquid dæmonum
In nóctibus delíquimus,
Abstérgat illud cælitus
Tuæ potéstas glóriæ.
Ne corpus adstet sórdidum,
Nec torpor instet córdium,
Nec críminis contágio
Tepéscat ardor spíritus.
Ob hoc Redémptor, quæsumus,
Reple tuo nos lúmine,
Per quod diérum círculis,
Nullis ruámus áctibus.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.



Antiphona. Exultáte.

Psalmus 80.

EXultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date tympanum: * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insigni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israël est: * & judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, & liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis: probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, & contestábor te: * Israël si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de Terra Ægypti: * dilá-ta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam: * & Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndùm desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me: * Israël si in viis meis ambulásset:

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem: * & super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei: * & erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti: * & de petra melle saturávit eos.

Psalmus 81.

DEus stetit in synagóga deórum: * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem: * & fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno, & pupíllo: * húmilem & páuperem justificáte.

Erípite páuperem: * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ambulant: *



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii estis, * & filii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini: * & sicut unus de princípibus cadétis.

Surge Deus, júdica terram: * quóniam tu hereditábis in ómnibus Géntibus.

Antiphona. Exultáte Deo adjutóri nostro.

Antiphona. Tu solus.

Psalmus 82.

DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris Deus:

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt: * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium: * & cogitavérunt advérsus sanctos tuos.

Dixérunt: Venite, & disperdámus eos de gente: * & non memorétur nomen Israël ultra.

Quóniam cogitavérunt unánimiter: * simul advérsum te testaméntum disposuérunt, tabernácula Idumæórum & Ismahelítæ:

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec: * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis: * facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, & Sisaræ: * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor: * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb & Zeb, * & Zebee, & Sálmana:

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt: Hereditáte possideámus Sanctuárium Dei.

Deus meus pone illos ut rotam: * & sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit silvam: * & sicut flamma combúrens montes:

Ita persequéris illos in tempestáte tua: * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomínia: * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant, & conturbéntur in sæculum sæculi: * & confundántur, & péreant.

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus: * tu solus Altíssimus in omni terra.

Psalmus 83.

QUam dilécta tabernácula tua Dómine virtútum! * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.





Altária tua Dómine virtútum: * Rex meus, & Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus: * & réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei: * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam, & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Antiphona. Tu solus Altíssimus super omnem terram.

Antiphona. Benedixísti.

Psalmus 84.

BEnedixísti Dómine terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster: * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus tu convérsus vivificábis nos: * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam: * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * & justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * & terra nostra dabit fructum suum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Justitia ante eum ambulábit: * & ponet in via gressus suos.

### Psalmus 85.

INclina Dómine aurem tuam, & exaudi me: * quóniam inops & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te Dómine ánimam meam levávi.

Quóniam tu Dómine suávis & mitis: * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe Dómine oratiónem meam: * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis Dómine: * & non est secúndum ópera tua.

Omnes Gentes quascúmque fecísti, vénient, & adorábunt coram te Dómine: * & glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Deduc me Dómine in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo: * & glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia misericórdia tua magna est super me: * & eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam: * & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu Dómine Deus miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére mei, * da impérium tuum púero tuo: & salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur: * quóniam tu Dómine adjuvísti me, & consolátus es me.

Antiphona. Benedixísti Dómine terram tuam.

Antiph. Fundaménta ejus.

### Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Num-



Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea: * & ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, & príncipum: * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

### Psalmus 87.

DOmine Deus salútis meæ: * in die clamávi, & nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta est malis ánima mea: * & vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber,

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius: * & ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri: * in tenebrósis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * & omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longè fecísti notos meos à me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, & non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te Dómine tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, & confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua: * & justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te Dómine clamávi: * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid Dómine repéllis oratiónem meam: * avértis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ: * & terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti à me amícum, & próximum: * & notos meos à miséria.

Antiphona. Fundaménta ejus in móntibus sanctis.

Antiphona. Benedíctus.

### Psalmus 88.

MIsericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábo veri-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixisti: In ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis: * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, jurávi David servo meo: * usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatiónem, & generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine: * etenim veritátem tuam in Ecclesia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in filiis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum: * magnus & terríbilis super omnes, qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum quis símilis tibi? * potens es Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti: * Aquilónem, & mare tu creásti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt: * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua: * justítia & judícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam: * beátus pópulus, qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt tota die: * & in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es: * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra: * & sancti Israel Regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, & dixísti: * Pósui adjutórium in poténte, & exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei: * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, * & fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos ejus: * & odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, & misericórdia mea, cum ipso: * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.



Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu: * Deus meus, & suscéptor salútis meæ:

Et ego primogénitum ponam illum * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam: * & testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus: * & thronum ejus sicut dies cæli.

Si autem derelíquerint filii ejus legem meam: * & in judíciis meis non ambuláverint:

Si justítias meas profanáverint: * & mandáta mea non custodíerint,

Visitábo in virga iniquitátes eórum: * & in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo: * neque nocébo in veritáte mea:

Neque profanábo testaméntum meum: * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar: * semen ejus in ætérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, * & sicut luna perfécta in ætérnum: & testis in cælo fidélis.

Tu vero repulísti & despexísti: * distulísti Christum tuum:

Evertísti testaméntum servi tui: * profanásti in terra sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus: * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam: * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum: * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus: * & non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne: * & sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus: * perfudísti eum confusióne.

Usquequò Dómine avértis in finem: * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vane constituísti omnes filios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, & non vidébit mortem: * éruet ánimam suam de manu inferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ Dómine, * sicut ju-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jurásti David in veritáte tua?

Memor esto Dómine oppróbrii servórum tuorum: * (quod contínui in sinu meo) multárum géntium,

Quod exprobravérunt inimíci tui Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum: * fiat, fiat.

Psalmus 93.

DEus ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

Usquequò peccatóres Dómine: * úsquequò peccatóres gloriabúntur:

Effabúntur, & loquéntur iniquitátem: * loquéntur omnes, qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum Dómine humiliavérunt: * & hereditátem tuam vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt: * & pupíllos occidérunt,

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite insipiéntes in pópulo: * & stulti aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit Gentes, non árguet: * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris Dómine: * & de lege tua docúeris eum.

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam: * & hereditátem suam non derelínquet:

Quoadúsque justítia convertátur in judícium: * & qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me: * paulóminus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus: * misericórdia tua Dómine adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo: * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis: * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi: * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et



Et factus est mihi Dóminus in refúgium: * & Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum: & in malítia eórum dispérdet eos, * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Antiphona. Benedíctus Dóminus in ætérnum.

Antiphona. Cantáte.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia, & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium, afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, & exúltet terra, commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus: * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adó-

adórant sculptília : * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audivit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberávit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Antiphona. Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus.

Per Annum, ℣. Intret orátio mea in conspéctu tuo Dómine. ℟. Inclína aurem tuam ad precem meam.

Pro uno Martyre, ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Pro Confessóre Pontifice, ℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Pro Confessóre non Pontifice, ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Pro una Sancta, ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

## AD LAUDES,

Antiphona. Spíritu principáli confírma cor meum Deus.

Psalmus Miserére. 50.

Antiphona. In veritáte.

Psalmus 142.

Dómine exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua : * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sǽculi : * & anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi :

Ve-



Velóciter exáudi me Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me : * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam : * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum Dómine vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Antiphona. In veritáte tua exáudi me Dómine.

Antiphona. Illúmina Dómine vultum tuum super nos.

Psalmus Deus Deus meus. 18.

Antiphona. Dómine.

Canticum Habacuc.

Cap. 3.

Dómine audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine opus tuum : * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies : * cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet : * & sanctus de Monte Pharan :

Opéruit cælos glória ejus : * & laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit : * córnua in mánibus ejus :

Ibi abscóndita est fortitúdo ejus : * ante fáciem ejus ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus. * Stetit, & mensus est terram.

Aspéxit, & dissólvit Gentes : * & contríti sunt montes sǽculi.

Incurváti sunt colles mundi, * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ, * turbabúntur pelles terræ Madian.

Numquid in flumínibus irátus es Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndis super equos tuos : * & quadrígæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juraménta tríbubus quæ locútus es :

Flúvios scindes terræ : vidérunt te, & doluérunt montes : * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sol & luna steterunt in habitáculo suo: * in luce sagittárum tuárum, ibunt in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In fremitu conculcábis terram: * & in furóre obstupefácies Gentes.

Egressus es in salútem pópuli tui: * in salútem cum Christo tuo:

Percussísti caput de domo impii: * denudásti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus: * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audivi, & conturbátus est venter meus: * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scateat:

Ut requiéscam in die tribulatiónis, * ut ascéndam ad pópulum accinctum nostrum.

Ficus enim non florébit: * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olivæ: * & arva non afférent cibum.

Abscindétur de ovili pecus: * & non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo: * & exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea: * & ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Antiphona. Dómine audivi auditum tuum, & tímui.

Antiphona. In tympano & choro, in chordis & órgano laudáte Deum. Psalmus Laudáte Dóminum de cælis, 20.

Capitulum. *Rom. 13. d*

NOx præcéssit, dies autem appropinquávit: abjiciámus ergo ópera tenebrárum: & induámur arma lucis: sicut in die honestè ambulémus.

Hymnus.

ÆTérna cæli glória,
Beáta spes mortálium,
Summi Tonántis Unice,
Castæque proles Vírginis:

Da déxteram surgéntibus,
Exúrgat & mens sóbria,
Flagrans & in laudem Dei
Grates rependat débitas.

Ortus refúlget lúcifer,
Præitque solem núntius:
Cadunt tenebræ nóctium:
Lux sancta nos illúminet.

Manénsque nostris sénsibus,
Noctem repéllat sæculi,
Omníque fine témporis
Purgáta servet péctora.

Quæsíta jam primùm Fides
In corde radíces agat,
Secúnda Spes congáudeat,
Qua major extat Cháritas.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos Oriens ex alto.

Preces, quando dicendæ sunt, habentur supra in Feria secúnda. 62.

## SABBATO

### Ad Matutinum.

Invitatorium. Dóminum Deum nostrum, * Veníte adorémus. Psalmus Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

SUmmæ parens cleméntiæ,
Mundi regis qui máchinam,
Unius & substántiæ,
Trinúsque persónis Deus.

Nostros pius cum cánticis
Fletus benígnè súscipe;
Ut corde puro sórdium
Te perfruámur lárgiùs.

Lumbos, jecúrque mórbidum
Flammis adúre cóngruis;
Accincti ut artus éxcubent,
Luxu remóto péssimo.

Quicúmque ut horas nóctium
Nunc concinéndo rúmpimus,
Ditémur omnes áffatim
Donis beátæ pátriæ.

Præsta Pater píssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Antiphona. Quia mirabília.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini: * moveátur mare, & plenitúdo ejus: orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini: * quóniam venit judicáre terram.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sol & luna steterunt in habitáculo suo : * in luce sagittárum tuárum, ibunt in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In fremitu conculcábis terram : * & in furóre obstupefácies Gentes.

Egressus es in salútem pópuli tui : * in salútem cum Christo tuo :

Percussisti caput de domo impii : * denudasti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixisti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus : * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audivi, & conturbátus est venter meus : * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scateat :

Ut requiéscam in die tribulationis, * ut ascéndam ad pópulum accinctum nostrum.

Ficus enim non florébit : * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olivæ : * & arva non afferent cibum.

Abscindétur de ovili pecus : * & non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo : * & exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea : * & ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Antiphona. Dómine audivi audítum tuum, & tímui.

Antiphona. In tympano & choro, in chordis & órgano laudáte Deum. Psalmus Laudáte Dóminum de cælis. 20.

Capitulum. *Rom. 13. d*

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit : abjiciámus ergo ópera tenebrárum : & induámur arma lucis : sicut in die honéstè ambulémus.

Hymnus.

Ætérna cæli glória,
Beata spes mortálium,
Summi Tonántis Unice,
Castæque proles Vírginis :
Da déxteram surgéntibus,
Exúrgat & mens sóbria,
Flagrans & in laudem Dei
Grates rependat débitas.
Ortus refúlget lúcifer,
Præitque solem núntius :
Cadunt tenebræ nóctium :
Lux sancta nos illúminet.
Manénsque nostris sénsibus,
Noctem repéllat sǽculi,
Omníque fine témporis
Purgáta servet péctora.
Quæ-



Quæsíta jam primùm Fides
In corde radíces agat,
Secúnda Spes congáudeat,
Qua major extat Cháritas.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc, & per omne sǽculum. Amen.

℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos Oriens ex alto.

Preces, quando dicendæ sunt, habentur supra in Feria secúnda. 62.

## SABBATO
### Ad Matutinum.

Invitatorium. Dóminum Deum nostrum, * Venite adorémus. Psalmus Venite, exultémus. 2.

Hymnus.

Summæ parens cleméntiæ,
Mundi regis qui máchinam,
Unius & substántiæ,
Trinúsque persónis Deus.
Nostros pius cum cánticis
Fletus benígnè súscipe :
Ut corde puro sórdium
Te perfruámur lárgiùs.
Lumbos, jecúrque mórbidum
Flammis adúre cóngruis ;
Accincti ut artus éxcubent,
Luxu remóto péssimo.
Quicúmque ut horas nóctium
Nunc concinéndo rúmpimus,
Ditémur omnes áffatim
Donis beátæ pátriæ.
Præsta Pater píssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sǽculum. Amen.

Antiphona. Quia mirabília.

Psalmus 97.

Cantáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspectu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi : * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : * moveátur mare, & plenitúdo ejus : orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Ju-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Judicábit orbem terrárum in justitia, * & pópulos in æquitáte.

Psalmus 98.

Dominus regnávit, irascántur pópuli: * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus: * & excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno: quóniam terríbile, & sanctum est: * & honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte scabéllum pedum ejus: * quóniam sanctum est.

Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus: * & Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos: * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus: * & præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos: * Deus tu propítius fuísti eis, & ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus, * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Antiphona. Quia mirabília fecit Dóminus.

Sequens Antiphona & Psalmus Jubiláte, hic prætermíttitur, quando dícitur in Láudibus ut in Sábbatis, in quibus fit Officium de S. María, & ejus loco dícitur Antiphona, & Psalmus Bonum est confitéri Dómino.

Antiphona. Jubiláte.

Psalmus 99.

Jubiláte Deo omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus: * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: confitémini illi.

Laudáte nomen ejus quóniam suávis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus, * & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Vel Psalmus 91.

Bonum est confitéri Dómino: * & psállere nómini tuo Altíssime.

Ad annuntiándum manè misericórdiam tuam: * & veritátem tuam per noctem.

In



In decachórdo psaltério: * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me Dómine in factúra tua: * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta sunt ópera tua Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet: * & stultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres sicut fœnum: * & apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem:

Ut intéreant in sæculum sæculi: * tu autem Altíssimus in ætérnum Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt: * & dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum: * & senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos: * & in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit: * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi: * & benè patiéntes erunt, ut annúntient:

Quóniam rectus Dóminus Deus noster: * & non est iníquitas in eo.

Psalmus 100.

Misericórdiam & judícium: * cantábo tibi Dómine:

Psallam, & intélligam in via immaculáta: * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domus meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam: * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum: * declinántem à me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secrétò próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo, & insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Óculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meæ qui facit supérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ: * ut diſpérderem de civitáte

Dó-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dómini omnes operántes iniquitátem.

Antiphona. Jubiláte Deo omnis terra, vel Antiphona Bonum est confitéri Dómino.

Antiphona. Clamor meus.

Psalmus 101.

DOmine exáudi oratiónem meam: * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me: * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me:

Quia defecérunt sicut fumus dies mei: * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ùt fœnum, & áruit cor meum: * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei, * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant:

Quia cínerem tàmquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ: * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt: * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes: * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exúrgens miseréberis Sion: * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus: * & terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt Gentes nomen tuum Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificábit Dóminus Sion: * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium: * & non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera: * & pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum:

Quia prospéxit de excélso sancto suo: * Dóminus de cælo in terram aspéxit:

Ut audíret gémitus compeditórum: * ut sólveret fílios interemptórum:

Ut annúntient in Sion nomen Dómini: * & laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * & reges ut sérviant Dómino.

Res-



Respóndit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum, * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu Dómine terram fundásti. * & ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes, * & omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutâbis eos, & mutabúntur, * tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt: * & semen eòrum in sǽculum dirigétur.

Psalmus 102.

BEnedic ánima mea Dómino: * & ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino: * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus:

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis: * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam: * qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ùt áquilæ juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus: * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israël voluntátes suas.

Miserátor, & miséricors Dóminus: * longánimis, & multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis: * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndùm altitúdinem cæli à terra: * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte: * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quomodò miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se: * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsístet: * & non cognóscet ámpliùs locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * & usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus.

Et mémores sunt mandató-

rum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum ipsius, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam : * & regnum ipsius ómnibus dominabitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus : * poténtes virtúte, faciéntes verbum illius, ad audiéndam vocem sermonum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus : * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Antiphona. Clamor meus ad te véniat Deus.

Antiphona. Bénedic.

Psalmus 103.

Benedic ánima mea Dómino : * Dómine Deus meus magnificátus es veheménter.

Confessiónem & decórem induísti : * amíctus lúmine sicut vestiménto :

Exténdens cælum sicut pellem : * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis Angelos tuos, spíritus : * & minístros tuos, ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestiméntum amíctus ejus : * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient : * à voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes, & descéndunt campi : * in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri : * expectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cæli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra.

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : * & vinum lætíficet cor hóminis :

Ut exhiláret fáciem in óleo : * & panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, & cedri Líbani, quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : * montes excélsi cervis : petra refúgium herináciis.

Fe-



Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, & facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * & quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, & congregáti sunt : * & in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum, * & ad operatiónem suam usque ad vésperam.

Quam magnificáta sunt ópera tua Dómine! * ómnia in sapiéntia fecísti : impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, & spatiósum mánibus : * illic reptília, quorum non est númerus.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei : * ómnia à te expéctant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent : * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur : * áuferes spíritum eórum, & defícient, & in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, & creabúntur : * & renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in opéribus suis.

Qui réspicit terram, & facit eam trémere : * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, & iníqui ita ut non sint : * bénedic ánima mea Dómino.

Psalmus 104.

Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus : * annuntiáte inter Gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei : * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus : * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini : * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit : * prodígia ejus, & judícia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus : * filii Jacob elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster : * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in sæculum testaménti sui : * verbi quod mandávit in mille generatiónes :



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quod dispósuit ad Abraham: * & juraménti sui ad Isaac:

Et státuit illud Jacob in præcéptum: * & Israël in testaméntum ætérnum:

Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, * funículum hereditátis vestræ.

Cum essent número brevi, * paucíssimi & íncolæ ejus:

Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis: * & corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos: * & in prophétis meis nolíte malignári.

Et vocávit famem super terram: * & omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum: * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum: * misit rex, & solvit eum; princeps populórum, & dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domus suæ: * & príncipem omnis possessiónis suæ:

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum: * & senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israël in Ægyptum: * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter: * & firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus: * & dolum fácerent in servos ejus.

Misit Móysen servum suum: * Aaron, quem elégit ipsum.

Posuit in eis verba signórum suórum: * & prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, & obscurávit: * & non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem: * & occídit pisces eórum.

Edidit terram eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cœnomyia: * & cínifes in ómnibus fínibus eórum.

Posuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percússit víneas eórum, & ficúlneas eórum: * & contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, & venit locústa, & bruchus, * cujus non erat númerus:

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.





Et percússit omne primogénitum in terra eórum: * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro: * & non erat in tríbubus eórum infírmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum: * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit cotúrnix: * & pane cæli saturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ: * abiérunt in sicco flúmina:

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exultatióne: * & eléctos suos in lætítia.

Et dedit illis regiónes Géntium: * & labóres populórum possedérunt:

Ut custódiant justificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

Antiphona. Bénedic ánima mea Dómino.

Antiphona. Visita nos.

Psalmus 105.

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in sǽculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti, qui custódiunt judícium, * & fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui: * vísita nos in salutári tuo:

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia gentis tuæ: * ut laudéris cum hereditáte tua.

Peccávimus cum pátribus nostris: * injúste égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua: * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendéntes in mare, * mare Rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum: * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpuit mare Rubrum, & exsiccátum est: * & dedúxit eos in abyssis sicut in desérto.

Et salvávit eos de manu odiéntium: * & redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulántes eos: * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus: * & laudavérunt laudem ejus.

Cito fecérunt, oblíti sunt óperum ejus: * & non sustinuérunt consílium ejus.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto: * & tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiònem ipsòrum: * & misit saturitátem in ánimas eòrum.

Et irritavérunt Móysen in castris: * Aaron sanctum Dómini.

Apérta est terra, & deglutívit Dathan: * & opéruit super congregatiònem Abiron.

Et exársit ignis in synagóga eòrum: * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vitulum in Horeb: * & adoravérunt sculptíle.

Et mutavérunt glóriam suam: * in similitúdinem vituli comedéntis fœnum.

Obliti sunt Deum, qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham: terribília in mari Rubro.

Et dixit ut dispérderet eos: * si non Móyses eléctus ejus stetisset in confractiòne in conspéctu ejus.

Ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos: * & pro nihilo habuérunt terram desiderábilem.

Non credidérunt verbo ejus, & murmuravérunt in tabernáculis suis: * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos: * ut prostérneret eos in desérto:

Et ut dejiceret semen eòrum in natiónibus: * & dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor: * & comedérunt sacrifícia mortuòrum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis: * & multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, & placávit: * & cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam: * in generatiònem & generatiònem usque in sempitérnum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiònis: * & vexátus est Móyses propter eos: quia exacerbavérunt spíritum ejus.

Et distinxit in lábiis suis: * non disperdidérunt Gentes, quas dixit Dóminus illis.

Et commixti sunt inter Gentes, & didicérunt ópera eòrum: & serviérunt sculptílibus eòrum: * & factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt filios suos, * & filias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem: * sánguinem filiòrum suòrum & filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et inféfta est terra in sanguínibus: & contamináta est in opéribus eòrum: * & fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furòre Dóminus in pópulum suum: * & abominátus est hereditátem suam.

Et trádidit eos in manus Géntium: * & domináti sunt eòrum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eòrum, & humiliáti sunt sub mánibus eòrum: * sæpe liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consilio suo: * & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cùm tribularéntur: * & audivit oratiònem eòrum.

Et memor fuit testaménti sui: * & pœnituit eum secúndùm multitúdinem misericórdiæ suæ:

Et dedit eos in misericórdias * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac Dómine Deus noster: * & cóngrega nos de Natiónibus.

Ut confiteámur nómini sancto tuo: * & gloriémur in laude tua.

Benedictus Dóminus Deus Israel à sæculo, & usque in sæculum: * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

Psalmus 106.

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci, * & de regiónibus congregávit eos.

A solis ortu, & occásu: * ab aquilòne, & mari.

Erravérunt in solitúdine in inaquóso: * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esuriéntes, & sitiéntes: * ánima eòrum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur: * & de necessitátibus eòrum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam: * ut irent in civitátem habitatiònis.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: * & mirabília ejus filiis hóminum.

Quia satiávit ánimam inánem: * & ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Sedentes in ténebris, & umbra mortis: * vinctos in mendicitáte, & ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei: * & consilium Altissimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eòrum: * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur: * & de necessitátibus eòrum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, & umbra mortis: * & víncula eòrum disrúpit.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia contrívit portas æreas : * & vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum : * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abomináta est ánima eórum : * & appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur : * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, & sanávit eos : * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Et sacríficent sacrifícium laudis : * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus : * faciéntes operatiónem in aquis multis.

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit, & stetit spíritus procéllæ : * & exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascéndunt usque ad cælos, & descéndunt usque ad abyssos : * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, & moti sunt sicut ébrius : * & omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur : * & de necessitátibus eórum edúxit eos :

Et státuit procéllam ejus in auram : * & siluérunt fluctus ejus.

Et lætáti sunt quia siluérunt : * & dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Et exáltent eum in Ecclésia plebis : * & in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum : * & éxitus aquárum in sitim :

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desértum in stagna aquárum : * & terram sine aqua in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esuriéntes : * & constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, & plantavérunt víneas : * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti sunt nimis : * & juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt : * & vexáti sunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúsa est contémptio su-





per príncipes : * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia : * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur : * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, & custódiet hæc ? * & intélliget misericórdias Dómini.

Antiphona. Vísita nos Dómine in salutári tuo.

Antiphona. Confitébor Dómino.

Psalmus 107.

PArátum cor meum Deus, parátum cor meum : * cantábo, & psallam in glória mea.

Exúrge glória mea, exúrge psaltérium & cíthara : * exúrgam dilúculò.

Confitébor tibi in pópulis Dómine : * & psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cælos misericórdia tua : * & usque ad nubes véritas tua :

Exaltáre super cælos Deus, & super omnem terram glória tua : * ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac déxtera tua, & exáudi me : * Deus locútus est in sancto suo :

Exultábo, & dívidam Síchimam, * & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, & meus est Manásses : * & Ephraim suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum : * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumæam ?

Nonne tu Deus, qui repulísti nos, * & non exíbis Deus in virtútibus nostris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * & ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Psalmus 108.

DEus laudem meam ne tacúeris : * quia os peccatóris, & os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsum me lingua dolósa, & sermónibus ódii circumdedérunt me : * & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi : * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis : * & ódium pro dilectióne mea.

Constítue super eum peccatórem : * & diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus : * & orátio ejus fiat in peccátum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Fiant dies ejus pauci : * & Episcopátum ejus accipiat alter.

Fiant filii ejus órphani, * & uxor ejus vidua.

Nutantes transferántur filii ejus, & mendicent : * & ejiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutêtur fœnerátor omnem substántiam ejus : * & diripiant alieni labores ejus.

Non sit illi adjútor : * nec sit qui misereátur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum : * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iniquitas patrum ejus in conspéctu Dómini : * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper, & dispéreat de terra memória eórum : * pro eo quod non est recordátus facere misericórdiam.

Et persecûtus est hóminem inopem, & mendicum : * & compúnctum corde mortificare.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei : * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et induit maledictiónem sicut vestiméntum : * & intrávit sicut aqua in interiora ejus, & sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum, quo operitur : * & sicut zona, qua semper præcingitur.

Hoc opus eórum, qui detrahunt mihi apud Dóminum : * & qui loquúntur mala advérsus ánimam meam.

Et tu Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum : * quia suavis est misericórdia tua.

Libera me, quia egênus & pauper ego sum : * & cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra cùm declinat, ablátus sum : * & excússus sum sicut locústæ.

Genua mea infirmáta sunt à jejúnio : * & caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis : * vidérunt me, & movérunt cápita sua.

Adjuva me Dómine Deus meus : * salvum me fac secúndùm misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc : * & tu Dómine fecisti eam.

Maledicent illi, & tu benedices : * qui insurgunt in me, confundántur : servus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui detrahunt mihi, pudóre : * & operiántur sicut diplóide confusióne sua.

Confitébor Dómino nimis in ore meo : * & in médio multórum laudábo eum.





Quia ástitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

Antiphona. Confitébor Dómino nimis in ore meo.

Per Annum, ℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

In Advéntu, ℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet ut salvet pópulum suum.

Pro B. Maria, ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.
℟. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

## AD LAUDES,

Antiphona. Benigne fac in bona voluntáte tua Dómine.

Psalmus Miserére. 59.

Antiphona. Bonum est.

Psalmus 91.

BOnum est confitéri Dómino : * & psállere nómini tuo Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam : * & veritátem tuam per noctem.

In decachórdo psaltério : * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me Dómine in factúra tua : * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua Dómine ! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insipiens non cognóscet : * & stultus non intélliget hæc.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut fœnum : * & apparúerint omnes qui operántur iniquitátem :

Ut intéreant in sæculum sæculi : * tu autem Altíssimus in ætérnum Dómine.

Quóniam ecce inimici tui Dómine, quóniam ecce inimici tui peribunt : * & dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum : * & senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimicos meos : * & in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini : * in átriis Domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : * & bene patiéntes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dóminus Deus noster : * & non est iníquitas in eo.

Antiphona. Bonum est confitéri Dómino.

Antiphona. Métuant Dóminum omnes fines terræ.

Psalmus Deus Deus meus * ad te. 28.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Fiant dies ejus pauci : * & Episcopátum ejus accipiat alter.
Fiant filii ejus órphani, * & uxor ejus vidua.
Nutantes transferántur filii ejus, & mendicent : * & ejiciántur de habitatiónibus suis.
Scrutêtur fœnerâtor omnem substántiam ejus : * & diripiant aliéni labores ejus.
Non sit illi adjútor : * nec sit qui misereátur pupillis ejus.
Fiant nati ejus in intéritum : * in generatióne una deleátur nomen ejus.
In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dómini : * & peccátum matris ejus non deleátur.
Fiant contra Dóminum semper, & dispéreat de terra memória eórum : * pro eo quod non est recordâtus facere misericórdiam.
Et persecûtus est hóminem inopem, & mendicum : * & compúnctum corde mortificare.
Et diléxit maledictiónem, & véniet ei : * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.
Et induit maledictiónem sicut vestiméntum : * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut óleum in óssibus ejus.
Fiat ei sicut vestiméntum, quo operítur : * & sicut zona, qua semper præcíngitur.
Hoc opus eórum, qui detrahunt mihi apud Dóminum : * & qui loquúntur mala advérsus ánimam meam.
Et tu Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum : * quia suavis est misericórdia tua.
Libera me, quia egênus & pauper ego sum : * & cor meum conturbátum est intra me.
Sicut umbra cùm declinat, ablâtus sum : * & excússus sum sicut locústæ.
Genua mea infirmâta sunt à jejúnio : * & caro mea immutáta est propter óleum.
Et ego factus sum oppróbrium illis : * vidérunt me, & movérunt cápita sua.
Adjuva me Dómine Deus meus : * salvum me fac secúndùm misericórdiam tuam.
Et sciant quia manus tua hæc : * & tu Dómine fecisti eam.
Maledicent illi, & tu benedíces : * qui insúrgunt in me, confundántur : servus autem tuus lætábitur.
Induántur, qui detrahunt mihi, pudóre : * & operiántur sicut diplóide confusióne sua.
Confitébor Dómino nimis in ore meo : * & in médio multórum laudábo eum.





Quia ástitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.
Antiphona. Confitébor Dómino nimis in ore meo.
Per Annum, ℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
In Advéntu, ℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet ut salvet pópulum suum.
Pro B. Maria, ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.
℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

AD LAUDES,

Antiphona. Benigne fac in bona voluntáte tua Dómine.
Psalmus Miserére. 50.
Antiphona. Bonum est.

Psalmus 91.

BOnum est confitéri Dómino : * & psállere nómini tuo Altíssime.
Ad annuntiandum manè misericórdiam tuam : * & veritátem tuam per noctem.
In decachórdo psaltério : * cum cántico, in cíthara.
Quia delectásti me Dómine in factúra tua : * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.
Quam magnificáta sunt ópera tua Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.
Vir insípiens non cognóscet : * & stultus non intélliget hæc.
Cum exórti fúerint peccatóres sicut fœnum : * & apparúerint omnes qui operántur iniquitátem :
Ut intéreant in sæculum sæculi : * tu autem Altíssimus in ætérnum Dómine.
Quóniam ecce inimíci tui Dómine, quóniam ecce inimíci tui peribunt : * & dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.
Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum : * & senéctus mea in misericórdia úberi.
Et despéxit óculus meus inimícos meos : * & in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.
Justus ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.
Plantati in domo Dómini : * in átriis Domus Dei nostri florébunt.
Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : * & benè patiéntes erunt, ut annúntient :
Quóniam rectus Dóminus Deus noster : * & non est iníquitas in eo.
Antiphona. Bonum est confitéri Dómino.
Antiphona. Métuant Dóminum omnes fines terræ.
Psalmus Deus Deus meus * ad te. 62.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Antiphona. Date magnitúdinem.

Canticum Moysi.

*Deut.* 32.

**A**Udite cæli quæ loquor, * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrina mea, * fluat ut ros elóquium meum.

Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super grámina: * Quia nomen Dómini invocábo:

Date magnificéntiam Deo nostro: * Dei perfécta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia:

Deus fidélis, & absque ulla iniquitáte, justus & rectus: * Peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus:

Generátio prava atque pervérsa. * Hæccine reddis Dómino, pópule stulte & insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit, & creávit te?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas:

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi: * majóres tuos, & dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes: * quando separábat fílios Adam,

Constituit términos populórum * juxta númerum filiórum Israel.

Pars autem Dómini, pópulus ejus: * Jacob funiculus hereditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta * in loco horróris, & vastæ solitúdinis:

Circumdúxit eum, & dócuit: * & custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos: * & super eos vólitans.

Expándit alas suas, & assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit: * & non erat cum eo deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram: * ut comédere:t fructus agrórum.

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de saxo duríssimo.

Butyrum de arménto, & lac de óvibus * cum ádipe agnórum, & aríetum filiórum Basan:

Et hircos cum medúlla trítici, * & sánguinem uvæ biberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, & recalcitrávit: * incrassátus, impinguátus, dilatátus,

Dereliquit Deum factórem suum, * & recéssit à Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.





Immolavérunt dæmóniis & non Deo, * diis quos ignorábant:

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum, qui te génuit, dereliquísti, * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus est: * quia provocavérunt eum fílii sui & fíliæ.

Et ait: Abscóndam fáciem meam ab eis, * & considerábo novíssima eórum.

Generátio enim pervérsa est, * & infidéles filii.

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat deus, * & irritavérunt in vanitátibus suis:

Et ego provocábo eos in eo, qui non est pópulus: * & in gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * & ardébit usque ad inférni novíssima:

Devorabítque terram cum gérmine suo, * & móntium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala, * & sagíttas meas complébo in eis.

Consuméntur fame, * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, & intus pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum distuli: * ne forte superbírent hostes eórum.

Et dícerent: Manus nostra excélsa, & non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, & sine prudéntia. * Utinam sáperent, & intellígerent, ac novíssima providérent.

Quómodò persequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia?

Nonne ideò, quia Deus suus véndidit eos: * & Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum: * & inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de suburbánis Gomórrhæ:

Uva eórum uva fellis, * & botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * & signáta in thesáuris meis?

Mea est último, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum:



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Juxta est dies perditiónis, * & adesse festinant tempora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, & in servis suis miserébitur:

Vidébit quod infirmáta sit manus, * & clausi quoque defecérunt, residuíque consumpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum:

Surgant & opituléntur vobis, * & in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quod ego sim solus, * & non sit álius deus præter me:

Ego occídam, & ego vívere fáciam: percútiam, & ego sanábo, * & non est qui de manu mea possit érúere.

Levábo ad cælum manum meam, & dicam: * Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea.

Reddam ultiónem hóstibus meis, * & his qui odérunt me retríbuam.

Inebriábo sagittas meas sánguine: * & gládius meus devorábit carnes.

De cruóre occisórum, * & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte Gentes pópulum ejus: * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur.

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum, * & propítius erit terræ pópuli sui.

Antiphona. Date magnitúdinem Deo nostro.

Antiphona. In cymbalis benesonántibus laudáte Deum.

Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 20.

Capitulum. *Rom.* 13. *d*

NOx præcéssit, dies autem appropinquávit: abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis: sicut in die honéstè ambulémus.

Hymnus.

AUróra jam spargit polum,
Terris dies illábitur:
Lucis resúltat spéculum:
Discedat omne lúbricum.
Phantasma noctis éxulet:
Mentis reátus córruat:
Quidquid tenebris hórridum
Nox áttulit culpæ, cadat.
Ut manè, quod nos últimum
Hic deprecámur cérnui,
Cum luce nobis éfluat,
Hoc dum canóre concrepat.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

℣. Re-



℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. Illumináre Dómine his, qui in ténebris sedent: & dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël.

Preces, quando dicendæ sunt, habentur supra in Feria secunda. 62.

## DOMINICA

### Ad Vesperas.

Pater noster. Ave María.

℣. Deus in adjutórium. 18.

Antiphona. Dixit Dóminus.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * sede à dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Antiphona. Dixit Dóminus Dómino meo, sede à dextris meis.

Antiphona. Fidélia.

Psalmus 110.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde meo: * in consílio justórum, & congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus: * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hereditátem géntium: * ópera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

An-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Juxtà est dies perditiónis, * & adesse festinant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, & in servis suis miserébitur:

Vidébit quod infirmáta sit manus, * & clausi quoque defecérunt, residuíque consumpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum:

Surgant & opituléntur vobis, * & in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus, * & non sit álius deus præter me:

Ego occidam, & ego vívere fáciam: percútiam, & ego sanábo, * & non est qui de manu mea possit erúere.

Levabo ad cælum manum meam, & dicam: * Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea.

Reddam ultiónem hóstibus meis, * & his qui odérunt me retribuam.

Inebriábo sagittas meas sánguine: * & gládius meus devorábit carnes.

De cruóre occisórum, * & de captivitáte, nudáti inimicórum capitis.

Laudáte Gentes pópulum ejus: * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur.

Et vindíctam retribuet in hostes eórum, * & propítius erit terræ pópuli sui.

Antiphona. Date magnitúdinem Deo nostro.

Antiphona. In cymbalis benesonántibus laudáte Deum.

Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 20.

Capitulum. *Rom. 13. d*

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit: abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis: sicut in die honéstè ambulémus.

Hymnus.

Auróra jam spargit polum,
Terris dies illábitur:
Lucis resúltat spículum:
Discedat omne lúbricum.
Phantasma noctis éxulet:
Mentis reátus córruat:
Quidquid tenebris hórridum
Nox áttulit culpæ, cadat.
Ut manè, quod nos últimum
Hic deprecámur cérnui,
Cum luce nobis éfluat,
Hoc dum canóre concrepat.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc, & per omne sæculum. Amen.

℣. Re-



℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiphona. Illumináre Dómine his, qui in ténebris sedent: & dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël.

Preces, quando dicendæ sunt, habentur supra in Fêria secunda. 62.

## DOMINICA
### Ad Vésperas.

Pater noster. Ave María.

℣. Deus in adjutórium. 18.

Antiphona. Dixit Dóminus.

Psalmus 109.

Dixit Dóminus Dómino meo: * sede à dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Antiphona. Dixit Dóminus Dómino meo, sede à dextris meis.

Antiphona. Fidélia.

Psalmus 110.

Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: * in consílio justórum, & congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus: * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hereditátem géntium: * ópera manuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

An-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

Antiphona. Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculum sæculi.

Antiphona. In mandátis.

Psalmus 111.

BEátus vir, qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória, & divitiæ in domo ejus, * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors, & miserátor, & justus.

Jucúndus homo qui miserétur & cómmodat, dispónet sermónes suos in judício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus: * non commovébitur, donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, & irascétur, déntibus suis fremet, & tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Antiphona. In mandátis ejus cupit nimis.

Antiphona. Sit nomen Dómini.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * & super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cælo & in terra?

Súscitans à terra ínopem: * & de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Antiphona. Sit nomen Dómini benedíctum in sæcula.

Antiphona. Nos qui vívimus.

Psalmus 113.

IN éxitu Israël de Ægypto, * domus Jacob de pópulo bárbaro:

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israël potéstas ejus.

Mare vidit, & fugit: * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exultavérunt ut aríetes: * & colles sicut agni óvium.

Quid est tibi mare, quod fugísti: * & tu Jordánis, quia convérsus es retrórsum?

Montes exultástis sicut aríetes: * & colles sicut agni óvium.

A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis Dómine, non nobis: * sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua, & veritáte tua: * nequándo dicant Gentes: Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cælo: * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argéntum, & aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur: * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non áudient: * nares habent, & non odorábunt.

Manus habent, & non palpábunt: pedes habent, & non ambulábunt: * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea: * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dómino: * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino: * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino: * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri: * & benedíxit nobis:

Benedíxit dómui Israël: * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus, qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos: * super vos, & super fílios vestros.

Benedícti vos à Dómino: * qui fecit cælum, & terram.

Cælum cæli Dómino: * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te Dómine: * neque omnes qui descéndunt in inférnum:

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc & usque in sæculum.

Antiphona. Nos qui vívimus benedícimus Dómino.

Capitulum. 2. Cor. 1.

BEnedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, & Deus totius consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hym-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UANL
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Hymnus.

LUcis creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ
Mundi parans oríginem.
Qui mane junctum vésperi
Diem vocári prǽcipis:
Illábitur tetrum chaos,
Audi preces cum flétibus.
Ne mens graváta crímine
Vitæ sit exul múnere,
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis illigat.
Cæléste pulset óstium:
Vitále tollat prǽmium:
Vitémus omne nóxium:
Purgémus omne péssimum.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Prædíctus Hymnus cum suo ℣. dícitur à Domínica tértia post Pentecósten usque ad Advéntum, Capítulum verò prædíctum dícitur in eísdem Domínicis post Pentecósten. Dícitur étiam in feriáli Officio ab Octáva Pentecóstes usque ad Advéntum. Simíliter & Versículi; Antíphonæ autem cum Psalmis semper dicúntur ut supra, quando fit Officium de Domínica.

Cánticum B. Maríæ vírginis.

*Lucæ 1. e*

MAgníficat * ánima mea Dóminum:
Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.
Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.
Quia fecit mihi magna qui potens est: * & sanctum nomen ejus.
Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede,* & exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis: * & dívites dimísit inánes.
Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.
Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, & sémini ejus in sæcula.
Glória Patri, & Fílio.

Deinde dícitur Antíphona, & Orátio própria.

## FERIA SECUNDA

Ad Vésperas.

Antíphona. Inclinávit.

Psalmus 114.

DIléxi quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.
Quia inclinávit aurem suam mihi: * & in diébus meis invocábo.
Circumdedérunt me dolóres mortis: * & perícula inférni invenérunt me.
Tribulatiónem & dolórem invéni: * & nomen Dómini invocávi.
O Dómine libera ánimam meam: * miséricors Dóminus, & justus, & Deus noster miserétur.
Custódiens párvulos Dóminus: * humiliátus sum, & liberávit me.
Convértere ánima mea in réquiem tuam: * quia Dóminus benefécit tibi.
Quia erípuit ánimam meam de morte: * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.
Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Antíphona. Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

Antíphona. Crédidi.

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.
Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.
Quid retribuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?
Cálicem salutáris accípiam: * & nomen Dómini invocábo.
Vota mea Dómino red-



dam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.
O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, & fílius ancíllæ tuæ.
Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.
Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Antíphona. Crédidi, propter quod locútus sum.

Antíphona. Laudáte.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes Gentes: * laudáte eum omnes pópuli:
Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Antíphona. Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Antíphona. Clamávi.

Cánticum Graduum.

Psalmus 119.

AD Dóminum cum tribulárer clamávi: * & exaudívit me.
Dómine libera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.
Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est, habitávi cum habitántibus Cedar: * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Antíphona. Clamávi, & exaudívit me.

Antíphona. Unde véniet.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum: * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum, & éxitum tuum * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Antíphona. Undè véniet auxílium mihi.

Capitulum. 2. Cor. 1.

BEnedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, & Deus totius consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

IMménse Cæli Cónditor
Qui mixta ne confúnderent,
Aquæ fluénta dívidens,
Cælum dedísti límitem.

Firmans locum cæléstibus,
Simúlque terræ rívulis:
Ut unda flammas témperet,
Terræ solum ne díssipent.

Infúnde nunc, Piíssime,
Donum perénnis grátiæ:
Fráudis novæ ne cásibus
Nos error átterat vetus.

Lucem Fides adáugeat:
Sic lúminis jubar ferat:
Hæc vana cuncta próterat:
Hanc falsa nulla cómprimant.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Antíphona. Magníficat ánima mea Dóminum, quia respéxit Deus humilitátem meam.



In Fériis Quatuor Témporum post Antíphonam ad Magníficat dicúntur sequentes Preces flexis génibus, si dicendæ sint.

KYrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, totum dícitur clara voce. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ego dixi, Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent. ℣. Dómine salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, & lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris absentibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflíctis & captívis. ℟. Líbera eos Deus Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. ℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde dícitur Psalmus Miserére. 50. & in fine Glória Patri.

Finito Psalmo dícitur ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orátio, quando própria non assignátur, dícitur de Domínica præcedénti ut habétur in Próprio de Témpore.

Antíphonæ cum Psalmis semper dicúntur ad Vésperas in Offício feriáli, ut hic in Psaltério. Hymni vero ab Octáva Epiphaníæ usque ad Advéntum. Antíphonæ autem ad Magníficat eísdem tempóribus.

FE-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# FERIA TERTIA.

## Ad Vesperas.

Antiphona. In domum Dómini.

### Psalmus 121.

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri: * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te:

Fiat pax in virtúte tua: * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Antiphona. In domum Dómini lætántes íbimus.

Antiphona. Qui hábitas.

### Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ: * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri: * quia multùm repléti sumus despectióne:

Quia multùm repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

Antiphona. Qui hábitas in cælis, miserére nobis.

Antiphona. Adjutórium.

### Psalmus 123.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israël: * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíssent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra: * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cælum & terram.

An-



Antiphona. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

Antiphona. Bénefac.

### Psalmus 124.

QUi confídunt in Dómino sicut mons Sion: * non commovébitur in ætérnum: qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus: * & Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum: * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac Dómine bonis, * & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israël.

Antiphona. Bénefac Dómine bonis, & rectis corde.

Antiphona. Facti sumus.

### Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut consoláti:

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter Gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Antiphona. Facti sumus sicut consoláti.

### Capitulum. 2. Cor. 1.

BEnedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, & Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

### Hymnus.

TEllúris alme Cónditor,
Mundi solum qui séparans,
Pulsis aquæ moléstiis,
Terram dedísti immóbilem.

Ut germen aptum próferens,
Fulvis decóra flóribus,
Fœcúnda fructu sísteret,
Pastúmque gratum rédderet.

Mentis perústæ vúlnera
Munda viróre grátiæ;
Ut facta fletu díluat,
Motúsque pravos átterat.

Jussis tuis obtémperet:
Nullis malis appróximet:
Bonis repléri gáudeat,
Et mortis ictum nésciat.

Præs-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UANL ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Præsta Pater piíssime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Ad Magnificat, Antiphona. Exúltet spiritus meus in Deo salutari meo.

Preces, si dicendæ sint, habentur supra in Vesperis Feriæ secundæ. 139.

## FERIA QUARTA.

### Ad Vésperas.

Antiphona. Non confundétur.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem: * frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sederitis qui manducátis panem dolóris.

Cùm dederit dilectis suis somnum: * ecce heréditas Dómini, filii: merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu poténtis: * ita filii excussórum.

Beátus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cùm loquétur inimicis suis in porta.

Antiphona. Non confundétur cùm loquétur inimicis suis in porta.

Antiphona. Beáti.

Psalmus 127.

BEáti omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Filii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedicat tibi Dóminus ex Sion: * & videas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et videas filios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Antiphona. Beáti omnes, qui timent Dóminum.

Antiphona. Sæpè.

Psalmus 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Israël.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum: * confundántur & convertántur retrórsum omnes, qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum: * quod priúsquam evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum suam, qui metit: * & sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedictio Dómini super vos: * benediximus vobis in nómine Dómini.

Antiphona. Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea.

Antiphona. De profúndis.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: * Dómine quis sustinébit.

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam sustinui te Dómine.

Sustinuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Antiphona. De profúndis clamávi ad te Dómine.

Antiphona. Speret.

Psalmus 130.

DOmine non est exaltátum cor meum: * neque elati sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis: * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam: * sed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino, * ex hoc nunc & usque in sæculum.

Antiphona. Speret Israël in Dómino.

Capitulum. 2. Cor. 1.

BEnedictus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, & Deus totius consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

CÆli Deus sanctíssime,
Qui lúcidas mundi plagas,
Candóre pingis ígneo,
Augens decóro lúmine.
Quarto die qui flammeam
Dum solis accéndis rotam:

Lu-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lunæ ministras órdinem,
Vagósque cursus síderum.
Ut nóctibus, vel lúmini
Diremptiónis términum,
Primórdiis & ménsium
Signum dares notíssimum.
Expélle noctem córdium:
Abstérge sordes méntium:
Resólve culpæ vínculum:
Evérte moles críminum.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Antiphona. Respéxit Dóminus humilitátem meam, & fecit in me magna, qui potens est.

Preces quandò dicendæ sunt, habentur suprà in Vésperis Feriæ secundæ. 139.

## FERIA QUINTA
### Ad Vésperas.

Antiphona. Et omnis.

Psalmus 131.

MEménto Dómine David, * & omnis mansuetúdinis ejus:
Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:
Si introíero in tabernáculum domus meæ: * si ascéndero in lectum strati mei:
Si dédero somnum óculis meis: * & pálpebris meis dormitatiónem.
Et réquiem tempóribus meis: donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.
Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eam in campis silvæ.
Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.
Surge Dómine in réquiem tuam, * tu & arca sanctificatiónis tuæ.
Sacerdótes tui induántur justítiam: * & sancti tui exúltent.
Propter David servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.
Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eam: * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.
Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * & testimónia mea hæc, quæ docébo eos.
Et fílii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.
Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.
Hæc réquies mea in sæculum sæculi: * hic habitábo, quóniam elégi eam.
Víduam ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.
Sacerdótes ejus índuam salutári: * & sancti ejus exultatióne exultábunt.



Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.
Inimícos ejus índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Antiphona. Et omnis mansuetúdinis ejus.

Antiphona. Ecce.

Psalmus 132.

ECce quam bonum, & quam jucúndum, * habitáre fratres in unum:
Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aaron.
Quod descéndit in oram vestiménti ejus: * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.
Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * & vitam usque in sæculum.

Antiphona. Ecce quam bonum, & quam jucúndum habitáre fratres in unum.

Antiphona. Omnia.

Psalmus 134.

LAudáte nomen Dómini, * laudáte servi Dóminum.
Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.
Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus: * psállite nómini ejus, quóniam suave.
Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israël in possessiónem sibi.
Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * & Deus noster præ ómnibus diis.
Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit in cælo, & in terra, * in mari, & in ómnibus abyssis.
Edúcens nubes ab extrémo terræ: * fúlgura in plúviam fecit.
Qui prodúcit ventos de thesáuris suis: * qui percússit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus.
Et misit signa & prodígia in médio tui Ægypte: * in Pharaónem, & in omnes servos ejus.
Qui percússit gentes multas: * & occídit reges fortes.
Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Basan, * & ómnia regna Chánaan.
Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israel pópulo suo.
Dómine nomen tuum in ætérnum: * Dómine memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.
Quia judicábit Dóminus pópulum suum: * & in servis suis deprecábitur.
Simulácra Géntium argéntum & aurum, * ópera manuum hóminum.
Os habent, & non loquén-



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quéntur : * óculos habent, & non vidébunt.
Aures habent, & non áudient : * neque enim est spiritus in ore ipsórum.
Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * & omnes qui confídunt in eis.
Domus Israël benedícite Dómino : * domus Aaron benedícite Dómino.
Domus Levi benedícite Dómino : * qui timétis Dóminum benedícite Dómino.
Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.
Antiphona. Omnia quæcúmque vóluit Dóminus fecit.
Antiphona. Quóniam in ætérnum.

Psalmus 135.

Confitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Confitémini Deo deórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Qui facit mirabília magna solus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Qui fecit cælos in intelléctu : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Qui firmávit terram super aquas : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Qui fecit luminária magna : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Solem in potestátem diéi : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Lunam & stellas in potestátem noctis : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Qui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Qui edúxit Israël de médio eórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
In manu poténti, & bráchio excélso : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Qui divísit mare Rubrum in divisiónes, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Et edúxit Israel per médium ejus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Et excússit Pharaónem, & virtútem ejus in mari Rubro : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Qui tradúxit pópulum suum per desértum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Qui percússit reges magnos : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Et occídit reges fortes : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Sehon regem Amorrhæórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.





Et Og regem Basan : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Et dedit terram eórum hereditátem : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Hereditátem Israël servo suo : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Et redémit nos ab inimícis nostris : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Qui dat escam omni carni : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Confitémini Deo cæli : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Antiphona. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus.
Antiphona. Hymnum cantáte.

Psalmus 136.

Super flúmina Babylónis, illic sédimus & flévimus : * cùm recordarémur Sion :
In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra.
Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum :
Et qui abduxérunt nos : * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.
Quómodò cantábimus cánticum Dómini * in terra aliena ?
Si oblítus fúero tui Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.
Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tui :
Si non proposúero Jerúsalem, * in princípio lætítiæ meæ.
Memor esto Dómine filiórum Edom, * in die Jerúsalem :
Qui dicunt : Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in ea.
Fília Babylónis mísera : * beátus, qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.
Beátus, qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.
Antiphona. Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Capitulum. 2. Cor. 1.

Benedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, & Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

Magnæ Deus poténtiæ,
Qui fértili natos aqua
Partim relínquis gúrgiti,
Partim levas in áëra.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Demérsa lymphis imprimens,
Subvécta cælis érigens:
Ut stirpe ab una pródita,
Divérsa répleant loca.
Largíre cunctis sérvulis,
Quos mundat unda sánguinis,
Nescíre lapsus críminum,
Nec ferre mortis tædium.
Ut culpa nullum déprimat,
Nullum éfferat jactántia:
Elísa mens ne cóncidat,
Eláta mens ne córruat.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Antiphona. Fac Deus poténtiam in bráchio tuo: dispérde supérbos, & exálta húmiles.

## FERIA SEXTA
### Ad Vésperas.

Antiphona. In conspéctu.

Psalmus 137.

Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, & veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ: * quia audiérunt ómnia verba oris tui:

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus & humília réspicit: * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine misericórdia tua in sæculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

Antiphona. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus.

Antiphona. Dómine.

Psalmus 138.

Domine probásti me, & cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meam, & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meam, & funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti: * quia non est sermo in lingua mea.





Ecce Dómine tu cognovísti ómnia, novíssima, & antíqua: * tu formásti me, & posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quo ibo à spíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es: * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculò, * & habitávero in extrémis maris:

Etenim illuc manus tua dedúcet me: * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me: * & nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur à te, & nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecísti in occúlto: * & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, & in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui Deus: * nimis confortátus est principátus eórum:

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabúntur: * exurréxi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres: * viri sánguinum declináte à me:

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te Dómine, óderam: * & super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos: * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum: * intérroga me, & cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est: * & deduc me in via ætérna.

Antiphona. Dómine probásti me, & cognovísti me.

Antiphona. A viro iníquo.

Psalmus 139.

Eripe me Dómine ab hómine malo: * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * tota die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

serpéntis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me Dómine de manu peccatóris : * & ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt supérbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu : * exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine virtus salútis meæ : * obumbrásti super caput meum in die belli :

Ne tradas me Dómine à desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitus eórum : * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos : * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis : * & vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo : * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Antiphona. A viro iníquo líbera me Dómine.

Antiphona. Dómine.

Psalmus 140.

DOmine clamávi ad te, exáudi me : * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo : * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone Dómine custódiam ori meo : * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem : * & non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, & increpábit me : * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea in beneplácitis eórum : * absórpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt : * sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum : * quia ad te Dómine, Dómine óculi mei : in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me à láqueo, quem statuérunt mihi : * & à scandalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego donec tránseam.

Antiphona. Dómine clamávi ad te, exáudi me.

Antiphona. Pórtio mea.

Psalmus 141.

VOce mea ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Dóminum deprecátus sum :

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum : * & tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam : * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, & vidébam : * & non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me, * & non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te Dómine : * dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam : * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me : * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo : * me expéctant justi, donec retríbuas mihi.



Antiphona. Pórtio mea, Dómine, sit in terra vivéntium.

Capitulum. *2. Cor. 1.*

BEnedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, & Deus totius consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

HOminis supérne Cónditor,
Qui cuncta solus órdinans,
Humum jubes prodúcere
Reptántis & feræ genus :
Et magna rerum córpora,
Dictu jubéntis vívida,
Per témporum certas vices
Obtemperáre sérvulis :
Repelle, quod cupidínis
Ciénte vi nos ímpetit,
Aut móribus se súggerit,
Aut áctibus se intérserit.
Da gaudiórum prǽmia,
Da gratiárum múnera,
Dissólve litis víncula,
Adstringe pacis fœdera.
Præsta, Pater piíssime,
Patrique compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Antiphona. Depósuit poténtes, sanctos persequéntes ; & exaltávit húmiles Christum confiténtes.

Preces, quando dicéndæ sunt, habéntur suprà in Vésperis Fériæ secúndæ. 139.

# SABBATO

## Ad Vésperas.

Antiphona. Benedíctus.

### Psalmus 143.

BEnedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & refúgium meum: * suscéptor meus, & liberátor meus:

Protéctor meus, & in ipso sperávi: * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine quid est homo, quia innotuísti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est: * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine inclina cælos tuos, & descénde: * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, & dissipábis eos: * emítte sagíttas tuas, & conturbábis eos:

Emítte manum tuam de alto, éripe me, & líbera me de aquis multis: * de manu filiórum alienórum.

Quorum os locútum est vanitátem: * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus cánticum novum cantábo tibi: * in psaltério, decachórdo psallam tibi.

Qui das salútem régibus: * qui redemísti David servum tuum de gládio maligno: éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem: * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis:

Quorum fílii, sicut novéllæ plantatiónes * in juventúte sua.

Fíliæ eórum compósitæ: * circumornátæ ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fœtósæ, abundántes in egréssibus suis: * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus: * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum, cui hæc sunt: * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Antiphona. Benedíctus Dóminus Deus meus.

Antiphona. Per síngulos dies.

### Psalmus 144.

EXaltábo te Deus meus Rex: * & benedícam nómini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi: * & laudábo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus & laudábi-



bilis nimis: * & magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua: * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur: * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent: * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt: * & justítia tua exultábunt.

Miserátor & miséricors Dóminus: * pátiens, & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérsis: * & miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua: * & sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent: * & poténtiam tuam loquéntur.

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam: * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium sæculórum: * & dominátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis: * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt: * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant Dómine: * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam: * & imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis: * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum: * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet: * & deprecatiónem eórum exáudiet: & salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se: * & omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum: * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.

Antiphona. Per síngulos dies benedícam te Dómine.

Antiphona. Laudábo.

### Psalmus 145.

LAuda ánima mea Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus: * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die peribunt omnes cogitatiónes eórum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsius: * qui fecit cælum & terram, mare, & ómnia, quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus: * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum & víduam suscípiet: * & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula Deus tuus Sion, * in generatiónem & generatiónem.

Antiphona. Laudábo Deum meum in vita mea.

Antiphona. Deo nostro.

Psalmus 146.

Laudáte Dóminum quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit jucúnda decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus: * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde: * & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum: * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus: * & sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus: * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus: * & parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum: * & herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum: * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit: * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum: * & in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Antiphona. Deo nostro jucúnda sit laudátio.

Antiphona. Lauda.

Psalmus 147.

Lauda Jerúsalem Dóminum: * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.



Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frigoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob: * justítias & judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia sua non manifestávit eis.

Antiphona. Lauda Jerúsalem Dóminum.

Capitulum. *Rom.* 11. *d*

O Altitúdo divitiárum sapiéntiæ, & sciéntiæ Dei: quam incomprehensibília sunt judícia ejus, & investigábiles viæ ejus!

Hymnus.

Jam sol recédit ígneus:
Tu lux perénnis Unitas,
Nostris, beáta Trínitas,
Infúnde lumen córdibus.
Te mane laudum cármine,
Te deprecámur véspere:
Dignéris, ut Te súpplices
Laudémus inter Cælites.
Patri, simúlque Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Capitulum O altitúdo, dícitur in Vésperis Sabbati, ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, cum Hymno, & Versu sequenti. Antiphona ad Magnificat dicitur prout assignatur infra in Proprio de Tempore. Post Antiphonam dicitur Oratio própria.

Deinde fiunt sequentes Commemoratiónes communes, seu Suffragia Sanctórum, quæ dicuntur etiam ad Laudes.

## COMMEMORATIO

De Cruce in feriali tantùm Officio.

Ad Vesperas & Laudes, Antiphona. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos Deus noster. ℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus. Oratio.

Perpétua nos, quæsumus Dómine, pace custódi: quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

## COMMEMORATIONES

Communes, sive Suffragia Sanctórum.

De S. Maria, quandò non dicitur ejus Officium parvum. Ad Vesperas & Laudes, Antiphona.

Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
VERITATIS

ve flebiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. ℣. Ora pro nobis sancta Dei génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio.

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis sanitáte gaudére, & gloriósa beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia, & ætérna pérfrui lætítia.

De Apóstolis.

Ad Vésperas, Antiphona. Petrus Apóstolus, & Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam Dómine. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Ad Laudes, Antiphona. Gloriósi príncipes terræ, quómodò in vita sua dilexérunt se, ità & in morte non sunt separáti. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Orémus. Oratio.

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit: & coapóstolum ejus Paulum, tértiò naufragántem de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, & concéde, ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur.

De Patróno vel Titulári Ecclésiæ fiat Commemorátio consuéta ante vel post Commemoratiónes prædictas, pro dignitáte illius: & último loco de Pace.

Ad Vésperas, & Laudes, Antiphona. Da pacem Dómine in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus. Oratio.

Deus, à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium sublata formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.



fias. ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur secretò, Pater noster.

Sic terminátur Officium, ubi ália non sequátur Hora, ut dicitur in Rúbrica de Oratióne Domínica.

Dictæ Commemoratiónes seu Suffrágia dicúntur ab Octava Pentecóstes usque ad Advéntum, exceptis Duplícibus, & infra Octavas.

Quando dícitur Officium B. Maríæ, non fit ália Commemorátio de ea.

## AD COMPLETORIUM.

Lector íncipit ℣. Jube domne benedícere. Benedictio. Noctem quiétam, & finem perféctum concédat nobis Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Léctio brevis. *1. Pet. 5. c*

Fratres, Sóbrii estóte, & vigiláte: quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide. Tu autem Dómine miserére nobis. ℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

Pater noster, dicitur totum secretò.

Deinde fit Conféssio communis alternatim ut supra ad Primam.

Et facta Absolutióne dicitur ℣.

Convérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam à nobis. ℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri, & Fílio. Sicut erat in princípio.

Antiphona. Miserére.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * & exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quǽritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui: * multiplicáti sunt.

g8 In

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In pace in idipsum: * dórmiam & requiéscam;
Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum: * in justítia tua líbera me.
Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.
Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii; * ut salvum me fácias.
Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu: * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.
Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi: * quóniam tu es protéctor meus.
In manus tuas comméndo spíritum meum: * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.
Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, & refúgium meum: * Deus meus sperábo in eum.
Quóniam ipse liberábit me de láqueo venántium, * & à verbo áspero.
Scápulis suis obumbrábit tibi: * & sub pennis ejus sperábis.
Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis à timóre noctúrno.
A sagítta volánte in die, à negótio perambulánte in ténebris: * ab incúrsu, & dæmónio meridiáno.
Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.
Verúmtamen óculis tuis considerábis: * & retributiónem peccatórum vidébis.
Quóniam tu es Dómine spes mea: * altíssimum posuísti refúgium tuum.
Non accédet ad te malum: * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.
Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.
In mánibus portábunt te: * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.
Super áspidem & basilíscum ambulábis: * & conculcábis leónem & dracónem.
Quóniam in me sperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.
Clamábit ad me, & ego exáudiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne, erípiam eum, & glorificábo eum.
Longitúdine diérum replébo eum: * & osténdam illi salutáre meum.

Psal-



Psalmus 133.

ECce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini,
Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri,
In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * & benedícite Dóminum.
Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cælum & terram.

Antiphona. Miserére mihi Dómine, & exáudi oratiónem meam.

Hymnus.

TE lucis ante términum
Rerum Creátor póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul & custódia.
Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Capitulum. *Jerem. 14. b*

TU autem in nobis es Dómine, & nomen sanctum tuum invocátum est super nos, ne derelínquas nos Dómine Deus noster.
℟. Deo grátias.
℟. breve. In manus tuas Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus tuas.
℣. Redemísti nos Dómine Deus veritátis. Comméndo.
Glória Patri. In manus tuas.
℣. Custódi nos Dómine ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Antiphona. Salva nos.

Canticum Simeónis.

*Luce 2. e*

NUnc dimíttis servum tuum Dómine, * socúndum verbum tuum in pace:
Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,
Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum.
Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israel.
Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Salva nos Dómine vigilántes, custódi nos dormiéntes: ut vigilémus cum Christo, & requiescámus in pace.

Sequéntes Preces semper dicúntu, præterquam in Officio Dúplici, & infra Octavas: quæ in feriali Officio, & in Quatuor Tempóribus, quando dictæ sunt Preces in Vésperis, dicuntur flexis génibus.

KYrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.
Pater noster, secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. Credo in Deum.

se-

secretò ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam, Amen. ℣. Benedíctus es Dómine Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis & gloriósus in sæcula. ℣. Benedicámus Patrem & Fílium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus, & superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sæcula. ℣. Benedícat & custódiat nos omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen. ℣. Dignáre Dómine nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Orátio.

Visita, quǽsumus Dómine, habitatiónem istam, & omnes insídias inimíci ab ea longè repélle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant: & benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum nostrum Jesum Christum. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. Benedíctio. Benedícat & custódiat nos omnípotens & miséricors Dóminus, Pater, & Fílius, & Spíritus sanctus. ℟. Amen.

Et non dícitur Fidélium ánimæ, sed immediatè dícitur sequens Antíphona.

A primis Vésperis Festi SS. Trinitátis usque ad Nonam Sábbati ante Advéntum, Antíphona.

Salve Regína, mater misericórdiæ, vita, dulcédo, & spes nostra salve. Ad te clamámus éxules, filii Hevæ. Ad te suspirámus, geméntes, & flentes in hac lacrymárum valle. Eja ergo advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exílium osténde. O clemens, ó pia, ò dulcis virgo María.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orátio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis matris Maríæ corpus & ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte præparásti: da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus pia intercessióne ab instántibus malis, &

à



à morte perpétua liberémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen. ℣. Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

℟. Amen.

Deindè dícitur secretò Pater noster. Ave María, & Credo.

Sic dícitur Completórium hac tota parte Autumnali.

Si post Completórium immediatè sequátur Matutínum, tunc bis dícitur Pater noster, Ave María, & Credo, quia Completórium, quod est finis Officii, sic terminári debet; & ante Matutínum iterum repétitur pro princípio Officii sequentis diei.

Antíphona prædícta dícitur étiam in fine Laudum, quandò discedéndum est à Choro: sed si immediatè post Matutínum subsequátur Prima, vel ália Hora, dícitur in fine últimæ Horæ, ita ut dicátur semper, quando termináta áliqua Hora discedéndum est à Choro; & tunc post ℣. Fidélium ánimæ, & Pater noster, secretò, dícitur ℣. Dóminus det nobis suam pacem. ℟. Et vitam ætérnam. Amen.

Deindè prædícta Antíphona; & in fine Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Extra Chorum autem dícitur in fine Laudum, si tunc terminándum sit Offícium, alióquin in fine últimæ Horæ. Post álias verò Horas, quando terminátur Offícium, dícitur tantùm Pater noster, secretò

PRO-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS





# PROPRIUM
# DE TEMPORE.
## PARS AUTUMNALIS.

### SABBATO
Próximo Kaléndis Septémbris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cùm audisset Job nuntiórum verba, sustinuit patiénter, & ait: Si bona suscépimus de manu Dómini, mala autem quare non sustineámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum áliquid contra Deum locútus est.

### DOMINICA I.
Septémbris.

In primo Noctúrno.

Incipit liber Job.

Lectio j. Cap. 1.

VIr erat in terra Hus, nómine Job, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Natique sunt ei septem filii, & tres filiæ. Et fuit possessio ejus septem millia óvium, & tria millia camelórum, quingénta quoque juga boum, & quingéntæ ásinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientáles.

℟. Si bona suscépimus de manu Dei, mala autem quare non sustineámus? * Dóminus dedit, Dóminus ábstulit: sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedíctum. ℣. Nudus egréssus sum de útero matris meæ, & nudus revértar illuc. Dóminus.

Lectio ij.

ET ibant filii ejus, & faciébant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mitténtes vocábant tres soróres suas, ut coméderent & bíberent cum eis. Cùmque in orbem transissent dies convivii, mittébat ad eos Job, & sanctificábat illos, consurgénsque dilúculo offerébat holocausta pro singulis. Dicébat enim: Ne fortè peccáverint filii mei, & benedíxerint Deo in córdibus suis. Sic faciébat Job cunctis diébus.

℟. Antequam cómedam, suspiro, & tamquam inundántes aquæ, sic rugitus meus

quia

quia timor quem timébam, evénit mihi, & quod verébar, accidit: nonne dissimulávi? nonne silui? nonne quiévi? * Et venit super me indignátio. ℣. Ecce non est auxilium mihi in me, & necessárii quoque mei recessérunt à me. Et venit super me.

### Lectio iij.

QUadam autem die cùm venissent filii Dei ut assisterent coram Dómino, áffuit inter eos étiam satan. Cui dixit Dóminus: Undè venis? Qui respóndens, ait: Circuivi terram, & perambulávi eam. Dixitque Dóminus ad eum: Numquid considerásti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra: homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo? Cui respóndens satan, ait: Numquid Job frustra timet Deum? nonne tu vallásti eum, ac domum ejus, universámque substántiam per circúitum, opéribus manuum ejus benedixísti, & posséssio ejus crevit in terra? Sed exténde páululum manum tuam, & tange cuncta quæ póssidet, nisi in fáciem benedíxerit tibi.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba compónitis, & subvértere nitímini amícum vestrum? * Verúmtamen quæ cogitástis, expléte. ℣. Quod justum est judicáte: & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

### In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

### Lectio iv. *Lib. 2. Cap. 1.*

SCriptúra sacra mentis óculis quasi quoddam spéculum oppónitur, ut intérna nostra fácies in ipsa videátur. Ibi étenim fœda, ibi pulchra nostra cognóscimus: ibi sentímus quantum profícimus, ibi à profectu quàm longè distámus. Narrat autem gesta sanctórum, & ad imitatiónis corda próvocat infirmórum, dumque illórum victrícia facta comméroat, contra vitiórum prælia débilia nostra confírmat: fitque verbis illius, ut eò mens minus inter certámina trépidet, quò ante se pósitos tot virórum fórtium triúmphos videt.

℟. Indúta est caro mea putrédine, & sórdibus púlveris cutis mea áruit, & contracta est. * Meménto mei Dómine, quóniam ventus est vita mea. ℣. Dies mei velócius transiérunt, quàm à texénte tela succíditur, & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto.

### Lectio v.

NOnnúmquam verò non solùm nobis eórum virtútes ásserit, sed étiam casus innotéscit: ut & in victória fórtium, quod imitándo arrípere, & rursùm videámus in lápsibus quid debeámus timére. Ecce enim Job descríbitur tentatióne auctus, sed David tentatióne prostrátus: ut & majórum virtus spem nostram fóveat, & majórum casus ad cautélam nos humilitátis accíngat: quáténus dum illa gaudéntes súblevant, ista metuéntes premunt: & audiéntis ánimus illinc spei fidúcia, hinc humilitáte timóris erudítus, nec temeritáte supérbiat, quia formídine prémitur: nec pressus timóre despéret, quia ad spei fidúciam virtútis exémplo roborátur.

℟. Páucitas diérum meórum finiétur brevi, dimítte me Dómine, ut plangam páululùm dolórem meum, * Antequam vadam ad terram tenebrósam, & opértam mortis calígine. ℣. Manus tuæ Dómine fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu, & sic repéntè præcípitas me? Antequam vadam.

### Lectio vj.

*Lib 1. Moral. cap. 1.*

VIr erat in terra Hus, nómine Job. Idcircò sanctus vir ubi habitáverit, dícitur, ut ejus méritum virtútis exprimátur. Hus namque quis nésciat, quòd sit in terra Gentílium? Gentílitas autem eò obligáta vítiis éxtitit, quò cognitiónem sui conditóris ignorávit. Dicátur ítaque, ubi habitáverit: ut hoc ejus láudibus profíciat, quòd bonus inter malos fuit; neque enim valdè laudábile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravióris culpæ est, inter bonos bonum non esse, ità imménsi est præcónii, bonum étiam inter malos exstitísse.

℟. Non abscóndas me Dómine à fácie tua: manum tuam longè fac à me: * Et formído tua non me térreat. ℣. Córripe me Dómine in misericórdia, non in furóre tuo, ne fortè ad níhilum rédigas me. Et formído. Glória Patri. Et formído.

℟. vij. Quis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus Dómine, nisi tu, qui solus es Deus: * Et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei. ℣. Numquid sicut dies hóminis dies tui, ut quæras iniquitátem meam, cùm sit nemo, qui de ma-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

manu tua possit erúere ? Et constituas.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Infra Hebdómadam, Féria quarta, post secúndam & tértiam Lectiónem dicitur ij. & iij. Responsórium Fériæ secúndæ sequéntis

## FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 1. c*

CUm autem quadam die filii & filiæ ejus coméderent, & bíberent vinum in domo fratris sui primogéniti, núntius venit ad Job, qui díceret: Boves arábant, & ásinæ pascebántur juxta eos, & irruérunt Sabæi, tulerúntque ómnia, & púeros percussérunt gládio, & evási ego solus ut nuntiárem tibi. Cumque adhuc ille loquerétur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cécidit è cælo, & tactas oves puerósque consúmpsit, & effúgi ego solus ut nuntiárem tibi.

℟. Versa est in luctum cíthara mea, & órganum meum in vocem flentium: * Parce mihi Dómine: nihil enim sunt dies mei. ℣. Cutis mea denigráta est super me, & ossa mea aruérunt. Parce.

Lectio ij.

SEd & illo adhuc loquénte, venit álius, & dixit: Chaldæi fecérunt tres turmas, & invasérunt camélos, & tulérunt eos, nec non & púeros percussérunt gládio, & ego fugi solus ut nuntiárem tibi. Adhuc loquebátur ille, & ecce álius intrávit, & dixit: Filiis tuis & filiábus vescéntibus & bibéntibus vinum in domo fratris sui primogéniti, repénte ventus vehemens irruit à regióne desérti, & concússit quátuor ángulos domus, quæ córruens oppréssit líberos tuos, & mórtui sunt, & effúgi ego solus ut nuntiárem tibi.

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, * Et calámitas quam pátior, in statéra. ℣. Quasi aréna maris hæc grávior appareret, unde & verba mea dolóre sunt plena. Et.

Lectio iij.

TUnc surréxit Job, & scidit vestiménta sua, & tonso cápite córruens in terram, adorávit, & dixit: Nudus egressus sum de útero matris meæ, & nudus revértar illuc. Dóminus dedit, Dóminus ábstulit: sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedictum. In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum quid contra Deum locútus est.



℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba compónitis, & subvértere nitímini amícum vestrum? * Verúmtamen quæ cogitástis, explére. ℣. Quod justum est, judicáte: & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

Responsória hujus ij. Fériæ dicúntur étiam in secúnda Féria Hebdómadæ sequéntis.

## FERIA TERTIA.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 2.*

FActum est autem, cùm quadam die venissent filii Dei, & starent coram Dómino, venisset quoque satan inter eos, & staret in conspéctu ejus, ut díceret Dóminus ad satan: Unde venis? Qui respóndens, ait: Circuívi terram, & perambulávi eam. Et dixit Dóminus ad satan: Numquid considerásti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo, & adhuc rétinens innocéntiam? Tu autem commovísti me advérsus eum, ut affligerem eum frustrà. Cui respóndens satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro ánima sua: alióquin mitte manum tuam, & tange os ejus, & carnem, & tunc vidébis quòd in fáciem benedicat tibi.

℟. Indúta est caro mea putrédine, & sórdibus púlveris cutis mea aruit, & contrácta est: * Meménto mei Dómine, quóniam ventus est vita mea. ℣. Dies mei velóciùs transiérunt, quam à texénte tela succíditur, & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto mei.

Lectio ij.

DIxit ergo Dóminus ad satan: Ecce in manu tua est, verúmtamen ánimam illíus serva. Egréssus igitur satan à fácie Dómini, percússit Job úlcere péssimo, à planta pedis usque ad vérticem ejus: qui testa sániem radébat, sedens in sterquilínio. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu pérmanes in simplicitáte tua? bénedic Deo, & mórere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis muliéribus locúta es. Si bona suscépimus de manu Dei, mala quare non suscipiámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis.

℟. Páu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℟. Páucitas diérum meórum finiétur brevi: dimitte me Dómine, ut plangam paulúlum dolórem meum, * Antequam vadam ad terram tenebrósam, & opértam mortis calígine. ℣. Manus tuæ Dómine fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu, & sic repénte præcípitas me. Antequam.

Lectio iij.

IGitur audiéntes tres amici Job omne malum, quod accidísset ei, venérunt sínguli de loco suo, Elíphaz Themanítes, & Baldad Suhítes, & Sophar Naamathítes. Condíxerant enim, ut páriter veniéntes visitárent eum, & consolaréntur. Cumque elevássent procul óculos suos, non cognovérunt eum: & exclamántes ploravérunt, scissísque véstibus sparsérunt púlverem super caput suum in cælum. Et sedérunt cum eo in terra septem diébus & septem nóctibus, & nemo loquebátur ei verbum: vidébant enim dolórem esse vehementem.

℟. Non abscóndas me Dómine à fácie tua: manum tuam longè fac à me: * Et formído tua non me térreat. ℣. Córripe me Dómine in misericórdia, non in furóre tuo, ne forte ad níhilum rédigas me. Et formído. Glória Patri. Et formído.

# FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 3.*

POst hæc apéruit Job os suum, & maledíxit diéi suo, & locútus est: Péreat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Concéptus est homo. Dies ille vertátur in ténebras: non requírat eum Deus désuper, & non illustrétur lúmine. Obscúrent eum ténebræ, & umbra mortis: occupet eum calígo, & involvátur amaritúdine.

℟. Quis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus Dómine, nisi tu, qui solus es Deus? * Et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei. ℣. Numquid sicut dies hóminis dies tui, ut quæras iniquitátem meam, cum sit nemo, qui de manu tua possit erúere? Et constítuas mihi.

Lectio ij.

NOctem illam tenebrósus turbo possídeat: non computétur in diébus anni: nec numerétur in ménsibus. Sit nox illa solitária, nec laude digna: maledícant ei qui maledícunt diéi: qui paráti sunt suscitáre Leviathan. Obtenebréntur stellæ calígine ejus: expéctet lucem, & non vídeat, nec ortum surgéntis auróræ: quia non conclúsit óstia ventris qui portávit me, nec ábstulit mala ab óculis meis.

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, * Et calámitas quam pátior, in statéra. ℣. Quasi aréna maris hæc grávior apparéret, unde & verba mea dolóre sunt plena. Et calámitas.

Lectio iij.

QUare non in vulva mórtuus sum, egréssus ex útero non statim períi? Quare excéptus genibus? cur lactátus ubéribus? Nunc enim dórmiens silérem, & somno meo requiéscerem: cum régibus & consúlibus terræ, qui ædíficant sibi solitúdines, aut cum princípibus, qui póssident aurum, & replent domos suas argénto: aut sicut abortívum abscónditum non subsísterem, vel qui concépti non vidérunt lucem.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba compónitis, & subvértere nitímini amícum vestrum? * Verúmtamen quæ cogitástis, expléte. ℣. Quod justum est, judicáte; & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.





# FERIA QUINTA.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 4.*

REspóndens autem Elíphaz Themanítes dixit: Si cœpérimus loqui tibi, fórsitan moléstè accípies; sed concéptum sermónem tenére quis póterit? Ecce docuísti multos, & manus lassas roborásti: Vacillántes confirmavérunt sermónes tui, & genua treméntia confortásti: Nunc autem venit super te plaga, & defecísti: tetigit te, & conturbátus es. Ubi est timor tuus, fortitúdo tua, patiéntia tua, & perféctio viárum tuárum?

℟. Si bona suscépimus de manu Dei, mala autem quare non sustineámus? * Dóminus dedit, Dóminus ábstulit: sicut Dómino plácuit ita factum est: sit nomen Dómini benedíctum. ℣. Nudus egréssus sum de útero matris meæ, & nudus revértar illuc. Dóminus.

Lectio ij.

REcordáre, obsecro te, quis umquam innocens périit? aut quando recti deléti sunt? Quin pótius vidi eos, qui operántur iniquitátem, & séminant dolóres, & metunt eos, flante Deo, periísse, & spíritu iræ ejus esse consúmptos. Rugítus leónis, & vox leænæ, & dentes catulórum leónum contríti sunt.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Tigris périit, eò quòd non habéret prædam: & cátuli leónis dissipáti sunt.

℟. Antequam cómedam suspiro, & tamquam inundántes aquæ, sic rugitus meus; quia timor, quem timébam, evénit mihi: & quod verébar accidit: nonne dissimulávi? nonne sílui? nonne quiévi? * Et venit super me indignátio. ℣. Ecce non est auxílium mihi in me, & necessárii quoque mei recessérunt à me. Et.

Lectio iij.

POrrò ad me dictum est verbum abscónditum, & quasi furtivè suscépit auris mea venas susúrri ejus. In horróre visiónis noctúrnæ, quando solet sopor occupáre hómines, pavor ténuit me, & tremor, & ómnia ossa mea perterríta sunt: & cùm spíritus me præsénte transíret, inhorruérunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cujus non agnoscébam vultum, imágo coram óculis meis, & vocem quasi auræ lenis audívi. Numquid homo, Dei comparatióne justificábitur, aut factóre suo púrior erit vir? Ecce qui sérviunt ei, non sunt stábiles, & in ángelis suis réperit pravitátem.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba compónitis, & subvértere nítimini amícum vestrum? * Verúmtamen quæ cogitástis, expléte. ℣. Quod justum est, judicáte, & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

## FERIA SEXTA.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 6.*

REspóndens autem Job, dixit: Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, & calámitas, quam pátior, in statéra. Quasi aréna maris hæc grávior apparéret: unde & verba mea dolóre sunt plena: quia sagittæ Dómini in me sunt, quarum indignátio ébibit spíritum meum, & terróres Dómini militant contra me.

℟. Indúta est caro mea putrédine, & sórdibus púlveris cutis mea áruit, & contrácta est: * Meménto mei Dómine, quóniam ventus est vita mea. ℣. Dies mei velócius transiérunt, quam à texénte tela succíditur, & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto.

Lectio ij.

NUmquid rúgiet ónager cùm habúerit herbam? aut múgiet bos cùm ante præsépe plenum stéterit? aut póterit cómedi insúlsum, quod non est sale cónditum? Aut potest áliquis gustáre, quod gustátum affert mortem?



Quæ prius nolébat tángere ánima mea, nunc præ angústia cibi mei sunt.

℟. Paucitas diérum meórum finiétur brevi: dimítte me Dómine, ut plangam páululum dolórem meum, * Antequam vadam ad terram tenebrósam, & opértam mortis calígine. ℣. Manus tuæ Dómine fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu, & sic repénte præcípitas me? Antequam.

Lectio iij.

QUis det ut véniat petítio mea: & quod expécto, tríbuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse me cónterat: solvat manum suam, & succídat me? & hæc mihi sit consolátio ut affígens me dolóre, non parcat, nec contradícam sermónibus Sancti. Quæ est enim fortitúdo mea, ut sustíneam? aut quis finis meus, ut patiénter agam? Nec fortitúdo lápidum fortitúdo mea, nec caro mea ǽnea est. Ecce non est auxílium mihi in me, & necessárii quoque mei recessérunt à me.

℟. Non abscóndas me Dómine à fácie tua: manum tuam longe fac à me: * Et formído tua non me térreat. ℣. Córripe me Dómine in misericórdia, non in furóre tuo, ne forte ad níhilum rédigas me. Et formído. Glória Patri. Et formído.

## SABBATO.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 7.*

MIlítia est vita hóminis super terram: & sicut dies mercenárii, dies ejus. Sicut servus desíderat umbram, & sicut mercenárius præstolátur finem óperis sui: sic & ego hábui menses vácuos, & noctes laboriósas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam: Quando consúrgam? & rursùm expectábo vésperam, & replébor dolóribus usque ad ténebras.

℟. Quis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus Dómine, nisi tu, qui solus es Deus? * Et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei? ℣. Numquid sicut dies hóminis, dies tui, ut quæras iniquitátem meam, cùm sit nemo, qui de manu tua possit erúere? Et.

Lectio ij.

INdúta est caro mea putrédine, & sórdibus púlveris cutis mea áruit, & contrácta est. Dies mei velócius transiérunt, quam à texénte tela succíditur, & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto quia ventus est vita mea, & non revertétur óculus meus ut vídeat bona. Nec aspíciet me visus hó-

hominis: óculi tui in me, & non subsistam.

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, * Et calámitas quam pátior, in statéra. ℣. Quasi aréna maris hæc grávior apparéret, unde & verba mea dolóre sunt plena. Et calámitas.

Lectio iij.

SIcut consúmitur nubes, & pertránsit: sic qui descénderit ad ínferos, non ascéndet. Nec revertétur ultrà in domum suam, neque cognóscet eum ámplius locus ejus. Quaprópter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatióne spíritus mei: confabulábor cum amaritúdine ánimæ meæ. Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedísti me cárcere?

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba componítis, & subvértere nitímini amícum vestrum? * Verúmtamen quæ cogitástis, explête. ℣. Quod justum est, judicáte: & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

Ad Magníficat, Antiphona.

In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum áliquid contra Deum locútus est.

# DOMINICA II. Septembris.

## In primo Nocturno.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 9.*

ET respóndens Job, ait: Vere scio quod ita sit, & quòd non justificétur homo compósitus Deo. Si volúerit conténdere cum eo, non póterit ei respondére unum pro mille. Sápiens corde est, & fortis róbore: quis réstitit ei, & pacem hábuit? Qui transtulit montes, & nesciérunt hi quos subvértit in furóre suo.

℟. Si bona suscépimus de manu Dei, mala autem quare non sustineámus? * Dóminus dedit, Dóminus ábstulit: sicut Dómino plácuit, ità factum est: sit nomen Dómini benedíctum. ℣. Nudus egréssus sum de útero matris meæ, & nudus revértar illuc. Dóminus.

Lectio ij.

QUi cómmovet terram de loco suo, & colúmnæ ejus concutiúntur. Qui præcipit Soli, & non óritur: & stellas claudit quasi sub signáculo. Qui exténdit cælos solus, & gráditur super fluctus maris. Qui facit Arctúrum, & Oríona, & Hyadas, & interióra Austri. Qui facit magna, & incomprehensibília, & mirabília, quorum non est númerus.

℟. Antequam cómedam, suspíro, & tamquam inundántes aquæ, sic rugítus meus: quia timor quem timébam, evénit mihi: & quod verébar, accídit: nonne dissimulávi? nonne sílui? * Et venit super me indignátio. ℣. Ecce non est auxílium mihi in me, & necessárii quoque mei recessérunt à me. Et venit super.

Lectio iij.

SI vénerit ad me, non vidébo eum: si abíerit, non intélligam. Si repénte intérroget, quis respondébit ei? vel quis dícere potest: Cur ità facis? Deus, cujus iræ nemo resístere potest, & sub quo curvántur qui portant orbem. Quantùs ergo sum ego, ut respóndeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui étiam si habúero quíppiam justum, non respondébo, sed meum júdicem deprecábor. Et cùm invocántem exaudíerit me, non credo quòd audíerit vocem meam. In túrbine enim cónteret me, & multiplicábit vúlnera mea étiam sine causa.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba componítis: & subvértere nitímini amícum vestrum? * Verúmtamen quæ cogitástis, explête. ℣. Quod justum est, judicáte; & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

## In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Lib. 9. Cap. 2.*

VEre scio quod ità sit, & quod non justificábitur homo compósitus Deo. Homo quippè Deo non compósitus justítiam pércipit, compósitus amittit: quia quisquis se auctóri bonórum cómparat, bono se, quod accéperat, privat. Qui enim accepta bona sibi árrogat, suis contra Deum donis pugnat. Undè ergo despéctus erígitur, dignum est ut eréctus inde destruátur. Sanctus autem vir, quia omne virtútis nostræ méritum esse vítium cónspicit, si ab intérno arbitro districtè judicétur, rectè subjúngit: Si volúerit conténdere cum eo, non póterit respondére ei unum pro mille.

℟. Indúta est caro mea putrédine, & sórdibus púlveris cutis mea áruit, & contrácta est: * Meménto mei Dómine, quóniam ventus est vita mea. ℣. Dies mei velócius transiérunt, quàm à texénte tela succíditur, & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto mei.





ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio v.

IN Scriptúra sancta millenárius númerus pro universitáte solet intélligi. Hinc étenim Psalmista ait: Verbi, quod mandávit in mille generatiónes: cùm profectò constet, quòd ab ipso mundi exórdio usque ad Redemptòris advéntum per Evangelistam non ámpliùs quam septuaginta & septem propágines numeréntur. Quid ergo millenário número, nisi ad proferéndam novam sóbolem perfecta univérsitas præscitæ generatiónis exprimitur? Hinc & per Joánnem dícitur: Et regnábunt cum eo mille annis: quia vidélicet regnum sanctæ Ecclésiæ universitátis perfectióne solidátur.

℟. Páucitas diérum meórum finiétur brevi: dimitte me Dómine, ut plangam páululùm dolórem meum, * Antequam vadam ad terram tenebrósam, & opertam mortis calígine. ℣. Manus tuæ Dómine fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu, & sic repentè præcípitas me? Antequam vadam.

Lectio vj.

QUia vero monas décies multiplicáta in denárium dúcitur, denárius per semetipsum ductus in centenárium dilatátur; qui rursùs per denárium ductus, in millenárium ténditur: cùm ab uno incípimus, ut ad millenárium veniámus, quid hoc loco uníus appellatióne, nisi benè vivéndi inítium: quid millenárii númeri amplitúdine, nisi ejúsdem bonæ vitæ perféctio designátur? Cum Deo autem conténdere est, non ei tribúere, sed sibi glóriam suæ virtútis arrogáre. Sed sanctus vir conspíciat, quia & qui summa jam dona percépit, si de accéptis extóllitur, cuncta quæ accéperat, amíttit.

℟. Non abscóndas me Dómine à fácie tua: manum tuam longè fac a me: * Et formído tua non me térreat. ℣. Córripe me Dómine in misericórdia, non in furóre tuo, ne fortè ad nihilum rédigas me. Et formído. Glória Patri. Et formído.

℟. vij. Quis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus Dómine, nisi tu, qui solus es Deus? * Et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei. ℣. Numquid sicut dies hóminis dies tui, ut quæras iniquitátem meam: cùm sit nemo, qui de manu tua possit erúere? Et.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.



## FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 27.*

ADdidit quoque Job, assúmens parábolam suam, & dixit: Vivit Deus, qui ábstulit judícium meum, & Omnípotens, qui ad amaritúdinem addúxit ánimam meam. Quia donec súperest hálitus in me, & spíritus Dei in náribus meis, non loquéntur lábia mea iniquitátem, nec lingua mea meditábitur mendácium. Absit à me, ut justos vos esse júdicem: donec defíciam, non recédam ab innocéntia mea.

℟. Versa est in luctum cíthara mea, & órganum meum in vocem flentium: * Parce mihi Dómine: nihil enim sunt dies mei. ℣. Cutis mea denigráta est super me, & ossa mea aruérunt. Parce.

Lectio ij.

JUstificatiónem meam, quam cœpi tenére, non déseram: neque enim reprehéndit me cor meum in omni vita mea. Sit ùt ímpius inimícus meus: & adversárius meus, quasi iníquus. Quæ est enim spes hypócritæ, si avarè rápiat, & non líberet Deus ánimam ejus? Numquid Deus áudiet clamórem ejus, cùm vénerit super eum angústia? Aut póterit in omnipoténte delectári, & invocáre Deum omni témpore?

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, * Et calámitas quam pátior, in statéra. ℣. Quasi aréna maris hæc grávior apparéret, undè & verba mea dolóre sunt plena. Et.

Lectio iij.

DOcébo vos per manum Dei quæ Omnípotens hábeat, nec abscóndam. Ecce vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquímini? Hæc est pars hóminis ímpii apud Deum, & heréditas violentórum, quam ab Omnipoténte suscípient. Si multiplicáti fúerint fílii ejus, in gládio erunt, & nepótes ejus non saturabúntur pane. Qui relíqui fúerint ex eo, sepeliéntur in intéritu, & víduæ illíus non plorábunt.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba compónitis, & subvértere nitímini amícum vestrum? * Verúmtamen, quæ cogitástis, expléte. ℣. Quod justum est, judicáte: & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio v.

IN Scriptúra sancta millenárius númerus pro universitáte solet intélligi. Hinc étenim Psalmísta ait: Verbi, quod mandávit in mille generatiónes: cùm profectò constet, quòd ab ipso mundi exórdio usque ad Redemptóris advéntum per Evangelístam non ampliùs quam septuagínta & septem propágines numeréntur. Quid ergo millenário número, nisi ad proferéndam novam sóbolem perfécta universitas præscítæ generatiónis exprímitur? Hinc & per Joánnem dícitur: Et regnábunt cum eo mille annis: quia vidélicet regnum sanctæ Ecclésiæ universitátis perfectióne solidátur.

℟. Páucitas diérum meórum finiétur brevi: dimítte me Dómine, ut plangam paulúlum dolórem meum, * Antequam vadam ad terram tenebrósam, & opértam mortis calígine. ℣. Manus tuæ Dómine fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu, & sic repéntè præcípitas me? Antequam vadam.

Lectio vj.

QUia vero monas décies multiplicáta in denárium dúcitur, denárius per semetípsum ductus in centenárium dilatátur; qui rursùs per denárium ductus, in millenárium ténditur: cùm ab uno incípimus, ut ad millenárium veniámus, quid hoc loco uníus appellatióne, nisi benè vivéndi inítium: quid millenárii númeri amplitúdine, nisi ejúsdem bonæ vitæ perféctio designátur? Cum Deo autem conténdere est, non ei tribúere, sed sibi glóriam suæ virtútis arrogáre. Sed sanctus vir conspíciat, quia & qui summa jam dona percépit, si de accéptis extóllitur, cuncta quæ accéperat, amíttit.

℟. Non abscóndas me Dómine à fácie tua: manum tuam longè fac a me: * Et formído tua non me térreat. ℣. Córripe me Dómine in misericórdia, non in furóre tuo, ne fortè ad níhilum rédigas me. Et formído. Glória Patri. Et formído.

℟. vij. Quis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus Dómine, nisi tu, qui solus es Deus? * Et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei. ℣. Numquid sicut dies hóminis dies tui, ut quæras iniquitátem meam: cùm sit nemo, qui de manu tua possit erúere? Et.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.



## FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 27.

ADdidit quoque Job, assúmens parábolam suam, & dixit: Vivit Deus, qui ábstulit judícium meum, & Omnípotens, qui ad amaritúdinem addúxit ánimam meam. Quia donec súperest hálitus in me, & spíritus Dei in náribus meis, non loquéntur lábia mea iniquitátem, nec lingua mea meditábitur mendácium. Absit à me, ut justos vos esse júdicem: donec defíciam, non recédam ab innocéntia mea.

℟. Versa est in luctum cíthara mea, & órganum meum in vocem fléntium: * Parce mihi Dómine: nihil enim sunt dies mei. ℣. Cutis mea denigráta est super me, & ossa mea aruérunt. Parce.

Lectio ij.

JUstificatiónem meam, quam cœpi tenére, non déseram: neque enim reprehéndit me cor meum in omni vita mea. Sit ut ímpius inimícus meus: & adversárius meus, quasi iníquus. Quæ est enim spes hypócritæ, si aváre rápiat, & non líberet Deus ánimam ejus? Numquid Deus áudiet clamórem ejus, cùm vénerit super eum angústia? Aut póterit in omnipoténte delectári, & invocáre Deum omni témpore?

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, * Et calámitas quam pátior, in statéra. ℣. Quasi aréna maris hæc grávior apparéret, unde & verba mea dolóre sunt plena. Et.

Lectio iij.

DOcébo vos per manum Dei quæ Omnípotens hábeat, nec abscóndam. Ecce vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquímini? Hæc est pars hóminis ímpii apud Deum, & heréditas violentórum, quam ab Omnipoténte suscípient. Si multiplicáti fúerint fílii ejus, in gládio erunt, & nepótes ejus non saturabúntur pane. Qui relíqui fúerint ex eo, sepeliéntur in intéritu, & víduæ illíus non plorábunt.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba componítis, & subvértere nitímini amícum vestrum? * Verúmtamen, quæ cogitástis, explête. ℣. Quod justum est, judicáte: & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## FERIA TERTIA.

De libro Job.

Lectio i. *Cap. 28. b*

SApiéntia ubi invenítur? & quis est locus intelligéntiæ? Nescit homo prétium ejus, nec invenítur in terra suáviter vivéntium. Abyssus dicit: Non est in me: & mare lóquitur: Non est mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendétur argentum in commutatióne ejus. Non conferétur tinctis Indiæ colóribus, nec lápidi sardónycho pretiosíssimo, vel saphiro.

℟. Indúta est caro mea putrédine, & sórdibus púlveris cutis mea áruit, & contrácta est. * Meménto mei Dómine, quóniam ventus est vita mea. ℣. Dies mei velócius transiérunt, quam à texente tela succiditur, & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto

Lectio ij.

NOn adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabúntur pro ea vasa auri: Excelsa & eminéntia non memorabúntur comparatióne ejus: trahitur autem sapiéntia de occúltis. Non adæquabitur ei topázius de Æthiópia, nec tinctúræ mundíssimæ componétur. Unde ergo sapiéntia venit? & quis est locus intelligéntiæ? Abscóndita est ab óculis ómnium vivéntium, vólucres quoque cæli latet. Perdítio & mors dixérunt: Auribus nostris audívimus famam ejus.

℟. Páucitas diérum meórum finiétur brevi: dimitte me Dómine, ut plangam páululùm dolórem meum, * Antequam vadam ad terram tenebrósam, & opértam mortis calígine. ℣. Manus tuæ Dómine fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu, & sic repénte præcípitas me. Antequam.

Lectio iij.

DEus intélligit viam ejus, & ipse novit locum illius. Ipse enim fines mundi intuétur: & ómnia quæ sub cælo sunt, réspicit. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensúra. Quando ponébat plúviis legem, & viam procéllis sonántibus: tunc vidit illam, & enarrávit, & præparávit, & investigávit. Et dixit hómini: Ecce timor Dómini, ipsa est sapiéntia: & recédere à malo, intelligéntia.

℟. Non abscóndas me Dómine à fácie tua: manum tuam longè fac à me: * Et formído tua non me térreat. ℣. Córripe me Dómine in misericórdia, non in furóre tuo, ne fortè ad níhilum rédigas me. Et formído. Glória Patri. Et formído.

FE-



## FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 31.*

PEpigi fœdus cum óculis meis, ut ne cogitárem quidem de vírgine. Quam enim partem habéret in me Deus désuper, & hereditátem Omnípotens de excélsis? Numquid non perdítio est iníquo, & alienátio operántibus injustítiam? Nonne ipse consíderat vias meas, & cunctos gressus meos dinúmerat? Si ambulávi in vanitáte, & festinávit in dolo pes meus: appendat me in statéra justa, & sciat Deus simplicitátem meam.

℟. Quis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus Dómine, nisi tu qui solus es Deus? * Et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei. ℣. Numquid sicut dies hóminis, dies tui, ut quæras iniquitátem meam: cum sit nemo, qui de manu tua possit erúere? Et constítuas.

Lectio ij.

SI declinávit gressus meus de via, & si secútum est óculos meos cor meum, & si mánibus meis adhæsit mácula: seram, & álius cómedat: & progénies mea eradicétur. Si decéptum est cor meum super mulíere, & si ad óstium amíci mei insidiátus sum: scortum altérius sit uxor mea, & super illam incurvéntur álii. Hoc enim nefas est, & iníquitas máxima. Ignis est usque ad perditiónem dévorans, & ómnia eradícans genímina.

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui: * Et calámitas quam pátior, in statéra. ℣. Quasi aréna maris hæc grávior appáréret, undè & verba mea dolóre sunt plena. Et.

Lectio iij.

SI contémpsi subíre judícium cum servo meo, & ancílla mea, cùm disceptárent adversùm me. Quid enim fáciam cum surréxerit ad judicándum Deus? & cum quæsíerit, quid respondébo illi? Numquid non in útero fecit me qui & illum operátus est: & formávit me in vulva unus? Si negávi, quod volébant, paupéribus, & óculos víduæ expectáre feci. Si comédi bucéllam meam solus, & non comédit pupíllus ex ea: quia ab infántia mea crevit mecum miserátio, & de útero matris meæ egréssa est mecum.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba compónitis, & subvértere nitímini amícum vestrum? * Verúmtamen quæ cogitástis, explére. ℣. Quod justum est, judicáte, & non inveniétis in



lin-

lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

## FERIA QUINTA.

### De libro Job.

Léctio j. *Cap.* 38.

RESpóndens autem Dóminus Job de túrbine, dixit: Quis es iste involvens senténtias sermónibus imperítis? Accínge sicut vir lumbos tuos: interrogábo te, & respónde mihi. Ubi eras quando ponébam fundaménta terræ? indica mihi si habes intelligéntiam. Quis pósuit mensúras ejus, si nosti? vel quis teténdit super eam líneam? Super quo bases illius solidátæ sunt? aut quis demísit lápidem anguláirem ejus, cum me laudárent simul astra matutína, & jubilárent omnes fílii Dei? ℟. Si bona suscépimus de manu Dei, mala autem quare non sustineámus? * Dóminus dedit, Dóminus ábstulit: sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedíctum. ℣. Nudus egréssus sum de útero matris meæ, & nudus revértar illuc. Dóminus.

Léctio ij.

QUis conclúsit óstiis mare, quando erumpébat quasi de vulva procédens? Cum pónerem nubem vestiméntum ejus, & calígine illud quasi pannis infántiæ obvólverem? Circúmdedi illud términis meis, & pósui vectem, & óstia; & dixi: Usque huc vénies, & non procédes ámplius, & hic confrínges tuméntes fluctus tuos. Numquid post ortum tuum præcepísti dilúculo, & ostendísti auróræ locum suum? & tenuísti concútiens extréma terræ, & excussísti ímpios ex ea? ℟. Antequam cómedam suspíro, & tamquam inundántes aquæ, sic rugítus meus: quia timor quem timébam, evénit mihi, & quod verébar, áccidit: nonne dissimulávi? nonne silui? nonne quiévi? * Et venit super me indignátio. ℣. Ecce non est auxílium mihi in me, & necessárii quoque mei recessérunt a me. Et.

Léctio iij.

REstituétur ut lutum signáculum, & stabit sicut vestiméntum: Auferétur ab ímpiis lux sua, & bráchium excélsum confringétur. Numquid ingréssus es profúnda maris, & in novíssimis abyssi deambulásti? Numquid apértæ sunt tibi portæ mortis, & óstia tenebrósa vidísti? Numquid considerásti latitúdinem terræ? índica mihi, si nosti ómnia, in qua via lux hábitet, & tenebrárum quis locus sit: ut ducas unumquódque ad términos suos, & intélligas sémitas domus ejus. ℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba compónitis, & subvértere nítimini amícum vestrum? * Verúmtamen quæ cogitástis, expléte. ℣. Quod justum est, judicáte, & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

## FERIA SEXTA.

### De libro Job.

Léctio j. *Cap.* 40.

REspóndens autem Dóminus Job de túrbine, dixit: Accínge sicut vir lumbos tuos, interrogábo te, & índica mihi. Numquid írritum fácies judícium meum, & condemnábis me, ut tu justificéris? Et si habes bráchium sicut Deus, & si voce símili tonas? Circúmda tibi decórem, & in sublíme érigere, & esto gloriósus, & speciósis indúere véstibus. ℟. Indúta est caro mea putrédine, & sórdibus púlveris cutis mea áruit, & contrácta est. * Meménto mei Dómine, quóniam ventus est vita mea. ℣. Dies mei velócius transiérunt, quam a texénte tela succíditur, & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto.

Léctio ij.

DIspérge supérbos in furóre tuo, & respíciens omnem arrogántem humília. Réspice cunctos supérbos, & confúnde eos, & cóntere ímpios in loco suo. Abscónde eos in púlvere simul, & fácies eórum demérge in fóveam: & ego confitébor quod salváre te possit déxtera tua. Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos cómedet: & fortitúdo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilíco ventris ejus. ℟. Paucitas diérum meórum finiétur brevi, dimítte me Dómine, ut plangam páululum dolórem meum, * Antequam vadam ad terram tenebrósam, & opértam mortis calígine. ℣. Manus tuæ Dómine fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu, & sic repénte præcípitas me? Antequam.

Léctio iij. *Cap.* 42.

REspóndens autem Job Dómino, dixit: Scio quia ómnia potes, & nulla te latet cogitátio. Quis est iste, qui celat consílium absque sciéntia? Ideo insipiénter locútus sum, & quæ ultra modum excéderent sciéntiam meam. Audi, & ego loquar: interrogábo te, & respónde mihi. Audítu auris audívi te, nunc autem óculus meus videt te. Idcírcò

co ipse me reprehéndo, & ago pœniténtiam in favilla & cinere.

℟. Non abscóndas me Dómine à facie tua: manum tuam longè fac à me: ✱ Et formído tua non me térreat.

℣. Córripe me Dómine in misericórdia, non in furóre tuo, ne forte ad nihilum rédigas me. Et formído.

Glória Patri. Et formído.

## SABBATO.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 42. b*

POstquam autem locútus est Dóminus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanítem: Irátus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quóniam non estis locúti coram me rectum, sicut servus meus Job. Súmite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offérte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orábit pro vobis: fáciem ejus suscípiam ut non vobis imputétur stultitia: neque enim locúti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

℟. Quis mihi tribuat, ut in inferno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus Dómine? nisi tu qui solus es Deus? ✱ Et constituas mihi tempus, in quo recordéris mei. ℣. Numquid sicut dies hóminis, dies tui: ut quæras iniquitátem meam, cùm sit nemo, qui de manu tua possit erúere? Et constituas.

Lectio ij.

ABiérunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecérunt sicut locútus fúerat Dóminus ad eos, & suscépit Dóminus fáciem Job. Dóminus quoque convérsus est ad pœniténtiam Job, cùm oráret ille pro amícis suis. Et áddidit Dóminus ómnia quæcúmque fúerant Job, dúplicia. Venérunt autem ad eum omnes fratres sui, & univérsæ soróres suæ, & cuncti qui nóverant eum prius, & comedérunt cum eo panem in domo ejus: & movérunt super eum caput, & consoláti sunt eum super omni malo quod intúlerat Dóminus super eum: & dedérunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem áuream unam.

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, ✱ Et calámitas quam pátior in statéra. ℣. Quasi aréna maris hæc grávior apparéret, undè & verba mea dolóre sunt plena. Et.

Lectio iij.

DOminus autem benedixit novíssimis Job magis quàm princípio ejus. Et facta sunt ei quatuórdecim míllia óvium, & sex míllia camelórum, & mille juga boum, & mille ásinæ. Et fuérunt ei septem fílii, & tres fíliæ. Et vocávit nomen unius Diem, & nomen secúndæ Cássiam, & nomen tértiæ Cornustibii. Non sunt autem invéntæ mulíeres speciósæ sicut fíliæ Job in univérsa terra: deditque eis pater suus hereditátem inter fratres eárum. Vixit autem Job post hæc centum quadraginta annis, & vidit fílios suos, & fílios filiórum suórum, usque ad quartam generatiónem, & mórtuus est senex & plenus diérum.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis, ad increpándum verba compónitis, & subvértere nitímini amícum vestrum? ✱ Verúmtamen quæ cogitástis, expléte. ℣. Quod justum est, judicáte: & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen.

Glória Patri. Verúmtamen.

## SABBATO.

Ante Domínicam tértiam Septembris.

Ad Magníficat, Antiphona.

Ne reminiscáris Dómine delícta mea, vel paréntum meórum: neque vindíctam sumas de peccátis meis.



## DOMINICA III.

Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Tobiæ.

Lectio j. *Cap. 1.*

TObias ex tribu & civitáte Nephthali (quæ est in superióribus Galilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad Occidéntem, in sinistro habens civitátem Sephet) cùm captívus esset in diébus Salmanasar regis Assyriórum, in captivitáte tamen pósitus, viam veritátis non deséruit: ita ut ómnia, quæ habére póterat, quotídie concaptívis frátribus, qui erant ex ejus génere, impartíret. Cùmque esset júnior ómnibus in tribu Nepthali, nihil tamen puérile gessit in ópere.

℟. Peto Dómine, ut de vínculo impropérii hujus absólvas me, aut certè désuper terram erípias me: ✱ Ne reminiscáris delícta mea vel paréntum meórum, neque vindíctam sumas de peccátis meis: quia éruis sustinéntes te Dómine. ℣. Omnia enim judícia tua justa sunt, & omnes viæ tuæ misericórdia & véritas: & nunc Dómine meménto mei. Ne reminiscáris.

Lectio ij.

DEnique cùm irent omnes ad vítulos áureos, quos Jeróboam fécerat rex Is-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cò ipſe me reprehéndo, & ago pœniténtiam in favilla & cinere.

℟. Non abſcóndas me Dómine à facie tua: manum tuam longè fac à me: * Et formído tua non me térreat.

℣. Córripe me Dómine in miſericórdia, non in furóre tuo, ne forte ad nihilum rédigas me. Et formído.

Glória Patri. Et formído.

## SABBATO.

De libro Job.

Lectio j. *Cap. 42. b*

Poſtquam autem locútus eſt Dóminus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themaniten: Irátus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quóniam non eſtis locúti coram me rectum, ſicut ſervus meus Job. Súmite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſervum meum Job, & offérte holocauſtum pro vobis: Job autem ſervus meus orábit pro vobis: fáciem ejus ſuſcipiam ut non vobis imputétur ſtultitia: neque enim locúti eſtis ad me recta, ſicut ſervus meus Job.

℟. Quis mihi tribuat, ut in inferno prótegas me, & abſcóndas me, donec pertránſeat furor tuus Dómine? niſi tu qui ſolus es Deus? * Et conſtituas mihi tempus, in quo recordéris mei. ℣. Numquid ſicut dies hóminis, dies tui: ut quæras iniquitátem meam, cum ſit nemo, qui de manu tua poſſit erúere? Et conſtituas.

Lectio ij.

Abiérunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecérunt ſicut locútus fúerat Dóminus ad eos, & ſuſcépit Dóminus fáciem Job. Dóminus quoque convérſus eſt ad pœniténtiam Job, cùm oráret ille pro amícis ſuis. Et áddidit Dóminus ómnia quæcúmque fúerant Job, duplícia. Venérunt autem ad eum omnes fratres ſui, & univérſæ ſoróres ſuæ, & cuncti qui nóverant eum priùs, & comedérunt cum eo panem in domo ejus: & movérunt ſuper eum caput, & conſoláti ſunt eum ſuper omni malo quod intúlerat Dóminus ſuper eum: & dedérunt ei unuſquiſque ovem unam, & ináurem áuream unam.

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, * Et calámitas quam pátior in statéra. ℣. Quaſi aréna maris hæc grávior apparéret, unde & verba mea dolóre ſunt plena. Et.

Lectio iij.

Dóminus autem benedíxit noviſſimis Job magis quàm princípio ejus. Et facta ſunt ei quatuórdecim



millia óvium, & ſex millia camelórum, & mille juga boum, & mille áſinæ. Et fuérunt ei ſeptem filii, & tres filiæ. Et vocávit nomen unius Diem, & nomen ſecúndæ Caſſiam, & nomen tértiæ Cornuſtibii. Non ſunt autem invéntæ mulíeres ſpecióſæ ſicut filiæ Job in univérſa terra: deditque eis pater ſuus hereditátem inter fratres eárum. Vixit autem Job poſt hæc centum quadraginta annis, & vidit filios ſuos, & filios filiórum ſuórum, uſque ad quartam generatiónem, & mórtuus eſt ſenex & plenus diérum.

℟. Quare detraxiſtis ſermónibus veritátis, ad increpándum verba compónitis, & ſubvértere nitímini amícum veſtrum? * Verúmtamen quæ cogitáſtis, expléte. ℣. Quod juſtum eſt, judicáte: & non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen.

Glória Patri. Verúmtamen.

## SABBATO.

Ante Dominicam tertiam Septembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ne reminiſcáris Dómine delícta mea, vel paréntum meórum: neque vindíctam ſumas de peccátis meis.

## DOMINICA III.

Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Tobiæ.

Lectio j. *Cap. 1.*

Tobías ex tribu & civitáte Nephthali (quæ eſt in ſuperióribus Galilææ ſupra Naaſſon, poſt viam quæ ducit ad Occidéntem, in ſiniſtro habens civitátem Sepher) cùm captus eſſet in diébus Salmanaſar regis Aſſyriórum, in captivitáte tamen póſitus, viam veritátis non deſéruit: ita ut ómnia, quæ habére póterat, quotídie concaptívis frátribus, qui erant ex ejus génere, impartíret. Cùmque eſſet júnior ómnibus in tribu Nepthali, nihil tamen puérile geſſit in ópere.

℟. Peto Dómine, ut de vínculo impropérii hujus abſólvas me, aut certè deſuper terram erípias me: * Ne reminiſcáris delícta mea vel paréntum meórum, neque vindíctam ſumas de peccátis meis: quia éruis ſuſtinéntes te Dómine. ℣. Omnia enim judícia tua juſta ſunt, & omnes viæ tuæ miſericórdia & véritas: & nunc Dómine meménto mei. Ne reminiſcáris.

Lectio ij.

Deníque cùm irent omnes ad vítulos áureos, quos Jeróboam fécerat rex Iſ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Israel, hic solus fugiébat consórtia ómnium, sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, & ibi adorábat Dóminum Deum Israel, ómnia primitíva sua & décimas suas fidéliter ófferens, ita ut in tertio anno prosélytis & ádvenis ministráret omnem decimatiónem. Hæc & his simília secúndum legem Dei puérulus observábat. Cum vero factus esset vir, accépit uxórem Annam de tribu sua, genuítque ex ea fílium, nomen suum impónens ei, quem ab infántia timére Deum dócuit, & abstinére ab omni peccáto.

℟. Omni témpore bénedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dírigat: * Et in omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre ut fácias quæ plácita sunt illi in veritáte, & in tota virtúte tua. Et in omni.

Lectio iij.

Igitur cùm per captivitátem devenísset cum uxóre sua, & fílio in civitátem Nínivem cum omni tribu sua, (cùm omnes éderent ex cibis Gentílium) iste custodívit ánimam suam, & numquam contaminátus est in escis eórum. Et quóniam memor fuit Dómini in toto corde suo, dedit illi Deus grátiam in conspéctu Salmanasar regis, & dedit illi potestátem quocúmque vellet ire, habens libertátem quæcúmque fácere voluísset. Pergébat ergo ad omnes qui erant in captivitáte, & mónita salútis dabat eis.

℟. Memor esto fili, quóniam páuperem vitam gérimus: * Habébis multa bona, si timúeris Deum. ℣. In mente habéto eum, & cave nequándo prætermíttas præcépta ejus. Habébis. Glória Patri. Habébis.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Lectio iv.

*Serm. 9. de jejunio 7. mensis.*

Scio quidem, dilectíssimi, plúrimos vestrum ita in iis, quæ ad observántiam Christiánæ fídei pértinent, esse devótos, ut nostris cohortatiónibus non indígeant admonéri. Quod enim dudum & tradítio decrévit, & consuetúdo firmávit: nec erudítio ignórat, nec píetas prætermíttit. Sed quia sacerdotális offícii est, erga omnes Ecclésiæ fílios curam habére commúnem, in id quod & rúdibus prosit & dóctis, quos simul dilígimus, páriter incitámus: ut jejúnium, quod nobis séptimi mensis recúrsus índicit, fide álacri per castigatiónem ánimi & córporis celebrémus.

℟. Sufficiébat nobis páupertas nostra, ut divítiæ computa-



taréntur: numquam fuísset pecúnia ipsa, pro qua misísti fílium nostrum, * Báculum senectútis nostræ. ℣. Heu me fili mi, ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum nostrórum? Báculum.

Lectio v.

Ideò enim ipsa continéntiæ observántia quátuor est assignáta tempóribus, ut in idípsum tótius anni rédeunte decúrsu, cognoscerémus nos indesinénter purificatiónibus indigére: semperque esse niténdum, dum hujus vitæ varietáte jactámur, ut peccátum, quod fragilitáte carnis & cupiditátum pollutióne contráhitur, jejúniis atque eleemósynis deleátur. Esuriámus páululum, dilectíssimi, & aliquántulum, quod juvándis possit prodésse paupéribus, nostræ consuetúdini subtrahámus.

℟. Benedícite Deum cæli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei: * Quia fecit vobíscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, & cantáte illi: & enarráte ómnia mirabília ejus. Quia fecit.

Lectio vj.

Delectétur consciéntia benignórum fructibus largitátis: & gáudia tríbuens, quo es lætificándus, accípies. Diléctio próximi, diléctio Dei est, qui plenitúdinem legis & Prophetárum in hac géminæ charitátis unitáte constítuit: ut nemo ambígeret, Deo se offérre, quod hómini contulísset, dicénte Dómino Salvatóre, cùm de aléndis juvandísque paupéribus loquerétur: Quod uni eórum fecístis, mihi fecístis. Quarta ígitur & sexta Féria jejunémus; Sábbato verò apud beátum Petrum Apóstolum vigílias celebrémus: cujus nos méritis & oratiónibus crédimus adjuvándos, ut misericórdi Deo jejúnio nostro & devotióne placeámus.

℟. Tempus est ut revértar ad eum, qui misit me: * Vos autem benedícite Deum: & enarráte ómnia mirabília ejus. ℣. Confitémini ei coram ómnibus vivéntibus, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Vos autem. Glória Patri. Vos autem.

℟. vij. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passæ sunt, & defécimus: timor & hebetúdo mentis cécidit super nos, & super líberos nostros: ipsi montes nolunt recípere fugam nostram: * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injústè égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth. * Ple-

℟. Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

Infra Hebdómadam, Feria quarta, & Sábbato post secundam & tertiam Lectiónem dicitur ij. & iij. Responsórium primi Nocturni Dominicæ.

## FERIA SECUNDA.

De libro Tobiæ.

Lectio j. *Cap. 2.*

POst hæc verò, cùm esset dies festus Dómini, & factum esset prándium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo: Vade, & adduc áliquos de tribu nostra, timéntes Deum, ut epuléntur nobiscum. Cùmque abiísset, reversus nuntiávit ei, unum ex fíliis Israel jugulátum jacêre in platéa. Statímque exíliens de accúbitu suo, relinquens prándium, jejúnus pervênit ad corpus: tolénsque illud, portávit ad domum suam occúlte, ut, dum sol occubuísset, cautè sepelíret eum. ℟. Peto Dómine, ut de vínculo impropérii hujus absólvas me, aut certè desuper terram erípias me: ✱ Ne reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum, neque vindíctam sumas de peccátis meis: quia éruis sustinéntes te Dómine. ℣. Omnia enim judícia tua justa sunt, & omnes viæ tuæ misericórdia & véritas, & nunc Dómine meménto mei. Ne.

Lectio ij.

ARguébant autem eum omnes próximi ejus, dicéntes: Jam hujus rei causa interfíci jussus es, & vix effugísti mortis impérium, & iterùm sepelis mórtuos? Sed Tobías plus timens Deum quam regem, rapiébat córpora occisórum, & occultábat in domo sua, & médiis nóctibus sepeliébat ea. Cóntigit autem, ut quadam die fatigátus à sepultúra véniens in domum suam, jactásset se juxta paríetem, & obdormísset, & ex nido hirúndinum dormiénti illi cálida stércora incíderent super óculos ejus, fierétque cæcus. Hanc autem tentatiónem ideò permísit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exémplum patiéntiæ ejus, sicut & sancti Job. ℟. Omni tempore bénedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dírigat: ✱ Et in omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre ut fácias quæ plácita sunt illi in veritáte, & in tota virtúte tua. Et in omni.

Lectio iij.

NAm cùm ab infántia sua semper Deum timúerit, & mandáta ejus custodíerit, non est contristátus contra Deum, quod plaga cæcitátis evénerit ei, sed immóbilis in Dei timóre permánsit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. Nam sicut beáto Job insultábant reges, ità isti paréntes & cognáti ejus irridébant vitam ejus, dicéntes: Ubi est spes tua, pro qua eleemósynas & sepultúras faciébas? Tobías verò increpábat eos, dicens: Nolíte ità loqui: quóniam fílii sanctórum sumus, & vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo. ℟. Memor esto fili, quóniam páuperem vitam gérimus: ✱ Habébis multa bona, si timúeris Deum. ℣. In mente habéto eum, & cave nequándo prætermíttas præcépta ejus. Habébis. Glória Patri. Habébis.

## FERIA TERTIA.

De libro Tobiæ.

Lectio j. *Cap. 2. d & 3.*

ANna verò uxor ejus ibat ad opus textrínum quotídiè, & de labóre mánuum suárum victum, quem consequi póterat, deferébat. Undè factum est, ut hædum caprárum accípiens detulísset domi. Cujus cum vocem balántis vir ejus audísset, dixit: Vidéte, ne fortè furtívus sit, réddite eum dóminis suis, quia non licet



nobis aut édere ex furto áliquid, aut contíngere. ℟. Sufficiébat nobis paupértas nostra, ut divítiæ computaréntur: numquam fuísset pecúnia ipsa, pro qua misísti fílium nostrum, ✱ Báculum senectútis nostræ. ℣. Heu me fili mi, ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum nostrórum? Báculum.

Lectio ij.

AD hæc uxor ejus iráta respóndit: Manifésté vana facta est spes tua, & eleemósynæ tuæ modò apparuérunt. Atque his & áliis hujuscémodi verbis exprobrábat ei. Tunc Tobías ingémuit, & cœpit oráre cum lácrymis, dicens: Justus es Dómine, & ómnia judícia tua justa sunt: & omnes viæ tuæ misericórdia, & véritas, & judícium. Et nunc Dómine, memor esto mei, & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum. ℟. Benedícite Deum cæli & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei: ✱ Quia fecit vobíscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, & cantáte illi: & enarráte ómnia mirabília ejus. Quia fecit.

Lectio iij.

QUóniam non obedívimus præcéptis tuis, ideò tráditi sumus in direptiónem, & captivitátem, & mor-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

mortem & in fábulam, & in impropérium ómnibus natiónibus, in quibus dispersisti nos. Et nunc Dómine, magna judícia tua, quia non égimus secúndùm præcépta tua, & non ambulávimus sincériter coram te. Et nunc Dómine secúndùm voluntátem tuam fac mecum, & præcipe in pace recípi spíritum meum: expedit enim mihi mori magis, quàm vívere.

℟. Tempus est ut revértar ad eum, qui misit me: * Vos autem benedícite Deum, & enarráte ómnia mirabília ejus: ℣. Confitémini ei coram ómnibus viventibus, quia fecit vobiscum misericórdiam suam. Vos autem. Glória Patri. Vos autem.

## FERIA QUARTA
### Quátuor Témporum Septémbris.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Léctio j. *Cap. 9. c*

IN illo témpore: Respóndens unus de turba, dixit ad Jesum: Magister, áttuli fílium meum ad te habéntem spíritum mutum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 3. cap. 38. in Marc. 9.*

DÆmoníacum hunc, quem descéndens de monte Dóminus sanávit, Marcus quidem surdum mutúmque, Matthæus verò lunáticum fuisse commémorat. Significat autem eos, de quibus scriptum est: Stultus ut luna mutátur. Qui nunquam in eódem statu permanéntes, nunc ad hæc, nunc ad illa vitia mutáti, crescunt atque decrescunt. Qui muti sunt, non confiténdo fidem: surdi, nec ipsum aliquatenùs veritátis audiéndo sermónem. Spumant autem, cùm stultítia tabéscunt. Stultórum namque, & languéntium, atque hebetum est, spumas salivárum ex ore dimíttere. Strident déntibus, cùm iracúndiæ furóre flammescunt: aréscunt, cùm ótio torpénte languéscunt, & nulla virtútis indústria confortáti enérviter vivunt.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passæ sunt, & defécimus: timor & hebetúdo mentis cécidit super nos, & super líberos nostros, ipsi montes nolunt recípere fugam nostram: * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injústè égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Léctio ij.

QUòd autem ait: Et dixi discípulis tuis ut ejícerent illum, & non potuérunt: laténter Apóstolos accúsat, cùm impossi-



bílitas curándi intérdum non ad imbecillitátem curántium, sed ad eórum qui curándi sunt, fidem referátur, dicénte Dómino: Fiat tibi secúndùm fidem tuam. Qui respóndens eis, dixit: O generátio incrédula, quámdiu apud vos ero? quámdiu vos pátiar? Non quòd tædio superátus sit mansuétus ac mitis, qui non apéruit sicut agnus coram tondénte os suum, nec in verba furóris erúpit: sed quò in similitúdinem médici, si ægrótum vídeat contra sua præcépta se gérere, dicat: Usquequò accédam ad domum tuam? quoúsque artis meæ perdam indústriam, me áliud jubénte, & te áliud perpetránte?

℟. Omni témpore bénedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dírigat: * Et in omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre ut fácias quæ plácita sunt illi in veritáte, & in tota virtúte tua. Et in omni.

Léctio iij.

ET dixit illis: Hoc genus in nullo potest exíre, nisi in oratióne & jejúnio. Dum docet Apóstolos, quómodò dæmon nequíssimus debeat expélli, omnes instítuit ad vitam: ut scílicet noverímus, gravíssima quæque vel immundórum spirítuum, vel hóminum tentaménta, jejúniis & oratiónibus esse superánda: iram quoque Dómini, cùm in ultiónem nostrórum scélerum fúerit accénsa, hoc remédio singulári posse placári. Jejúnium autem generále est, non solùm ab escis, sed & à cunctis illécebris abstinére carnálibus, immò ab ómnibus vitiórum continére se passiónibus. Sic & orátio generális non verbis solùm est, quibus divínam cleméntiam invocámus, verùm étiam in ómnibus, quæ in obséquium nostri Conditóris fídei devotióne gérimus.

℟. Memor esto fili, quóniam páuperem vitam gérimus: * Habébis multa bona, si timúeris Deum. ℣. In mente habéto eum: & cave nequándo prætermíttas præcépta ejus. Habébis. Glória Patri. Habébis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Hoc genus dæmoniórum in nullo potest exíre, nisi in oratióne & jejúnio.

Deinde dicúntur Preces ut in Psaltério. 63.

Orátio.

MIsericórdiæ tuæ remédiis, quæsumus Dómine, fragílitas nostra subsístat: ut quæ sua conditióne atteritur, tua cleméntia reparétur. Per Dóminum.

Et dícitur per Horas diéi tantùm.

Ad Vésperas, si fit de Féria,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE

na, dicúntur Preces feriáles, cum Oratióne Domínicæ præcedéntis.

## FERIA QUINTA.

De libro Tobiæ.

Lectio j. *Cap. 12.*

VOcávit ad se Tobías fílium suum, dixítque ei : Quid póssumus dare viro isti sancto, qui venit tecum ? Respóndens Tobías, dixit patri suo : Pater, quam mercédem dábimus ei ? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit & redúxit sanum, pecúniam à Gabelo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, & dæmónium ab ea ipse compéscuit, gáudium paréntibus ejus fecit, me ipsum à devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen cæli, & bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietátem de ómnibus, quæ alláta sunt, sibi assúmere.

℟. Peto Dómine, ut de vínculo impropérii hujus absólvas me, aut certè désuper terram erípias me : Ne reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum, neque vindíctam sumas de peccátis meis: quia éruis sustinéntes te Dómine. ℣. Omnia enim judícia tua justa sunt, & omnes viæ tuæ misericórdia & véritas : & nunc Dómine meménto mei. Ne.

Lectio ij.

ET vocántes eum, pater scílicet & fílius, tulérunt eum in partem : & rogáre cœpérunt ut dignarétur dimídiam partem ómnium quæ attúlerant, accéptam habére. Tunc dixit eis occúlte : Benedícite Deum cæli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Etenim sacraméntum regis abscóndere bonum est : ópera autem Dei reveláre & confitéri honoríficum est. Bona est orátio cum jejúnio, & eleemósyna, magis quam thesáuros auri recóndere : quóniam eleemósyna à morte líberat, & ipsa est quæ purgat peccáta, & facit inveníre misericórdiam & vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum & iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ.

℟. Omni témpore bénedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dírigat : Et in omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre ut fácias quæ plácita sunt illi in veritáte, & in tota virtúte tua. Et in omni.

Lectio iij.

MAnifésto ergo vobis veritátem, & non abscóndam à vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos, & derelinquébas prándium tuum, & mórtuos abscondébas per diem in domo tua, & nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, & Saram uxórem fílii tui à dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. Cùmque hæc audíssent, turbáti sunt, & treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus : Pax vobis, nolíte timére.

℟. Memor esto fili, quóniam páuperem vitam gérimus: Habébis multa bona, si timúeris Deum. ℣. In mente habéto eum, & cave nequándo prætermíttas præcépta ejus. Habébis. Glória Patri. Habébis.

## FERIA SEXTA.

Quatuor Témporum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio j. *Cap. 7. c*

IN illo témpore : Rogábat Jesum quidam de Pharisǽis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum Pharisǽi, discúbuit. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilia 33. in Evangelia, post initium.*

QUem Pharisǽus de falsa justítia præsúmens, nisi Judáicum pópulum : quem peccátrix múlier ad vestígia Dómini véniens & plorans, nisi convérsam Gentilitátem desígnat ? Quæ cum alabástro venit, unguéntum fudit, retrò secus pedes Dómini stetit, lácrymis pedes rigávit, capíllis tersit, eosdémque quos infundébat & tergébat, pedes osculári non désiit. Nos ergo, nos illa múlier expréssit, si toto corde ad Dóminum post peccáta redeámus, si ejus pœniténtiæ luctus imitémur. Quid namque unguénto, nisi bonæ odor opiniónis exprímitur ? Undè & Paulus dicit : Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.

℟. Sufficiébat nobis paupértas nostra, ut divítiæ computaréntur : numquam fuísset pecúnia ipsa, pro qua misísti fílium nostrum, Báculum senectútis nostræ. ℣. Heu me fili mi, ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum nostrórum? Báculum.

Lectio ij.

SI ergo recta ópera ágimus, quibus opiniónis bonæ odóre Ecclésiam resper-

gá-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nia, dicúntur Preces feriáles, cum Oratióne Domínicæ præcedéntis.

## FERIA QUINTA.

De libro Tobiæ.

Lectio j. *Cap. 12.*

VOcávit ad se Tobías filium suum, dixítque ei : Quid póssumus dare viro isti sancto, qui venit tecum ? Respóndens Tobías, dixit patri suo : Pater, quam mercédem dábimus ei ? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit & redúxit sanum, pecúniam à Gabelo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, & dæmónium ab ea ipse compéscuit, gáudium paréntibus ejus fecit, me ipsum à devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen cæli, & bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte digna bitur medietátem de ómnibus, quæ alláta sunt, sibi assúmere.

℟. Peto Dómine, ut de vínculo impropérii hujus absólvas me, aut certè désuper terram erípias me: * Ne reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum, neque vindíctam sumas de peccátis meis: quia éruis sustinéntes te Dómine. ℣. Omnia enim judícia tua justa sunt, & omnes viæ tuæ misericórdia & véritas : & nunc Dómine meménto mei. Ne.

Lectio ij.

ET vocántes eum, pater scílicet & fílius, tulérunt eum in partem : & rogáre cœpérunt ut dignarétur dimídiam partem ómnium quæ attúlerant, accéptam habére. Tunc dixit eis occúlte : Benedícite Deum cæli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Etenim sacraméntum regis abscóndere bonum est : ópera autem Dei reveláre & confitéri honoríficum est. Bona est orátio cum jejúnio, & eleemósyna, magis quam thesáuros auri recóndere : quóniam eleemósyna à morte líberat, & ipsa est quæ purgat peccáta, & facit inveníre misericórdiam & vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum & iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ.

℟. Omni témpore bénedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dírigat : * Et in omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre ut fácias quæ plácita sunt illi in veritáte, & in tota virtúte tua. Et in omni.

Lectio iij.

MAnifésto ergo vobis veritátem, & non abscóndam à vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos, & derelinquébas prándium tuum, & mórtuos abscondébas per diem in domo tua, & nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, & Saram uxórem fílii tui à dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. Cùmque hæc audíssent, turbáti sunt, & treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus : Pax vobis, nolíte timére.

℟. Memor esto fili, quóniam páuperem vitam gérimus: * Habébis multa bona, si timúeris Deum. ℣. In mente habéto eum, & cave nequándo prætermíttas præcépta ejus. Habébis. Glória Patri. Habébis.

## FERIA SEXTA.

Quatuor Témporum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio j. *Cap. 7. c*

IN illo témpore : Rogábat Jesum quidam de Pharisǽis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum Pharisǽi, discúbuit. Et réliqua.



Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilia 33. in Evangelia, post initium.*

QUem Pharisǽus de falsa justítia præsúmens, nisi Judáicum pópulum : quem peccátrix múlier ad vestígia Dómini véniens & plorans, nisi convérsam Gentilitátem desígnat ? Quæ cum alabástro venit, unguéntum fudit, retrò secus pedes Dómini stetit, lácrymis pedes rigávit, capíllis tersit, eosdémque quos infundébat & tergébat, pedes osculári non desíit. Nos ergo, nos illa múlier expréssit, si toto corde ad Dóminum post peccáta redeámus, si ejus pœniténtiæ luctus imitémur. Quid namque unguénto, nisi bonæ odor opiniónis exprímitur ? Undè & Paulus dicit : Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.

℟. Sufficiébat nobis paupértas nostra, ut divítiæ computaréntur : numquam fuísset pecúnia ipsa, pro qua misísti fílium nostrum, * Báculum senectútis nostræ. ℣. Heu me fili mi, ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum nostrórum? Báculum.

Lectio ij.

SI ergo recta ópera ágimus, quibus opiniónis bonæ odóre Ecclésiam resper-gá-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gámus, quid in Dómini córpore, nisi unguéntum fúndimus? sed secus pedes Jesu múlier stetit: contra pedes enim Dómini stétimus, cùm in peccátis pósiti, ejus itinéribus renitebámur. Sed si ad veram pœniténtiam post peccáta convértimur, jam retrò secus pedes stamus: quia ejus vestígia séquimur, quem impugnabámus. Lácrymis múlier pedes ejus rigat: quod nos quoque veráciter ágimus, si quibúslibet últimis membris Dómini per compassiónis afféctum inclinámur, si sanctis ejus in tribulatióne compátimur, si eórum tristítiam, nostram putámus.

℟. Benedícite Deum cæli, & coram ómnibus viventibus confitémini ei: * Quia fecit vobíscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, & cantáte illi: & enarráte ómnia mirabília ejus. Quia fecit.

Lectio iij.

CApillis ergo pedes Dómini tergimus, quando sanctis ejus, quibus ex charitáte compátimur, étiam ex his quæ nobis supérfluunt, miserémur: quaténus sic mens per compassiónem dóleat, ut étiam larga manus afféctum dolóris osténdat. Rigat namque lácrymis Redemptóris pedes, sed capillis suis non tergit, qui utcúmque proximórum dolóri compátitur, sed tamen eis, ex his quæ sibi supérfluunt, non miserétur. Plorat, & non tergit, qui verba quidem dolóris tribuit: sed non ministrando quæ desunt, vim dolóris minimè abscíndit. Osculátur múlier pedes, quos tergit: quod nos quoque plenè ágimus, si studióse dilígimus, quos ex largitáte continémus; ne gravis nobis sit necéssitas próximi; ne ipsa nobis ejus indigéntia, quæ sustentátur, fiat onerósa; & cùm manus necessária tribuit, ánimus à dilectióne torpéscat.

℟. Tempus est ut revértar ad eum qui misit me: * Vos autem benedícite Deum, & enarráte ómnia mirabília ejus. ℣. Confitémini ei coram ómnibus viventibus, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Vos autem. Glória Patri. Vos autem.

Ad Benedictus, Antiphona.

Múlier, quæ erat in civitáte peccatrix, stans retrò secus pedes Dómini, lácrymis cœpit rigáre pedes ejus, & capillis cápitis sui tergébat, & deosculabátur pedes ejus, & unguento ungébat.

Deinde dicuntur Preces ut in Psaltério. 63.

Orá-



Orátio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus: ut observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, & córpore tibi placeámus, & mente. Per Dóminum nostrum.

Et dicitur per Horas diei cursum.

In Vésperis, nisi fiat de Festo novem Lectiónum, dicuntur Preces feriales, 197. & Orátio Domínicæ prætéritæ.

SABBATO
Quátuor Témporum.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio j. *Cap. 13.*

IN illo témpore: Dicébat Jesus turbis hanc similitúdinem: Arborem fici habébat quidam plantátam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invénit. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilia 31. in Evangelia*

DOminus ac Redémptor noster per Evangélium suum aliquándo verbis, aliquándo rebus lóquitur: aliquándo aliud verbis, atque áliud rebus: aliquándo autem hoc verbis, quod rebus. Duas étenim res ex Evangélio fratres audístis: ficúlneam infructuósam, & mulíerem curvam: & utríque rei est píetas impénsa. Illud autem dixit per similitúdinem: istud egit per exhibitiónem. Sed hoc signíficat ficúlnea infructuósa, quod múlier inclináta: & hoc ficúlnea reserváta, quod múlier erécta.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passæ sunt, & defécimus: timor & hebetúdo mentis cécidit super nos, & super líberos nostros: ipsi montes nolunt recípere fugam nostram: * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injústè égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Lectio ij.

QUid arbor fici, nisi humánam natúram desígnat? Quid múlier inclináta, nisi eámdem natúram significándo denúntiat? Quæ & bene plantáta est sicut ficus, & bene creáta sicut múlier: sed in culpam própria sponte lapsa, neque fructum servat operatiónis, neque statum rectitúdinis. Ad peccátum quippe ex voluntáte córruens, quia fructum obediéntiæ ferre nóluit, statum rectitúdinis amísit. Quæ ad Dei similitúdinem cóndita, dum in sua dignitáte non persístit, quòd plantáta vel creáta fúerat, serváre contémpsit. Tértiò Dóminus víneæ ad ficúlneam venit, quia natúram géneris humáni ante legem, sub lege,

sub

sub gratia expectando, admonendo, visitando requisivit.

℟. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat: * Et in omni tempore consilia tua in ipso permaneant. ℣. Inquire ut facias quæ placita sunt illi in veritate, & in tota virtute tua. Et omni.

Lectio iij.

VEnit ante legem, quia per naturalem intellectum quid unusquisque exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset, innotuit. Venit in lege, quia præcipiendo docuit. Venit post legem per gratiam, quia pietatis suæ præsentiam exhibendo monstravit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invenisse conqueritur: quia quorumdam pravorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt, nec incarnationis ejus miracula convertunt. Quid verò per cultorem vineæ, nisi præpositorum ordo exprimitur? Qui dum præsunt Ecclesiæ, nimirum Dominicæ vineæ curam gerunt.

℟. Memor esto filii quoniam pauperem vitam gerimus: * Habebis multa bona, si timueris Deum. ℣. In mente habeto eum, & cave nequando prætermittas præcepta ejus. Habebis. Gloria Patri. Habebis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Illuminare Domine iis qui in tenebris sedent, & dirige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël.

Deinde dicuntur Preces ut in Psalterio. 62.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem corporibus mederis & mentibus, majestatem tuam supplices exoramus: ut pia jejunantium deprecatione placatus, & præsentia nobis subsidia tribuas, & futura. Per Dominum nostrum.

Et dicitur per Horas diei tantum.

SABBATO

Ante Dominicam quartam Septembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Adonai Domine Deus magne & admirabilis, qui dedisti salutem in manu feminæ, exaudi preces servorum tuorum.

DOMINICA IV.

Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Judith.

*Cap. 1. & 2.*

Lectio j.

ARphaxad itaque rex Medorum subjugaverat multas gentes imperio suo, & ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis, ex lapidibus quadratis & sectis: fecit muros ejus in altitudinem cubitorum septuaginta, & in latitudinem cubitorum triginta: turres verò ejus posuit in altitudinem cubitorum centum. Per quadrum verò earum latus utrumque vicenorum pedum spatio tendebatur, posuitque portas ejus in altitudinem turrium, & gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.

℟. Adonai Domine Deus magne & mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminæ: * Exaudi preces servorum tuorum. ℣. Benedictus es Domine, qui non derelinquis præsumentes de te, & de sua virtute gloriantes humilias. Exaudi.

Lectio ij.

ANno igitur duodecimo regni sui, Nabuchodonosor Rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, & obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphraten, & Tigrin, & Jadason in campo Erioch regis Elicorum. Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, & cor ejus elevatum est: & misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano, & ad gentes quæ sunt in Carmelo, & Cedar, & inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon, & ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Jordanem usque ad Jerusalem: & omnem terram Jesse, quousque perveniatur ad terminos Æthiopiæ.

℟. Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, & defecimus: timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: * Domine miserere. ℣. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine.

Lectio iij.

ADhos omnes misit nuntios Nabuchodonosor Rex Assyriorum, qui omnes uno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abjecerunt. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex adversus omnem terram illam, juravit per thronum & regnum suum, quòd defenderet se de omnibus regionibus his. Anno tertiodecimo Nabuchodonosor regis, vigesima & secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum ut defenderet se. Vocavitque omnes majores natu, omnesque duces & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilii sui: dixitque cogitationem

nem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugáret império.

℟. Benedicat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad nihilum redégit inimicos nostros: * Ut non deficiat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedictus Dóminus, qui creávit cælum & terram: quia hódie nomen tuum ita magnificávit. Ut non. Glória Patri. Ut non.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi, de Elia & jejúnio.

Lectio iv. *Cap. 9.*

POténtes vinum prohibéntur bibere, ne, cùm biberint, obliviscántur sapiéntiam. Dénique bibébant vinum in ebrietáte poténtes, qui Holoférni príncipi milítiæ regis Assyriórum se trádere gestiébant: sed non bibébat fémina Judith, jejúnans ómnibus diébus viduitátis suæ, præter festórum diérum solemnitátes. His armis muníta procéssit, & omnem Assyriórum circumvénit exércitum. Sóbrii vigóre consílii ábstulit Holoférnis caput, servávit pudicítiam, victóriam reportávit.

℟. Nos álium Deum nescímus præter Dóminum, in quo sperámus: * Qui non déspicit nos, nec ámovet salútem suam à génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsius fusis lácrymis postulémus, & humiliémus illi ánimas nostras. Qui non.

Lectio v.

HÆc enim succincta jejúnio in castris prætendébat aliénis: ille vino sepúltus jacébat, ut ictum vúlneris sentíre non posset. Itaque uníus mulíeris jejúnium innúmeros stravit exércitus Assyriórum. Esther quoque púlchrior facta est jejúnio: Dóminus enim grátiam sóbriæ mentis augébat. Omne genus suum, id est, totum pópulum Judæórum, à persecutiónis acerbitáte liberávit, ita ut regem sibi fáceret esse subjectum.

℟. Dominátor Dómine cælórum & terræ: creátor aquárum, Rex univérsæ creatúræ, * Exáudi oratiónem servórum tuórum. ℣. Tu Dómine, cui humílium semper & mansuetórum plácuit deprecátio. Exáudi.

Lectio vj.

ITaque illa, quæ tríduo jejunávit contínuo, & corpus suum aqua lavit, plus plácuit, & vindíctam rétulit: Aman autem, dum se regáli jactat convívio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietátis exólvit. Est ergo jejúnium reconciliatiónis sacrifícium, virtútis increméntum, quod fecit étiam féminas fortióres augménto grá-



grátiæ. Jejúnium nescit fœneratórem, non sortem fœnoris novit, non rédolet usúras mensa jejunántium: étiam ipsis jejúnium convíviis dat grátiam. Dulcióres post famem épulæ fiunt, quæ assiduitáte fastídio sunt, & diutúrna continuatióne viléscunt. Condiméntum cibi jejúnium est. Quantò avídior appeténtia, tantò esca jucúndior.

℟. Dómine Deus, qui cónteris bella ab inítio, éleva bráchium tuum super Gentes, quæ cógitant servis tuis mala: * Et déxtera tua glorificétur in nobis. ℣. Allíde virtútem eórum in virtúte tua, cadat robur eórum in iracúndia tua. Et déxtera tua. Glória Patri. Et.

℟. vij. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens: * Et da sermónem rectum & bene sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsæ potestátis, convérte consílium eórum super eos. Et da.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

Féria quarta hujus Hebdómadæ post ij. & iij. Lectiónem dícitur ij. & iij. Responsórium primi Nocturni Domínicæ.

## FERIA SECUNDA.

De libro Judith.

Lectio j. *Cap. 4.*

FIlii Israël, qui habitábant in terra Juda, timuérunt valdè à fácie Holoférnis. Tremor & horror invásit sensus eórum, ne hoc fáceret Jerúsalem & templo Dómini, quod fécerat céteris civitátibus & templis eárum. Et misérunt in omnem Samaríam per circúitum usque Jéricho: & præoccupavérunt omnes vértices móntium: & muris circumdedérunt vicos suos, & congregavérunt fruménta in præparatiónem pugnæ.

℟. Adónai Dómine Deus magne & mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ: * Exáudi preces servórum tuórum. ℣. Benedíctus es Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, & de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi.

Lectio ij.

SAcérdos étiam Elíachim scripsit ad univérsos, qui erant contra Esdrelon, quæ est contra fáciem campi magni juxta Dóthain, & univérsos, per quos viæ tránsitus esse póterat, ut obtíne-

nem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugâret império.

℟. Benedicat te Dóminus in virtûte sua, qui per te ad nihilum redégit inimicos nostros; * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedictus Dóminus, qui creâvit cælum & terram: quia hódie nomen tuum ita magnificâvit. Ut non. Glória Patri. Ut non.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi, de Elia & jejúnio.

Lectio iv. *Cap. 9.*

POténtes vinum prohibéntur bíbere, ne, cùm bíberint, obliviscántur sapiéntiam. Dénique bibébant vinum in ebrietâte poténtes, qui Holoférni príncipi milítiæ regis Assyriórum se trádere gestiébant: sed non bibébat fémina Judith, jejúnans ómnibus diébus viduitâtis suæ, præter festórum diérum solemnitâtes. His armis munita procéssit, & omnem Assyriórum circumvénit exércitum. Sóbrii vigóre consílii ábstulit Holoférnis caput, servâvit pudicítiam, victóriam reportâvit.

℟. Nos alium Deum nescímus præter Dóminum, in quo sperâmus: * Qui non déspicit nos, nec ámovet salûtem suam à génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsius fusis lácrymis postulêmus, & humiliémus illi ánimas nostras. Qui non.

Lectio v.

HÆc enim succincta jejúnio in castris prætendébat aliénis: ille vino sepúltus jacébat, ut ictum vúlneris sentíre non posset. Itaque uníus mulíeris jejúnium innúmeros stravit exércitus Assyriórum. Esther quoque púlchrior facta est jejúnio: Dóminus enim grátiam sóbriæ mentis augébat. Omne genus suum, id est, totum pópulum Judæórum, à persecutiónis acerbitâte liberâvit, ita ut regem sibi fáceret esse subjectum.

℟. Dominâtor Dómine cælórum & terræ: creâtor aquârum, Rex univérsæ creatûræ, * Exáudi oratiónem servórum tuórum. ℣. Tu Dómine, cui humílium semper & mansuetórum plácuit deprecátio. Exáudi.

Lectio vj.

ITaque illa, quæ tríduo jejunâvit contínuo, & corpus suum aqua lavit, plus plácuit, & vindictam rétulit: Aman autem, dum se regâli jactat convívio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietâtis exólvit. Est ergo jejúnium reconciliatiónis sacrifícium, virtûtis increméntum, quod fecit étiam féminas fortióres augménto grá-



grátiæ. Jejúnium nescit fœneratórem, non sortem fœnoris novit, non rédolet usúras mensa jejunántium: étiam ipsis jejúnium convíviis dat grátiam. Dulcióres post famem épulæ fiunt, quæ assiduitâte fastídio sunt, & diutúrna continuatióne viléscunt. Condiméntum cibi jejúnium est. Quantò avídior appeténtia, tantò esca jucúndior.

℟. Dómine Deus, qui cónteris bella ab inítio, éleva bráchium tuum super Gentes, quæ cógitant servis tuis mala: * Et déxtera tua glorificétur in nobis. ℣. Allíde virtûtem eórum in virtûte tua, cadat robur eórum in iracúndia tua. Et déxtera tua. Glória Patri. Et.

℟. vij. Confórta me Rex, sanctórum principâtum tenens: * Et da sermónem rectum & bene sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsæ potestâtis, convérte consílium eórum super eos. Et da.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

Féria quarta hujus Hebdómadæ post ij. & iij. Lectiónem dícitur ij. & iij. Responsórium primi Nocturni Domínicæ.

FERIA SECUNDA.

De libro Judith.

Lectio j. *Cap. 4.*

FIlii Israël, qui habitábant in terra Juda, timuérunt valdè à fácie Holoférnis. Tremor & horror invâsit sensus eórum, ne hoc fáceret Jerúsalem & templo Dómini, quod fécerat céteris civitátibus & templis eárum. Et misérunt in omnem Samaríam per circúitum usque Jéricho: & præoccupavérunt omnes vértices móntium: & muris circumdedérunt vicos suos, & congregavérunt fruménta in præparatiónem pugnæ.

℟. Adónai Dómine Deus magne & mirábilis, qui dedísti salûtem in manu féminæ: * Exáudi preces servórum tuórum. ℣. Benedictus es Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, & de sua virtûte gloriántes humílias. Exáudi.

Lectio ij.

SAcérdos étiam Elíachim scripsit ad univérsos, qui erant contra Esdrelon, quæ est contra fáciem campi magni juxta Dóthain, & univérsos, per quos viæ tránsitus esse póterat, ut obti-

nérent ascénsus móntium, per quos via esse póterat ad Jerúsalem, & illic custodírent, ubi angústum iter esse póterat inter montes. Et fecérunt filii Israël secúndum quod constitúerat eis sacérdos Dómini Eliachim. Et clamávit omnis pópulus ad Dóminum instántia magna, & humiliavérunt ánimas suas in jejúniis & oratiónibus, ipsi & mulíeres eórum.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passæ sunt, & defécimus: timor & hebetúdo mentis cecídit super nos, & super líberos nostros: ipsi montes nolunt recípere fugam nostram: * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injústè égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Lectio iij.

ET induérunt se sacerdótes cilíciis, & infántes prostravérunt contra fáciem templi Dómini, & altáre Dómini operuérunt cilício: & clamavérunt ad Dóminum Deum Israël unanímiter, ne daréntur in prædam infántes eórum, & uxóres eórum in divisiónem, & civitátes eórum in extermínium, & sancta eórum in pollutiónem, & fíerent oppróbrium Géntibus. Tunc Eliachim, sacérdos Dómini magnus, circuívit omnem Israël, allocutúsque est eos, dicens: Scitóte, quóniam exáudiet Dóminus preces vestras, si manéntes permanséritis in jejúniis & oratiónibus in conspéctu Dómini.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros: * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedíctus Dóminus, qui creávit cælum & terram: quia hódiè nomen tuum ita magnificávit. Ut non defíciat. Glória Patri. Ut non.

FERIA TERTIA.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 8.

ET factum est, cum audísset hæc verba Judith vídua, quæ erat fília Merári, fílii Idox, fílii Joseph, fílii Oziæ, fílii Elai, fílii Jamnor, fílii Gédeon, fílii Ráphaim, fílii Achitob, fílii Melchiæ, fílii Enan, fílii Nathaniæ, fílii Saláthiel, fílii Simeon, fílii Ruben: & vir ejus fuit Manásses, qui mórtuus est in diébus messis hordeáceæ: instábat enim super alligántes manípulos in campo, & venit æstus super caput ejus, & mórtuus est in Bethúlia civitáte sua, & sepúltus est illic cum pátribus suis. Erat autem Judith relícta ejus vídua jam annis tribus, & ménsibus sex.

℟. Nos



℟. Nos álium Deum nescímus præter Dóminum, in quo sperámus: * Qui non déspicit nos, nec ámovet salútem suam à génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsíus fusis lácrymis postulémus, & humiliémus illi ánimas nostras. Qui non.

Lectio ij.

ET in superióribus domus suæ fecit sibi secrétum cubículum, in quo cum puéllis suis clausa morabátur: & habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ, præter sábbata, & neoménias, & festa domus Israël. Erat autem elegánti aspéctu nimis, cui vir suus relíquerat divítias multas, & famíliam copiósam, ac possessiónes arméntis boum & grégibus óvium plenas. Et erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valdè, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

℟. Dominátor Dómine cælórum & terræ, creátor aquárum, Rex univérsæ creaturæ, * Exáudi oratiónem servórum tuórum. ℣. Tu Dómine, cui humílium semper & mansuetórum plácuit deprecátio. Exáudi.

Lectio iij.

HÆc itaque cùm audísset, quóniam Ozias promisísset quòd transácto quinto die tráderet civitátem, misit ad presbýteros Chabri & Charmi. Et venérunt ad illam, & dixit illis: Quod est hoc verbum, in quo consénsit Ozias, ut tradat civitátem Assýriis, si intra quinque dies non vénerit vobis adjutórium? Et qui estis vos, qui tentátis Dóminum?

℟. Dómine Deus, qui cónteris bella ab inítio, éleva bráchium tuum super Gentes, quæ cógitant servis tuis mala: * Et déxtera tua glorificétur in nobis. ℣. Allíde virtútem eórum in virtúte tua: cadat robur eórum in iracúndia tua. Et déxtera tua. Glória Patri. Et déxtera.

FERIA QUARTA.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 10.

FActum est autem, cùm cessásset clamáre ad Dóminum, surréxit de loco, in quo jacúerat prostráta ad Dóminum. Vocavítque abram suam, & descéndens in domum suam, ábstulit à se cilícium, & éxuit se vestiméntis viduitátis suæ, & lavit corpus suum, & unxit se myro óptimo, & discriminávit crinem cápitis sui, & impósuit mitram super caput suum, & induit se vestiméntis jucunditátis suæ, indutóque

sandália pédibus suis, assumpsítque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & ómnibus ornaméntis suis ornávit se. Cui étiam Dóminus cóntulit splendórem. ℟. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens: * Et da sermónem rectum & bene sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsæ potestátis, convérte consílium eórum super eos. Et da sermónem.

Lectio ij.

FActum est autem, cùm descénderet montem, circa ortum diéi, occurrérunt ei exploratóres Assyriórum, & tenuérunt eam, dicéntes: Undè venis? aut quò vadis? Quæ respóndit: Fília sum Hebræórum, ideò ego fugi à fácie eórum, quóniam futúrum agnóvi, quòd dentur vobis in deprædatiónem, pro eo quòd contemnéntes vos, noluérunt ultrò trádere seipsos, ut invenírent misericórdiam in conspéctu vestro. ℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passæ sunt, & defécimus: timor & hebetúdo mentis cécidit super nos, & super líberos nostros: ipsi montes nolunt recípere fugam nostram: * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injústè égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Lectio iij.

DUxerúntque illam ad tabernáculum Holoférnis, annuntiántes eam. Cùmque intrásset ante fáciem ejus, statim captus est in suis óculis Holoférnes. Dixerúntque ad eum satéllites ejus: Quis contémnat pópulum Hebræórum, qui tam decóras mulíeres habent, ut non pro his méritò pugnáre contra eos debeámus? Videns itaque Judith Holoférnem sedéntem in conopéo, quod erat ex púrpura, & auro, & smarágdo, & lapídibus pretiósis intéxtum: & cùm in fáciem ejus intendísset, adorávit eum, prostérnens se super terram. ℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros: * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedíctus Dóminus, qui creávit cælum & terram, quia hódiè nomen tuum ita magnificávit. Ut non defíciat. Glória Patri. Ut non.

## FERIA QUINTA.

Si hæc fúerit últíma Hebdómada Septémbris, hac nocte pónitur liber Esther cum sua história, ut infra in Domínica v. hujus mensis, 202. & légitur de eo étiam duóbus sequéntibus diébus. Quòd si hoc tríduo non occúrrat Féria, in qua possint poni Responsória, eo anno omittúntur.





Si verò non fúerit última Hebdómada, legúntur sequéntes Lectiónes.

De libro Judith.

Lectio j. *Cap. 12. c*

ET factum est, in quarto die Holoférnes fecit cœnam servis suis, & dixit ad Vágao eunúchum suum: Vade, & suade Hebræam illam ut spontè conséntiat habitáre mecum. Fœdum est enim apud Assyrios, si fémina irrídeat virum, agéndo ut immúnis ab eo tránseat. Tunc introívit Vagao ad Judith, & dixit: Non vereátur bona puélla introíre ad dóminum meum, ut honorificétur ante fáciem ejus, ut mandúcet cum eo, & bibat vinum in jucunditáte. Cui Judith respóndit: Quæ ego sum, ut contradícam dómino meo? ℟. Adonai Dómine Deus magne & mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ: * Exáudi preces servórum tuórum. ℣. Benedíctus es Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, & de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi.

Lectio ij. *Cap. 13.*

UT autem seró factum est, festinavérunt servi illíus ad hospítia sua, & conclúsit Vágao óstia cubículi, & ábiit. Erant autem omnes fatigáti à vino: eratque Judith sola in cubículo. Porro Holoférnes jacébat in lecto, nímia ebrietáte sopítus. Dixítque Judith puéllæ suæ, ut staret foris ante cubículum, & observáret. Stetítque Judith ante lectum, orans cum lácrymis, & labiórum motu in siléntio, dicens: Confírma me Dómine Deus Israel, & réspice in hac hora ad ópera mánuum meárum, ut, sicut promisísti, Jerúsalem civitátem tuam érigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitávi, perfíciam. ℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passæ sunt, & defécimus: timor & hebetúdo mentis cécidit super nos, & super líberos nostros: ipsi montes nolunt recípere fugam nostram: * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injústè égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Lectio iij.

ET cùm hæc dixísset, accéssit ad colúmnam, quæ erat ad caput léctuli ejus, & pugiónem ejus, qui in ea ligátus pendébat, exólvit. Cùmque evaginásset illum, apprehéndit comam cápitis ejus, & ait: Confírma me Dómine Deus in hac hora. Et percússit bis in cervícem ejus, & abscídit caput ejus: & ábstulit conopéum ejus à colúmnis, & evólvit corpus

ejus truncum. Et post pusillum exivit, & trádidit caput Holofernis ancillæ suæ, & jussit ut mitteret illud in peram suam.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redegit inimícos nostros: * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedíctus Dóminus, qui creavit cælum & terram: quia hódie nomen tuum ita magnificávit. Ut non. Glória Patri. Ut non.

## FERIA SEXTA.

De libro Judith.

Lectio j. *Cap. 15.*

Cumque omnis exércitus decollátum Holofernem audisset, fugit mens & consilium ab eis, & solo tremóre & metu agitáti, fugæ præsídium sumunt, ita ut nullus loquerétur cum próximo suo, sed inclináto cápite, relíctis ómnibus, evádere festinábant Hebræos, quos armátos super se veníre audiébant, fugiéntes per vias campórum, & sémitas cóllium. Vidéntes itaque fílii Israël fugiéntes, secúti sunt illos. Descenderúntque clangéntes tubis, & ululántes post ipsos.

℟. Nos álium Deum nescímus præter Dóminum in quo sperámus: * Qui non déspicit nos, nec ámovet salútem suam à génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsíus fusis lácrymis postulémus, & humiliémus illi ánimas nostras. Qui non.

Lectio ij.

Misit itaque Ozías núntios per omnes civitátes & regiónes Israël. Omnis itaque régio, omnísque urbs eléctam juventútem armátam misit post eos, & persecúti sunt eos in ore gládii, quoúsque pervenírent ad extremitátem fínium suórum. Réliqui autem, qui erant in Bethúlia, ingressi sunt castra Assyriórum: & prædam, quam fugiéntes Assyrii relíquerant, abstulérunt, & onustáti sunt valde.

℟. Dominátor Dómine cælórum & terræ, creátor aquárum, Rex univérsæ creatúræ, * Exáudi oratiónem servórum tuórum. ℣. Tu Dómine, cui humílium semper & mansuetórum plácuit deprecátio. Exáudi.

Lectio iij.

Joacim autem summus Póntifex, de Jerúsalem venit in Bethúliam cum univérsis Presbýteris suis, ut vidéret Judith. Quæ cùm exísset ad illum, benedixérunt eam omnes una voce, dicéntes: Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri: quia fecísti viríliter, & confortátum est cor tuum, eò quod castitátem amáveris, & post virum tuum álterum nescíeris, ideò & manus Dómini confortávit te, & ideò eris benedícta in ætérnum. Et dixit omnis pópulus: Fiat, fiat.

℟. Dómine Deus, qui cónteris bella ab inítio, éleva bráchium tuum super Gentes, quæ cógitant servis tuis mala: * Et déxtera tua glorificétur in nobis. ℣. Allíde virtútem eórum in virtúte tua; cadat robur eórum in iracúndia tua. Et déxtera. Glória Patri. Et déxtera.

## SABBATO.

De libro Judith.

Lectio j. *Cap. 16. c.*

Et factum est post hæc, omnis pópulus post victóriam venit in Jerúsalem adoráre Dóminum, & mox ut purificáti sunt, obtulérunt omnes holocáusta, & vota, & repromissiónes suas. Porrò Judith univérsa vasa béllica Holofernis, quæ dedit illi pópulus, & conopéum, quod ipsa sustúlerat de cubíli ipsíus, óbtulit in anathéma obliviónis.

℟. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens, * Et da sermónem rectum & bene sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsæ potestátis, convérte consílium eórum super eos. Et da sermónem.

Lectio ij.

Erat autem pópulus jucúndus secúndum fáciem sanctórum, & per tres menses gáudium hujus victóriæ celebrátum est cum Judith. Post dies autem illos unusquísque rediit in domum suam, & Judith magna facta est in Bethúlia, & præclárior erat univérsæ terræ Israël. Erat étiam virtúti cástitas adjúncta, ita ut non cognósceret virum ómnibus diébus vitæ suæ, ex quo defúnctus est Manásses vir ejus. Erat autem diébus festis procédens cum magna glória.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passæ sunt, & defécimus: timor & hebetúdo mentis cécidit super nos, & super líberos nostros: ipsi montes nolunt recípere fugam nostram: * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injúste égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Lectio iij.

Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, & dimísit abram suam líberam, & defúncta est ac sepúlta cum viro suo in Bethúlia. Luxítque illam omnis pópulus diébus septem. In omni autem spátio vitæ ejus non fuit qui perturbáret Israël, & post mortem ejus annis multis. Dies au-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in número sanctórum diérum accipitur, & cólitur a Judæis ex illo témpore usque in præséntem diem.

℟. Benedicat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad nihilum redégit inimicos nostros: * Ut non deficiat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedictus Dóminus, qui creávit cælum & terram, quia hódie nomen tuum ita magnificávit. Ut non deficiat. Glória Patri. Ut non.

## SABBATO

Ante Dominicam quintam Septembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Dómine Rex omnipotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati.

## DOMINICA V.

Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Esther.

Lectio j. *Cap. 1.*

IN diébus Assuéri, qui regnávit ab India usque Æthiópiam super centum viginti septem provincias, quando sedit in sólio regni sui, Susan civitas regni ejus exórdium fuit. Tértio igitur anno impérii sui fecit grande convivium cunctis princípibus, & púeris suis, fortissimis Persárum, & Medórum inclytis, & Præfectis provinciárum coram se, ut osténderet divitias glóriæ regni sui, ac magnitúdinem atque jactántiam poténtiæ suæ multo témpore, centum videlicet & octoginta diebus.

℟. Dómine mi Rex omnipotens in ditióne tua cuncta sunt pósita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ: * Libera nos propter nomen tuum. ℣. Exaudi oratiónem nostram, & convérte luctum nostrum in gáudium. Libera nos.

Lectio ij.

CUmque impleréntur dies convivii, invitávit omnem pópulum, qui inventus est in Susan, a máximo usque ad minimum: & jussit septem diébus convivium præparári in vestibulo horti, & némoris, quod régio cultu & manu cónsitum erat. Et pendébant ex omni parte tentória aerii colóris, & carbásini ac hyacinthini, sustentáta funibus byssinis, atque purpúreis, qui ebúrneis circulis inserti erant, & colúmnis marmóreis fulciebántur. Lectuli quoque áurei, & argéntei, super paviménto smarágdino & pário stratum lápide, dispositi erant: quod mira varietáte pictúra decorábat.

℟. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens: * Et da sermónem rectum & benè sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsæ potestátis, convérte consilium eórum super eos. Et da.



Lectio iij.

BIbébant autem qui invitáti erant, áureis póculis, & áliis atque áliis vasis cibi inferebántur. Vinum quoque, ut magnificéntia régia dignum erat, abúndans, & præcipuum ponebátur. Nec erat qui noléntes cógeret ad bibéndum, sed sicut rex statúerat, præpónens mensis singulos de princípibus suis, ut súmeret unusquisque quod vellet. Vasthi quoque regina fecit convivium feminárum in palátio, ubi rex Assuérus manére consuéverat.

℟. Spem in álium numquam hábui, prætérquam in te Deus Israel: * Qui irásceris, & propitius eris, & ómnia peccáta hóminum in tribulatióne dimittis. ℣. Dómine Deus, creátor cæli & terræ, réspice ad humilitátem nostram. Qui irásceris. Glória Patri. Qui.

In secúndo Nocturno.

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Episcopi.

Lectio iv.

*Lib. 3. Cap. 15.*

QUid Esther regina, nónne ut pópulum suum periculo erúeret (quod erat decórum atque honéstum) morti se óbtulit, nec immitis regis trepidávit furórem? Ipse quoque rex Persárum ferox atque túmido corde, tamen decórum judicávit, indici insidiárum, quæ sibi parátæ forent, grátiam repræsentáre, populúmque liberum à servitúte erípere, erúere neci, nec párcere neci ejus qui tam indecóra suasisset. Dénique quem secúndum à se, ac præcípuum inter omnes amicos habéret, cruci trádidit, quòd dehonestátum se ejus fraudulént is consiliis animadvertisset.

℟. Meménto mei Dómine Deus in bonum: * Et ne déleas miseratiónes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremóniis ejus. ℣. Recordáre mei Dómine Deus meus. Et ne.

Lectio v. *Cap. 16.*

EA enim amicitia probábilis, quæ honestátem tuétur, præferénda sane ópibus, honóribus, potestátibus: honestáti verò præferri non solet, sed honestátem sequi. Qualis fuit Jónathæ, qui pro pietáte nec offensam patris, nec salútis periculum refugiébat. Qualis fuit Achímelech, qui pro hospitális grátiæ officiis necem pótius sibi, quàm proditiónem fugiéntis amici, subeúndam arbitrabátur. Nihil ígitur præferéndum honestá-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ti : quæ tamen ne amicítiæ stúdio prætereâtur, étiam hoc Scriptúra ádmonet.

℟. Tribulatiónes civitâtum audívimus, quas passæ sunt, & defécimus : timor & hebetúdo mentis cécidit super nos, & super líberos nostros, ipsi montes nolunt recípere fugam nostram : * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injústè égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Lectio vj.

SUnt enim pleræque philosophórum quæstiónes: Utrùm amíci causa quisquam contra pátriam sentíre, necne, debeat, ut amíco obédiat: Utrùm opórteat ut fidem déserat, dum indúlget atque inténdit amíci commoditátibus. Et Scriptúra quidem ait: Clava, & gládius, & sagítta ferrâta : sic homo est testimónium dans falsum advérsus amícum suum. Sed consídera quid ástruat. Non testimónium reprehéndit dictum in amícum, sed falsum testimónium. Quid enim si Dei causa, quid si pátriæ cogâtur áliquis dícere testimónium? Num quid præponderâre debet amicítia religióni, præponderâre charitáti vítium?

℟. Benedícat te Dóminus in virtûte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros: * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedíctus Dóminus, qui creávit cælum & terram, quia hódiè nomen tuum ita magnificâvit. Ut non. Glória Patri. Ut non.

℟. vij. Nos álium Deum nescímus, præter Dóminum, in quo sperâmus, * Qui non déspicit nos, nec ámovet salútem suam a génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsíus fusis lácrymis postulémus, & humiliémus illi ánimas nostras. Qui non.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus : & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

Féria quarta hujus Hebdómadæ post ij. & iij. Lectiónem dicitur ij. & iij. ℟. primi Noctúrni hujus Domínicæ.

## FERIA SECUNDA.

De libro Esther.

Lectio j. *Cap. 2.*

ERat vir Judæus in Susan civitâte, vocábulo Mardochæus, fílius Jair, fílii Sémei, fílii Cis, de stirpe Jémini, qui translâtus fúerat de Jerúsalem eo témpore, quo Jechoníam regem Juda Nabuchodónosor rex Babylónis transtúlerat, qui fuit



fuit nutrítius fíliæ fratris sui Edíssæ, quæ áltero nómine vocabâtur Esther: & utrúmque paréntem amíserat : pulchra nimis, & decóra fácie. Mortuísque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptâvit in fíliam.

℟. Dómine mi Rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita, & non est qui possit resístere voluntáti tuæ : * Líbera nos propter nomen tuum. ℣. Exáudi oratiónem nostram, & convérte luctum nostrum in gáudium. Líbera nos.

Lectio ij.

CUmque percrebuísset regis impérium, & juxta mandâtum illíus multæ pulchræ vírgines adduceréntur Susan, & Egéo traderéntur eunúcho; Esther quoque inter céteras puéllas ei trádita est, ut servarêtur in número feminárum. Quæ plácuit ei, & invénit grátiam in conspéctu illíus. Et præcépit eunúcho, ut acceleráret mundum muliébrem, & tráderet ei partes suas, & septem puéllas speciosíssimas de domo regis, & tam ipsam quàm pedísequas ejus ornáret atque excóleret. Quæ nóluit indicâre ei pópulum & pátriam suam: Mardochæus enim præcéperat ei, ut de hac re omninò retíceret : qui deambulâbat quotídiè ante vestíbulum domus, in qua eléctæ vírgines servabántur, curam agens salútis Esther.

℟. Confórta me Rex, sanctórum principâtum tenens : * Et da sermónem rectum & benè sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsæ potestátis, convérte consílium eórum super eos. Et da.

Lectio iij.

EVolúto autem témpore per órdinem, instábat dies, quo Esther fília Abíhail fratris Mardochæi, quam sibi adoptáverat in fíliam, debéret intrâre ad regem. Quæ non quæsívit muliébrem cultum, sed quæcúmque vóluit Egéus eunúchus custos vírginum, hæc ei ad ornâtum dedit. Erat enim formósa valdè : & incredíbili pulchritúdine, ómnium óculis gratiósa & amábilis videbâtur. Ducta est ítaque ad cubículum regis Assuéri mense décimo, qui vocâtur Tebeth, séptimo anno regni ejus. Et adamávit eam rex plus quàm omnes mulíeres, habuítque grátiam & misericórdiam coram eo super omnes mulíeres, & pósuit diadêma regni in cápite ejus, fecítque eam regnâre in loco Vasthi.

℟. Spem in álium numquam hábui, præterquam in te Deus Israël: * Qui irásceris, & propítius eris : & ómnia pec-

ti: quæ tamen ne amicítiæ stúdio prætereátur, étiam hoc Scriptúra ádmonet. ℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passæ sunt, & defécimus: timor & hebetúdo mentis cécidit super nos, & super líberos nostros, ipsi montes nolunt recípere fugam nostram: * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injústè égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Lectio vj.

Sunt enim pleræque philosophórum quæstiónes: Utrùm amíci causa quisquam contra pátriam sentíre, necne, debeat, ut amíco obédiat: Utrùm opórteat ut fidem déserat, dum indúlget atque inténdit amíci commoditátibus. Et Scriptúra quidem ait: Clava, & gládius, & sagítta ferráta: sic homo est testimónium dans falsum advérsus amícum suum. Sed consídera quid ástruat. Non testimónium reprehéndit dictum in amícum, sed falsum testimónium. Quid enim si Dei causa, quid si pátriæ cogátur áliquis dícere testimónium? Numquid præponderáre debet amicítia religióni, præponderáre charitáti vítium? ℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros: * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedíctus Dóminus, qui creávit cælum & terram, quia hódie nomen tuum ita magnificávit. Ut non. Glória Patri. Ut non.

℟. vij. Nos álium Deum nescímus, præter Dóminum, in quo sperámus, * Qui non déspicit nos, nec ámovet salútem suam a génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsíus fusis lácrymis postulémus, & humiliémus illi ánimas nostras. Qui non.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

Feria quarta hujus Hebdómada post ij. & iij. Lectiónem dícitur ij. & iij. ℟. primi Noctúrni hujus Domínicæ.

## FERIA SECUNDA.

De libro Esther.

Lectio j. *Cap. 2.*

Erat vir Judæus in Susan civitáte, vocábulo Mardochæus, fílius Jair, fílii Sémei, fílii Cis, de stirpe Jémini, qui translátus fúerat de Jerúsalem eo témpore, quo Jechoníam regem Juda Nabuchodónosor rex Babylónis transtúlerat, qui fuit nutrítius fíliæ fratris sui Edíssæ, quæ áltero nómine vocabátur Esther: & utrúmque paréntem amíserat: pulchra nimis, & decóra fácie. Mortuísque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptávit in fíliam. ℟. Dómine mi Rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita, & non est qui possit resístere voluntáti tuæ: * Líbera nos propter nomen tuum. ℣. Exáudi oratiónem nostram, & convérte luctum nostrum in gáudium. Líbera nos.

Lectio ij.

Cumque percrebuísset regis impérium, & juxta mandátum illíus multæ pulchræ vírgines adduceréntur Susan, & Egéo traderéntur eunúcho; Esther quoque inter céteras puéllas ei trádita est, ut servarétur in número feminárum. Quæ plácuit ei, & invénit grátiam in conspéctu illíus. Et præcépit eunúcho, ut acceleráret mundum mulíebrem, & tráderet ei partes suas, & septem puéllas speciosíssimas de domo regis, & tam ipsam quam pedísequas ejus ornáret atque excóleret. Quæ nóluit indicáre ei pópulum & pátriam suam: Mardochæus enim præcéperat ei, ut de hac re omnínò retacéret: qui deambulábat quotídie ante vestíbulum domus, in qua eléctæ vírgines servabántur, curam agens salútis Esther. ℟. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens: * Et da sermónem rectum & bene sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsæ potestátis, convérte consílium eórum super eos. Et da.

Lectio iij.

Evolúto autem témpore per órdinem, instábat dies, quo Esther fília Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptáverat in fíliam, debéret intráre ad regem. Quæ non quæsívit muliébrem cultum, sed quæcúmque vóluit Egéus eunúchus custos vírginum, hæc ei ad ornátum dedit. Erat enim formósa valde: & incredíbili pulchritúdine, ómnium óculis gratiósa & amábilis videbátur. Ducta est ítaque ad cubículum regis Assuéri mense décimo, qui vocátur Tebeth, séptimo anno regni ejus. Et adamávit eam rex plus quam omnes mulíeres, habuítque grátiam & misericórdiam coram eo super omnes mulíeres, & pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre in loco Vasthi. ℟. Spem in álium numquam hábui, præterquam in te Deus Israel: * Qui irásceris, & propítius eris: & ómnia pec-

peccáta hóminum in tribulatióne dimíttis. ℣. Dómine Deus creátor cæli & terræ, réspice ad humilitátem nostram. Qui. Glória Patri. Qui.

## FERIA TERTIA.

De libro Esther.

Lectio j. *Cap. 3.*

POst hæc rex Assuérus exaltávit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: & pósuit sólium ejus super omnes príncipes, quos habébat. Cunctíque servi regis, qui in fóribus palátii versabántur, flectébant genua, & adorábant Aman: sic enim præcéperat eis Imperátor. Solus Mardochæus non flectébat genu, neque adorábat eum. Cui dixérunt púeri regis, qui ad fores palátii præsidébant: Cur præter céteros non obsérvas mandátum regis?

℟. Meménto mei Dómine Deus in bonum: * Et ne déleas miseratiónes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremóniis ejus. ℣. Recordáre mei Dómine Deus meus. Et ne.

Lectio ij.

CUmque hoc crébriùs dícerent, & ille nollet audíre, nuntiavérunt Aman, scire cupiéntes, utrum perseveráret in senténtia: díxerat enim eis se esse Judæum. Quod cum audísset Aman, & experiménto probásset, quòd Mardochæus non flécteret sibi genu, nec se adoráret, irátus est valdè, & pro nihilo duxit in unum Mardochæum míttere manus suas.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passæ sunt & defécimus: timor & hebetúdo mentis cécidit super nos, & super liberos nostros, ipsi montes nolunt recípere fugam nostram: * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injústè égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Lectio iij.

AUdíerat enim quòd esset gentis Judææ, magísque vóluit omnem Judæórum, qui erant in regno Assuéri, pérdere natiónem. Mense primo (cujus vocábulum est Nisan) anno duodécimo regni Assuéri, missa est sors in Urnam, quæ Hebráicè dícitur Phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Judæórum déberet interfíci: & exívit mensis duodécimus, qui vocátur Adar.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros: * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedíctus Dóminus, qui creávit cælum & terram: quia hódiè nomen tuum ita magnificávit. Ut non defíciat. Glória Patri. Ut non.

FE-



## FERIA QUARTA.

De libro Esther.

Lectio j. *Cap. 4.*

QUæ cùm audísset Mardochæus, scidit vestiménta sua: & indútus est sacco, spargens cínerem cápiti, & in platéa médiæ civitátis voce magna clamábat, osténdens amaritúdinem ánimi sui, & hoc ejulátu usque ad fores palátii grádiens. Non enim erat lícitum indútum sacco aulam regis intráre. In ómnibus quoque provínciis, óppidis, ac locis, ad quæ crudéle regis dogma pervénerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejúnium, ululátus, & fletus, sacco & cínere multis pro strato uténtibus. Ingréssæ autem sunt puéllæ Esther, & eunúchi, nuntiaverúntque ei. Quod áudiens consternáta est: & vestem misit, ut abláto sacco, indúerent eum: quam accípere nóluit. Accitóque Athach eunúcho, quem rex ministrum ei déderat, præcépit ei, ut iret ad Mardochæum, & dísceret ab eo cur hoc fáceret.

℟. Nos álium Deum nescímus, præter Dóminum, in quo sperámus: * Qui non déspicit nos, nec ámovet salútem suam à génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsius fusis lácrymis postulémus, & humiliémus illi ánimas nostras. Qui non.

Lectio ij.

EGressúsque Athach ivit ad Mardochæum stantem in platéa civitátis ante óstium palátii: qui indicávit ei ómnia quæ accíderant, quómodò Aman promisísset, ut in thesáuros regis pro Judæórum nece inférret argéntum. Exemplar quoque edícti, quod pendébat in Susan, dedit ei, ut regínæ osténderet, & monéret eam, ut intráret ad regem, & deprecarétur eum pro pópulo suo. Regréssus Athach, nuntiávit Esther ómnia quæ Mardochæus díxerat. Quæ respóndit ei, & jussit ut díceret Mardochæo: Omnes servi regis, & cunctæ, quæ sub ditióne ejus sunt, norunt provínciæ, quòd sive vir, sive múlier non vocátus, intérius átrium regis intráverit, absque ulla cunctatióne statim interficiátur: nisi fortè rex áuream virgam ad eum teténderit pro signo cleméntiæ, atque ita possit vívere. Ego ígitur quómodò ad regem intráre pótero, quæ trigínta jam diébus non sum vocáta ad eum?

℟. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens: * Et da sermónem rectum & benè sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsæ potestátis, convérte consílium eórum super eos. Et da sermónem.

Lec

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Lectio iij.

QUod cùm audiſſet Mardochæus, rursùm mandávit Esther, dicens: Ne putes quòd ánimam tuam tantùm líberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis: si enim nunc silúeris, per áliam occasiónem liberabúntur Judæi: & tu, & domus patris tui períbitis. Et quis novit utrùm idcírcò ad regnum véneris, ut in tali témpore pararéris? Rursúmque Esther hæc Mardochæo verba mandávit: Vade, & cóngrega omnes Judæos, quos in Susan repéreris, & orate pro me. Non comedátis, & non bibátis tribus diébus & tribus nóctibus: & ego cum ancíllis meis simíliter jejunábo, & tunc ingrédiar ad regem contra legem fáciens, non vocáta, tradénsque me morti & perículo. Ivit ítaque Mardochæus, & fecit ómnia quæ ei Esther præcéperat.

℟. Spem in álium numquam hábui, prætérquam in te Deus Israel. * Qui irásceris, & propítius eris: & ómnia peccáta hóminum in tribulatióne dimíttis. ℣. Dómine Deus creátor cæli & terræ, réspice ad humilitátem nostram. Qui irásceris. Glória Patri. Qui irásceris.

## FERIA QUINTA.

De libro Esther.

Lectio j. *Cap. 5.*

DIe autem tértio indúta est Esther regálibus vestiméntis, & stetit in átrio domus regiæ, quod erat intérius, contra basílicam regis: at ille sedébat super sólium suum in consistório palátii contra óstium domus. Cúmque vidísset Esther regínam stantem, plácuit óculis ejus, & exténdit contra eam virgam auream, quam tenébat manu. Quæ accédens, osculáta est summitátem virgæ ejus. Dixítque ad eam rex: Quid vis Esther regína? quæ est petítio tua? etiam si dimídiam partem regni petíeris, dabitur tibi. At illa respóndit: Si regi placet, óbsecro, ut vénias ad me hódie, & Aman tecum ad convívium quod parávi. Statímque rex: Vocáte, inquit, citò Aman, ut Esther obédiat voluntáti.

℟. Dómine mi Rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita, & non est qui possit resístere voluntáti tuæ: * Líbera nos propter nomen tuum. ℣. Exáudi oratiónem nostram, & convérte luctum nostrum in gáudium. Líbera.

Lectio ij.

EGréssus est ítaque illo die Aman lætus & álacer. Cúmque vidísset Mardochæum sedéntem ante fores palátii, & non solùm non assurrexísse sibi, sed nec motum quidem de loco sessiónis suæ, indignátus est valdè: & dissimuláta ira, revérsus in domum suam, convocávit ad se amícos suos, & Zares uxórem suam: & expósuit illis magnitúdinem divitiárum suárum, filiorúmque turbam, & quanta cum glória super omnes príncipes & servos suos rex elevásset. Et post hæc ait: Regína quoque Esther nullum álium vocávit ad convívium cum rege, præter me: apud quam étiam cras cum rege pransúrus sum. Et cùm hæc ómnia hábeam, nihil me habére puto, quámdiu vídero Mardochæum Judæum sedéntem ante fores régias.

℟. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens: * Et da sermónem rectum & bene sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsæ potestátis, convérte consílium eórum super eos. Et da sermónem.

Lectio iij.

REsponderúntque ei Zares uxor ejus, & céteri amíci: Jube parári excélsam trabem, habéntem altitúdinis quinquagínta cúbitos, & dic manè regi ut appendátur super eam Mardochæus, & sic ibis cum rege lætus ad



convívium. Plácuit ei consílium, & jussit excélsam parári crucem.

℟. Spem in álium numquam hábui, prætérquam in te Deus Israel: * Qui irásceris, & propítius eris: & ómnia peccáta hóminum in tribulatióne dimíttis. ℣. Dómine Deus creátor cæli & terræ, réspice ad humilitátem nostram. Qui irásceris. Glória Patri. Qui irásceris.

## FERIA SEXTA.

De libro Esther.

Lectio j. *Cap. 6.*

NOctem illam duxit rex insómnem, jussítque sibi afférri histórias & annáles priórum témporum. Quæ cùm illi præsénte legeréntur, ventum est ad illum locum ubi scriptum erat, quómodò nuntiásset Mardochæus insídias Bagathan & Thares eunuchórum, regem Assuérum jugulare cupiéntium. Quod cùm audísset rex, ait: Quid pro hac fide honóris ac prǽmii Mardochæus consecútus est? Dixérunt ei servi illíus ac minístri: Nihil omninò mercédis accépit. Statímque rex: Quis est, inquit, in átrio? Aman quippe intérius átrium domus regiæ intráverat, ut suggéreret regi, & jubéret Mardochæum affígi patíbulo, quod ei fúerat præparátum. Respondérunt púeri:

Aman

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Aman stat in átrio. Dixítque rex: Ingrediátur.

℟. Meménto mei Dómine Deus in bonum: * Et ne déleas miseratiónes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremóniis ejus. ℣. Recordáre mei Dómine Deus meus. Et ne déleas.

Lectio ij.

Cumque esset ingréssus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honoráre desiderat? Cógitans autem in corde suo Aman, & réputans, quod nullum álium rex, nisi se, vellet honoráre, respóndit: Homo, quem rex honoráre cupit, debet indui véstibus régiis, & impóni super equum, qui de sella regis est, & accípere régium diadéma super caput suum, & primus de régiis princípibus ac tyránnis téneat equum ejus, & per platéam civitátis incédens clamet, & dicat: Sic honorábitur, quemcúmque volúerit rex honoráre.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passæ sunt, & defécimus: timor & hebetúdo mentis cecídit super nos, & super líberos nostros, ipsi montes nolunt recípere fugam nostram: * Dómine miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injústè égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Lectio iij.

Dixítque ei rex: Festína, & sumpta stola & equo, fac, ut locútus es, Mardochæo Judæo, qui sedet ante fores palátii. Cave, ne quídquam de his, quæ locútus es, prætermittas. Tulit itaque Aman stolam & equum, indutúmque Mardochæum in platéa civitátis, & impósitum equo præcedébat, atque clamábat: Hoc honóre condígnus est, quemcúmque rex volúerit honoráre. Reversúsque est Mardochæus ad jánuam palátii, & Aman festinávit ire in domum suam, lugens & opérto cápite: narravítque Zares uxóri suæ, & amícis ómnia quæ evenissent sibi.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros: * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedíctus Dóminus, qui creávit cælum & terram: quia hódie nomen tuum ita magnificávit. Ut non defíciat. Glória Patri. Ut non.

## SABBATO.

De libro Esther.

Lectio j. *Cap. 7.*

Intrávit itaque rex & Aman, ut biberent cum regína. Dixítque ei rex étiam secúnda die, postquam vino incalúerat: Quæ est petítio tua Esther ut detur tibi? & quid vis fieri? étiam si di-



dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Ad quem illa respóndit: Si invéni grátiam in óculis tuis ò rex, & si tibi placet, dona mihi ánimam meam pro qua rogo, & pópulum meum pro quo óbsecro. Tráditi enim sumus ego & pópulus meus, ut conterámur, jugulémur, & pereámus. Atque útinam in servos & fámulas venderémur, esset tolerábile malum, & gemens tacérem: nunc autem hostis noster est, cujus crudélitas redúndat in regem.

℟. Nos álium Deum nescímus, præter Dóminum, in quo sperámus: * Qui non déspicit nos, nec ámovet salútem suam à génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsius fusis lácrymis postulémus, & humiliémus illi ánimas nostras. Qui non.

Lectio ij.

Respondénsque rex Assuérus ait: Quis est iste, & cujus potentiæ, ut hæc áudeat fácere? Dixítque Esther, Hostis & inimícus noster péssimus iste est Aman. Quod ille áudiens, illico obstúpuit, vultum regis ac regínæ ferre non sústinens. Rex autem irátus, surrexit, & de loco convívii intrávit in hortum arbóribus cónsitum. Aman quoque surréxit ut rogáret Esther regínam pro ánima sua: intelléxit enim à rege sibi parátum malum.

℟. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens: * Et da sermónem rectum & benè sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsæ potestátis, convérte consílium eórum super eos. Et da.

Lectio iij.

Qui cùm revérsus esset de horto nemóribus cónsito, & intrásset convívii locum, réperit Aman super léctulum corruisse, in quo jacébat Esther, & ait: Etiam regínam vult opprímere, me præsénte, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exíerat, & statim operuérunt fáciem ejus. Dixítque Harbóna, unus de eunúchis, qui stabant in ministério regis: En lignum, quod paráverat Mardochæo, qui locútus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitúdinis quinquaginta cúbitos. Cui dixit rex: Appéndite eum in eo. Suspénsus est itaque Aman in patíbulo quod paráverat Mardochæo: & regis ira quiévit.

℟. Spem in álium numquam hábui, præterquam in te Deus Israel: * Qui irásceris, & propítius eris: & ómnia peccáta hóminum in tribulatióne dimíttis. ℣. Dómine Deus creátor cæli & terræ, réspice ad humilitátem nostram. Qui irásceris. Glória Patri. Qui irásceris.

SAB-

## SABBATO
Ante Dominicam primam Octóbris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem Dóminus Deus noster.

## DOMINICA I.
Octóbris.

In primo Noctúrno.

Incipit liber primus Machabæórum.

Léctio j. *Cap. 1.*

ET factum est, postquam percússit Alexánder Philíppi Macedo, qui primus regnávit in Græcia, egréssus de terra Cethim, Daríum regem Persárum & Medórum: constítuit prælia multa, & obtínuit ómnium munitiónes, & interfécit reges terræ. Et pertransíit usque ad fines terræ, & accépit spólia multitúdinis Géntium: & síluit terra in conspéctu ejus. Et congregávit virtútem, & exércitum fortem nimis, & exaltátum est & elevátum cor ejus: & obtínuit regiónes Géntium, & tyránnos: & facti sunt illi in tribútum. Et post hæc décidit in lectum, & cognóvit quia morerétur. Et vocávit púeros suos nóbiles, qui secum erant nutríti à juventúte: & divísit illis regnum suum, cùm adhuc víveret.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Léctio ij.

ET regnávit Alexánder annis duódecim, & mórtuus est. Et obtinuérunt púeri ejus regnum, unusquísque in loco suo: & imposuérunt omnes sibi diadémata post mortem ejus, & fílii eórum post eos annis multis, & multiplicáta sunt mala in terra. Et exiit ex eis radix peccátrix, Antíochus illústris, fílius Antíochi regis, qui fúerat Romæ obses: & regnávit in anno centésimo trigésimo séptimo regni Græcórum.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo: * Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. Dóminus.

Léctio iij.

IN diébus illis exiérunt ex Israël fílii iníqui, & suasérunt multis, dicéntes: Eámus, & disponámus testaméntum cum Géntibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recéssimus ab eis, invenérunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in óculis eórum. Et destinavérunt áliqui de pópulo, & abiérunt ad regem: & dedit illis potestátem ut fácerent justítiam Géntium. Et ædificavérunt gymnásium in Jerosólymis secúndùm leges Natiónum. Et fecérunt sibi præpútia, & recessérunt à testaménto sancto, & juncti sunt Natiónibus, & venúmdati sunt ut fácerent malum.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, & gloriántur in virtúte sua: cóntere fortitúdinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, & déstrue eos protéctor noster Dómine. Ut cognóscant. Glória Patri. Ut.

In secúndo Noctúrno.

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib. 1. Cap. 40.*

Léctio iv.

FOrtássè áliquos béllica defíxos glória tenet, ut putent solam esse præliárem fortitúdinem: & idèò me ad ista deflexísse, quia illa nostris déforet. Quàm fortis Jesus Nave, ut uno prælio quinque reges captos stérneret cùm pópulis suis? Deindè cùm advérsùm Gabaonítas urgéret prælium, & vererétur ne nox impedíret victóriam, magnitúdine mentis & fídei clamávit: Stet sol: & stetit, donec victória consummarétur. Gédeon in trecéntis viris de ingénti pópulo & acérbo hoste revéxit triúmphum. Jónathas adoléscens virtútem magnam fecit in prælio.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: mémores estóte, quómodò salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cælum, & miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercítui ejus in mari Rubro. Et nunc.

Léctio v.

QUid de Machabæis loquar? Sed priùs de pópulo dicam patrum: qui cum essent paráti ad repugnándum pro templo Dei, & pro legítimis suis, dolo hóstium die lacessíti Sábbati, maluérunt vulnéribus offérre nuda córpora, quàm repugnáre, ne violárent Sábbatum. Itaque omnes læti se obtulérunt morti. Sed Machabæi considerántes quòd hoc exémplo gens omnis posset períre, Sábbato étiam, cùm ipsi in bellum provocaréntur, ulti sunt innocéntium



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tium decem fratrum suórum. Unde póstea stimulátus rex Antiochus, cùm bellum accénderet per duces suos Lysiam, Nicánorem, Górgiam, ita cum Orientálibus suis & Assyriis attritus est cópiis, ut quadraginta & octo millia in médio campi à tribus míllibus prosterneréntur.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodò potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos? Dómine.

Lectio vj.

Virtútem ducis Judæ Machabæi de uno ejus mílite considerate. Namque Eleázarus, cùm supereminéntem céteris elephántem loríca vestitum régia advérteret, arbitrátus quod in eo esset rex, cursu cóncito in médium legiónis se prorúpit: & abjécto clýpeo, utráque manu interficiébat, donec pervenìret ad béstiam, atque intrávit sub eam, & subjécto gládio interémit eam. Itaque cadens béstia, oppréssit Eleázarum, atque ita mórtuus est. Quanta igitur virtus ánimi! primò, ut mortem non timéret: deìndè ut circumfúsus legiónibus inimicórum, in confértos raperétur hostes, médium penetráret agmen, & contémpta morte ferócior, abjécto clýpeo, utráque manu vulnerátæ molem béstiæ subíret ac sustinéret, pòst infrà ipsam succéderet, quo pleniòri feríret ictu: cujus ruína inclúsus, magis quàm oppréssus, suo est sepúltus triúmpho.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

℟. vij. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

Infra Hebdómadam, Féria iv. & Sábbato post ij. & iij. Lectiónes dicitur ij. & iij. ℟. sequentis Fériæ ij. Responsória hujus Domínicæ dicúntur in sequéntibus Domínicis usque ad Domínicam primam Novembris.



## FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 1. c

Et parátum est regnum in conspéctu Antiochi, & cœpit regnáre in Terra Ægypti, ut regnáret super duo regna. Et intrávit in Ægyptum in multitúdine gravi in cúrribus, & elephántis, & equítibus, & copiósa návium multitúdine: & constítuit bellum advérsus Ptolemæum regem Ægypti; & véritus est Ptolemæus à fácie ejus, & fugit, & cecidérunt vulneráti multi. Et comprehéndit civitátes munítas in Terra Ægypti, & accépit spólia Terræ Ægypti.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo: Elige tibi viros, & vade, líbera fratres tuos, in Galilæam: ego autem, & Jónathas frater tuus, íbimus in Galaaditim; * Sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat. ℣. Accíngimini filii poténtes, & estóte paráti: quóniam mélius est nobis mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ, & sanctórum. Sicut.

Lectio ij.

Et convértit Antiochus, postquam percússit Ægyptum in centésimo & quadragésimo tértio anno: & ascéndit ad Israël, & ascéndit Jerosólymam in multitúdine gravi. Et intrávit in sanctificatiónem cum supérbia, & accépit altáre áureum, & candelábrum lúminis, & univérsa vasa ejus, & mensam propositiónis, & libatória, & phíalas, & mortaríola áurea, & velum, & corónas, & ornaméntum áureum quod in fácie templi erat: & comminuit ómnia.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

Et accépit argéntum, & aurum, & vasa concupiscibília: & accépit thesáuros occúltos quos invénit: & sublátis ómnibus ábiit in terram suam. Et fecit cædem hóminum, & locútus est in supérbia magna. Et factus est planctus magnus in Israël, & in omni loco eórum: & ingemuérunt príncipes, & senióres: vírgines & júvenes infirmáti sunt, & speciósitas mulíerum immutáta est. Omnis marítus sumpsit laméntum: & quæ sedébant in thoro maritáli, lugébant. Et commóta est terra super habitántes in ea, & univérsa domus Jacob índuit confusiónem.

℟. In

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

tium necem fratrum suórum. Unde póstea stimulátus rex Antiochus, cùm bellum accénderet per duces suos Lysiam, Nicánorem, Górgiam, ita cum Orientálibus suis & Assyriis attritus est cópiis, ut quadraginta & octo míllia in médio campi à tribus míllibus prosterneréntur.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodò potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos? Dómine.

Lectio vj.

VIrtútem ducis Judæ Machabæi de uno ejus mílite considerate. Namque Eleázarus, cùm supereminéntem céteris elephántem loríca vestitum régia advérteret, arbitrátus quòd in eo esset rex, cursu cóncito in médium legiónis se prorúpit: & abjécto clypeo, utrâque manu interficiébat, donec perveníret ad béstiam, atque intrávit sub eam, & subjécto gládio interémit eam. Itaque cadens béstia, oppréssit Eleázarum, atque ita mórtuus est. Quanta ígitur virtus ánimi! primò, ut mortem non timéret: deíndè ut circumfúsus legiónibus inimicórum, in confértos raperétur hostes, médium penetráret agmen, & contémpta morte ferócior, abjécto clypeo, utrâque manu vulnerátæ molem béstiæ subíret ac sustinêret, pòst infrà ipsam succéderet, quo plenióri feríret ictu: cujus ruína inclúsus, magis quam oppréssus, suo est sepúltus triúmpho.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

℟. vij. Refúlsit sol in clypeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

Infra Hebdómadam, Féria ivi & Sábbato post ij. & iij. Lectiónes dicitur ij. & iij. ℟. sequentis Fériæ ij.

Responsória hujus Domínicæ dicúntur in sequéntibus Domínicis usque ad Domínicam primam Novémbris.



## FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabeórum.

Léctio j. Cap. 1. c

ET parátum est regnum in conspéctu Antiochi, & cœpit regnáre in Terra Ægypti, ut regnáret super duo regna. Et intrávit in Ægyptum in multitúdine gravi in cúrribus, & elephántis, & equítibus, & copiósa návium multitúdine: & constítuit bellum advérsùs Ptolemæum regem Ægypti; & véritus est Ptolemæus à fácie ejus, & fugit, & cecidérunt vulneráti multi. Et comprehéndit civitátes munítas in Terra Ægypti, & accépit spólia Terræ Ægypti.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo: Elige tibi viros, & vade, líbera fratres tuos, in Galilæam: ego autem, & Jónathas frater tuus, íbimus in Galaaditim; * Sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat. ℣. Accíngimini fílii poténtes, & estóte paráti: quóniam mélius est nobis mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ, & sanctórum. Sicut.

Léctio ij.

ET convértit Antiochus, postquam percússit Ægyptum in centésimo & quadragésimo tértio anno: & ascéndit ad Israël, & ascéndit Jerosólymam in multitúdine gravi. Et intrávit in sanctificatiónem cum supérbia, & accépit altáre áureum, & candelábrum lúminis, & univérsa vasa ejus, & mensam propositiónis, & libatória, & phíalas, & mortariola áurea, & velum, & corónas, & ornaméntum áureum quod in fácie templi erat: & comminuit ómnia.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Léctio iij.

ET accépit argéntum, & aurum, & vasa concupiscibília: & accépit thesáuros occúltos quos invénit: & sublátis ómnibus ábiit in terram suam. Et fecit cædem hóminum, & locútus est in supérbia magna. Et factus est planctus magnus in Israël, & in omni loco eórum: & ingemuérunt príncipes, & senióres: vírgines & júvenes infirmáti sunt, & speciósitas mulíerum immutáta est. Omnis marítus sumpsit laméntum: & quæ sedébant in thoro maritáli, lugébant. Et commóta est terra super habitántes in ea, & univérsa domus Jacob induit confusiónem.

℟. In

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israel, & victóriam dedit illis Dominus omnipotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

Responsoria hujus ij. Feriæ repetuntur in aliis secundis Feriis, usque ad Dominicam primam Novembris.

## FERIA TERTIA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 2.*

IN diebus illis surrexit Mathathias filius Joánnis, filii Simeónis, sacerdos ex filiis Joarib ab Jerúsalem, & consédit in monte Modin: & habébat filios quinque, Joánnem, qui cognominabátur Gaddis: & Simónem, qui cognominabátur Thasi: & Judam, qui vocabátur Machabæus: & Eleázarum, qui cognominabátur Abaron: & Jónathan, qui cognominabátur Apphus. Hi vidérunt mala, quæ fiebant in pópulo Juda, & in Jerúsalem.

℟. Hic est fratrum amátor, & pópuli Israel. * Hic est qui multùm orat pro pópulo, & univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit. Hic est.

Lectio ij.

ET dixit Mathathias: Væ mihi, ut quid natus sum vidére contritiónem pópuli mei, & contritiónem civitátis sanctæ, & sedére illic, cùm datur in mánibus inimicórum? Sancta in manu extraneórum facta sunt: templum ejus sicut homo ignobilis. Vasa glóriæ ejus captiva abdúcta sunt: trucidáti sunt senes ejus in platéis, & júvenes ejus cecidérunt in gládio inimicórum. Quæ gens non hereditávit regnum ejus, & non obtínuit spólia ejus?

℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam: voluísti templum tuum fieri in nobis: * Conserva domum istam immaculátam in ætérnum Dómine. ℣. Tu elegísti Dómine domum istam ad invocándum nomen tuum in ea, ut esset domus oratiónis & obsecratiónis pópulo tuo. Conserva domum.

Lectio iij.

ET scidit vestiménta sua Mathathias, & filii ejus: & operuérunt se cilíciis, & planxérunt valdè. Et venérunt illuc qui missi erant à rege Antiocho, ut cógerent eos, qui confúgerant in civitátem Modin, immoláre, & accéndere thura, & à lege Dei discédere. Et multi de po-



pópulo Israël consentiéntes accessérunt ad eos: sed Mathathias, & filii ejus constánter stetérunt.

℟. Aperi óculos tuos Dómine, & vide afflictiónem nostram: circumdedérunt nos Gentes ad puniéndum nos: * Sed tu Dómine exténde bráchium tuum, & líbera ánimas nostras. ℣. Affige opprimentes nos, & contuméliam faciéntes in supérbiam: & custódi partem tuam. Sed tu Dómine. Glória Patri. Sed tu.

Responsoria hujus iij. Feriæ repetuntur in aliis tertiis Feriis, usque ad Dominicam primam Novembris.

## FERIA QUARTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 2. b*

ET respóndit Mathathias, & dixit magna voce: Et si omnes Gentes regi Antiocho obédiunt, ut discédat unusquisque à servitúte legis patrum suórum, & consentiat mandátis ejus: ego, & filii mei, & fratres mei, obediémus legi patrum nostrórum. Propítius sit nobis Deus: non est nobis útile relínquere legem, & justítias Dei: non audiémus verba regis Antiochi, nec sacrificábimus transgrediéntes legis nostræ mandáta, ut eámus áltera via.

℟. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prǽlio. Et.

Lectio ij.

ET ut cessávit loqui verba hæc, accéssit quidam Judæus in ómnium óculis sacrificáre idólis super aram in civitáte Modin, secúndùm jussum regis: & vidit Mathathias, & dóluit, & contremuérunt renes ejus, & accénsus est furor ejus secúndùm judícium legis, & insíliens trucidávit eum super aram: sed & virum, quem rex Antíochus míserat, qui cogébat immoláre, occídit in ipso témpore, & aram destrúxit, & zelátus est legem sicut fecit Phinees Zamri filio Salómi.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

ET exclamávit Mathathias voce magna in civitáte, dicens: Omnis, qui zelum habet legis státuens testaméntum, éxeat post me. Et fugit ipse, & filii ejus in montes,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

& reliquérunt quæcúmque habébant in civitáte. Tunc descendérunt multi quæréntes judícium & justítiam in desértum: & sedérunt ibi ipsi, & fílii eórum, & mulíeres eórum, & pécora eórum: quóniam inundavérunt super eos mala.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israel, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

## FERIA QUINTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 2. f*

ET appropinquavérunt dies Mathathíæ moriéndi, & dixit fíliis suis: Nunc confortáta est supérbia, & castigátio, & tempus eversiónis, & ira indignatiónis. Nunc ergo, ò fílii, æmulatóres estóte legis, & date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum, & mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis: & accipiétis glóriam magnam, & nomen ætérnum. Abraham nonne in tentatióne invéntus est fidélis, & reputátum est ei ad justítiam? Joseph in témpore angústiæ suæ custodívit mandátum, & factus est dóminus Ægypti. Phinees pater noster, zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Lectio ij.

JEsus, dum implévit verbum, factus est dux in Israël. Caleb, dum testificátur in Ecclésia, accépit hereditátem. David in sua misericórdia consecútus est sedem regni in sæcula. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cælum. Ananías, & Azarías, & Misaël credéntes, liberáti sunt de flamma. Dániël in sua simplicitáte liberátus est de ore leónum. Et ita cogitáte per generatiónem, & generatiónem: quia omnes qui sperant in eum, non infirmántur. Et à verbis viri peccatóris ne timuéritis: quia glória ejus stercus & vermis est: hódie extóllitur, & cras non inveniétur: quia convérsus est in terram suam, & cogitátio ejus périit.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, * Dóminus Deus



Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. Dóminus.

Lectio iij.

VOs ergo fílii confortámini, & viríliter ágite in lege, quia in ipsa gloriósi éritis. Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir consílii est: ipsum audíte semper, & ipse erit vobis pater. Et Judas Machabæus fortis víribus à juventúte sua, sit vobis princeps milítiæ, & ipse aget bellum pópuli. Et adducétis ad vos omnes factóres legis: & vindicáte vindíctam pópuli vestri. Retribúite retributiónem Géntibus, & inténdite in præcéptum legis. Et benedíxit eos, & appósitus est ad patres suos.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, & gloriántur in virtúte sua: cóntere fortitúdinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, & déstrue eos protéctor noster Dómine. Ut cognóscant. Glória Patri. Ut.

## FERIA SEXTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 2. g & 3.*

DEfúnctus est Mathathías anno centésimo & quadragésimo sexto: & sepúltus est à fíliis suis in sepúlchris patrum suórum in Modin, & planxérunt eum omnis Israël planctu magno. Et surréxit Judas, qui vocabátur Machabæus, fílius ejus pro eo: & adjuvábant eum omnes fratres ejus, & univérsi qui se conjúnxerant patri ejus, & præliabántur prælium Israël cum lætítia. Et dilatávit glóriam pópulo suo. Et persecútus est iníquos, perscrútans eos: & qui conturbábant pópulum suum, eos succéndit flammis, & repúlsi sunt inimíci ejus præ timóre ejus, & omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt: & dirécta est salus in manu ejus.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: mémores estóte, quómodò salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cælum, & miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercítui ejus in mari Rubro. Et.

Lectio ij.

ET exacerbábat reges multos, & lætificábat Jacob in opéribus suis, & in sæculum memória ejus in benedictióne. Et perambulávit civitátes Juda, & pérdidit ímpios ex eis, & avértit iram ab Israël. Et nominátus est usque ad novíssimum terræ, & congregávit pereúntes. Et congregávit Apollónius



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Gentes, & à Samaria virtútem multam & magnam, ad bellándum contra Israël. Et cognóvit Judas, & éxiit óbviam illi: & percússit, & occídit illum: & cecidérunt vulneráti multi, & réliqui fugérunt. Et accépit spólia eórum: & gládium Apollónii ábstulit Judas, & erat pugnans in eo ómnibus diébus.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodò poterímus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos? Dómine.

Lectio iij.

ET cécidit timor Judæ, ac fratrum ejus, & formído super omnes Gentes in circúitu eórum. Et pervénit ad regem nomen ejus: & de prœliis Judæ narrábant omnes Gentes. Ut audívit autem rex Antíochus sermónes istos, irátus est ánimo: & misit, & congregávit exércitum univérsi regni sui, castra fórtia valdè: & apéruit ærárium suum, & dedit stipéndia exercítui in annum: & mandávit illis ut essent paráti ad ómnia.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem Dómine. Glória Patri. Da pacem.

SABBATO.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 3. f*

ET vidit Judas, & fratres ejus, quia multiplicáta sunt mala, & exércitus applicábant ad fines eórum: & cognovérunt verba regis, quæ mandávit pópulo fácere in intéritum & consummatiónem: & dixérunt unusquísque ad próximum suum: Erigámus dejectiónem pópuli nostri, & pugnémus pro pópulo nostro, & sanctis nostris. Et congregátus est convéntus ut essent paráti in prœlium: & ut orárent, & péterent misericórdiam & miseratiónes. Et Jerúsalem non habitabátur, sed erat sicut desértum: non erat qui ingrederétur & egrederétur de natis ejus: & sanctum conculcabátur: & fílii alienigenárum erant in arce, ibi erat habitátio Géntium: & abláta est volúptas à Jacob, & defécit ibi tíbia & cíthara.

℟. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis, & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prœlio. Et fortitúdo.



Lectio ij.

ET congregáti sunt, & venérunt in Maspha contra Jerúsalem: quia locus oratiónis erat in Maspha ante in Israël. Et jejunavérunt illa die, & induérunt se cilíciis, & cínerem imposuérunt cápiti suo, & discidérunt vestiménta sua: & expandérunt libros legis, de quibus scrutabántur Gentes similitúdinem simulacrórum suórum: & attulérunt ornaménta sacerdotália, & primítias, & décimas: & suscitavérunt Nazaræos, qui impléverant dies: & clamavérunt voce magna in cælum dicéntes: Quid faciémus istis, & quò eos ducémus? & sancta tua conculcáta sunt, & contamináta sunt, & sacerdótes tui facti sunt in luctum, & in humilitátem. Et ecce Natiónes convenérunt advérsum nos ut nos dispérdant: tu scis quæ cógitant in nos. Quómodò potérimus subsístere ante fáciem eórum, nisi tu Deus ádjuves nos?

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

ET tubis exclamavérunt voce magna. Et post hæc constítuit Judas duces pópuli, tribúnos, & centuriónes, & pentacontháreos, & decuriónes. Et dixit his qui ædificábant domos, & sponsábant uxóres, & plantábant víneas, & formidolósis, ut redírent unusquísque in domum suam secúndùm legem. Et movérunt castra, & collocavérunt ad Austrum Emmaüm. Et ait Judas: Accíngimini, & estóte fílii poténtes, & estóte paráti in mane, ut pugnétis advérsùs Natiónes has, quæ convenérunt advérsùs nos dispérdere nos, & sancta nostra: quóniam mélius est nos mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ, & sanctórum. Sicut autem fúerit volúntas in cælo, sic fiat.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

Ad Magníficat, Antiphona.

Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: & fortitúdo Géntium dissipáta est.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

## DOMINICA II. Octóbris.

### In primo Noctúrno.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 4. e*

DIxit autem Judas, & fratres ejus: Ecce contríti sunt inimíci nostri: ascendámus nunc mundáre sancta, & renováre. Et congregátus est omnis exércitus, & ascendérunt in montem Sion. Et vidérunt sanctificatiónem desértam, & altáre profanátum, & portas exústas, & in átriis virgúlta nata sicut in saltu vel in móntibus, & pastophória dirúta. Et scidérunt vestiménta sua, & planxérunt planctu magno: & imposuérunt cínerem super caput suum. Et cecidérunt in fáciem super terram, & exclamavérunt tubis signórum, & clamavérunt in cælum.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Lectio ij.

TUnc ordinávit Judas viros, ut pugnárent advérsùs eos, qui erant in arce, donec emundárent sancta. Et elégit sacerdótes sine mácula, voluntátem habéntes in lege Dei: & mundavérunt sancta, & tulérunt lápides contaminatiónis in locum immúndum. Et cogitávit de altári holocaustórum, quod profanátum erat, quid de eo fáceret. Et incídit illis consílium bonum ut destrúerent illud: ne forte illis esset in oppróbrium, quia contaminavérunt illud Gentes, & demolíti sunt illud. Et reposuérunt lápides in monte domus in loco apto, quoadúsque veníret Prophéta, & respondéret de eis.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, * Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. Dóminus.

Lectio iij.

ET accepérunt lápides íntegros secúndùm legem, & ædificavérunt altáre novum, secúndùm illud quod fuit prius: & ædificavérunt sancta, & quæ intra domum erant intrinsecùs: & ædem & átria sanctificavérunt. Et fecérunt vasa sancta nova, & intulérunt candelábrum, & altáre incensórum, & mensam in templum. Et incénsum posuérunt super altáre, & accendérunt lucérnas, quæ super candelábrum erant, & lucébant in templo. Et posuérunt super mensam panes, & appendérunt vela, & consummavérunt ómnia ópera quæ fécerant.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, & gloriántur in virtúte sua: cóntere fortitúdinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, & déstrue eos protéctor noster Dómine. Ut cognóscant. Glória Patri. Ut.

### In secúndo Noctúrno.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei.

*Lib. 18. Cap. 45.*

Lectio iv.

POsteáquam gens Judæa cœpit non habére Prophétas, proculdúbio detérior facta est: eo scílicet témpore, quo se sperábat, instauráto templo, post captivitátem, quæ fuit in Babylónia, futúram esse melióre. Sic quippè intelligébat pópulus ille carnális, quod prænuntiátum est per Aggæum Prophétam, dicéntem: Magna erit glória domus istíus novíssimæ plus quàm primæ. Quod de novo Testaménto dictum esse paulò supérius demonstrávit, ubi ait apertè Christum promíttens: Et movébo omnes Gentes: & véniet desiderátus cunctis Géntibus.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: memóres estóte, quómodo salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cœlum, & miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercítui ejus in mari Rubro. Et nunc.

Lectio v.

TAlibus enim e'ectis Géntium, domus Dei ædificátur per testaméntum novum lapídibus vivis, longè gloriósior, quam templum illud fuit, quod a rege Salomóne constructum est, & post captivitátem instaurátum. Propter hoc ergo nec Prophétas ex illo témpore hábuit illa gens: sed multis cládibus afflícta est ab alienígenis régibus, ipsísque Románis, ne hanc Aggæi prophetíam in illa instauratióne templi opinarétur implétam. Non multò enim post a superveniénte Alexándro, subjugáta est: quando etsi nulla facta est vastátio, quóniam non sunt ausi ei resístere, & ideò placátum facíllime súbditi recepérunt; non erat tamen glória tanta domus illíus, quanta fuit in suórum regum líbera potestáte.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent con-

contra nos, & ignoramus quid agere debeamus: * Domine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. ℣. Tu scis quæ cogitant in nos: quomodò poterimus subsistere ante faciem illorum, nisi tu adjuves nos? Domine.

Lectio vi.

DEinde Ptolemæus Lagi filius, post Alexandri mortem captivos inde in Ægyptum transtulit: quos ejus successor Ptolemæus Philadelphus benevolentissimè inde dimisit: per quem factum est, ut Septuaginta interpretum Scripturas haberemus. Deinde contriti sunt bellis, quæ in Machabæorum libris explicantur. Post hæc capti à Rege Alexandriæ Ptolemæo, qui est appellatus Epiphanes, inde ab Antiocho rege Syriæ multis & gravissimis malis ad idola colenda compulsit: templúmque ipsum replêtum sacrilegis superstitiónibus Gentium, quod tamen dux eorum strenuissimus Judas, qui etiam Machabæus dictus est, Antiochi ducibus pulsis, ab omni illa idololatriæ contaminatione mundavit.

℟. Tua est potentia, tuum regnum Domine: tu es super omnes Gentes: * Da pacem Domine in diebus nostris. ℣. Creator omnium Deus, terribilis & fortis, justus & misericors. Da pacem. Gloria Patri. Da.

℟. vij. Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis: * Et fortitudo Gentium dissipata est. ℣. Erat enim exercitus magnus valdè, & fortis: & appropiavit Judas, & exercitus ejus in prælio. Et fortitudo.

℟. viij. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria Patri. Plena.

## FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j. *Cap. 4. f*

ANte matutinum surrexerunt quinta & vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octavi anni: & obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum novum, quod fecerant secundum tempus & secundum diem, in qua contaminaverunt illud Gentes, in ipsa renovatum est in canticis, & citharis, & cinyris, & cymbalis. Et cecidit omnis populus in faciem, & adoraverunt, & benedixerunt in cælum eum, qui prosperavit eis.

℟. Dixit Judas Simoni fratri suo: Elige tibi viros, & vade, libera fratres tuos, in Galilæam: ego autem, & Jonathas frater tuus, ibimus in Galaaditim: * Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. ℣. Accingimini filii potentes, & estote parati: quoniam melius est nobis mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ, & sanctorum. Sicut.

Lectio ij.

ET fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris, & laudis. Et ornaverunt faciem templi coronis aureis, & scutulis: & dedicaverunt portas, & pastophoria, & imposuerunt eis januas. Et facta est lætitia in populo magna valdè, & aversum est opprobrium Gentium. Et statuit Judas, & fratres ejus, & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo, à quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio.

℟. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Domino: * Et facta est lætitia magna in populo. ℣. In hymnis & confessionibus benedicebant Dominum. Et facta.



Lectio iij.

ET ædificaverunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, nequando venirent Gentes, & conculcarent eum sicut anteà fecerunt. Et collocavit illic exercitum, ut servarent eum, & munivit eum ad custodiendam Bethsuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

℟. In hymnis & confessionibus benedicebant Dominum: * Qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis Dominus omnipotens. ℣. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Domino. Qui magna. Gloria Patri. Qui.

## FERIA TERTIA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j. *Cap. 5.*

ET factum est, ut audierunt Gentes in circuitu, quia ædificatum est altare & sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valdè: & cogitabant tollere genus Jacob, qui erant inter eos: & cœperunt occidere de populo, & persequi. Et debellabat Judas filios Esau in Idumæa, & eos qui erant in Acrabathane, quia circumsedebant Israelitas, & percussit eos pla-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodò poterimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos? Dómine.

Lectio vj.

DEinde Ptolemæus Lagi fílius, post Alexándri mortem captivos indè in Ægyptum tránstulit: quos ejus succéssor Ptolemæus Philadélphus benevolentíssimè indè dimísit: per quem factum est, ut Septuaginta intérpretum Scriptúras haberémus. Deindè contriti sunt bellis, quæ in Machabæórum libris explicántur. Post hæc capti à Rege Alexandriæ Ptolemæo, qui est appellátus Epiphanes, indè ab Antiocho rege Syriæ multis & gravissimis malis ad idóla colénda compúlsit: templúmque ipsum replétum sacrílegis superstitiónibus Géntium, quod tamen dux eórum strenuissimus Judas, qui étiam Machabæus dictus est, Antiochi dúcibus pulsis, ab omni illa idololatriæ contaminatióne mundávit.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes Gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da.

℟. vij. Refúlsit sol in clypeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et fortitúdo.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 4. f*

ANte matutínum surrexérunt quinta & vigésima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centésimi quadragésimi octávi anni: & obtulérunt sacrifícium secúndum legem super altáre holocaustórum novum, quod fécerant secúndùm tempus & secúndùm diem, in qua contaminavérunt illud Gentes, in ipsa renovátum est in cánticis, & citharis, & cinyris, & cymbalis. Et cecidit omnis pópulus in fáciem, & adoravérunt, & benedixérunt in cælum eum, qui prosperávit eis.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo: Élige tibi viros, & vade, líbera fratres tuos, in Galilæam: ego autem, & Jónathas frater tuus, ibimus in Galaaditim: * Sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat. ℣. Accingímini fílii poténtes, & estóte parati: quóniam mélius est nobis mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ, & sanctórum. Sicut.

Lectio ij.

ET fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo, & obtulérunt holocáusta cum lætítia, & sacrifícium salutáris, & laudis. Et ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & scutulis: & dedicavérunt portas, & pastophória, & imposuérunt eis jánuas. Et facta est lætítia in pópulo magna valdè, & avérsum est oppróbrium Géntium. Et státuit Judas, & fratres ejus, & universa Ecclésia Israel, ut agátur dies dedicatiónis altáris in tempóribus suis ab anno in annum per dies octo, à quinta & vigésima die mensis Casleu, cum lætítia & gáudio.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

ET ædificavérunt in témpore illo montem Sion, & per circúitum muros altos, & turres firmas, nequándo venírent Gentes, & conculcárent eum sicut ántea fecérunt. Et collocávit illic exércitum, ut servárent eum, & munívit eum ad custodiéndam Bethsúram, ut habéret pópulus munitiónem contra fáciem Idumææ.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israel, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

FERIA TERTIA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 5.*

ET factum est, ut audiérunt Gentes in circúitu, quia ædificátum est altáre & sanctuárium sicut prius, irátæ sunt valdè: & cogitábant tóllere genus Jacob, qui erant inter eos: & cœpérunt occídere de pópulo, & pérsequi. Et debellábat Judas fílios Esau in Idumæa, & eos qui erant in Acrabathane, quia circumsedébant Israelítas, & percússit eos plaga





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pa magna. Et recordátus est malítiam filiórum Bean, qui erant pópulo in láqueum, & in scándalum, insidiántes ei in via. Et conclúsi sunt ab eo in túrribus & applícuit ad eos, & anathematizávit eos, & incéndit turres eórum igni, cum ómnibus qui in eis erant.

℟. Hic est fratrum amátor, & pópuli Israël: * Hic est qui multum orat pro pópulo, & universa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit. Hic est.

Lectio ij.

ET transívit ad fílios Ammon, & invénit manum fortem, & pópulum copiósum, & Timótheum ducem ipsórum: & commísit cum eis prǽlia multa, & contríti sunt in conspéctu eórum, & percússit eos: & cepit Gazer civitátem, & fílias ejus, & revérsus est in Judǽam. Et congregátæ sunt Gentes quæ sunt in Gálaad, advérsus Israëlítas qui erant in fínibus eórum, ut tóllerent eos: & fugérunt in Dathéman munitiónem.

℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam: voluísti templum tuum fíeri in nobis: * Consérva domum istam immaculátam in ætérnum Dómine. ℣. Tu elegísti Dómine domum istam ad invocándum nomen tuum in ea, ut esset domus oratiónis & obsecratiónis pópulo tuo. Consérva.

Lectio iij.

ET misérunt litteras ad Judam, & fratres ejus, dicéntes: Congregátæ sunt advérsus nos Gentes per circúitum, ut nos áuferant: & parant veníre, & occupáre munitiónem, in quam confúgimus: & Timótheus est dux exércitus eórum. Nunc ergo veni, & éripe nos de mánibus eórum, quia cécidit multitúdo de nobis. Et omnes fratres nostri, qui erant in locis Tubin, interfécti sunt: & captívas duxérunt uxóres eórum, & natos, & spólia, & peremérunt illic fere mille viros.

℟. Aperi óculos tuos Dómine, & vide afflictiónem nostram: circumdedérunt nos Gentes ad puniéndum nos: * Sed tu Dómine exténde bráchium tuum, & líbera ánimas nostras. ℣. Afflige opprimentes nos, & contuméliam faciéntes in supérbiam: & custódi partem tuam. Sed tu Dómine. Glória Patri. Sed tu Dómine.

## FERIA QUARTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 5. f*

IN diébus, quibus erat Judas & Jónathas in terra Gálaad, & Simon frater ejus in Galilǽa contra fáciem Ptolemáidis, audívit Jósephus Zacharíæ fílius, & Azarías princeps virtútis, res bene gestas, & prǽlia quæ facta sunt, & dixit: Faciámus & ipsi nobis nomen, & eámus pugnáre advérsus Gentes, quæ in circúitu nostro sunt. Et præcépit his, qui erant in exércitu suo, & abiérunt Jámniam.

℟. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prǽlio. Et.

Lectio ij.

ET exívit Górgias de civitáte, & viri ejus óbviam illis in pugnam. Et fugáti sunt Jósephus & Azarías usque in fines Judǽæ: & cecidérunt illo die de pópulo Israël ad duo míllia viri, & facta est fuga magna in pópulo: quia non audiérunt Judam, & fratres ejus, existimántes fórtiter se factúros. Ipsi autem non erant de sémine virórum illórum, per quos salus facta est in Israël.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.



Lectio iij.

ET viri Juda magnificáti sunt valde in conspéctu omnis Israël, & Géntium ómnium, ubi audiebátur nomen eórum. Et convenérunt ad eos fausta clamántes. Et exívit Judas, & fratres ejus & expugnábant fílios Esau in terra quæ ad Austrum est: & percússit Chebron & fílias ejus: & muros ejus & turres succéndit igni in circúitu. Et movit castra ut iret in terram alienigenárum, & perambulábat Samaríam. In die illa cecidérunt sacerdótes in bello, dum volunt fórtiter fácere, dum sine consílio éxeunt in prǽlium.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

## FERIA QUINTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 6.*

ET rex Antíochus perambulábat superióres regiónes, & audívit esse civitátem Elymáidem in Pérside nobilíssimam, & copiósam in argénto & auro, templúmque in ea lócuples val-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

valdè: & illic velámina áurea, & loricæ, & scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnávit primus in Græcia. Et venit, & quærébat cápere civitatem, & deprædári eam: & non pótuit, quóniam innótuit sermo his, qui erant in civitáte: & insurrexérunt in prælium, & fugit inde, & abiit cum tristitia magna, & revérsus est in Babylóniam. Et venit qui nuntiáret ei in Pérside, quia fugáta sunt castra, quæ erant in terra Juda: & quia abiit Lysias cum virtúte forti in primis, & fugátus est à fácie Judæórum.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Lectio ij.

ET invaluérunt armis, & víribus, & spóliis multis, quæ cepérunt de castris quæ excidérunt: & quia diruérunt abominatiónem, quam ædificáverat super altáre, quod erat in Jerúsalem, & sanctificatiónem, sicut priùs, circumdedérunt muris excélsis, sed & Bethsúram civitátem suam. Et factum est, ut audívit rex sermónes istos, expávit, & commótus est valdè: & decidit in lectum & incidit in languórem præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitábat. Et erat illic per dies multos: quia renováta est in eo tristitia magna, & arbitrátus est se mori.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, * Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. Dóminus.

Lectio iij.

ET vocávit omnes amícos suos, & dixit illis: Recéssit somnus ab óculis meis, & cóncidi, & córrui corde præ solicitúdine, & dixi in corde meo: In quantam tribulatiónem devéni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum: qui jucúndus eram, & diléctus in potestáte mea! Nunc verò reminíscor malórum, quæ feci in Jerúsalem, undè & ábstuli ómnia spólia áurea & argéntea, quæ erant in ea, & misi auférre habitántes Judæam sine causa. Cognóvi ergo, quia proptéreà invenérunt me mala ista: & ecce péreo tristitia magna in terra aliéna.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, & gloriántur in virtúte sua: cóntere fortitúdinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, & déstrue eos protéctor noster Dómine. Ut cognóscant. Glória Patri. Ut cognóscant.



## FERIA SEXTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 7.*

ANno centésimo quinquagésimo primo exiit Demétrius Seléuci fílius ab urbe Roma, & ascéndit cum paucis viris in civitátem marítimam, & regnávit illic, & sedit Demétrius super sedem regni sui: & venérunt ad eum viri iníqui & ímpii ex Israël: & Alcimus dux eórum, qui volébat fieri sacérdos. Et accusavérunt pópulum apud regem, dicentes: Perdidit Judas, & fratres ejus, omnes amícos tuos, & nos dispérsit de terra nostra. Nunc ergo mitte virum, cui credis, ut eat, & vídeat extermínium omne quod fecit nobis, & regiónibus regis: & púniat omnes amícos ejus, & adjutóres eórum.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: mémores estóte, quómodò salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cælum, & miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercítui ejus in mari Rubro. Et nunc.

Lectio ij.

ET elégit rex ex amícis suis Bacchídem, qui dominabátur trans flumen magnum in regno, & fidélem regi: & misit eum, ut vidéret extermínium quod fecit Judas: sed & Alcimum ímpium constítuit in sacerdótium, & mandávit ei fácere ultiónem in filios Israël. Et surrexérunt, & venérunt cum exércitu magno in terram Juda: & misérunt núntios, & locúti sunt ad Judam, & ad fratres ejus, verbis pacíficis in dolo. Et non intendérunt sermónibus eórum: vidérunt enim quia venérunt cum exércitu magno.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dimícent contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodò potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos Dómine.

Lectio iij.

ET convenérunt ad Alcimum & Bácchidem congregátio Scribárum requírere quæ justa sunt: & primi Assidæi qui erant in fíliis Israël, & exquirébant ab eis

eis pacem. Dixérunt enim: Homo sacérdos de sémine Aaron venit, non decípiet nos. Et locútus est cum eis verba pacífica: & jurávit illis, dicens: Non inferémus vobis malum, neque amícis vestris. Et credidérunt ei. Et comprehéndit ex eis sexagínta viros, & occídit eos in una die secúndum verbum, quod scriptum est: Carnes sanctórum tuórum, & sánguinem ipsórum effudérunt in circúitu Jerúsalem, & non erat qui sepelíret.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

## SABBATO.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 8.*

ET audívit Judas nomen Romanórum, quia sunt poténtes víribus, & acquiéscunt ad ómnia quæ postulántur ab eis: & quicúmque accessérunt ad eos, statuérunt cum eis amicítias, & quia sunt poténtes víribus. Et audiérunt prælia eórum, & virtútes bonas, quas fecérunt in Galátia, quia obtinuérunt eos, & duxérunt sub tribútum: & quanta fecérunt in regióne Hispániæ, & quod in potestátem redegérunt metálla argénti & auri, quæ illic sunt, & possedérunt omnem locum consílio suo, & patiéntia, locáque quæ longè erant valdè ab eis, & reges qui supervénerant eis ab extrémis terræ, contrivérunt, & percussérunt eos plaga magna: céteri autem dant eis tribútum ómnibus annis.

℟. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.

Lectio ij.

ET elégit Judas Eupólemum fílium Joánnis, fílii Jacob, & Jásonem fílium Eleázari, & misit eos Romam constitúere cum illis amicítiam & societátem: & ut auférrent ab eis jugum Græcórum, quia vidérunt quòd in servitútem prémerent regnum Israël. Et abiérunt Romam viam multam valdè, & introiérunt cúriam, & dixérunt: Judas Machabæus, & fratres ejus, & pópulus Judæórum misérunt nos ad vos statúere vobíscum societátem & pacem, & conscríbere nos sócios & amícos vestros. Et plácuit sermo in conspéctu eórum. Et hoc rescríptum est, quod rescripsérunt in tábulis æreis, & misérunt in Jerúsalem, ut esset apud eos ibi memoriále pacis & societátis.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

BEnè sit Románis, & genti Judæórum, in mari & in terra in ætérnum: gladiúsque & hostis procul sit ab eis. Quòd si institerit bellum Románis priùs, aut ómnibus sóciis eórum in omni dominatióne eórum: auxílium feret gens Judæórum, prout tempus dictáverit corde pleno: & præliántibus non dabunt neque subministrábunt tríticum, arma, pecúniam, naves, sicut plácuit Románis: & custódient mandáta eórum, nihil ab eis accipiéntes. Simíliter autem & si genti Judæórum priùs accíderit bellum, adjuvábunt Románi ex ánimo, prout eis tempus permíserit.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui magna.



Ad Magníficat, Antíphona. Lugébat autem Judam Israël planctu magno, & dicébat: Quomodò cecidísti potens in prælio, qui salvum faciébas pópulum Dómini?

## DOMINICA III. Octóbris.

In primo Noctúrno.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 9.*

INtéreà ùt audívit Demétrius, quia cécidit Nícanor & exércitus ejus in prælio, appósuit Bácchidem & Álcimum rursùm míttere in Judæam, & dextrum cornu cum illis. Et abiérunt viam, quæ ducit in Gálgala, & castra posuérunt in Másaloth, quæ est in Arbéllis: & occupavérunt eam, & peremérunt ánimas hóminum multas. In mense primo anni centésimi & quinquagésimi secúndi, applicuérunt exércitum ad Jerúsalem: & surrexérunt, & abiérunt in Béream vigínti míllia virórum, & duo míllia équitum. Et Judas posúerat castra in Láisa, & tria míllia viri elécti cum eo: & vidérunt multitúdinem exércitus quia multi sunt, & timuérunt valdè: & multi subtraxérunt se de castris, & non remansérunt ex eis nisi octingénti viri.

℟. Ad

eis pacem. Dixérunt enim: Homo sacérdos de sémine Aaron venit, non decipiet nos. Et locûtus est cum eis verba pacífica: & jurávit illis, dicens: Non inferêmus vobis malum, neque amicis vestris. Et crediderunt ei. Et comprehéndit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in una die secúndum verbum, quod scriptum est: Carnes sanctórum tuórum, & sánguinem ipsórum effudérunt in circúitu Jerúsalem, & non erat qui sepelíret.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creator ómnium Deus, terribilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

## SABBATO.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 8.*

ET audivit Judas nomen Romanórum, quia sunt potentes viribus, & acquiescunt ad ómnia quæ postulántur ab eis: & quicúmque accessérunt ad eos, statuérunt cum eis amicitias, & quia sunt poténtes viribus. Et audiérunt prælia eórum, & virtútes bonas, quas fecérunt in Galátia, quia obtinuérunt eos, & duxérunt sub tribûtum: & quanta fecérunt in regióne Hispániæ, & quòd in potestátem redegérunt metálla argenti & auri, quæ illic sunt, & possedérunt omnem locum consílio suo, & patiéntia, locáque quæ longè erant valdè ab eis, & reges qui supervénerant eis ab extrémis terræ, contrivérunt, & percussérunt eos plaga magna: céteri autem dant eis tribûtum ómnibus annis.

℟. Refúlsit sol in clypeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.

Lectio ij.

ET elégit Judas Eupólemum filium Joánnis, filii Jacob, & Jásonem filium Eleázari, & misit eos Romam constitúere cum illis amicitiam & societátem: & ut auferrent ab eis jugum Græcórum, quia vidérunt quòd in servitútem prémerent regnum Israël. Et abiérunt Romam viam multam valdè, & introiérunt cúriam, & dixérunt: Judas Machabæus, & fratres ejus, & pópulus Judæórum misérunt nos ad vos statúere vobiscum societátem & pacem, & conscribere nos sócios & amicos vestros. Et plácuit sermo in conspectu eórum. Et hoc rescriptum est, quod rescripsérunt in tábulis æreis, & misérunt in Jerúsalem, ut esset apud eos ibi memoriále pacis & societátis.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

BEnè sit Románis, & genti Judæórum, in mari & in terra in ætérnum: gladiúsque & hostis procul sit ab eis. Quòd si institerit bellum Románis priùs, aut ómnibus sóciis eórum in omni dominatióne eórum: auxílium feret gens Judæórum, prout tempus dictáverit corde pleno: & præliántibus non dabunt neque subministrábunt tríticum, arma, pecúniam, naves, sicut plácuit Románis: & custódient mandáta eórum, nihil ab eis accipientes. Similiter autem & si genti Judæórum priùs acciderit bellum, adjuvábunt Romani ex ánimo, prout eis tempus permíserit.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

Ad Magníficat, Antiphona.

Lugébat autem Judam Israël planctu magno, & dicébat: Quómodò cecidísti potens in prælio, qui salvum faciébas pópulum Dómini?



## DOMINICA III.

Octóbris.

In primo Noctúrno.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 9.*

INtéreà ùt audivit Demétrius, quia cécidit Nicánor & exércitus ejus in prælio, appósuit Bacchidem & Alcimum rursùm míttere in Judæam, & dextrum cornu cum illis. Et abiérunt viam, quæ ducit in Gálgala, & castra posuérunt in Másaloth, quæ est in Arbéllis: & occupavérunt eam, & peremérunt ánimas hóminum multas. In mense primo anni centésimi & quinquagésimi secúndi, applicuérunt exércitum ad Jerúsalem: & surrexérunt, & abiérunt in Béream viginti míllia virórum, & duo míllia equitum. Et Judas posúerat castra in Láisa, & tria míllia viri elécti cum eo: & vidérunt multitúdinem exércitus quia multi sunt, & timuérunt valde: & multi subtraxérunt se de castris, & non remansérunt ex eis nisi octingénti viri.

℟. Ad

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Lectio ij.

ET vidit Judas quòd defluxit exercitus suus, & bellum perurgébat eum, & confractus est corde: quia non habébat tempus congregándi eos, & dissolútus est. Et dixit his, qui resídui erant: Surgámus, & eámus ad adversários nostros, si potérimus pugnáre advérsùs eos. Et avertébant eum, dicéntes: Non potérimus, sed liberémus ánimas nostras modò, & revertámur ad fratres nostros, & tunc pugnábimus advérsùs eos: nos autem pauci sumus. Et ait Judas: Absit istam rem fácere ut fugiámus ab eis: & si appropiávit tempus nostrum, moriámur in virtúte propter fratres nostros, & non inferámus crimen glóriæ nostræ. Et movit exércitus de castris, & stetérunt illis óbviam: & divísi sunt équites in duas partes, & fundibulárii & sagittárii præíbant exércitum, & primi certáminis omnes poténtes.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo: * Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. Dóminus.

Lectio iij.

BAcchides autem erat in déxtero cornu, & proximávit légio ex duábus pártibus, & clamábant tubis: exclamavérunt autem & hi, qui erant ex parte Judæ, étiam ipsi, & commóta est terra à voce exercítuum: & commíssum est prælium à mane usque ad vésperam. Et vidit Judas, quòd firmior est pars exércitus Bácchidis in dextris, & convenérunt cum ipso omnes constántes corde & contríta est déxtera pars ab eis, & persecútus est eos usque ad montem Azóti. Et qui in sinistro cornu erant, vidérunt quòd contrítum est dextrum cornu, & secúti sunt post Judam, & eos qui cum ipso erant, à tergo: & ingravátum est prælium, & cecidérunt vulneráti multi ex his, & ex illis. Et Judas cécidit, & céteri fugérunt. Et Jónathas & Simon tulérunt Judam fratrem suum, & sepeliérunt eum in sepúlchro patrum suórum in civitáte Modin. Et flevérunt eum omnis pópulus Israel planctu magno.

℟. Con-



℟. Congregáti sunt inimíci nostri, & gloriántur in virtúte sua: cóntere fortitúdinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, & déstrue eos protéctor noster Dómine. Ut. Glória Patri. Ut.

In secúndo Noctúrno.

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. 1. cap. 41.*

Lectio iv.

QUia fortitúdo non solùm secúndis rebus, sed étiam advérsis probátur, spectémus Judæ Machabǽi éxitum. Is enim post victum Nicánorem, regis Demétrii ducem, secúrior advérsus vigínti míllia exércitus regis, cum octingéntis viris bellum adórsus, voléntibus his cédere, ne multitúdine opprimeréntur, gloriósam magis mortem, quàm turpem fugam suásit. Ne crimen, inquit, nostræ relinquámus glóriæ: ità commísso prælio, cum à primo ortu diéi in vésperam dimicarétur, dextrum cornu, in quo validíssimam manum advértit hóstium, aggréssus, fácile avértit. Sed dum fugiéntes sequitur, à tergo vúlneri locum præbuit: itaque gloriosiórem triúmphis mortem invénit.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: mémores estóte, quómodò salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cælum, & miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercítui ejus in mari Rubro. Et nunc.

Lectio v.

QUid Jónatham fratrem ejus attéxam, qui cum parva manu advérsus exércitus régios pugnans, desértus à suis, & cum duóbus tantùm relictus, reparávit bellum, avértit hostem, fugitántes suos ad societátem revocávit triúmphi? Habes fortitúdinem béllicam, in qua non mediócris honésti ac decóri forma est, quòd mortem servitúti præferat ac turpitúdini. Quid autem de Mártyrum dicam passiónibus? Et ne lóngiùs evagémur, non minórem de supérbo rege Antíocho Machabǽi púeri revexérunt triúmphum, quàm paréntes próprii: siquidem illi armáti, isti sine armis vicérunt.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dóminus Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodò potérimus subsíste-

tere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos? Dómine.

Lectio vj.

STetit invícta septem puerórum cohors regiis cincta legiónibus: defecérunt supplícia, cessérunt tortóres, non defecérunt mártyres. Alius córium cápitis exútus, spéciem mutáverat, virtútem áuxerat. Alius linguam jussus amputándam prómere, respóndit: Non solos Dóminus audit loquéntes, qui audiébat Móysen tacéntem. Plus audit tácitas cogitatiónes suórum, quam voces ómnium. Linguæ flagéllum times, flagéllum sánguinis non times? Habet & sanguis vocem suam, qua clamat ad Deum, sicut clamávit in Abel.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

℟. vij. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

## FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 9. c*

ET congregáti sunt omnes amíci Judæ, & dixérunt Jónathæ: Ex quo frater tuus Judas defúnctus est, vir símilis ei non est, qui éxeat contra inimícos nostros, Bácchidem, & eos qui inimíci sunt gentis nostræ. Nunc ítaque te hódie elégimus esse pro eo nobis in príncipem & ducem ad bellándum bellum nostrum. Et suscépit Jónathas témpore illo principátum, & surréxit loco Judæ fratris sui. Et cognóvit Bacchides, & quærébat eum occídere.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo: Élige tibi viros, & vade, líbera fratres tuos, in Galilæam: ego autem, & Jónathas frater tuus, ibimus in Galaadítim: * Sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat. ℣. Accíngimini fílii poténtes, & estóte paráti: quóniam mélius est nobis mori in bello, quam vidére mala gentis nostræ, & sanctórum. Sicut.

Lectio ij.



ET cognóvit Jónathas, & Simon frater ejus, & omnes, qui cum eo erant: & fugérunt in desértum Thecuæ, & consedérunt ad aquam lacus Asphar. Et cognóvit Bácchides, & die sabbatórum venit ipse, & omnis exércitus ejus trans Jordánem. Et Jónathas misit fratrem suum ducem pópuli, & rogávit Nabuthæos amícos suos, ut commodárent illis apparátum suum, qui erat copiósus. Et exiérunt fílii Jambri ex Mádaba, & comprehendérunt Joánnem, & ómnia quæ habébat, & abiérunt habéntes ea.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

POst hæc verba, renuntiátum est Jónathæ, & Simóni fratri ejus, quia fílii Jambri fáciunt núptias magnas, & ducunt sponsam ex Mádaba fíliam uníus de magnis princípibus Chánaam cum ambitióne magna. Et recordáti sunt sánguinis Joánnis fratris sui: & ascendérunt, & abscondérunt se sub teguménto montis. Et elevavérunt óculos suos, & vidérunt: & ecce tumúltus, & apparátus multus: & sponsus procéssit, & amíci ejus, & fratres ejus óbviam illis cum tympánis, & músicis, & armis multis. Et surrexérunt ad eos ex insídiis, & occidérunt eos, & cecidérunt vulneráti multi, & resídui fugérunt in montes: & acceperunt ómnia spólia eórum.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

## FERIA TERTIA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 12.*

ET vidit Jónathas quia tempus eum juvat, & elégit viros, & misit eos Romam statúere, & renováre cum eis amicítiam: & ad Spartiátas, & ad ália loca misit epístolas secúndum eámdem formam: & abiérunt Romam, & intravérunt cúriam, & dixérunt: Jónathas summus sacérdos, & gens Judæórum misérunt nos, ut renovarémus amicítiam & societátem secúndum prístinum. Et dedérunt illis epístolas ad ipsos per loca,

ut dedúcerent eos in terram Juda cum pace.

℟. Hic est fratrum amátor, & pópuli Israël: * Hic est qui multum orat pro pópulo, & univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit. Hic est.

Lectio ij.

ET hoc est exémplum epistolárum, quas scripsit Jónathas Spartiátis: Jónathas summus sacérdos, & senióres gentis, & sacerdótes, & réliquus pópulus Judæórum, Spartiátis frátribus salútem. Jam pridem missæ erant epístolæ ad Oníam summum sacerdótem ab Ario, qui regnábat apud vos, quóniam estis fratres nostri, sicut rescríptum cóntinet, quod subjéctum est. Et suscépit Onías virum, qui missus fúerat cum honóre: & accépit epístolas, in quibus significabátur de societáte & amicítia.

℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam, voluísti templum tuum fíeri in nobis: * Consérva domum istam immaculátam in ætérnum Dómine. ℣. Tu elegísti Dómine domum istam ad invocándum nomen tuum in ea, ut esset domus oratiónis & obsecratiónis pópulo tuo. Consérva domum.

Lectio iij.

NOs, cùm nullo horum indigerémus, habentes solátio sanctos libros, qui sunt in mánibus nostris, malúimus míttere ad vos renováre fraternitátem & amicítiam, ne fortè alièni efficiámur à vobis: multa enim témpora transiérunt, ex quo misístis ad nos. Nos ergo in omni témpore sine intermissióne in diébus solémnibus, & céteris, quibus opórtet, mémores sumus vestri in sacrifíciis quæ offérimus, & in observatiónibus: sicut fas est, & decet meminísse fratrum.

℟. Aperi óculos tuos Dómine, & vide afflictiónem nostram: circumdedérunt nos Gentes ad puniéndum nos: * Sed tu Dómine exténde bráchium tuum, & líbera ánimas nostras. ℣. Afflige opprimentes nos, & contuméliam faciéntes in supérbiam: & custódi partem tuam. Sed tu Dómine. Glória Patri. Sed tu Dómine.

## FERIA QUARTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 12. f*

ET cùm cogitásset Tryphon regnáre Asiæ, & assúmere diadéma, & exténdere manum in Antíochum regem: timens ne fortè non permítteret eum Jónathas, sed pugnáret advérsus eum, quærébat comprehéndere eum, & occídere. Et exúrgens ábiit in Bethsan. Et exívit Jónathas óbviam illi cum quadragínta míllibus virórum electórum in prælium, & venit Bethsan. Et vidit Tryphon quia venit Jónathas cum exércitu multo ut exténderet in eum manus, tímuit. Et excépit eum cum honóre, & commendávit eum ómnibus amícis suis, & dedit ei múnera: & præcépit exercítibus suis ut obedírent ei, sicut sibi.

℟. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.

Lectio ij.

ET dixit Jónathæ: Ut quid vexásti univérsum pópulum, cum bellum nobis non sit? Et nunc remítte eos in domos suas: élige autem tibi viros paucos qui tecum sint, & veni mecum Ptolemáidam, & tradam eam tibi, & réliqua præsídia, & exércitum, & univérsos præpósitos negótii, & convérsus abíbo: proptérea enim veni. Et crédidit ei, & fecit sicut dixit: & dimísit exércitum, & abiérunt in terram Juda. Retínuit autem secum tria míllia virórum: ex quibus remísit in Galilæam duo míllia, mille autem venérunt cum eo.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

UT autem intrávit Ptolemáidam Jónathas, clausérunt portas civitátis Ptolemènses, & comprehendérunt eum: & omnes, qui cum eo intráverant, gládio interfecérunt. Et misit Tryphon exércitum & équites in Galilæam, & in campum magnum, ut pérderent omnes sócios Jónathæ. At illi cùm cognovíssent quia comprehénsus est Jónathas, & périit, & omnes qui cum eo erant, hortáti sunt semetípsos, & exiérunt paráti in prælium. Et vidéntes hi, qui insecúti fúerant, quia pro ánima res est illis, revérsi sunt: illi autem venérunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxérunt Jónathan, & eos qui cum ipso fúerant, valdè.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi

pli corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

## FERIA QUINTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 13.*

ET audívit Simon quòd congregávit Tryphon exércitum copiósum ut veníret in terram Juda, & attéreret eam. Videns quia in tremóre pópulus est, & in timóre, ascéndit Jerúsalem, & congregávit pópulum: & adhórtans, dixit: Vos scitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei, fécimus pro légibus, & pro sanctis prælia, & angústias quales vídimus: horum grátia periérunt fratres mei omnes propter Israël, & relíctus sum ego solus. Et nunc non mihi contíngat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis: non enim mélior sum frátribus meis. Vindicábo ítaque gentem meam & sancta, natos quoque nostros, & uxóres: quia congregátæ sunt univérsæ Gentes contérere nos inimicítiæ grátia.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Lectio ij.

ET accénsus est spíritus pópuli simul ut audívit sermónes istos: & respondérunt voce magna, dicéntes: Tu es dux noster loco Judæ & Jónathæ fratris tui: pugna prælium nostrum: & ómnia, quæcúmque díxeris nobis, faciémus. Et cóngregans omnes viros bellatóres, accelerávit consummáre univérsos muros Jerúsalem, & munívit eam in gyro. Et misit Jónatham fílium Absalómi, & cum eo exércitum novum, in Joppen: & ejéctis his qui erant in ea, remánsit illic ipse. Et movit Tryphon à Ptolemáida cum exércitu multo, ut veníret in terram Juda, & Jónathas cum eo in custódia. Simon autem applícuit in Addus contra fáciem campi.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, * Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. Dóminus.

Lectio iij.

ET ut cognóvit Tryphon quia surréxit Simon loco fratris sui Jónathæ: & quia commissúrus esset cum eo prælium, misit ad eum legátos, dicens: Pro argénto, quod



quod debébat frater tuus Jónathas in ratióne regis, propter negótia quæ hábuit, detínuimus eum. Et nunc mitte argénti taléntа centum, & duos fílios ejus óbsides, ut non dimíssus fúgiat à nobis, & remittémus eum. Et cognóvit Simon quia cum dolo loquerétur secum: jussit tamen dari argéntum, & púeros: ne inimicítiam magnam súmeret ad pópulum Israël, dicéntem: quia non misit ei argéntum, & púeros, proptérea périit. Et misit púeros, & centum talénta: & mentítus est, & non dimísit Jónathan.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, & gloriántur in virtúte sua: cóntere fortitúdinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, & déstrue eos protéctor noster Dómine. Ut. Glória Patri. Ut.

## FERIA SEXTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 14. b*

ET audítum est Romæ, quia defúnctus esset Jónathas, & usque in Spartiátas: & contristáti sunt valdè. Ut audiérunt autem quòd Simon frater ejus factus esset summus Sacérdos loco ejus, & ipse obtinéret omnem regiónem, & civitátes in ea: scripsérunt ad eum in tábulis æreis, ut renovárent amicítias, & societátem quam fécerant cum Juda & cum Jónatha frátribus ejus. Et lectæ sunt in conspéctu Ecclésiæ in Jerúsalem. Et hoc exémplum epistolárum, quas Spartiátæ misérunt.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: memóres estóte, quómodo salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cælum, & miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercítui ejus in mari Rubro. Et.

Lectio ij.

SPartianórum príncipes & civitátes, Simóni Sacerdóti magno, & senióribus, & sacerdótibus, & réliquo pópulo Judæórum, frátribus salútem. Legáti, qui missi sunt ad pópulum nostrum, nuntiavérunt nobis de vestra glória, & honóre, ac lætítia: & gavísi sumus in intróitu eórum. Et scrípsimus quæ ab eis erant dicta in concíliis pópuli, sic: Numénius Antiochi, & Antipater Jasónis fílius, legáti Judæórum, venérunt ad nos, renovántes nobíscum amicítiam prístinam. Et plácuit pópulo excípere viros gloriósè, & pónere exémplum sermónum eórum in segregátis pópuli li-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

libris, ut sit ad memóriam pópulo Spartiatárum. Exemplum autem horum scripsimus Simóni magno Sacerdóti.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dimícent contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodo poterimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos? Dómine.

Lectio iij.

POst hæc autem misit Simon Numénium Romam, habéntem clypeum áureum magnum, pondo mnarum mille, ad statuéndam cum eis societátem. Cum autem audísset pópulus Románus sermónes istos, dixérunt: Quam gratiárum actiónem reddémus Simóni, & fíliis ejus? Restítuit enim ipse fratres suos, & expugnávit inimícos Israël ab eis: & statuérunt ei libertátem, & descripsérunt in tábulis æreis, & posuérunt in títulis in monte Sion.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes Gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

ABBATO.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 16. c*

SImon autem, perámbulans civitátes, quæ erant in regióne Judææ, & solicitúdinem gerens eárum, descéndit in Jéricho ipse, & Mathathías fílius ejus, & Judas, anno centésimo septuagésimo séptimo, mense undécimo: hic est mensis Sabath. Et suscépit eos fílius Abóbi in munitiúnculam, quæ vocátur Doch: cum dolo, quam ædificávit, & fecit eis convívium magnum, & abscóndit illic viros. Et cùm inebriátus esset Simon, & fílii ejus, surréxit Ptolemæus cum suis, & sumpsérunt arma sua, & intravérunt in convívium, & occidérunt eum, & duos fílios ejus, & quósdam púeros ejus. Et fecit deceptiónem magnam in Israël, & réddidit mala pro bonis.

℟. Refúlsit sol in clypeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et fortitúdo.

Lectio ij.

ET scripsit hæc Ptolemæus, & misit regi ut mítteret ei exércitum in auxílium, & tráderet ei regiónem, & civitátes eórum, & tribúta. Et misit álios in Gazaram tóllere Joánnem: & tribúnis misit epístolas ut venírent ad se, & daret eis argéntum, & aurum, & dona. Et álios misit occupáre Jerúsalem, & montem templi. Et præcúrrens quidam, nuntiávit Joánni in Gázara, quia périit pater ejus, & fratres ejus, & quia misit te quoque interfíci.



℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

UT audívit autem, veheménter expávit: & comprehéndit viros qui vénerant pérdere eum, & occídit eos: cognóvit enim quia quærébant eum pérdere. Et cétera sermónum Joánnis, & bellórum ejus, & bonárum virtútum quibus fórtiter gessit, & ædifícii murórum quos extrúxit, & rerum gestárum ejus: ecce hæc scripta sunt in libro diérum sacerdótii ejus, ex quo factus est princeps sacerdótum post patrem suum.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

Ad Magníficat, Antíphona.

Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo Dóminus Deus noster.

DOMINICA IV.

Octóbris.

In primo Noctúrno.

Incipit liber secúndus Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 1.*

FRátribus, qui sunt per Ægyptum, Judæis, salútem dicunt fratres, qui sunt in Jerosólymis, Judæi, & qui in regióne Judææ, & pacem bonam. Benefáciat vobis Deus, & meminérit testaménti sui, quod locútus est ad Abraham, & Isaac, & Jacob, servórum suórum fidélium: & det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem corde magno, & ánimo voléntí. Adapériat cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem. Exáudiat oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Et nunc hic sumus orántes pro vobis.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis & fáciat pacem



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

libris, ut sit ad memóriam pópulo Spartiatárum. Exemplum autem horum scripsimus Simóni magno Sacerdóti.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dimicent contra nos, & ignorâmus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodo potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos? Dómine.

Lectio iij.

POst hæc autem misit Simon Numenium Romam, habéntem clypeum áureum magnum, pondo minarum mille, ad statuéndam cum eis societátem. Cum autem audisset pópulus Románus sermónes istos, dixérunt: Quam gratiárum actiónem reddémus Simóni, & fíliis ejus? Restítuit enim ipse fratres suos, & expugnávit inimícos Israël ab eis: & statuérunt ei libertátem, & descripsérunt in tábulis æreis, & posuérunt in títulis in monte Sion.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes Gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

## SABBATO.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 16. c*

SImon autem, perámbulans civitátes, quæ erant in regióne Judææ, & solicitúdinem gerens eárum, descéndit in Jéricho ipse, & Mathathias fílius ejus, & Judas, anno centésimo septuagésimo séptimo, mense undécimo: hic est mensis Sabath. Et suscépit eos fílius Abóbi in munitiúnculam, quæ vocátur Doch: cum dolo, quam ædificávit, & fecit eis convívium magnum, & abscóndit illic viros. Et cùm inebriátus esset Simon, & fílii ejus, surréxit Ptolemæus cum suis, & sumpsérunt arma sua, & intravérunt in convívium, & occidérunt eum, & duos fílios ejus, & quósdam púeros ejus. Et fecit deceptiónem magnam in Israël, & réddidit mala pro bonis.

℟. Refúlsit sol in clypeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et fortitúdo.

Lectio ij.

ET scripsit hæc Ptolemæus, & misit regi ut mítteret ei exércitum in auxílium, & tráderet ei regiónem



nem, & civitátes eórum, & tribúta. Et misit álios in Gazaram tóllere Joánnem: & tribúnis misit epístolas ut venírent ad se, & daret eis argéntum, & aurum, & dona. Et álios misit occupáre Jerúsalem, & montem templi. Et præcúrrens quidam, nuntiávit Joánni in Gázara, quia périit pater ejus, & fratres ejus, & quia misit te quoque interfíci.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

UT audívit autem, veheménter expávit: & comprehéndit viros qui vénerant pérdere eum, & occídit eos: cognóvit enim quia quærébant eum pérdere. Et cétera sermónum Joánnis, & bellórum ejus, & bonárum virtútum quibus fórtiter gessit, & ædifícii murórum quos extrúxit, & rerum gestárum ejus: ecce hæc scripta sunt in libro diérum sacerdótii ejus, ex quo factus est princeps sacerdótum post patrem suum.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

Ad Magníficat, Antíphona.

Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo Dóminus Deus noster.

## DOMINICA IV.

Octóbris.

In primo Nocturno.

Incipit liber secúndus Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 1.*

FRátribus, qui sunt per Ægyptum, Judæis, salútem dicunt fratres, qui sunt in Jerosólymis, Judæi, & qui in regióne Judææ, & pacem bonam. Benefáciat vobis Deus, & meminerit testaménti sui, quod locútus est ad Abraham, & Isaac, & Jacob, servórum suórum fidélium: & det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem corde magno, & ánimo volénti. Adapériat cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem. Exáudiat oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Et nunc hic sumus orántes pro vobis.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis & fáciat pacem



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Lectio ij.

FActúri igitur quinta & vigesima die mensis Cásleu purificatiónem templi, necessárium dúximus significáre vobis, ut & vos quoque agátis diem scenopégiæ, & diem ignis, qui datus est quando Nehemías ædificáto templo & altári óbtulit sacrifícia. Nam cùm in Pérsidem duceréntur patres nostri, sacerdótes qui tunc cultóres Dei erant, accéptum ignem de altári, occúlte abscondérunt in valle ubi erat púteus altus & siccus, & in eo contutáti sunt eum, ita ut ómnibus ignótus esset locus.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo: * Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. Dóminus.

Lectio iij.

CUm autem præteríssent anni multi, & plácuit Deo ut mitterétur Nehemías à rege Pérsidis: nepótes sacerdótum illórum, qui abscónderant, misit ad requiréndum ignem: & sicut narravérunt nobis, non invenérunt ignem, sed aquam crassam. Et jussit eos haurire, & afférre sibi: & sacrifícia, quæ impósita erant, jussit sacérdos Nehemías aspérgi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superpósita. Utque hoc factum est, & tempus áffuit quo sol refúlsit, qui priùs erat in núbilo, accénsus est ignis magnus, ita ut omnes miraréntur.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, & gloriántur in virtúte sua: cóntere fortitúdinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, & déstrue eos protéctor noster Dómine. Ut cognóscant. Glória Patri. Ut cognóscant.

In secundo Nocturno.

Ex Tractátu sancti Joannis Chrysóstomi super Psalmum quadragésimum tértium.

Lectio iv.

DEus, áuribus nostris audívimus, Patres nostri annuntiavérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum. Hunc Psalmum dicit quidem Prophéta, dicit autem non ex persóna própria, sed ex persóna Machabæórum, narrans & prædícens quæ futúra erant illo témpore. Tales enim sunt Prophétæ: ómnia témpora percúrrunt, præséntia, prætérita, futúra. Quinam sint autem hi Machabæi, quidque passi sint, & quid fécerint, necessárium est primùm dícere, ut sint apertióra quæ in arguménto dicúntur. Ii enim, cùm invasísset Judæam Antíochus, qui dictus est Epíphanes, & ómnia devastásset, & multos qui tunc erant, à pátriis institútis resilíre coëgisset; permansérunt illæsi ab illis tentatiónibus.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: mémores estóte, quómodò salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cælum, & miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercítui ejus in mari Rubro. Et.

Lectio v.

ET quando grave quidem bellum ingruébat, nec quidquam possent fácere quod prodésset, se abscondébant: nam hoc quoque fecérunt Apóstoli. Non enim semper apparéntes in média irruébant perícula, sed nonnúmquam & fugiéntes, & laténtes secedébant. Postquam autem parùm respirárunt, tamquam generósi quidam cátuli ex antris exiliéntes, & è látebris emergéntes, statuérunt non se ampliùs solos serváre, sed étiam álios quoscúmque possent: & civitátem & omnem regiónem obeúntes, collegérunt quotquot invenérunt adhuc sanos & íntegros: & multos étiam qui laborábant & corrúpti erant, in statum pristinum redegérunt, eis persuadéntes redíre ad legem pátriam.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodò potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos? Dómine.

Lectio vj.

DEum enim dicébant esse benígnum & cleméntem, nec umquam adímere salútem, quæ profíciscitur ex pœniténtia. Hæc autem dicéntes, habuérunt deléctum fortissimórum virórum. Non enim pro uxóribus, libéris, & ancíllis, patriæque eversióne & captivitáte, sed pro lege & pátria república pugnabant. Eórum autem dux erat Deus. Cùm ergo áciem dirígerent, & suas ánimas prodígerent, fundébant adversários, non armis fidéntes, sed loco omnis armatúræ, pugnæ causam sufficere ducéntes. Ad bellum autem eúntes non tragœdias excitábant, non pæâna canébant,





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bant, sic nonnúlli fáciunt: non adhibuérunt tibícines, ut fit in áliis castris: sed Dei supernè auxílium invocábant, ut adésset, opem ferret, & manum præbéret propter quem bellum gerébant, pro cujus glória decertábant.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

℟. vij. Refulsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

## FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 2.*

INveniútur autem in descriptiónibus Jeremíæ Prophétæ, quòd jussit eos ignem accípere qui transmigrábant: ut significátum est, & ut mandávit transmigrátis. Et dedit illis legem, ne oblivisceréntur præcépta Dómini, & ut non exerrárent méntibus vidéntes simulácra áurea, & argéntea, & ornaménta eórum. Et alia hujúsmodi dicens, hortabátur ne legem amovérent à corde suo.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo: Elige tibi viros, & vade, líbera fratres tuos in Galilæam: ego autem, & Jónathas frater tuus, íbimus in Galaaditim: * Sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat. ℣. Accíngimini filii poténtes, & estóte paráti: quóniam mélius est nobis mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ, & sanctórum. Sicut.

Lectio ij.

ERat autem in ipsa scriptúra, quómodò tabernáculum & arcam jussit Prophéta divíno respónso ad se facto comitári secum, usquequò éxiit in montem, in quo Móyses ascéndit, & vidit Dei hereditátem. Et véniens ibi Jeremías invénit locum speluncæ: & tabernáculum, & arcam, & altáre incénsi íntulit illuc, & óstium obstrúxit. Et accessérunt quidam simul, qui sequebántur, ut notárent sibi locum: & non potuérunt invenire.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

UT autem cognóvit Jeremías, culpans illos, dixit: Quòd ignótus erit locus, donec cóngreget Deus congregatiónem pópuli, & propítius fiat: & tunc Dóminus osténdet hæc, & apparébit majéstas Dómini, & nubes erit, sicut & Móysi manifestabátur, & sicut cùm Sálomon pétiit ut locus sanctificarétur magno Deo, manifestábat hæc. Magníficè étenim sapiéntiam tractábat: & ut sapiéntiam habens, óbtulit sacrifícium dedicatiónis & consummatiónis templi.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui

## FERIA TERTIA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 3.*

IGitur cùm sancta cívitas habitarétur in omni pace, leges étiam adhuc óptimè custodiréntur, propter Oníæ pontíficis pietátem, & ánimos ódio habéntes mala, fiébat ut & ipsi reges & príncipes locum summo honóre dignum dúcerent, & templum máximis munéribus illustrárent, ita ut Seléucus Asiæ rex de rédditibus suis præstáret omnes sumptus ad ministérium sacrificiórum pertinéntes. Simon autem de tribu Bénjamin prærpósitus templi constitútus, contendébat obsisténte sibi príncipe sacerdótum, iníquum áliquid in civitáte molíri.

℟. Hic est fratrum amátor, & pópuli Israël: * Hic est qui multùm orat pro pópulo, & univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit. Hic est.

Lectio ij.

SEd cùm víncere Oníam non posset, venit ad Apollónium Tharsææ fílium, qui eo témpore erat dux Cœlesýriæ, & Phenícis: & nuntiávit ei, pecúniis innumerabílibus plenum esse ærárium Jerosólymis, & commúnes cópias imménsas esse, quæ non pértinent ad ratiónem sacrificiórum: esse autem possíbile sub potestáte regis cádere univérsa. Cùmque retulísset ad regem Apollónius de pecúniis quæ delátæ erant, ille accítum Heliodórum, qui erat super negótia ejus, misit cum mandátis, ut præ-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

prædictam pecúniam transportáret. Statímque Heliodórus iter est aggréssus, spécie quidem quasi per Cœlesýriam & Phœnícen civitátes esset peragratúrus, re vera autem regis propósitum perfectúrus. ℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam: voluísti templum tuum fíeri in nobis: * Consérva domum istam immaculátam in ætérnum Dómine. ℣. Tu elegísti Dómine domum istam ad invocándum nomen tuum in ea, ut esset domus oratiónis & obsecratiónis pópulo tuo. Consérva.

Lectio iij.

SEd, cum venísset Jerosólymam, & benígnè à summo sacerdóte in civitáte esset excéptus, narrávit de dato indício pecuniárum: &, cujus rei grátia adésset, apéruit: interrogábat autem, si verè hæc ita essent. Tunc summus sacérdos osténdit depósita esse hæc, & victuália viduárum & pupillórum: quædam verò esse Hircáni Tobíæ, viri valdè eminéntis, in his quæ detúlerat ímpius Simon: univérsa autem argénti talénta esse quadringénta, & auri ducénta. Décipi verò eos, qui credidíssent loco & templo, quod per univérsum mundum honorátur, pro sui veneratióne & sanctitáte omninò impossíbile esse. ℟. Aperi óculos tuos Dómine, & vide afflictiónem nostram: circumdedérunt nos Gentes ad puniéndum nos: * Sed tu Dómine exténde bráchium tuum, & líbera ánimas nostras. ℣. Afflige oppriméntes nos, & contuméliam faciéntes in supérbiam: & custódi partem tuam. Sed tu Dómine. Glória Patri. Sed tu Dómine.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 3. d*

HEliodórus autem, quod decréverat, perficiébat eódem loco ipse cum satellítibus circa ærárium præsens. Sed spíritus omnipoténtis Dei magnam fecit suæ ostensiónis evidéntiam, ita ut omnes qui ausi fúerant parére ei, ruéntes Dei virtúte, in dissolutiónem & formídinem converteréntur. Appáruit enim illis quidam equus terríbilem habens sessórem, óptimis operiméntis adornátus: isque cum ímpetu Heliodóro prióres calces elísit. Qui autem ei sedébat, videbátur arma habére áurea. ℟. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.



Lectio ij.

ALii étiam apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glória, speciosíque amíctu: qui circumstetérunt eum, & ex utráque parte flagellábant, sine intermissióne multis plagis verberántes. Súbitò autem Heliodórus cóncidit in terram, eúmque multa calígine circumfúsum rapuérunt, atque in sella gestatória pósitum ejecérunt. Et is, qui cum multis cursóribus & satellítibus prædíctum ingréssus est ærárium, portabátur nullo sibi auxílium ferénte, manifésta Dei cógnita virtúte. Et ille quidem per divínam virtútem jacébat mutus, atque omni spe & salúte privátus. ℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

COnsíderans autem summus sacérdos, ne fortè rex suspicarétur malítiam áliquam ex Judæis circa Heliodórum consummátam, óbtulit pro salúte viri hóstiam salutárem. Cúmque summus sacérdos exoráret, iídem júvenes eísdem véstibus amícti, astántes Heliodóro dixérunt, Oníæ sacerdóti grátias age: nam propter eum Dóminus tibi vitam donávit. Tu autem à Deo flagellátus, núntia ómnibus magnália Dei & potestátem. Et his dictis, non comparuérunt. ℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israel, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

FERIA QUINTA.

Si hæc Hebdómada fúerit última Octóbris, in tribus sequéntibus diébus legúntur Lectiónes Domínicæ quintæ, & Fériæ secúndæ & tértiæ ejúsdem Hebdómadæ: quæ si fúerint impedítæ, eo anno omittúntur illæ Lectiónes, quæ his diébus legi non possunt. Si verò in sequénti Hebdómada hæ Lectiónes in suis Fériis legi non possunt, ponántur in sequéntibus Fériis ejúsdem Hebdómadæ, juxta órdinem Históriæ & Martyrii Machabæórum.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 4.*

SImon autem prædíctus pecuniárum & pátriæ delátor, malè loquebátur de Onía, tamquam ipse Heliodórum instigásset ad hæc, &



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

& ipse fuisset incéntor malórum: provisorémque civitátis, ac defensórem gentis suæ, & æmulatórem legis Dei, audébat insidiatórem regni dícere. Sed, cùm inimicítiæ in tantum procéderent, ùt étiam per quosdam Simónis necessários homicídia fierent: considerans Onías perículum contentiónis, & Apollónium insaníre, utpoté ducem Cœlesýriæ & Phenícis, ad augendam malítiam Simónis, ad regem se cóntulit, non ut civium accusátor, sed communem utilitátem apud semetipsum universæ multitúdinis considerans.

℟. Adaperiat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Lectio ij.

Vidébat enim sine regáli providéntia impossíbile esse pacem rebus dari, nec Simónem posse cessáre à stultítia sua. Sed post Seléuci vitæ excéssum, cùm suscepísset regnum Antíochus, qui Nóbilis appellabátur, ambiébat Jason frater Oníæ summum sacerdótium: adíto rege, promittens ei argénti taléntа trecénta sexaginta, & ex réditibus áliis taléntа octogínta, super hæc promittébat & ália centum quinquagínta, si potestáti ejus concederétur gymnásium & ephébiam sibi constitúere, & eos, qui in Jerosólymis erant, Antiochénos scríbere.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, * Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. Dóminus.

Lectio iij.

Quod cùm rex annuísset, & obtinuísset principátum, statim ad Gentílem ritum contríbules suos transférre cœpit. Et amótis his, quæ humanitátis causá Judǽis à régibus fúerant constitúta, per Joannem patrem Eupólemi, qui apud Romános de amicítia & societáte functus est legatióne legítima, cívium jura déstituens, prava instituta sanciébat.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, & gloriántur in virtúte sua: contere fortitúdinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, & déstrue eos protéctor noster Dómine. Ut cognóscant. Glória Patri. Ut.



FERIA SEXTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 5.*

Eodem témpore Antíochus secúndam profectiónem parávit in Ægyptum. Contígit autem per univérsam Jerosolymórum civitátem vidéri diébus quadragínta per aëra équites discurréntes, aurátas stolas habéntes, & hastis, quasi cohórtes, armátos, & cursus equórum per órdines digéstos, & congressiónes fíeri cóminus, & scutórum motus, & galeatórum multitúdinem gládiis districtis, & telórum jactus, & aureórum armórum splendórem, omnísque géneris loricárum. Quaprópter omnes rogábant in bonum monstra convérti.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: mémores estóte, quómodò salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cælum, & miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercítui ejus in mari Rubro. Et nunc.

Lectio ij.

Sed cùm falsus rumor exísset, tamquam vita excessísset Antíochus, assúmptis Jason non minùs mille viris, repénte aggréssus est civitátem: & cívibus ad murum convolántibus, ad últimum apprehénsa civitáte, Menelǎus fugit in arcem: Jason verò non parcébat in cæde cívibus suis, nec cogitábat prosperitátem advérsùm cognátos malum esse máximum, arbitrans hóstium & non cívium se trophæa captúrum. Et principátum quidem non obtínuit, finem verò insidiárum suárum confusiónem accépit: & prófugus iterùm abiit in Ammaníten.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodò poterímus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos Dómine.

Lectio iij.

Ad últimum, in exítium sui conclúsus ab Areta Arabum tyránno, fúgiens de civitáte in civitátem, ómnibus odiósus, ut refuga legum, & execrábilis, ut pátriæ & cívium hostis, in Ægyptum extrúsus est: & qui multos de pátria sua expúlerat, peregrè périit Lacedæmonas proféctus, quasi pro cognatióne ibi refúgium habitúrus: & qui insepúltos multos abjécerat, ipse & illamentátus & insepúltus abji-

citur, sepultúra neque peregrina usus, neque pátrio sepúlchro párticipans.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

## SABBATO.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 6.*

SEd non post multum témporis misit rex Antíochus senem quemdam Antiochénum, qui compélleret Judæos, ut se transferrent à pátriis & Dei légibus: contamináre étiam quod in Jerosólymis erat templum, & cognomináre Jovis Olympii: & in Garizim, prout erant hi qui locum inhabitábant, Jovis Hospitális. Péssima autem & univérsis gravis erat malórum incúrsio: nam templum luxúria & comessatiónibus Géntium erat plenum, & scortántium cum meretrícibus, sacratísque ǽdibus mulíeres se ultrò ingerébant, intrò feréntes ea, quæ non licébat.

℟. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: appropiávit Judas, & exércitus ejus in prǽlio. Et.

Lectio ij.

ALtáre étiam plenum erat illícitis, quæ légibus prohibebántur. Neque autem sábbata custodiebántur, neque dies solémnes pátrii servabántur, nec simplíciter Judǽum se esse quisquam confitebátur. Ducebántur autem cum amára necessitáte in die natális regis ad sacrifícia: &, cum Líberi sacra celebraréntur, cogebántur hédera coronáti Líbero circuíre. Decrétum autem éxiit in próximas Gentílium civitátes, suggeréntibus Ptolemǽis, ut pari modo & ipsi advérsus Judǽos ágerent, ut sacrificárent: eos autem, qui nollent transíre ad institúta Géntium, interfícerent: erat ergo vidére misériam.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et.

Lectio iij.

DUæ enim mulíeres delátæ sunt natos suos circumcidísse: quas, infántibus ad úbera suspénsis, cùm públicè per civitátem circumduxíssent, per muros præcipitavérunt. Alii verò, ad próximas coeúntes spelúncas, & laténter sábbati diem celebrántes, cùm indicáti essent Philíppo, flammis succénsi sunt, eò quòd verebántur propter religiónem & observántiam, manu sibímet auxílium ferre. Obsecro autem eos, qui hunc Librum lectúri sunt, ne abhorréscant propter advérsos casus, sed réputent ea, quæ accidérunt, non ad intéritum, sed ad correptiónem esse géneris nostri.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.



## SABBATO

Ante Domínicam quintam Octóbris, ubi sit dimitténda, quia hæc próximior sit Kaléndis Novémbris.

Ad Magníficat, Antíphona.

Tua est poténtia, tuum regnum Dómine, tu es super omnes gentes: da pacem Dómine in diébus nostris.

## DOMINICA V.

Octóbris.

In primo Noctúrno.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 6. d*

IGitur Eleázarus unus de primóribus Scribárum, vir ætáte provéctus, & vultu decórus, apérto ore hians, compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille gloriosíssimam mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. Intuens autem quemádmodùm oportéret accédere, patiénter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui astábant iníqua miseratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum secrétò, rogábant afférri carnes, quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducásse, sicut rex imperáverat, de sacrifícii cárnibus: ut, hoc facto, à morte liberarétur: & propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Lectio ij.

AT ille cogitáre cœpit ætátis ac senectútis suæ eminéntiam dignam, & ingénitæ nobilitátis canítiem, atque à púero óptimæ conversatiónis actus: & secúndùm sanctæ & à Deo cónditæ legis constitúta, respóndit citò, dicens, præmítti se vél-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

citur, sepultúra neque peregrina usus, neque pátrio sepúlchro participans.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

## SABBATO.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 6.*

SEd non post multum témporis misit rex Antiochus senem quemdam Antiochénum, qui compélleret Judæos, ut se transferrent à pátriis & Dei légibus: contamináre étiam quod in Jerosólymis erat templum, & cognomináre Jovis Olympii: & in Garizim, prout erant hi qui locum inhabitábant, Jovis Hospitális. Péssima autem & univérsis gravis erat malórum incúrsio: nam templum luxúria & comessatiónibus Géntium erat plenum, & scortántium cum meretrícibus, sacratísque ædibus mulíeres se ultrò ingerébant, intrò feréntes ea, quæ non licébat.

℟. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.

Lectio ij.

ALtáre étiam plenum erat illícitis, quæ légibus prohibebántur. Neque autem sábbata custodiebántur, neque dies solémnes pátrii servabántur, nec simplíciter Judæum se esse quisquam confitebátur. Ducebántur autem cum amára necessitáte in die natális regis ad sacrifícia: &, cum Líberi sacra celebraréntur, cogebántur hédera coronáti Líbero circuíre. Decrétum autem éxiit in próximas Géntilium civitátes, suggeréntibus Ptolemæis, ut pari modo & ipsi advérsus Judæos ágerent, ut sacrificárent: eos autem, qui nollent transíre ad institúta Géntium, interfícerent: erat ergo vidére misériam.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et.

Lectio iij.

DUæ enim mulíeres delátæ sunt natos suos circumcidísse: quas, infántibus ad úbera suspénsis, cùm públicè per civitátem circumduxíssent, per muros præcipitavérunt. Alii verò, ad próximas coeúntes spelúncas, & laténter sábbati diem celebrántes, cùm indicáti essent Philíppo, flammis succénsi sunt, eò quòd verebántur propter religiónem & observántiam, manu sibímet auxílium ferre. Obsecro autem eos, qui hunc Librum lectúri sunt, ne abhorréscant propter advérsos casus, sed réputent ea, quæ accidérunt, non ad intéritum, sed ad correptiónem esse géneris nostri.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.



## SABBATO

Ante Dominicam quintam Octóbris, ubi sit dimitténda, quia hæc proximior sit Kaléndis Novémbris.

Ad Magníficat, Antíphona.

Tua est poténtia, tuum regnum Dómine, tu es super omnes gentes: da pacem Dómine in diébus nostris.

## DOMINICA V.

Octóbris.

In primo Noctúrno.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 6. d*

IGitur Eleázarus unus de primóribus Scribárum, vir ætáte provéctus, & vultu decórus, apérto ore hians, compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille gloriosíssimam mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. Intuens autem quemádmodùm oportéret accédere, patiénter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui astábant iníqua miseratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum secrétò, rogábant afférri carnes, quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducásse, sicut rex imperáverat, de sacrifícii cárnibus: ut, hoc facto, à morte liberarétur: & propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Lectio ij.

AT ille cogitáre cœpit ætátis ac senectútis suæ eminéntiam dignam, & ingénitæ nobilitátis caníciem, atque à púero óptimæ conversatiónis actus: & secúndùm sanctæ & à Deo cónditæ legis constitúta, respóndit citò, dicens, præmítti se vel-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

velle in infernum. Non enim ætáti nostræ dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescéntium, arbitrántes Eleázarum nonaginta annórum transisse ad vitam alienigenárum, & ipsi propter meam simulatiónem, & propter módicum corruptíbilis vitæ tempus decipiántur, & per hoc máculam atque execratiónem meæ senectúti conquíram. Nam etsi in præsénti témpore suppliciis hóminum erípiar, sed manum Omnipoténtis nec vivus, nec defúnctus effúgiam. Quámobrem fórtiter vita excedéndo, senectúte quidem dignus apparébo, adolescéntibus autem exemplum forte relínquam, si prompto ánimo ac fórtiter pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honesta morte perfúngar. His dictis, conféstim ad supplícium trahebátur.

℟. Exaudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo: * Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. Dóminus.

Lectio iij. *Cap. 7.*

Contigit autem & septem fratres una cum matre sua apprehénsos compélli a rege édere contra fas carnes porcínas, flagris & táureis cruciátos. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quæris, & quid vis díscere a nobis? paráti sumus mori magis, quam pátrias Dei leges prævaricári. Irátus ítaque rex, jussit sartágines & ollas æneas succéndi: quibus statim succénsis, jussit ei qui prior fúerat locútus amputári linguam: & cute cápitis abstrácta, summas quoque manus & pedes ei præscíndi, céteris ejus frátribus & matre inspiciéntibus. Et cùm jam per ómnia inútilis factus esset, jussit ignem admovéri, & adhuc spirántem torréri in sartágine: in qua cùm diu cruciarétur, céteri unà cum matre ínvicem se hortabántur mori fórtiter.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, & gloriántur in virtúte sua: cóntere fortitúdinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, & déstrue eos protéctor noster Dómine. Ut cognóscant. Glória Patri. Ut.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Gregorii Nazianzéni.

*Orat. 20. de Machabæis.*

Lectio iv.

Eleazárus primítiæ eórum qui hic ante Christum sunt passi, quemádmodum post Christum Stéphanus. Is vir & sacérdos & senex, canus capíllis, canus & prudéntia, prius quidem pro pópulo sacrificábat & orábat: nunc autem semetípsum hóstiam óbtulit Deo perfectíssimam ad totíus pópuli expiatiónem, faustum certáminis inítium, ad quod loquens páriter ac tacens cohortabátur. Obtulit autem & fílios septem, suæ fructus disciplínæ, hóstiam vivéntem, sanctam, beneplácitam Deo, omni legáli sacrifício splendidiórem & puriórem: quæ sunt enim filiórum, ad patrem reférri, æquíssimum ac justíssimum est.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: memóres estóte, quómodo salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cælum, & miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercítui ejus in mari Rubro. Et nunc.

Lectio v.

Ibi tum generósi & magnánimi púeri, generósæ matris nobílis proles, gloriósi veritátis propugnatóres, Antíochi tempóribus excelsióres, veri Mosáicæ legis discípuli, paternórum rituum observantíssimi, númerus apud Hebræos laudábilis, & propter septenáriæ quiétis mystérium venerábilis, unum spirántes, unum spectántes, unum illud ad vitam iter agnoscéntes, ut mortem Dei causa suscíperent: non minus ánimis fratres quàm corpóribus, inter se mútuæ mortis æmuli: ô rem admirándam! torménta quasi thesáuros præripiéntes, pro magistra lege perícula subeúntes, quæ non magis illáta formidábant, quàm relícta requirébant: unum illud vériti, ne tyránnus à pœnis desísteret, ne quis ipsórum sine corónæ prǽmio discéderet, ne inviti fratres álii ab álio sejungeréntur, & ne, in eo discrímine cruciátibus erépti, mala victória superárent.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dimícent contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodo poterímus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos Dómine.

Lectio vj.

Erat ibi fortis & generósa mater, puerórum simul ac Dei amans, cujus matérna víscera supra natúræ consuetúdinem dilaniabántur. Non enim filiórum, qui in torméntis erant, miserebátur, sed timóre angebátur, ne non ea suscíperent: neque magis eos,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eos, qui è vita migráverant, desiderábat, quam precabátur, ut reliqui cum illis conjungeréntur: de quibus filiis magis quàm de mórtuis, erat solícita. Horum enim dúbium erat certámen, at illórum secúrus vitæ éxitus, atque illos quidem jam Deo adjúnxerat: de his verò quómodò eos Deus susciperet, laborábat. O virilem ánimum in córpore muliebri! ò admirábile magni ánimi increméntum!

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes Gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

℟. vij. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

## FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Machabæórum.

Léctio j. *Cap. 7. d*

MOrtuo itaque illo primo, hoc modo, sequéntem deducébant ad illudéndum: &, cute cápitis ejus cum capillis abstrácta, interrogábant, si manducáret priùs, quàm toto córpore per membra singula punirétur. At ille respóndens pátria voce, dixit: Non fáciam. Propter quod & iste, sequénti loco, primi torménta suscépit: & in último spíritu constitútus, sic ait: Tu quidem sceléstissime in præsénti vita nos perdis: sed rex mundi defúnctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit. Post hunc tértius illúditur, & linguam postulátus citò prótulit, & manus constánter exténdit: & cum fidúcia ait: E cælo ista possídeo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea receptúrum spero: ita ut rex, & qui cum ipso erant, miraréntur adolescéntis ánimum, quod tamquam níhilum dúceret cruciátus.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo: Elige tibi viros, & vade, líbera fratres tuos, in Galilæam: ego autem, & Jónathas frater tuus, íbimus in Galaaditim: * Sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat. ℣. Accíngimini filii poténtes, & estóte paráti: quóniam mélius est nobis mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ, & sanctórum. Sicut.



Léctio ij.

ET hoc ita defúncto, quartum vexábant, simíliter torquéntes. Et cùm jam esset ad mortem, sic ait: Pótiùs est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, iterùm ab ipso resuscitándos: tibi enim resurréctio ad vitam non erit. Et cùm admovíssent quintum, vexábant eum. At ille respíciens in eum, dixit: Potestátem inter hómines habens, cùm sis corruptíbilis, facis quod vis: noli autem putáre genus nostrum à Deo esse derelíctum. Tu autem patiénter sústine, & vidébis magnam potestátem ipsíus, quáliter te, & semen tuum torquébit. Post hunc ducébant sextum, & is mori incípiens, sic ait: Noli frustrà erráre: nos enim propter nosmetipsos hæc pátimur, peccántes in Deum nostrum, & digna admiratióne facta sunt in nobis: tu autem ne exístimes tibi impúnè futúrum, quòd contra Deum pugnáre tentáveris.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis, & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Léctio iij.

SUpra modum autem mater mirábilis, & bonórum memória digna, quæ pereúntes septem filios sub uníus diéi témpore conspíciens, bono ánimo ferébat, propter spem quam in Deum habébat: síngulos illórum hortabátur voce pátria fórtiter, repléta sapiéntia: & femíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens, dixit ad eos: Néscio quáliter in útero meo apparuístis: neque enim ego spíritum & ánimam donávi vobis & vitam, & singulórum membra non ego ipsa compégi, sed enim mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit oríginem, & spíritum vobis iterùm cum misericórdia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despícitis propter leges ejus.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

FE-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## FERIA TERTIA.

De libro secúndo Machabæórum.

Léctio j. *Cap. 7. c*

ANtiochus autem contémni se arbitrátus, simul & exprobrántis voce despécta, cum adhuc adolescéntior superésset, non solùm verbis hortabátur, sed & cum juraménto affirmábat, se dívitem & beátum factúrum, & translátum a pátriis légibus amícum habitúrum, & res necessárias ei præbitúrum. Sed ad hæc cum adoléscens nequáquam inclinarétur, vocávit rex matrem, & suadébat ei ut adolescénti fíeret in salútem. Cùm autem multis eam verbis esset hortátus, promísit suasúram se fílio suo. Itaque inclináta ad illum, irrídens crudélem tyránnum, ait pátria voce: Fili mi, miserére mei, quæ te in útero novem ménsibus portávi, & lac triénnio dedi & alui, & in ætátem istam perdúxi.

℟. Hic est fratrum amátor, & pópuli Israel. * Hic est qui multum orat pro pópulo, & univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit. Hic est.

Léctio ij.

PEto nate, ut aspícias ad cælum & terram, & ad ómnia quæ in eis sunt, & intélligas, quia ex níhilo fecit illa Deus, & hóminum genus: ita fiet, ut non tímeas carníficem istum; sed dignus frátribus tuis efféctus párticeps, súscipe mortem, ut in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípiam. Cùm hæc illa adhuc díceret, ait adoléscens: Quem sustinétis? non obédio præcépto regis, sed præcépto legis, quæ data est nobis per Móysen. Tu vero, qui inventor omnis malítiæ factus es in Hebræos, non effúgies manum Dei. Nos enim pro peccátis nostris hæc pátimur. Et si nobis propter increpatiónem & correptiónem Dóminus Deus noster módicum irátus est: sed íterum reconciliábitur servis suis.

℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam, voluísti templum tuum fíeri in nobis: * Consérva domum istam immaculátam in ætérnum Dómine. ℣. Tu elegísti Dómine domum istam ad invocándum nomen tuum in ea, ut esset domus oratiónis & obsecratiónis pópulo tuo. Consérva domum.

Léctio iij.

TU autem, o sceléste, & ómnium hóminum flagitiosíssime, noli frustra extólli vanis spébus in servos ejus inflammátus. Nondum enim omnipoténtis Dei, & ómnia inspiciéntis judícium effugísti. Nam fratres mei, módico nunc dolóre sustentáto, sub testaménto ætérnæ vitæ effécti sunt: tu verò judício Dei justas supérbiæ tuæ pœnas exsólves. Ego autem, sicut & fratres mei, ánimam & corpus meum trado pro pátriis légibus: ínvocans Deum matúrius genti nostræ propítium fíeri, teque cum torméntis & verbéribus confitéri, quòd ipse est Deus solus. In me verò & in frátribus meis desínet Omnipoténtis ira, quæ super omne genus nostrum justè superdúcta est. Tunc rex accénsus ira, in hunc super omnes crudélius desǽvit, indignè ferens se derísum. Et hic ítaque mundus óbiit per ómnia in Dómino confídens. Novíssimè autem post fílios, & mater consúmpta est.

℟. Aperi óculos tuos Dómine, & vide afflictiónem nostram: circumdedérunt nos Gentes ad puniéndum nos: * Sed tu Dómine exténde bráchium tuum, & líbera ánimas nostras. ℣. Affl͡ige oppriméntes nos, & contuméliam faciéntes in supérbiam: & custódi partem tuam. Sed tu Dómine. Glória Patri. Sed tu.



## FERIA QUARTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Léctio j. *Cap. 8. c*

COnstítuit autem Nicánor, ut regi tribútum, quod Románis erat dandum, duo míllia talentórum, de captivitáte Judæórum suppléret: statímque ad marítimas civitátes misit, cónvocans ad coemptiónem Judaicórum mancipiórum, promíttens se nonagínta mancípia talénto distractúrum, non respíciens ad vindíctam, quæ eum ab Omnipoténte esset consecutúra. Judas autem ubi compérit, indicávit his qui secum erant Judǽis, Nicanóris advéntum. Ex quibus quidam formidántes, & non credéntes Dei justítiæ, in fugam vertebántur: alii verò si quid eis superérat vendébant, simúlque Dóminum deprecabántur ut eríperet eos ab ímpio Nicánore.

℟. Refúlsit sol in clýpeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prǽlio. Et.

Léctio ij.

COnvocátis autem Machabæus septem míllibus, qui cum ipso erant, rogábat ne hóstibus reconcilia-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

liarentur, neque metúerent iniquè veniéntium advérsùm se hóstium multitúdinem: sed fórtiter contenderent, ante óculos habéntes contuméliam, quæ loco sancto ab his injuste esset illáta, itémque & ludíbrio hábitæ civitátis injúriam, adhuc étiam véterum institúta convúlsa. Nam illi quidem armis confídunt, ait, simul & audácia: nos autem in omnipoténte Dómino, qui potest & veniéntes advérsùm nos, & univérsum mundum uno nutu delére, confídimus. Admónuit autem eos & de auxíliis Dei, quæ facta sunt erga paréntes: & quòd sub Sennácherib centum octogínta quinque míllia periérunt.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

His verbis constántes effecti sunt, & pro légibus & pátria mori paráti. Constítuit ítaque fratres suos duces utríque órdini, Simónem, & Josèphum, & Jónathan, subjectis unicuíque millénis & quingenténis. Ad hoc étiam ab Esdra lecto illis sancto libro, & dato signo adjutórii Dei, in prima ácie ipse dux commísit cum Nicánore. Et facto sibi adjutóre Omnipoténte, interfecérunt super novem míllia hóminum: majórem autem partem exércitus Nicánoris vulnéribus débilem factam fúgere compulérunt. Pecúniis verò eórum, qui ad emptiónem ipsórum vénerant, sublátis, ipsos usquequàque persecúti sunt, sed revérsi sunt hora conclúsi: nam erat ante sábbatum: quam ob causam non perseveravérunt insequéntes. Arma autem ipsórum & spólia congregántes, sábbatum agébant: benedicéntes Dóminum, qui liberávit eos in isto die, misericórdiæ inítium stillans in eos. Post sábbatum verò, debílibus, & órphanis, & víduis, divisérunt spólia: & resídua ipsi cum suis habuére.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui. Glória Patri. Qui.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. *Cap. 9.*

Eodem témpore Antíochus inhonéste revertebátur de Pérside. Intráverat enim in eam, quæ dícitur Persépolis, & tentávit expoliáre templum, & civitátem opprímere: sed multitúdine ad arma concurrénte, in fugam versi sunt: & ita cóntigit, ut Antíochus post fugam túrpiter redíret. Et cùm venísset circa Ecbátanam, recognóvit quæ erga Nicánorem & Timótheum gesta sunt. Elátus autem in ira, arbitrabátur se injúriam illórum, qui se fugáverant, posse in Judæos retorquére: ideóque jussit agitári currum suum, sine intermissióne agens iter, cæléstì eum judício perurgénte, eò quòd ità supérbè locútus est se ventúrum Jerosólymam, & congériem sepúlchri Judæórum eam factúrum.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis, & fáciat pacem in diébus vestris: * Concédat vobis salútem, & rédimat vos à malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Concédat.

Lectio ij.

Sed qui univérsa cónspicit Dóminus Deus Israël, percússit eum insanábili & invisíbili plaga. Ut enim finívit hunc ipsum sermónem, apprehéndit eum dolor dirus víscerum, & amára internórum torménta: & quidem satis justè, quippè qui multis & novis cruciátibus aliórum tórserat víscera, licèt ille nullo modo à sua malítia cessáret. Super hoc autem supérbia replétus, ignem spirans ánimo in Judæos, & præcípiens accelerári negótium, cóntigit illum ímpetu eúntem de curru cádere, & gravi córporis collisióne membra vexári.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, * Dóminus Deus noster: ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. Dóminus.

Lectio iij.

Isque qui sibi videbátur étiam flúctibus maris imperáre, supra humánum modum supérbia replétus, & móntium altitúdines in statéra appéndere, nunc humiliátus ad terram, in gestatório portabátur, maniféstam Dei virtútem in semetípso contéstans: ita ut de córpore ímpii vermes scaturírent, ac vivéntis in dolóribus carnes ejus efflúerent, odóre étiam illíus & fœtóre exércitus gravarétur. Et qui pauló antè sídera cæli contíngere se arbitrabátur, eum nemo póterat propter intolerántiam fœtóris portáre.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, & gloriántur in virtúte



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

te sua: cóntere fortitúdinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, & déstrue eos protéctor noster Dómine. Ut. Glória Patri. Ut.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Léctio j. Cap. 10.

MAchabæus autem, & qui cum eo erant, Dómino se protegénte, templum quidem & civitátem recépit: aras autem, quas alienígenæ per platéas extrúxerant, itemque delúbra demolítus est. Et purgáto templo, áliud altáre fecérunt: & de ignitis lapídibus igne concépto, sacrifícia obtulérunt post biénnium, & incénsum, & lucérnas, & panes propositiónis posuérunt. Quibus gestis, rogábant Dóminum prostráti in terram, ne ámplius tálibus malis incíderent: sed & si quando peccássent, ut ab ipso mitiùs corriperéntur, & non bárbaris ac blasphémis homínibus traderéntur. Qua die autem templum ab alienígenis pollútum fúerat, contígit eádem die purificatiónem fíeri, vigésima quinta mensis, qui fuit Cásleu.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: mémores estóte, quómodò salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamémus in cælum, & miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercítui ejus in mari Rubro. Et nunc.

Léctio ij.

AT Timótheus, qui priùs à Judæis fúerat superátus, convocáto exércitu peregrínæ multitúdinis, & congregáto equitátu Asiáno, advénit quasi armis Judæam captúrus. Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquánte illo, deprecabántur Dóminum, caput terra aspergéntes, lumbósque ciliciis præcíncti, ad altáris crepídinem provolúti, ut sibi propítius, inimícis autem eórum esset inimícus, & adversáriis adversarétur, sicut lex dicit. Et ità post oratiónem, sumptis armis, lóngiùs de civitáte procedéntes, & próximi hóstibus effécti, resedérunt.

℟. Congregátæ sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, & ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos: quómodo potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos? Dómine.

Léctio iij.



PRimo autem solis ortu utríque commisérunt, isti quidem victóriæ & prosperitátis sponsórem cum virtúte Dóminum habéntes: illi autem ducem belli ánimum habébant. Sed cùm veheméns pugna esset, apparuérunt adversáriis de cælo viri quinque in equis, frænis áureis decóri, ducátum Judæis præstántes: ex quibus duo Machabæum médium habéntes, armis suis circumséptum incólumem conservábant: in adversários autem tela & fúlmina jaciébant, ex quo & cæcitáte confúsi, & repléti perturbatióne cadébant. Interfécti sunt autem vigínti míllia quingénti, & équites sexcénti. Timótheus verò confúgit in Gázaram præsídium munítum, cui præerat Chæreas.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis & fortis, justus & miséricors. Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

SABBATO.

De libro secúndo Machabæórum.

Léctio j. Cap. 15.

MAchabæus autem semper confidébat cum omni spe auxílium sibi à Deo affutúrum. Et hortabátur suos, ne formidárent ad advéntum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cælo, & nunc sperárent ab omnipoténte sibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de Lege & Prophétis, ádmonens étiam certámina quæ fécerant priùs, promptióres constítuit eos: & ita ánimis eórum eréctis, simul ostendébat Géntium falláciam, & juramentórum prævaricatiónem. Singulos autem illórum armávit, non clypei & hastæ munitióne, sed sermónibus óptimis & exhortatiónibus, expósito digno fide sómnio, per quod univérsos lætificávit.

℟. Refúlsit sol in clypeos áureos, & resplenduérunt montes ab eis: * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valdè, & fortis: & appropiávit Judas, & exércitus ejus in prælio. Et.

Léctio ij.

ERat autem hujuscémodi visus: Oníam, qui fúerat summus sacérdos, virum bonum & benígnum, verecúndum visu, modéstum móribus, & elóquio decórum, & qui à púero in virtútibus exercitátus sit, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Post hoc apparuísse & álium virum, ætáte & glória mirábilem, &

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

& magni decôris habitúdine circa illum: Respondéntem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amátor, & pópuli Israël: hic est, qui multum orat pro pópulo, & universa sancta civitáte, Jeremias Prophêta Dei. Extendisse autem Jeremiam dextram, & dedisse Judæ gladium aureum, dicéntem: Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversários pópuli mei Israël.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætitia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

Exhortáti itaque Judæ sermónibus bonis valdè, de quibus extólli posset ímpetus, & ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre & confligere fórtiter: ut virtus de negótiis judicáret, eò quòd cívitas sancta & templum periclitaréntur. Erat enim pro uxóribus, & filiis, itémque pro frátribus, & cognátis minor solicitúdo: máximus verò & primus pro sanctitáte timor erat templi. Sed & eos qui in civitáte erant, non mínima solicitúdo habêbat pro his qui congressúri erant.

℟. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

## SABBATO

Ante Dominicam primam Novémbris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum, & plena erat omnis terra majestáte ejus: & ea quæ sub ipso erant replébant templum.

## DOMINICA I.

Novémbris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Ezechiêlis Prophêtæ.

Lectio j. *Cap. 1.*

Et factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti sunt cæli, & vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachin, factum est verbum Dómini ad Ezechiêlem fílium Buzi sacerdótem in terra Chaldæórum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, & ecce ventus túrbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis invólvens, & splendor in circúitu ejus, & de médio ejus quasi spécies eléctri, id est, de médio ignis.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevâtum: & plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et.

Lectio ij.

Et in médio ejus similitúdo quátuor animálium: & hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, & planta pedis eórum quasi planta pedis vítuli, & scintillæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus: & fácies & pennas per quátuor partes habêbant. Junctæque erant pennæ eórum alterius ad álterum. Non revertebántur cùm incéderent: sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi.



Lectio iij.

Similitúdo autem vultus eórum, fácies hóminis, & fácies leónis à dextris ipsórum quátuor: fácies autem bovis à sinistris ipsórum quátuor, & fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, & pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungebántur, & duæ tegébant córpora eórum: & unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cùm ambulárent.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus. Non est. Glória Patri. Non est.

In secundo Nocturno.

De Expositióne sancti Gregórii Papæ in Ezechiêlem Prophêtam.

Lectio iv. *Lib. 1. Hom. 2.*

Usus prophéticæ locutiónis est, ut prius persónam, tempus, locúmque descríbat, & póstmodùm dícere mystéria prophetíæ incípiat: quaténus ad veritátem solidiùs ostendéndam, antè históriæ radícem figat, & pòst, fructus spíritus per

per signa & allegorías prófe-tar. Ezechiel itaque ætátis suæ tempus indicat, dicens: Et factum est in trigésimo anno, in quarto mense, in quinta mensis. Locum quoque denuntians adjúngit: Cùm essem in médio captivórum juxta flumen Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiónes Dei. Tempus etiam insinuat, subdens: In quinta mensis: ipse est annus quintus transmigratiònis regis Joachin. Qui ut benè persónam indicet, etiam genus narrat, cùm subditur: Et factum est verbum Dómini ad Ezechiélem, filium Buzi, sacerdótem.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constitui custódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Prædicabunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiabunt Géntibus glóriam meam. Tota.

Lectio v.

SEd prima quæstio nobis óritur, cur is qui nihil adhuc díxerat, ita exórsus est, dicens: Et factum est in trigésimo anno. Et, namque sermo conjunctiónis est: & scimus quia non conjúngitur sermo súbsequens, nisi sermóni præcedénti. Qui igitur nihil díxerat, cur dicit, Et factum est: cùm non sit sermo, cui hoc quod incipit, subjúngat? Qua in re intuéndum est, quia sicut nos corporália, sic Prophétæ sensu spiritália aspiciunt: eisque & illa sunt præséntia, quæ nostræ ignorántiæ abséntia videntur. Unde fit, ut in mente Prophetárum ita conjúncta sint exterióribus interióra, quaténus simul utraque videant: simúlque in eis fiat & intus verbum quod áudiunt, & foris quod dicunt.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Líbera.

Lectio vj.

PAtet ígitur causa, cur qui nihil díxerat, inchoávit, dicens: Et factum est in trigésimo anno: quia hoc verbum quod foris prótulit, illi verbo quod intus audíerat, conjúnxit. Continuávit ergo verbo quæ prótulit, visióni intímæ, & idcircò íncipit dicens: Et factum est. Subjúnxit enim hoc quod extérius loqui inchoat: ac si & illud foris sit, quod intus vidit. Hoc autem quod dícitur, quia in trigésimo anno spíritum prophetiæ accéperit, índicat áliquid nobis considerándum: vidélicet quia juxta rationis usum, doctrinæ sermo non súppetit, nisi in ætáte perfecta. Undè & ipse Dóminus anno duodécimo ætátis suæ in médio Doctórum in templo sedens, non docens, sed intérrogans vóluit inveníri.

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, impiè géssimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non in. Glória Patri. Non.

℟. vij. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Infra Hebdómadam, Féria iv. dicúntur Responsória ibi assignáta: in Sabbato autem dicitur j. ℟. Laudábilis. ij. & iij. Fériæ ij. seq.





Responsória hujus Domínicæ dicúntur in áliis Domínicis usque ad Advéntum.

## FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 2.*

ET audivi loquéntem ad me, & dicéntem: Fili hóminis, mitto ego te ad fílios Israël, ad gentes apostatrices, quæ recessérunt à me, ipsi & patres eórum prævaricáti sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et Filii dura fácie, & indomábili corde sunt, ad quos ego mitto te: & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: Si fortè, vel ipsi áudiant, & si fortè quiéscant, quóniam domus exásperans est: & scient quia Prophéta fúerit in médio eórum.

℟. Redémit pópulum suum, & liberábit eum: & vénient, & exultábunt in monte Sion: & gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, & óleo: * Et ultrà non esúrient. ℣. Eritque ánima eórum quasi hortus írriguus. Et ultrà.

Lectio ij.

TU ergo fili hóminis ne tímeas eos, neque sermónes eórum métuas: quóniam incréduli & subversóres sunt tecum, & cum scorpiónibus hábitas. Verba eórum ne tímeas, & vul-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per signa & allegorias prófe- rat. Ezechiel itaque ætatis suæ tempus indicat, dicens: Et factum est in trigesimo anno, in quarto mense, in quinta mensis. Locum quoque denuntians adjúngit: Cùm essem in médio captivorum juxta flumen Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiónes Dei. Tempus etiam insinuat, subdens: In quinta mensis: ipse est annus quintus transmigratiónis regis Joachin. Qui ut benè persónam indicet, etiam genus narrat, cùm subditur: Et factum est verbum Dómini ad Ezechiélem, filium Buzi, sacerdótem.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constitui custódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Prædicabunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiabunt Géntibus glóriam meam. Tota.

Lectio v.

SEd prima quæstio nobis óritur, cur is qui nihil adhuc dixerat, ita exórsus est, dicens: Et factum est in trigesimo anno. Et, namque sermo conjunctiónis est: & scimus quia non conjúngitur sermo súbsequens, nisi sermóni præcedenti. Qui igitur nihil dixerat, cur dicit, Et factum est: cùm non sit sermo, cui hoc quod incipit, subjúngat? Qua in re intuéndum est, quia sicut nos corporália, sic Prophétæ sensu spirituália aspiciunt: eisque & illa sunt præséntia, quæ nostræ ignorántiæ abséntia videntur. Unde fit, ut in mente Prophetárum ita conjúncta sint exterióribus interióra, quatenùs simul útraque videant: simúlque in eis fiat & intùs verbum quod áudiunt, & foris quod dicunt.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: * Libera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Libera.

Lectio vj.

PAtet igitur causa, cur qui nihil dixerat, inchoávit, dicens: Et factum est in trigesimo anno: quia hoc verbum quod foris prótulit, illi verbo quod intùs audierat, conjúnxit. Continuávit ergo verbo quæ prótulit, visióni intimæ; & idcircò íncipit dicens: Et factum est. Subjúnxit enim hoc quod exterius loqui inchoat: ac si & illud foris sit, quod intùs vidit. Hoc autem quod dicitur, quia in trigesimo anno spíritum prophetiæ accéperit, indicat aliquid nobis considerandum: vidélicet quia juxta ratiónis usum, doctrinæ sermo non súppetit, nisi in ætáte perfecta. Undè & ipse Dóminus anno duodécimo ætátis suæ in médio Doctórum in templo sedens, non docens, sed intérrogans vóluit inveniri.

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpetuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, impie gessimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justitiam tuam. Non in. Glória Patri. Non.

℟. vij. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedixit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Infra Hebdómadam, Féria iv. dicuntur Responsória illi assignáta: in Sabbato autem dicitur ℟. ij. Laudábilis. iij. & iiij. Fériæ ij. seq.





Responsória hujus Domínicæ dicuntur in áliis Domínicis usque ad Advéntum.

## FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 2.

ET audivi loquéntem ad me, & dicéntem: Fili hóminis, mitto ego te ad filios Israël, ad gentes apostatrices, quæ recessérunt à me, ipsi & patres eórum prævaricáti sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et filii dura fácie, & indomábili corde sunt, ad quos ego mitto te: & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: Si fortè, vel ipsi áudiant, & si forte quiéscant, quóniam domus exásperans est: & scient quia Prophéta fúerit in médio eórum.

℟. Redémit pópulum suum, & liberábit eum: & vénient, & exultábunt in monte Sion: & gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, & óleo: * Et ultrà non esúrient. ℣. Eritque ánima eórum quasi hortus írriguus. Et ultrà.

Lectio ij.

TU ergo fili hóminis ne tímeas eos, neque sermónes eórum métuas: quóniam incréduli & subversóres sunt tecum, & cum scorpiónibus hábitas. Verba eórum ne tímeas, &

 vul-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vultus eórum ne formides, quia domus exásperans est. Loquéris ergo verba mea ad eos, si fortè áudiant, & quiéscant, quóniam irritatóres sunt.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro, * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius est.

Lectio iij.

TU autem fili hóminis audi quæcúmque loquor ad te: & noli esse exásperans, sicut domus exasperátrix est: áperi os tuum, & cómede quæcúmque ego do tibi. Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involútus liber: & expándit illum coram me, qui erat scriptus intùs & foris: & scriptæ erant in eo lamentatiónes, & carmen, & væ.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclùsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et non.

Responsória hujus ij. Fériæ reperiúntur in aliis secúndis Fériis usque ad Advéntum.

## FERIA TERTIA.

### De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 3.*

ET dixit ad me: Fili hóminis, quodcúmque invéneris cómede: cómede volúmen istud, & vadens lóquere ad filios Israel. Et apérui os meum, & cibávit me volúmine illo: & dixit ad me, Fili hóminis, venter tuus comedet, & víscera tua complebúntur volúmine isto, quod ego do tibi. Et comédi illud: & factum est in ore meo sicut mel dulce. Et dixit ad me: Fili hóminis, vade ad domum Israel, & loquéris verba mea ad eos.

℟. A fácie furóris tui Deus, conturbáta est omnis terra, * Sed miserére Dómine, & ne fácias consummatiónem. ℣. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum. Sed miserére.

Lectio ij.

NOn enim ad pópulum profúndi sermónis & ignótæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel: neque ad pópulos multos profúndi sermónis & ignótæ linguæ, quorum non possis audire sermónes: & si ad illos mitteréris, ipsi audírent te. Domus autem Israel nolunt audire te: quia nolunt audire me. Omnis quippè domus Israel attríta fronte est, & duro corde. Ecce dedi fáciem tuam valentiórem faciébus eórum, & frontem tuam duriórem fróntibus eórum. Ut adamántem, & ut sílicem dedi fáciem tuam: ne tímeas eos, neque métuas à fácie eórum, quia domus exásperans est.

℟. Civitátem istam tu circúmda Dómine: & Angeli tui custódiant muros ejus: * Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. ℣. Avertátur furor tuus, Dómine, à pópulo tuo, & à civitáte sancta tua. Exáudi.

Lectio iij.

ET dixit ad me: Fili hóminis, omnes sermónes meos, quos ego loquor ad te, assúme in corde tuo, & áuribus tuis audi. Et vade ingrédere ad transmigratiónem, ad filios pópuli tui, & loquéris ad eos, & dices eis: Hæc dicit Dóminus Deus: si fortè áudiant, & quiéscant. Et assúmpsit me spíritus, & audívi post me vocem commotiónis magnæ: Benedícta glória Dómini de loco suo: & vocem alárum animálium percutiéntium álteram ad álteram, & vocem rotárum sequéntium animália, & vocem commotiónis magnæ.

℟. Genti peccatríci, pópulo pleno peccáto miserére, * Dómine Deus. ℣. Esto placábilis super nequítiam pópuli tui. Dómine Deus. Glória Patri. Dómine.

Responsória hujus iij. Fériæ reperiúntur in aliis tértiis Fériis usque ad Advéntum.

## FERIA QUARTA.

### De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 7.*

ET factus est sermo Dómini ad me dicens: Et tu fili hóminis, hæc dicit Dóminus Deus terræ Israel: Finis venit, venit finis, super quátuor plagas terræ. Nunc finis super te, & immittam furórem meum in te, & judicábo te juxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominatiónes tuas. Et non parcet óculus meus super te, & non miserébor: sed vias tuas ponam super te, & abominatiónes tuæ in médio tui erunt: & sciétis quia ego Dóminus.

℟. Indicábo tibi homo, quid sit bonum, aut quid Dóminus requírat à te: * Fácere judícium & justítiam, & sollícitum ambuláre cum Deo tuo. ℣. Spera in Dómino, & fac bonitátem: & inhábita terram. Fácere.

Lectio ij.

HÆc dicit Dóminus Deus: Afflíctio una, afflíctio ecce venit. Finis venit, venit finis, evigilávit advérsùm te: ecce venit. Venit

nit contritio super te, qui hábitas in terra: venit tempus, prope est dies occisiónis, & non glóriæ móntium. Nunc de propinquo effúndam iram meam super te, & complêbo furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & impônam tibi ómnia scelera tua. Et non parcet óculus meus, nec miserébor, sed vias tuas impônam tibi, & abominatiónes tuæ in médio tui erunt: & sciêtis quia ego sum Dóminus percútiens.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid eligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelinquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est; si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius est.

Lectio iij.

ECce dies, ecce venit, egressa est contritio, flóruit virga, germinávit supérbia. Iníquitas surrèxit in virga impietâtis: non ex eis, & non ex pópulo, neque ex sónitu eórum: & non erit réquies in eis. Venit tempus, appropinquávit dies: qui emit, non lætêtur: & qui vendit, non lugeat: quia ira super omnem pópulum ejus. Quia qui vendit, ad id quod véndidit, non revertêtur, & adhuc in vivéntibus vita eórum.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritâtem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et. Glória Patri. Et.

Responsória hujus iv. Feriæ reperiúntur in áliis quartis Fériis usque ad Advéntum.

## FERIA QUINTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 13.

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, vaticináre ad prophêtas Israel, qui prophêtant: & dices prophetántibus de corde suo: Audíte verbum Dómini. Hæc dicit Dóminus Deus: Væ prophêtis insipiéntibus, qui sequúntur spíritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desértis, prophêtæ tui Israel erant. Non ascendístis ex advérso, neque opposuístis murum pro domo Israel, ut starêtis in prælio in die Dómini. Vident vana, & divinant mendácium, dicéntes: Ait Dóminus: cùm Dóminus non miserit eos: & perseveravérunt confirmáre sermónem.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quæ



quæ sub ipso erant, replêbant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et ea.

Lectio ij.

NUmquid non visiònem cassam vidístis, & divinatiònem mendâcem locúti estis? & dícitis, ait Dóminus: cùm ego non sim locútus. Proptérea hæc dicit Dóminus Deus: Quia locúti estis vana, & vidístis mendácium: ídeò ecce ego ad vos, dicit Dóminus Deus. Et erit manus mea super prophêtas, qui vident vana, & divinant mendácium: in consílio pópuli mei non erunt, & in scriptúra domus Israël non scribéntur, nec in terram Israël ingrediéntur: & sciêtis quia ego Dóminus Deus. Eò quòd decéperint pópulum meum, dicéntes: Pax, & non est pax: & ipse ædificâbat paríetem, illi autem liniêbant eum luto absque páleis.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclína Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiònem nostram. ℣. Qui regis Israel, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

DIc ad eos, qui líniunt absque temperatúra, quod casúrus sit: erit enim imber inúndans, & dabo lápides prægrándes désuper irruéntes, & ventum procéllæ dissipántem. Siquidem ecce cécidit páries: numquid non dicêtur vobis: Ubi est litúra, quam linístis? Proptérea hæc dicit Dóminus Deus: Et erúmpere fáciam spíritum tempestâtum in indignatióne mea, & imber inúndans in furóre meo erit: & lápides grandes in ira in consumptiónem. Et déstruam paríetem, quem linístis absque temperaménto.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina géntium: * Non est qui consolêtur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorâvit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus. Non est. Glória Patri. Non est.

## FERIA SEXTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 15.

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, quid fiet de ligno vitis ex ómnibus lignis nemórum, quæ sunt inter ligna silvárum? Numquid tollêtur de ea lignum, ut fiat opus: aut fabricábitur de ea paxíllus, ut dependeat in eo quódcúmque vas? Ecce igni datum est in escam: utrámque partem ejus consúmpsit ignis, & médietas ejus redácta est in favíllam: numquid útile erit ad opus? Etiam



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

cùm esset integrum, non erat aptum ad opus: quantò magis cùm illud ignis devoráverit & combússerit, nihil ex eo fiet óperis?

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam. Tota.

Lectio ij.

PRoptéreà hæc dicit Dóminus Deus: Quómodò lignum vitis inter ligna silvárum, quod dedi igni ad devorándum, sic tradam habitatóres Jerúsalem. Et ponam fáciem meam in eos: de igne egrediéntur, & ignis consúmet eos: & sciétis quia ego Dóminus, cùm posúero fáciem meam in eos, & dédero terram inviam & desolátam: eò quòd prævaricatóres exstíterint, dicit Dóminus Deus.

℟. Muro tuo inexpugnábili circúmcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Líbera.

Lectio iij. *Cap. 16.*

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, notas fac Jerúsalem abominatiónes suas, & dices: Hæc dicit Dóminus Deus Jerúsalem, Radix tua, & generátio tua de terra Chánaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et quando nata es in die ortus tui, non est præcísus umbílicus tuus, & aqua non es lota in salútem, nec sale salíta, nec involúta pannis. Non pepércit super te óculus ut fáceret tibi unum de his, misértus tui: sed projécta es super fáciem terræ in abjectióne ánimæ tuæ, in die qua nata es.

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, impiè géssimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non. Glória Patri. Non.

## SABBATO.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 19.*

ET tu assúme planctum super príncipes Israël, & dices: Quare mater tua leæna inter leónes cubávit, in médio leunculórum enutrívit cátulos suos? Et edúxit unum de leúnculis suis, & leo factus est: & dídicit cápere prædam, hominémque comédere. Et audiérunt de eo Gentes, & non absque vulnéribus suis cepérunt eum: & adduxérunt eum in caténis in terram Ægypti. Quæ cùm vidisset quóniam infirmáta est, & périit expectátio ejus: tulit unum de leúnculis suis, leónem constítuit eum. Qui incedébat inter leónes, & factus est leo: & dídicit prædam cápere, & hómines devoráre: dídicit víduas fácere, & civitátes eórum in desértum addúcere: & desoláta est terra, & plenitúdo ejus à voce rugítus illíus.

℟. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

Lectio ij.

ET convenérunt advérsùs eum Gentes úndique de provínciis, & expandérunt super eum rete suum, in vulnéribus eárum captus est. Et misérunt eum in cáveam, in caténis adduxérunt eum ad regem Babylónis: miserúntque eum in cárcerem, ne audirétur vox ejus ultra super montes Israël. Mater tua quasi vínea in sánguine tuo super aquam plantáta est, fructus ejus, & frondes ejus crevérunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ sólidæ in sceptra dominántium, & exaltáta est statúra ejus inter frondes: & vidit altitúdinem suam in multitúdine pálmitum suórum.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius est.

Lectio iij.

ET evúlsa est in ira, in terrámque projécta: & ventus urens siccávit fructum ejus: marcuérunt, & arefáctæ sunt virgæ róboris ejus: ignis comédit eam. Et nunc transplantáta est in desértum, in terra ínvia & sitiénti. Et egréssus est ignis de virga ramórum ejus, qui fructum ejus comédit: & non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominántium. Planctus est, & erit in planctum.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et non.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## SABBATO

Ante Dominicam secundam Novembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium, non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster.

Si November habeat quinque Domínicas, tunc secunda Domínica legúntur sequentes Lectiónes de Ezechiéle: si verò habúerit tantum quatuor, Domínica secunda legitur liber Daniélis pósitus in tertia Domínica, & Sabbato ad Magníficat dicitur Antíphona Muro tuo. 281. & diébus sequéntibus Domínicis legúntur Prophetæ minores.

## DOMINICA II.

Novembris.

In primo Nocturno.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 21.*

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis pone fáciem tuam ad Jerúsalem, & stilla ad sanctuária, & prophéta contra humum Israël. Et dices terræ Israël: Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ad te, & ejíciam gládium meum de vagína sua, & occídam in te justum & ímpium. Pro eo autem quòd occídi in te justum & ímpium, idcircò egrediétur gládius meus de vagína sua ad omnem carnem ab Austro usque ad Aquilónem: ut sciat omnis caro quia ego Dóminus edúxi gládium meum de vagína sua irrevocábilem.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et ea.

Lectio ij.

ET tu fili hóminis ingemísce in contritióne lumbórum, & in amaritudínibus ingemísce coram eis. Cùmque dixerint ad te: Quare tu gemis? dices, Pro audítu: quia venit, & tabéscet omne cor, & dissolvéntur univérsæ manus, & infirmábitur omnis spíritus, & per cuncta génua fluent aquæ: ecce venit, & fiet, ait Dóminus Deus. Et factus est sermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis prophéta, & dices: Hæc dicit Dóminus Deus: Lóquere: Gládius, gládius exacútus est, & limátus. Ut cædat víctimas, exacútus est: ut spléndeat, limátus est: qui moves sceptrum filii mei, succidísti omne lignum. Et dedi eum ad levigándum ut teneátur manu: iste exacútus est gládius, & iste limátus est ut sit in manu interficiéntis.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

CLama & úlula, Fili hóminis, quia hic factus est in pópulo meo, hic in cunctis dúcibus Israël, qui fúgerant: gládio tráditi sunt cum pópulo meo, idcircò plaude super femur, quia probátus est: & hoc, cum sceptrum subvérterit, & non erit, dicit Dóminus Deus. Tu ergo fili hóminis prophéta, & pércute manu ad manum, & duplicétur gládius, ac triplicétur gládius interfectórum: hic est gládius occisiónis magnæ, qui obstupéscere eos facit, & corde tabéscere, & multiplicat ruínas.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus. Non est. Glória Patri. Non.



In secundo Nocturno.

De Expositióne sancti Hierónymi Presbyteri in Ezechiélem Prophétam.

*Lib. 7. in Ezech. cap. 21.*

Lectio iv.

QUia suprà dixerat: Ipsi dicunt ad me, Numquid non per parábolas lóquitur iste? & apértam pópulus flagitábat senténtiam: idcircò id quod Dóminus per metaphoram, sive parábolam, & ut álii vertére, provérbium, est locútus, nunc maniféstiùs lóquitur: saltus Nageb, & Daron, & Theman esse Jerúsalem, & templum illius, Sancta Sanctórum, & omnem terram Judææ: flammámque quæ combustúra sit saltum, intélligi gládium devorántem, qui edúctus sit de vagína sua, ut interfíciat justum & ímpium. Hoc est enim lignum viride, & lignum áridum. Undè & Dóminus: Si in ligno, ait, víridi tanta fáciunt, in sicco quid fácient?

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam. Tota.

Lectio v.

PRimum díxerat: Vaticináre, vel stilla ad Austrum,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

trum, Africum, & Meridiem, & ad saltum Meridiánum. Quod quia videbátur obscûrum, & dicta Prophetæ pópulus nesciébat, secúndò pónitur manifèstiùs, saltum Meridiánum esse Jerúsalem: & omnes infructuósas árbores, ad quarum radices secûris pósita sit, intélligi, habitatóres ejus, gladiúmque interpretári pro incéndio. Tértio jubétur Prophetæ, ut tacéntibus illis, nec interrogántibus cur ista vaticinâtus sit, fáciat per quæ interrogétur, & respóndeat quæ Dóminus locûtus est.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: * Libera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Libera.

Lectio vj.

INgemísce, inquit, ejuláre non levi voce, nec dolóre moderato, sed in contritióne lumbórum: ut gémitus tuus ex imis viscéribus & amaritúdine ánimi proferátur. Et hoc fácies coram eis, ut cùm te interrogáverint, cur tanto gémitu contéraris, & quid tibi mali accíderit, ut sic ingemíscas: tu eis meo sermóne respóndeas: Idcircò plango, & dolórem cordis mei dissimuláre non váleo, quia auditus, qui semper meis áuribus insonúerat, ópere complétur & venit, imminens vidélicet Babylónii furéntis exércitus: qui cùm vénerit, & vallâverit Jerúsalem, tunc tabéscet omne cor, & dissolvéntur univérsæ manus: ut occupánte pavóre mentes hóminum, nullus áudeat repugnáre.

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscâris nos. ℣. Peccávimus, impie gessimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non in perpétuum. Glória Patri. Non in.

℟. vij. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

FE-



# FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 33.

ET factum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis lóquere ad fílios pópuli tui, & dices ad eos: Terra cùm indúxero super eam gládium, & túlerit pópulus terræ virum unum de novíssimis suis, & constitúerit eum super se speculatórem: & ille víderit gládium veniéntem super terram, & cecínerit búccina, & annuntiáverit pópulo: áudiens autem, quisquis ille est, sónitum búccinæ, & non se observáverit, veneritque gládius, & túlerit eum: sanguis ipsius super caput ejus erit. Sonum búccinæ audívit, & non se observâvit, sanguis ejus in ipso erit: si autem se custodíerit, ánimam suam salvábit.

℟. Redémit pópulum suum, & liberávit eum: & vénient, & exultábunt in monte Sion: & gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, & óleo: * Et ultra non esúrient. ℣. Eritque ánima eórum quasi hortus írriguus. Et ultrà.

Lectio ij.

QUòd si speculátor víderit gládium veniéntem, & non insonúerit búccina, & pópulus se non custodíerit, veneritque gládius, & túlerit de eis ánimam: ille quidem in iniquitáte sua captus est, sánguinem autem ejus de manu speculatóris requíram. Et tu fili hóminis, speculatórem dedi te dómui Israël: áudiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. Si me dicénte ad ímpium: Impie, morte moriéris: non fúeris locûtus ut se custódiat ímpius à via sua: ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem ejus de manu tua requíram.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius.

Lectio iij.

SI autem annuntiánte te ad ímpium ut à viis suis convertátur, non fúerit convérsus à via sua: ipse in iniquitáte sua moriétur: porrò tu ánimam tuam liberásti. Tu ergo fili hóminis dic ad domum Israël: Sic locûti estis, dicéntes: Iniquitátes nostræ, & peccáta nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabéscimus: quómodò ergo vívere potérimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: nolo mortem ímpii, sed



ut

trum, Africum, & Meridiem, & ad saltum Meridiánum. Quod quia videbátur obscûrum, & dicta Prophetæ pópulus nesciébat, secúndò pónitur maniféstiùs, saltum Meridiánum esse Jerúsalem: & omnes infructuósas árbores, ad quarum radíces secúris pósita sit, intélligi, habitatóres ejus, gladiúmque interpretári pro incéndio. Tértio jubétur Prophetæ, ut tacéntibus illis, nec interrogántibus cur ista vaticinátus sit, fáciat per quæ interrogétur, & respóndeat quæ Dóminus locûtus est.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcínge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: *Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Líbera.

Lectio vj.

INgemísce, inquit, ejuláre non levi voce, nec dolóre moderáto, sed in contritióne lumbórum: ut gémitus tuus ex imis viscéribus & amaritúdine ánimi proferátur. Et hoc fácies coram eis, ut cùm te interrogáverint, cur tanto gémitu contéráris, & quid tibi mali acciderit, ut sic ingemíscas: tu eis meo sermóne respóndeas: Idcircò plango, & dolórem cordis mei dissimuláre non váleo, quia auditus, qui semper meis áuribus insonúerat, ópere complétur & venit, ímminens vidélicet Babylónii furéntis exércitus: qui cùm vénerit, & valláverit Jerúsalem, tunc tabéscet omne cor, & dissolvéntur univérsæ manus: ut occupánte pavóre mentes hóminum, nullus áudeat repugnáre.

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: *Non in perpétuum oblivíscáris nos. ℣. Peccávimus, ímpie géssimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non in perpétuum. Glória Patri. Non in.

℟. vij. Laudábilis pópulus, *Quem Dóminus exercítuum benedíxit dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: *Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

FE-



# FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 33.

ET factum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis lóquere ad fílios pópuli tui, & dices ad eos: Terra cùm indúxero super eam gládium, & túlerit pópulus terræ virum unum de novíssimis suis, & constitúerit eum super se speculatórem: & ille víderit gládium veniéntem super terram, & cecínerit búccina, & annuntiáverit pópulo: áudiens autem, quisquis ille est, sónitum búccinæ, & non se observáverit, venerítque gládius, & túlerit eum: sanguis ipsíus super caput ejus erit. Sonum búccinæ audívit, & non se observávit, sanguis ejus in ipso erit: si autem se custodíerit, ánimam suam salvábit.

℟. Redémit pópulum suum, & liberávit eum: & vénient, & exultábunt in monte Sion: & gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, & óleo: *Et ultra non esúrient. ℣. Erítque ánima eórum quasi hortus írriguus. Et ultrà.

Lectio ij.

QUod si speculátor víderit gládium veniéntem, & non insonúerit búccina, & pópulus se non custodíerit, venerítque gládius, & túlerit de eis ánimam: ille quidem in iniquitáte sua captus est, sánguinem autem ejus de manu speculatóris requíram. Et tu fili hóminis, speculatórem dedi te dómui Israël: áudiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. Si me dicénte ad ímpium: Impie, morte moriéris: non fúeris locûtus ut se custódiat ímpius à via sua: ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem ejus de manu tua requíram.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. *Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius.

Lectio iij.

SI autem annuntiánte te ad ímpium ut à viis suis convertátur, non fúerit convérsus à via sua: ipse in iniquitáte sua moriétur: porrò tu ánimam tuam liberásti. Tu ergo fili hóminis dic ad domum Israël: Sic locûti estis, dicéntes: Iniquitátes nostræ, & peccáta nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabéscimus: quómodò ergo vívere poteŕimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: nolo mortem ímpii, sed

 ut

ut convertátur ímpius à via sua, & vivat. Convertímini, convertímini à viis vestris péssimis: & quare moriémini domus Israël?

℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: *Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et.

## FERIA TERTIA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 34.*

ET factum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis prophéta de pastóribus Israël: prophéta, & dices pastóribus: Hæc dicit Dóminus Deus: Væ pastóribus Israël, qui pascébant semetipsos, nonne greges à pastóribus pascúntur? Lac comedebátis, & lanis operiebámini, & quod crassum erat occidebátis: gregem autem meum non pascebátis. Quod infírmum fuit, non consolidástis, & quod ægrótum non sanástis, quod confráctum est non alligástis, & quod abjéctum est non reduxístis, & quod períerat non quæsístis: sed cum austeritáte imperabátis eis, & cum poténtia.

℟. A fácie furóris tui Deus, conturbáta est omnis terra: *Sed miserére Dómine, & ne fácias consummatiónem. ℣. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum. Sed miserére.

Lectio ij.

ET dispérsæ sunt oves meæ, eo quòd non esset pastor: & factæ sunt in devoratiónem ómnium bestiárum agri, & dispérsæ sunt. Erravérunt greges mei in cunctis móntibus, & in universo colle excélso: & super omnem fáciem terræ dispérsi sunt greges mei: & non erat, qui requíreret: non erat, inquam, qui requíreret. Proptereà pastóres audíte verbum Dómini: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: quia pro eo quòd facti sunt greges mei in rapínam, & oves meæ in devoratiónem ómnium bestiárum agri, eò quòd non esset pastor (neque enim quæsiérunt pastóres mei gregem meum:) sed pascébant pastóres semetipsos, & greges meos non pascébant: proptéreà pastóres audíte verbum Dómini.

℟. Civitátem istam tu circúmda Dómine: & Angeli tui custódiant muros ejus: *Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. ℣. Avertátur furor tuus, Dómine, à pópulo tuo, & à civitáte sancta tua. Exáudi.

Lec-



Lectio iij.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse super pastóres requíram gregem meum de manu eórum, & cessáre fáciam eos ut ultrà non pascant gregem, nec pascant ampliùs pastóres semetipsos: & liberábo gregem meum de ore eórum, & non erit ultrà eis in escam. Quia hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas. Sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum: sic visitábo oves meas, & liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis & calíginis.

℟. Genti peccatríci, pópulo pleno peccáto miserére, *Dómine Deus. ℣. Esto placábilis super nequítiam pópuli tui. Dómine Deus. Glória Patri. Dómine.

## FERIA QUARTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 40.*

IN vigésimo quinto anno transmigratiónis nostræ in exórdio anni, décima mensis, quartodécimo anno postquam percússa est cívitas: in ipsa hac die facta est super me manus Dómini, & addúxit me illuc. In visiónibus Dei addúxit me in terram Israël, & dimísit me super montem excélsum nimis: super quem erat quasi ædifícium civitátis vergéntis ad Austrum. Et introdúxit me illuc.

℟. Indicábo tibi homo, quid sit bonum, aut quid Dóminus requírat à te: *Fácere judícium & justítiam, & solícitum ambuláre cum Deo tuo. ℣. Spera in Dómino, & fac bonitátem, & inhábita terram. Fácere.

Lectio ij.

ET ecce vir, cujus erat spécies quasi spécies æris, & funículus líneus in manu ejus, & cálamus mensúræ in manu ejus: stabat autem in porta. Et locútus est ad me idem vir: Fili hóminis vide óculis tuis, & áuribus tuis audi, & pone cor tuum in ómnia quæ ego osténdam tibi: quia ut ostendántur tibi addúctus es huc: annúntia ómnia quæ tu vides, dómui Israël.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro: *Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est; si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius est.

Lectio iij.

ET ecce murus forínsecus in circúitu domus úndique, & in manu viri cálamus mensúræ sex cubitórum, &

pal-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pálmo: & mensus est latitúdinem ædifícii cálamo uno, altitúdinem quoque cálamo uno. Et venit ad portam, quæ respiciébat viam Orientálem, & ascéndit per gradus ejus: & mensus est limen portæ cálamo uno latitúdinem, id est, limen unum cálamo uno in latitúdine.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et.

## FERIA QUINTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 41.*

ET introdúxit me in templum, & mensus est frontes, sex cúbitos latitúdinis hinc, & sex cúbitos latitúdinis inde, latitúdinem tabernáculi. Et latitúdo portæ decem cubitórum erat: & látera portæ, quinque cúbitis hinc, & quinque cúbitis inde: & mensus est longitúdinem ejus quadragínta cubitórum, & latitúdinem vigínti cubitórum. Et introgréssus intrínsecus mensus est in fronte portæ duos cúbitos: & portam, sex cubitórum: & latitúdinem portæ, septem cubitórum.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et.

Lectio ij.

ET mensus est longitúdinem ejus vigínti cubitórum, & altitúdinem ejus vigínti cubitórum, ante fáciem templi: & dixit ad me: Hoc est sanctum sanctórum. Et mensus est paríetem domus sex cubitórum: & latitúdinem láteris quátuor cubitórum úndique per circúitum domus. Látera autem, latus ad latus, bis trigínta tria: & erant eminéntia, quæ ingrederéntur per paríetem domus, in latéribus per circúitum, ut continérent, & non attíngerent paríetem templi.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclína Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

ET platéa erat in rotúndum ascéndens sursùm per cóchleam, & in cœnáculum templi deferébat per gyrum: idcircò latius erat templum in superióribus: & sic de inferióribus ascendebátur ad superióra in médium. Et vidi in domo altitúdinem per circúitum, fundáta látera ad mensúram cálami sex cubitórum spátio: & latitúdinem per paríetem láteris forínsecus quinque cubitórum: & erat intérior domus in latéribus domus.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus. Non est. Glória Patri. Non.

## FERIA SEXTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 43.*

ET duxit me ad portam, quæ respiciébat ad viam Orientálem. Et ecce glória Dei Israël ingrediebátur per viam Orientálem, & vox erat ei quasi vox aquárum multárum, & terra splendébat à majestáte ejus. Et vidi visiónem secúndùm spéciem quam víderam, quando venit ut dispérderet civitátem: & spécies secúndùm aspéctum, quem víderam juxta flúvium Chobar: & cécidi super fáciem meam. Et majéstas Dómini ingréssa est templum per viam portæ, quæ respiciébat ad Oriéntem. Et elevávit me spíritus, & introdúxit me in átrium intérius: & ecce repléta erat glória Dómini domus.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam. Tota.

Lectio ij.

ET audívi loquéntem ad me de domo, & vir qui stabat juxta me, dixit ad me: Fili hóminis, locus sólii mei, & locus vestigiórum pedum meórum, ubi hábito in médio filiórum Israël in ætérnum: & non pólluent ultrà domus Israël nomen sanctum meum, ipsi & reges eórum, in fornicatiónibus suis, & in ruínis regum suórum, & in excélsis. Qui fabricáti sunt limen suum juxta limen meum, & postes suos juxta postes meos: & murus erat inter me & eos: & pollúerunt nomen sanctum meum in abominatiónibus quas fecérunt: propter quod consúmpsi eos in ira mea.

℟. Muro tuo inexpugnábili circúmcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Líbera.

Lec-

Lectio iij.

NUnc ergo repéllant procul fornicatiónem suam, & ruinas regum suórum à me: & habitábo in médio eórum semper. Tu autem fili hóminis osténde dómui Israel templum, & confundántur ab iniquitátibus suis, & metiántur fábricam, & erubescant ex ómnibus quæ fecérunt. Figúram domus, & fabricæ ejus éxitus, & intróitus, & omnem descriptiónem ejus, & universa præcépta ejus, cunctúmque órdinem ejus, & omnes leges ejus osténde eis, & scribes in óculis eórum: ut custódiant omnes descriptiónes ejus, & præcépta illius, & fáciant ea.
℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, impie gessimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non in perpétuum. Glória Patri. Non.

SABBATO

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 47.*

ET convértit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebántur subter limen domus ad Oriéntem: fácies enim domus respiciébat ad Oriéntem: aquæ autem descendébant in latus templi dextrum ad Merídiem altáris. Et edúxit me per viam portæ Aquilónis, & convértit me ad viam foras portam exteriórem, viam quæ respiciébat ad Oriéntem: & ecce aquæ redundántes à látere dextro.
℟. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israel. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

Lectio ij.

CUm egrederétur vir ad Oriéntem, qui habébat funículum in manu sua, & mensus est mille cúbitos: & tradúxit me per aquam usque ad talos. Rursúmque mensus est mille, & tradúxit me per aquam usque ad génua: & mensus est mille, & tradúxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torréntem quem non pótui pertransíre: quóniam intumúerant aquæ profúndi torréntis, qui non potest transvadári.
℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est; si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius est.

Lectio iij.

ET dixit ad me: Certè vidísti fili hóminis. Et edúxit me, & convértit ad ripam torréntis. Cúmque me convertíssem, ecce in ripa torréntis ligna multa nimis ex utrâque parte. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediúntur ad túmulos sábuli Orientális, & descéndunt ad plana desérti, intrábunt mare, & exíbunt, & sanabúntur aquæ. Et omnis ánima vivens, quæ serpit, quocúmque vénerit torrens, vivet: & erunt pisces multi satis postquam venérint illuc aquæ istæ, & sanabúntur & vivent ómnia, ad quæ vénerit torrens.
℟. Misit Dóminus Angelum suum: & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et.

SABBATO

Ante Domínicam tértiam Novembris.

Ad Magníficat, Antíphona.

Muro tuo inexpugnábili circúmcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper.



DOMINICA III.

Novembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Daniélis Prophétæ.

Lectio j. *Cap. 1.*

ANno tértio regni Jóakin regis Juda, venit Nabuchodónosor rex Babylónis in Jerúsalem, & obsédit eam; & trádidit Dóminus in manu ejus Jóakin regem Juda, & partem vasórum domus Dei: & asportávit ea in terram Sénnaar in domum dei sui, & vasa íntulit in domum Thesáuri dei sui. Et ait rex Asphenez præpósito eunuchórum ut introdúceret de fíliis Israel, & de sémine régio & tyrannórum, púeros, in quibus nulla esset mácula, decóros forma, & erudítos omni sapiéntia, cautos sciéntia, & doctos disciplína, & qui possent stare in palátio regis, ut docéret eos lítteras, & linguam Chaldæórum.
℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et.

Lectio ij.

ET constítuit eis rex annónam per síngulos dies de cibis suis, & de vino un-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Lectio iij.

NUnc ergo repéllant procul fornicatiónem suam, & ruínas regum suórum à me: & habitábo in médio eórum semper. Tu autem fili hóminis osténde dómui Israel templum, & confundántur ab iniquitátibus suis, & metiántur fábricam, & erubéscant ex ómnibus quæ fecérunt. Figúram domus, & fábricæ ejus éxitus, & intróitus, & omnem descriptiónem ejus, & univérsa præcépta ejus, cunctúmque órdinem ejus, & omnes leges ejus osténde eis, & scribes in óculis eórum: ut custódiant omnes descriptiónes ejus, & præcépta illius, & fáciant ea.

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, impie gessimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non in perpétuum. Glória Patri. Non.

SABBATO

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 47.

ET convértit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebántur subter limen domus ad Oriéntem: fácies enim domus respiciébat ad Oriéntem: aquæ autem descendébant in latus templi dextrum ad Merídiem altáris. Et edúxit me per viam portæ Aquilónis, & convértit me ad viam foras portam exteriórem, viam quæ respiciébat ad Oriéntem: & ecce aquæ redundántes à látere dextro.

℟. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israel. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

Lectio ij.

CUm egrederétur vir ad Oriéntem, qui habébat funículum in manu sua, & mensus est mille cúbitos: & tradúxit me per aquam usque ad talos. Rursúmque mensus est mille, & tradúxit me per aquam usque ad génua: & mensus est mille, & tradúxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torréntem quem non pótui pertransíre: quóniam intúmuerant aquæ profúndi torréntis, qui non potest transvadári.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est; si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius est.

Lectio iij.

ET dixit ad me: Certè vidísti fili hóminis. Et edúxit me, & convértit ad ripam torréntis. Cúmque me convertíssem, ecce in ripa torréntis ligna multa nimis ex utráque parte. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediúntur ad túmulos sábuli Orientális, & descéndunt ad plana desérti, intrábunt mare, & exíbunt, & sanabúntur aquæ. Et omnis ánima vivens, quæ serpit, quocúmque vénerit torrens, vivet: & erunt pisces multi satis postquam vénerint illuc aquæ istæ, & sanabúntur & vivent ómnia, ad quæ vénerit torrens.

℟. Misit Dóminus Angelum suum: & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et.

SABBATO

Ante Domínicam tértiam Novembris.

Ad Magníficat, Antíphona.

Muro tuo inexpugnábili circúmcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper.



DOMINICA III.

Novembris.

In primo Noctúrno.

Incipit liber Daniélis Prophétæ.

Lectio j. *Cap.* 1.

ANno tértio regni Jóakin regis Juda, venit Nabuchodónosor rex Babylónis in Jerúsalem, & obsédit eam; & trádidit Dóminus in manu ejus Jóakin regem Juda, & partem vasórum domus Dei: & asportávit ea in terram Sénnaar in domum dei sui, & vasa íntulit in domum Thesáuri dei sui. Et ait rex Asphenez præpósito eunuchórum ut introdúceret de fíliis Israel, & de sémine régio & tyrannórum, púeros, in quibus nulla esset mácula, decóros forma, & erudítos omni sapiéntia, cautos sciéntia, & doctos disciplína, & qui possent stare in palátio regis, ut docéret eos lítteras, & linguam Chaldæórum.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et.

Lectio ij.

ET constítuit eis rex annónam per síngulos dies de cibis suis, & de vino un-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

unde bibébat ipse, ut enutriti tribus annis, posteà starent in conspéctu regis. Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda, Dániel, Ananias Misaël, & Azarias. Et impósuit eis præpósitus eunuchórum nómina: Daniéli, Baltássar: Ananiæ, Sidrach: Misaëli, Misach: & Azariæ, Abdénago. Propósuit autem Dániel in corde suo, ne pollueréetur de mensa regis, neque de vino potus ejus: & rogávit eunuchórum præpósitum ne contaminarétur. Dedit autem Deus Daniéli grátiam & misericórdiam in conspéctu príncipis eunuchórum.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

ET ait princeps eunuchórum ad Daniélem: Tímeo ego dóminum meum regem, qui constituit vobis cibum & potum: qui si víderit vultus vestros macilentióres præ céteris adolescéntibus coævis vestris, condemnábitis caput meum regi. Et dixit Dániel ad Málasar, quem constitúerat princeps eunuchórum super Daniélem, Ananíam, Misaëlem, & Azaríam: Tenta nos óbsecro servos tuos diébus decem, & dentur nobis legúmina ad vescéndum, & aqua ad bibéndum: & contemplare vultus nostros, & vultus puerórum qui vescúntur cibo régio: & sicut víderis, fácies cum servis tuis. Qui audito sermóne hujuscémodi, tentávit eos diébus decem. Post dies autem decem apparuérunt vultus eórum melióres & corpulentióres præ ómnibus púeris, qui vescebántur cibo régio.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus. Non est. Glória Patri. Non.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Athanásii Episcopi ad Vírgines.

*Lib. 2. de Virginitáte, post initium.*

Lectio iv.

SI accédant áliqui, & dicant tibi, ne frequénter jejúnes, ne imbecíllior fias: ne credas illis, neque auscúltes, per istos enim inimícus hæc súggerit. Reminíscere ejus, quod scriptum est, quod cùm tres púeri, & Dániel, & alii adolescéntuli captívi ducti essent à Nabuchodónosor rege Babylónis, jussúmque esset ut de ipsius mensa régia comédérent, & de vino bíberent: Dániel & tres púeri illi noluérunt pólluì ex mensa regis, sed dixérunt eunúcho qui eos curándos suscéperat: Da nobis de semínibus terræ, & vescémur. Quibus ait eunúchus: Tímeo ego regem, qui constítuit vobis cibum & potum, ne fortè fácies vestræ appáreant regi squalidióres præ céteris púeris, qui régia mensa aluntur, & púniat me.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam. Tota.

Lectio v.

QUi dixérunt illi: Tenta servos tuos dies decem, & da nobis de semínibus. Et dedit eis legúmina ad vescéndum, & aquam ad bibéndum: & introdúxit eos in conspéctu regis, & visæ sunt fácies ipsórum speciosióres præter céteros púeros, qui régiæ mensæ cibis nutriebántur. Vidésne, quid fáciat jejúnium? Morbos sanat, destillatiónes córporis exsíccat, dæmones fugat, pravas cogitatiónes expéllit, mentem clarióren reddit, cor mundum éfficit, corpus sanctíficat, denique ad thronum Dei hóminem sistit. Et ne putes hæc témere dici, habes hujus rei testimónium in Evangéliis à Salvatóre prolátum. Cùm enim quæsivíssent discípuli, quonam modo immúndi spíritus ejiceréntur, respóndit Dóminus: Hoc genus non ejícitur, nisi in oratióne & jejúnio.

℟. Muro tuo inexpugnábili circúmcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Líbera.

Lectio vj.

QUisquis ígitur ab immúndo spíritu vexátur, si hoc animadvértat, & hoc phármaco utátur, jejúnio inquam, statim spíritus malus oppréssus abscédet, vim jejúnii métuens. Valde enim dæmones obiectántur crápula & ebrietáte, & córporis cómmodis. Magna vis in jejúnio, & magna ac præclára fiunt per illud: alióqui unde hómines tam miríﬁca præstárent, & signa per eos fíerent, & sanitátem infírmis per ipsos largirétur Deus, nisi planè ob exercitatiónes spirituáles, & humilitátem ani-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ánimi, & conversatiónem bonam? Jejúnium enim Angelórum cibus est: & qui eo útitur, órdinis angélici censéndus est.

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, ímpie géssimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non. Glória Patri. Non.

℟. VII. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

℟. VIII. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 2. c*

TU rex vidébas, & ecce quasi státua una grandis: státua illa magna, & statúra sublímis stabat contra te, & intúitus ejus erat terríbilis. Hujus státuæ caput ex auro óptimo erat, pectus autem & bráchia de argénto, porro venter & fémora ex ære. Tíbiæ autem férreæ, pedum quædam pars erat férrea, quædam autem fíctilis. Vidébas ita, donec abscíssus est lapis de monte sine mánibus: & percússit státuam in pédibus ejus férreis & fictílibus, & comminuit eos. Tunc contríta sunt páriter ferrum, testa, æs, argéntum, & aurum, & redácta quasi in favíllam æstívæ áreæ, quæ rapta sunt vento: nullúsque locus invéntus est eis: lapis autem qui percússerat státuam, factus est mons magnus, & implévit univérsam terram.

℟. Redémit pópulum suum: & liberávit eum: & vénient, & exultábunt in monte Sion, & gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, & óleo: * Et ultra non esúrient. ℣. Erítque ánima eórum quasi hortus írriguus. Et.

Lectio ij.

HOc est sómnium: interpretatiónem quoque ejus dicémus coram te, rex. Tu rex regum es: & Deus cæli regnum, & fortitúdinem, & impérium, & glóriam dedit tibi: & ómnia, in quibus hábitant fílii hóminum, & béstiæ agri: vólucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditióne tua



univérsa constítuit: tu es ergo caput áureum. Et post te consúrget regnum aliud minus te argénteum: & regnum tértium áliud æreum, quod imperábit univérsæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum. Quómodo ferrum comminuit, & domat ómnia, sic comminuet & cónteret ómnia hæc.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius.

Lectio iij.

POrro quia vidísti pedum & digitórum partem testæ fíguli, & partem férream: regnum divísum erit, quod tamen de plantário ferri oriétur, secúndum quod vidísti ferrum mistum testæ ex luto. Et dígitos pedum ex parte férreos, & ex parte fictíles: ex parte regnum erit sólidum, & ex parte contrítum. Quod autem vidísti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebúntur quidem humáno sémine, sed non adhærébunt sibi, sicuti ferrum miscéri non potest testæ. In diébus autem regnórum illórum suscitábit Deus cæli regnum, quod in ætérnum non dissipábitur, & regnum ejus álteri pópulo non tradétur: comminuet autem & consúmet univérsa regna hæc: & ipsum stabit in ætérnum.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et.

FERIA TERTIA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 3. b*

PRonuntiánsque Nabuchodónosor rex, ait eis: Veréne Sidrach, Misach, & Abdénago deos meos non cólitis, & státuam áuream, quam constítui, non adorátis? Nunc ergo si estis paráti, quacúmque hora audiéritis sónitum tubæ, fístulæ, cítharæ, sambúcæ, & psaltérii, & symphóniæ, omnísque géneris musicórum, prostérnite vos, & adoráte státuam quam feci: quod si non adoravéritis, eádem hora mittémini in fornácem ignis ardéntis: & quis est Deus, qui erípiet vos de manu mea?

℟. A fácie furóris tui Deus conturbáta est omnis terra: * Sed miserére Dómine, & ne

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ne facias consummatiónem. ℣. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum! Sed.

Lectio ij.

RESpondéntes Sidrach, Misach, & Abdénago, dixérunt regi Nabuchodónosor: Non opórtet nos de hac re respondére tibi. Ecce enim Deus noster, quem cólimus, potest erípere nos de camíno ignis ardéntis, & de mánibus tuis, ô rex, liberáre. Quod si nolúerit, notum sit tibi rex, quia deos tuos non cólimus, & státuam áuream, quam erexísti, non adorámus. Tunc Nabuchodónosor replétus est furóre: & aspéctus faciéi illíus immutátus est super Sidrach, Misach, & Abdénago: & præcépit ut succenderétur fornax séptuplum quam succéndi consuéverat. ℟. Civitátem istam tu circúmda Dómine: & Angeli tui custódiant muros ejus: * Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. ℣. Avertátur furor tuus, Dómine, à pópulo tuo, & à civitáte sancta tua. Exáudi.

Lectio iij.

ET conféstim viri illi vincti cum braccis suis, & tiáris, & calceaméntis, & véstibus missi sunt in médium fornácis ignis ardéntis. Nam jússio regis urgébat: fornax autem succénsa erat nimis. Porrò viros illos, qui míserant Sidrach, Misach, & Abdénago, interfécit flamma ignis. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdénago, cecidérunt in médio camíno ignis ardéntis, colligáti. Et ambulábant in médio flammæ laudántes Deum, & benedicéntes Dómino. ℟. Genti peccatríci, pópulo pleno peccáto miserére, * Dómine Deus. ℣. Esto placábilis super nequítiam pópuli tui. Dómine Deus. Glória Patri. Dómine.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 4. c*

REspóndit Baltássar, & dixit: Dómine mi, sómnium his qui te odérunt, & interpretátio ejus hóstibus tuis sit. Arborem quam vidísti sublímem atque robústam, cujus altitúdo pertíngit ad cælum, & aspéctus illíus in omnem terram: & rami ejus pulchérrimi, & fructus ejus nímius, & esca ómnium in ea, subter eam habitántes béstiæ agri, & in ramis ejus commorántes aves cæli: Tu es rex, qui magnificátus es, & invaluísti: & magnitúdo tua crevit, & pervénit usque ad cælum, & potéstas tua in términos univérsæ terræ.

℟. In-



℟. Indicábo tibi homo, quid sit bonum, aut quid Dóminus requírat à te: * Fácere judícium & justítiam, & solícitum ambuláre cum Deo tuo. ℣. Spera in Dómino, & fac bonitátem, & inhábita terram. Fácere.

Lectio ij.

QUòd autem vidit rex vígilem & sanctum descéndere de cælo, & dícere: Succídite árborem, & dissipáte illam, áttamen germen radícum ejus in terra dimíttite, & vinciátur ferro, & ære, in herbis foris, & rore cæli conspergátur, & cum feris sit pábulum ejus, donec septem témpora mutentur super eum: Hæc est interpretátio senténtiæ Altíssimi, quæ pervénit super dóminum meum regem: Ejícient te ab homínibus, & cum béstiis, ferísque erit habitátio tua, & fœnum ut bos cómedes, & rore cæli infundéris. ℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro, * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius.

Lectio iij.

SEptem quoque témpora mutabúntur super te, donec scias quod dominétur Excélsus super regnum hóminum, & cuicúmque volúerit, det illud. Quòd autem præcépit, ut relinquerétur germen radícum ejus, id est, árboris: regnum tuum tibi manébit, postquam cognóveris potestátem esse cæléstem. Quam ob rem rex consílium meum pláceat tibi, & peccáta tua eleemósynis rédime, & iniquitátes tuas misericórdiis páuperum: fórsitan ignóscet delíctis tuis. Omnia hæc venérunt super Nabuchodónosor regem. ℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 5.*

BAltássar rex fecit grande convívium optimátibus suis mille: & unusquísque secúndum suam bibébat ætátem. Præcépit ergo jam temuléntus, ut afferréntur vasa áurea & argéntea, quæ asportáverat Nabuchodónosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerúsalem, ut bíberent in eis rex & optimátes ejus, uxorésque ejus, & concubínæ. Tunc al-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

allata sunt vasa áurea, & argéntea, quæ asportáverat de templo quod fúerat in Jerúsalem: & bibérunt in eis rex & optimátes ejus, uxóres & concubínæ illíus. Bibébant vinum, & laudábant deos suos áureos, & argénteos, æreos, férreos, lignéosque & lapídeos. In eádem hora apparuérunt digiti, quasi manus hóminis scribéntis contra candelábrum in superfície parietis aulæ régiæ: & rex aspiciébat artículos manus scribéntis. Tunc fácies regis commutáta est, & cogitatiónes ejus conturbábant eum.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & plena erat omnis terra majestáte ejus. * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et.

Lectio ij.

IGitur introdúctus est Dániel coram rege. Ad quem præfátus rex ait: Tu es Dániel de fíliis captivitátis Judæ, quem addúxit pater meus rex de Judæa? Audívi de te quóniam spíritum deórum hábeas: & sciéntia, intelligentiáque, ac sapiéntia amplióres invéntæ sunt in te. Et nunc introgréssi sunt in conspéctu meo sapiéntes magi, ut scriptúram hanc légerent, & interpretatiónem ejus indicárent mihi, & nequivérunt sensum hujus sermónis edícere. Porrò ego audívi de te, quòd possis obscúra interpretári, & ligáta dissólvere: si ergo vales scriptúram légere, & interpretatiónem ejus indicáre mihi, púrpura vestiéris, & torquem áuream circa collum tuum habébis, & tértius in regno meo princeps eris. Ad quæ respóndens Dániel, ait coram rege: Múnera tua sint tibi, & dona domus tuæ álteri da: scriptúram autem legam tibi, rex, & interpretatiónem ejus osténdam tibi.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclína Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij

HÆc est autem scriptúra, quæ digésta est: Mane, Thecel, Phares. Et hæc est interpretátio sermónis: Mane: numerávit Deus regnum tuum, & complévit illud. Thecel: appénsus es in statéra, & invéntus es minus habens. Phares: divísum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. Tunc jubénte rege indútus est Dániel púrpura, & circúmdata est torques áurea collo ejus: & prædicátum est de eo quòd habéret potestátem tértius in regno suo. Eádem nocte interféctus est Baltassar rex Chaldæus. Et Daríus Medus succéssit in regnum annos natus sexagínta duos.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus. Non est. Glória Patri. Non.



FERIA SEXTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 6.*

VIri ergo illi curiósiùs inquiréntes, invenérunt Daniélem orántem & obsecrántem Deum suum. Et accedéntes locúti sunt regi super edícto: Rex numquid non constituísti, ut omnis homo, qui rogáret quemquam de diis & homínibus usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitterétur in lacum leónum? Ad quos respóndens rex, ait: Verus est sermo juxta decrétum Medórum atque Persárum, quod prævaricári non licet. Tunc respondéntes dixérunt coram rege: Dániel de fíliis captivitátis Juda, non curávit de lege tua, & de edícto quod constituísti: sed tribus tempóribus per diem orat obsecratióne sua. Quod verbum cùm audísset rex, satis contristátus est: & pro Daniéle pósuit cor ut liberáret eum, & usque ad occásum solis laborábat ut erúeret illum. Viri autem illi intelligéntes regem, dixérunt ei: Scito rex, quia lex Medórum atque Persárum est, ut omne decrétum quod constitúerit rex, non líceat immutári.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam. Tota.

Lectio ij.

TUnc rex præcépit: & adduxérunt Daniélem, & misérunt eum in lacum leónum. Dixítque rex Daniéli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberábit te. Allatúsque est lapis unus, & pósitus est super os laci: quem obsignávit rex ánnulo suo, & ánnulo optimátum suórum, ne quid fíeret contra Daniélem. Et ábiit rex in domum suam, & dormívit incœnátus, cibíque non sunt alláti coram eo, insuper & somnus recéssit ab eo. Tunc rex primo dilúculo consúrgens, festínus ad lacum leónum per-

rexit : appropinquánsque lacui, Daniélem voce lacrymabili inclamávit, & affátus est eum : Dániel serve Dei vivéntis, Deus tuus, cui tu servis semper, putásne váluit te liberáre à leónibus?

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper : * Libera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Libera.

Lectio iij.

ET Dániel regi respóndens, ait : Rex in ætérnum vive : Deus meus misit Angelum suum, & conclúsit ora leónum, & non nocuérunt mihi : quia coram eo justítia invénta est in me : sed & coram te, rex, delíctum non feci. Tunc veheménter rex gavísus est super eo, & Daniélem præcépit edúci de lacu : edúctúsque est Dániel de lacu, & nulla læsio invénta est in eo, quia crédidit Deo suo. Jubénte autem rege, addúcti sunt viri illi, qui accusíverant Daniélem : & in lacum leónum missi sunt, ipsi, & filii, & uxóres eórum : & non pervenérunt usque ad paviméntum laci, donec arríperent eos leónes, & ómnia ossa eórum comminuérunt.

℟. Sustinúimus pacem, & non venit : quæsívimus bona, & ecce turbátio : cognóvimus Dómine peccáta nostra : * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, ímpie géssimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non. Glória Patri. Non.

## SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 9.*

IN anno primo Darii filii Assuéri de sémine Medórum, qui imperávit super regnum Chaldæórum : anno uno regni ejus, ego Dániel intelléxi in libris numerum annórum, de quo factus est sermo Dómini ad Jeremíam Prophétam, ut compleréntur desolatiónis Jerúsalem septuaginta anni. Et pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, sacco, & cínere. Et orávi Dóminum Deum meum, & conféssus sum, & dixi : Obsecro Dómine Deus magne & terríbilis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus te, & custodiéntibus mandáta tua. Peccávimus, iniquitátem fécimus, ímpie égimus, & recessímus : & declinávimus à mandátis tuis, ac judíciis.

℟. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum



tuum benedíxit, dicens : Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

Lectio ij.

ADhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne à princípio, citò volans tetígit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, & locútus est mihi, dixítque : Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, & intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo : ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es : tu ergo animádverte sermónem, & intéllige visiónem. Septuaginta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempitérna, & impleátur vísio, & prophetía, & ungátur sanctus Sanctórum.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est ; si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius.

Lectio iij.

SCito ergo, & animadvérte : Ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem hebdómades septem, & hebdómades sexaginta duæ erunt : & rursùm ædificábitur platéa, & muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexaginta duas occidétur Christus : & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem, & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro : & finis ejus vástitas, & post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómada una : & in dimídio hebdómadis defíciet hóstia & sacrifícium : & erit in templo abominátio desolatiónis : & usque ad consummatiónem & finem perseverábit desolátio.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum : * Et non contaminavérunt : quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et non.

Ad Magníficat, Antiphona.

Qui cælórum cóntines thronum, & abyssos intuéris, Dómine, Rex regum, montes pónderas, terram palmo

mo conclúdis: exáudi nos Dómine in gemitibus noſtris.

## DOMINICA IV.

### Novembris.

### In primo Nocturno.

Incipit liber Oſée Prophétæ.

*Lectio j.* *Cap. 1.*

VErbum Dómini, quod factum eſt ad Oſée filium Beeri, in diébus Oziæ, Jóathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Iſraël. Principium loquendi Dómino in Oſée: & dixit Dóminus ad Oſée: Vade, ſume tibi uxórem fornicatiónum, & fac tibi filios fornicatiónum: quia fórnicans fornicabitur terra à Dómino. Et abiit, & accépit Gomer filiam Debélaim: & concépit, & péperit ei filium.

℟. Vidi Dóminum sedéntem ſuper ſólium excélſum & elevátum: & plena erat omnis terra majeſtáte ejus: * Et ea quæ ſub ipſo erant, replébant templum. ℣. Séraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri. Et.

*Lectio ij.*

ET dixit Dóminus ad eum: Voca nomen ejus Jézrahel: quóniam adhuc módicum, & viſitábo ſánguinem Jézrahel ſuper domum Jehu, & quiéſcere faciam regnum domus Iſraël. Et in illa die cónteram arcum Iſraël in valle Jézrahel. Et concépit adhuc, & péperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen ejus Abſque miſericórdia: quia non addam ultrà miſereri dómui Iſraël, ſed oblivione obliviſcar eórum. Et dómui Juda miſerébor, & ſalvábo eos in Dómino Deo ſuo: & non ſalvábo eos in arcu, & gládio, & in bello, & in equis, & in equitibus.

℟. Aſpice Dómine de ſede ſancta tua, & cógita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiónem noſtram. ℣. Qui regis Iſraël inténde, qui dedúcis velut ovem Joſeph. Aperi.

*Lectio iij.*

ET ablactávit eam, quæ erat Abſque miſericórdia. Et concépit, & péperit filium. Et dixit: Voca nomen ejus, Non pópulus meus: quia vos non pópulus meus, & ego non ero veſter. Et erit númerus filiórum Iſraël quaſi aréna maris, quæ ſine menſúra eſt, & non numerábitur. Et erit in loco ubi dicétur eis, Non pópulus meus vos: dicétur eis, Filii Dei vivéntis. Et congregabúntur filii Juda, & filii Iſraël páriter: & ponent ſibimet caput unum, & aſcéndent de terra: quia magnus dies Jézrahel.

℟. Aſpice Dómine, quia facta eſt deſoláta cívitas plena divitiis, ſedet in triſtítia dómina Géntium: * Non eſt qui conſolétur eam, niſi tu Deus noſter. ℣. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxillis ejus. Non eſt. Glória Patri. Non eſt.

### In ſecundo Nocturno.

Ex libro ſancti Auguſtini Epiſcopi de Civitáte Dei.

*Lib. 18. Cap. 28.*

*Lectio iv.*

OSée Prophéta, quanto profúndiùs quidem lóquitur, tantò operóſiùs penetrátur. Sed áliquid inde ſuméndum eſt, & hic ex noſtra promiſſióne ponéndum. Et erit, inquit, in loco quo dictum eſt eis, Non pópulus meus vos, vocabúntur & ipſi filii Dei vivi. Hoc teſtimónium prophéticum de vocatióne pópuli Géntium, qui priùs non pertinébat ad Deum, etiam Apóſtoli intellexérunt.

℟. Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam Tota.

*Lectio v.*

ET quia ipſe quoque pópulus Géntium ſpirituáliter eſt in filiis Abrahæ, ac per hoc rectè dícitur Iſraël: proptereà ſequitur, & dicit: Et congregabúntur filii Juda, & filii Iſraël in idipſum: & ponent ſibimet principátum unum, & aſcéndent à terra. Hoc ſi adhuc velimus expónere, elóquii prophetici obtundétur ſapor. Recolátur tamen lapis ille anguláris, & duo illi parietes, unus ex Judæis, alter ex Géntibus: ille nómine filiórum Juda, iſte nómine filiórum Iſraël: eidem uni principátui ſuo in idipſum innitentes, & aſcendéntes agnoſcántur in terra.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcinge nos Dómine, & armis tuæ potentiæ prótege nos ſemper: * Libera Dómine Deus Iſraël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabilibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Libera.

*Lectio vj.*

IStos autem carnáles Iſraëlitas, qui nunc nolunt crédere in Chriſtum, póſteà creditúros, id eſt, filios eórum (nam útique iſti in ſuum locum moriéndo tranſibunt) idem Prophéta teſtátur, dicens: Quóniam diébus multis ſedébunt filii Iſraël ſine rege, ſine príncipe, ſine ſacrifício, ſine altari, ſine ſacerdótio, ſine manifeſtatiónibus. Quis non videat, nunc ſic eſſe Judæos?

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, impiè géssimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non in perpétuum. Glória Patri. Non in.

℟. vij. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercituum benedíxit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

## FERIA SECUNDA.

De Oséë Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 4.

Audíte verbum Dómini fílii Israël, quia judícium Dómino cum habitatóribus terræ: non est enim véritas, & non est misericórdia, & non est sciéntia Dei in terra. Maledíctum, & mendácium, & homicídium, & furtum, & adultérium inundavérunt, & sanguis sánguinem tétigit. Propter hoc lugêbit terra, & infirmábitur omnis qui hábitat in ea, in béstia agri, & in vólucre cæli: sed & pisces maris congregabúntur.

℟. Redémit pópulum suum, & liberávit eum: & vénient, & exultábunt in monte Sion: & gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, & óleo: * Et ultrà non esúrient. ℣. Eritque ánima eórum quasi hortus írriguus. Et ultrà.

Lectio ij.

Verúmtamen unusquisque non júdicet, & non arguátur vir: pópulus enim tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdóti. Et córrues hódiè, & córruet étiam prophéta tecum: nocte tacére feci matrem tuam. Conticuit pópulus meus, eo quòd non habúerit sciéntiam: quia tu sciéntiam repulísti, repéllam te, ne sacerdótio fungáris mihi: & oblíta es legis Dei tui, obliviscar filiórum tuórum & ego.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est; si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius est.

Lec-



Lectio iij.

Secúndùm multitúdinem eórum sic peccavérunt mihi: glóriam eórum in ignomíniam commutábo. Peccáta pópuli mei cómedent, & ad iniquitátem eórum sublevábunt ánimas eórum. Et erit sicut pópulus, sic sacérdos: & visitábo super eum vias ejus, & cogitatiónes ejus reddam ei. Et cómedent, & non saturabúntur: fornicáti sunt, & non cessavérunt: quóniam Dóminum dereliquérunt in non custodiéndo.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et.

## FERIA TERTIA.

Incipit Joël Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 1.

Verbum Dómini, quod factum est ad Joël fílium Phátuël. Audíte hoc senes, & áuribus percípite omnes habitatóres terræ: si factum est istud in diébus vestris, aut in diébus patrum vestrórum? Super hoc fíliis vestris narráte, & fílii vestri fíliis suis, & fílii eórum generatióni álteræ. Resíduum erúcæ comédit locústa, & resíduum locústæ comédit bruchus, & resíduum bruchi comédit rubígo.

℟. A fácie furóris tui Deus, conturbáta est omnis terra: * Sed miserére Dómine, & ne fácias consummatiónem. ℣. Dómine Dóminus noster, quàm admirábile est nomen tuum! Sed miserére.

Lectio ij.

Expergíscimini ébrii, & flete, & ululáte, omnes qui bibítis vinum in dulcédine: quóniam périit ab ore vestro. Gens enim ascéndit super terram meam fortis & innumerábilis: dentes ejus ut dentes leónis, & moláres ejus ut cátuli leónis. Pósuit víneam meam in desértum, & ficum meam decorticávit: nudans spoliávit eam, & projécit: albi facti sunt rami ejus.

℟. Civitátem istam tu circúnda Dómine: & Angeli tui custódiant muros ejus: * Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. ℣. Avertátur furor tuus, Dómine, à pópulo tuo, & à civitáte sancta tua. Exáudi.

Lectio iij.

Plange quasi virgo accíncta sacco super virum pubertátis suæ. Periit sacrifícium & libátio de domo Dómini: luxérunt sacerdótes ministri Dómini. Depopuláta est régio, luxit humus: quóniam devastátum est tríticum,

 cum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

cum, confúsum est vinum, elánguit óleum. Confúsi sunt agricolæ, ululavérunt vinitóres super fruménto & hórdeo, quia périit messis agri.
℟. Genti peccatríci, pópulo pleno peccáto miserére, * Dómine Deus. ℣. Esto placábilis super nequítiam pópuli tui. Dómine Deus. Glória Patri. Dómine.

## FERIA QUARTA.

De Joële Prophéta.

Lectio j. *Cap. 3.*

IN diébus illis, & in témpore illo, cùm convértero captivitátem Juda & Jerúsalem, congregábo omnes Gentes, & dedúcam eas in vallem Jósaphat: & disceptábo cum eis ibi super pópulo meo, & hereditáte mea Israël, quos dispersérunt in natiónibus, & terram meam divisérunt. Et super pópulum meum misérunt sortem: & posuérunt púerum in prostíbulo, & puéllam vendidérunt pro vino ut bíberent.
℟. Indicábo tibi homo, quid sit bonum, aut quid Dóminus requírat à te: * Fácere judícium & justítiam, & sollícitum ambuláre cum Deo tuo. ℣. Spera in Dómino, & fac bonitátem: & inhábita terram. Fácere.

Lectio ij.

VErùm, quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis términus Palæstinórum? numquid ultiónem vos reddétis mihi? & si ulciscímini vos contra me, citò velóciter reddam vicissitúdinem vobis super caput vestrum. Argéntum enim meum & aurum tulístis: & desiderabília mea & pulchérrima intulístis in delúbra vestra. Et fílios Juda & fílios Jerúsalem vendidístis fíliis Græcórum, ut longè facerétis eos de fínibus suis. Ecce ego suscitábo eos de loco, in quo vendidístis eos, & convértam retributiónem vestram in caput vestrum.
℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro, * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est; si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius.

Lectio iij.

ET vendam fílios vestros & fílias vestras in mánibus filiórum Juda, & venúndabunt eos Sabæis genti longínquæ, quia Dóminus locútus est. Clamáte hoc in Géntibus, sanctificáte bellum, suscitáte robústos: accédant, ascéndant omnes viri bellatóres. Concídite arátra vestra in gládios, & ligónes vestros in lánceas. Infírmus dicat: Quia fortis ego sum. Erúmpite, & veníte omnes Gentes de circúitu, & congregámini: ibi occúmbere fáciet Dóminus robústos tuos. Consúrgant, & ascéndant Gentes in vallem Jósaphat: quia ibi sedébo, ut júdicem omnes Gentes in circúitu.
℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et non.



## FERIA QUINTA.

Incipit Amos Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

VErba Amos, qui fuit in pastóribus de Thécue: quæ vidit super Israël in diébus Oziæ regis Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Israël: ante duos annos terræmótus. Et dixit: Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúsalem dabit vocem suam: & luxérunt speciósa pastórum, & exsiccátus est vertex Carméli.
℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et ea.

Lectio ij.

HÆc dicit Dóminus: Super tribus scéléribus Damásci, & super quátuor non convértam eum: eò quòd trituráverint in plaustris férreis Gálaad. Et mittam ignem in domum Azaël, & devorábit domos Bénadad. Et cónteram vectem Damásci, & dispérdam habitatórem de campo idóli, & tenéntem sceptrum de domo voluptátis: & transferétur pópulus Syriæ Cyrénen, dicit Dóminus.
℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

HÆc dicit Dóminus: Super tribus scéléribus Gazæ, & super quátuor non convértam eum: eò quòd transtúlerint captivitátem perféctam, ut conclúderent eam in Idumæa. Et mittam ignem in murum Gazæ, & devorábit ædes ejus. Et dispérdam habitatórem de Azóto, & tenéntem sceptrum de Ascalóne: & convértam manum meam super Accaron, & peribunt relíqui Philisthinórum, dicit Dóminus Deus.
℟. Aspice Dómine, quia fac-

facta est desolàta civitas plena divitiis, sedet in tristitia dómina géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxillis ejus. Non est. Glória Patri. Non est.

## FERIA SEXTA.

Incipit Abdias Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

VIsio Abdiæ. Hæc dicit Dóminus Deus ad Edom: Auditum audívimus à Dómino, & legàtum ad Gentes misit. Súrgite, & consurgámus advérsus eum in prælium. Ecce párvulum dedi te in Géntibus: contemptíbilis tu es valdè. Supérbia cordis tui extulit te, habitántem in scissúris petrárum, exaltántem sólium tuum: qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltàtus fúeris ut áquila, & si inter sídera posúeris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dóminus.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudàre nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam. Tota.

Lectio ij.

SI fures introíssent ad te, si latrónes per noctem, quómodò conticuísses? nonne furàti essent sufficiéntiam sibi? si vindemiatóres introíssent ad te, numquid saltem racémum reliquíssent tibi? Quómodò scrutàti sunt Esaü, investigavérunt abscóndita ejus? Usque ad términum emisérunt te: omnes viri fœderis tui illusérunt tibi: invaluérunt advérsùm te viri pacis tuæ: qui cómedunt tecum, ponent insídias subter te: non est prudéntia in eo.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Líbera.

Lectio iij.

NUmquid non in die illa, dicit Dóminus, perdam sapiéntes de Idumæa, & prudéntiam de monte Esaü? Et timébunt fortes tui à Meridie, ut intéreat vir de monte Esaü. Propter interfectiónem, & propter iniquitàtem in fratrem tuum Jacob, opériet te confúsio, & peribis in ætérnum. In die cùm stares advérsùs eum, quando capiébant alièni exércitum ejus, & extránei ingrediebántur portas ejus, & super Jerúsalem mittébant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis.

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbàtio: cognóvimus Dómine peccàta nostra: * Non in perpétuum obliviscàris nos. ℣. Peccávimus, impiè gessimus, iniquitàtem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non in perpétuum. Glória Patri. Non in perpétuum.



## SABBATO.

Incipit Jonas Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

ET factum est verbum Dómini ad Jonam fílium Amathi, dicens: Surge, & vade in Níniven civitàtem grandem, & prædica in ea: quia ascendit malítia ejus coram me. Et surrexit Jonas, ut fúgeret in Tharsis à fácie Dómini, & descéndit in Joppen, & invénit navem eúntem in Tharsis: & dedit naulum ejus, & descéndit in eam, ut iret cum eis in Tharsis à fácie Dómini. Dóminus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempéstas magna in mari, & navis periclitabàtur cónteri.

℟. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercituum benedíxit dicens: Opus mánuum meàrum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beàta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditàtem. Quem.

Lectio ij.

ET timuérunt nautæ, & clamavérunt viri ad deum suum: & misérunt vasa, quæ erant in navi, in mare, ut alleviarétur ab eis: & Jonas descéndit ad interióra navis, & dormiébat sopóre gravi. Et accéssit ad eum gubernàtor, & dixit ei: Quid tu sopóre deprímeris? surge, invoca Deum tuum, si fortè recógitet Deus de nobis, & non pereàmus. Et dixit vir ad collégam suum: Venite, & mittàmus sortes, & sciàmus quare hoc malum sit nobis. Et misérunt sortes: & cécidit sors super Jonam.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est; si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius est.

Lectio iij.

ET dixérunt ad eum: Indica nobis cujus causà malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo pópulo es tu? Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, & Dóminum Deum cæli ego tímeo, qui fecit mare & áridam. Et timuérunt viri timóre magno, & dixérunt ad eum: Quid hoc fecisti?

(cognovérunt enim viri quòd à facie Dómini fúgeret, quia indicáverat eis.) Et dixérunt ad eum: Quid faciémus tibi, & cessábit mare à nobis? quia mare ibat & intumescébat. Et dixit ad eos: Tóllite me, & míttite in mare, & cessábit mare à vobis: scio enim ego quóniam propter me tempéstas hæc grandis venit super vos.

℟. Misit Dóminus Angelum suum: & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et.

## SABBATO

Ante Dominicam quintam Novembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes: tota die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini.

## DOMINICA V.

Novembris.

In primo Nocturno.

Incipit Michæas Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

VErbum Dómini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diébus Jóathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Juda, quod vidit super Samaríam & Jerúslema. Audíte pópuli omnes, & atténdat terra, & plenitúdo ejus: & sit Dóminus Deus vobis in testem, Dóminus de templo sancto suo. Quia ecce Dóminus egrediétur de loco suo: & descéndet, & calcábit super excelsa terræ.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et.

Lectio ij.

ET consuméntur montes subtus eum: & valles scindéntur sicut cera à fácie ignis, & sicut aquæ quæ decurrunt in præceps. In scélere Jacob omne istud, & in peccátis domus Israel. Quod scelus Jacob? nónne Samaría? & quæ excélsa Judæ? nónne Jerúsalem? & ponam Samaríam quasi acérvum lápidum in agro cùm plantátur vinea: & detraham in vallem lápides ejus, & fundaménta ejus revelábo.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israel inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi.





Lectio iij.

ET ómnia sculptília ejus concidéntur, & omnes mercédes ejus comburéntur igne, & ómnia idóla ejus ponam in perditiónem: quia de mercédibus meretrícis congregáta sunt, & usque ad mercédem meretrícis reverténtur. Super hoc plangam, & ululábo: vadam spoliátus & nudus: fáciam planctum velut dracónum, & luctum quasi struthiónum. Quia desperáta est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tétigit portam pópuli mei, usque ad Jerúsalem.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus. Non est. Glória Patri. Non.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Basilii Magni in Psalmum trigésimum tértium.

Lectio iv.

CUm te appetítus inváserit peccándi, velim cógites horríbile illud & intolerábile Christi tribúnal, in quo præsidébit Judex in alto & excélso throno: astábit autem omnis creatúra, ad gloriósum illius conspectum contremíscens. Adducéndi étiam nos sumus singuli, eórum quæ in vita gesserímus ratiónem redditúri. Mox illis qui multa mala in vita perpetrárint, terríbiles quidam & defórmes assistent ángeli, ígneos vultus præ se feréntes, atque ignem spirántes, ea re propósiti & voluntátis acerbitátem ostendéntes, nocti vultu símiles, propter mœrórem & ódium in humánum genus.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam. Tota.

Lectio v.

AD hæc cógites profúndum bárathrum, inextricábiles ténebras, ignem caréntem splendóre, uréndi quidem vim habéntem, sed privátum lúmine: deinde vérmium genus venénum immittens, & carnem vorans, inexplebíliter edens, neque unquam saturitátem séntiens, intolerábiles dolóres corrosióne ipsa infígens. Postrémò, quod suppliciórum ómnium gravíssimum est, oppróbrium illud & confusiónem sempitérnam. Hæc time, & hoc timóre corréptus, ánimam à peccatórum concupiscéntia tamquam fræno quodam réprime.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

℟. Muro tuo inexpugnábili circúmcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Líbera.

Lectio iij.

HUnc timórem Dómini se doctúrum Prophéta promísit: docére autem non simplíciter promísit, sed eos qui eum audíre volúerint: non eos qui longius prolápsi sunt, sed qui sâlutem appeténtes accúrrunt: non aliénos à promissiónibus, sed ex baptísmate filiórum adoptiónis, verbo ipsi conciliátos atque conjunctos. Proptérea, veníte, inquit, hoc est, per bona ópera accédite ad me Filii, quippè qui per regeneratiónem Filii lucis effici digni facti estis: audíte, qui aures cordis habêtis apértas, timórem Dómini docébo vos: illum scilicet, quem pauló ante oratióne nostra descripsimus.

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, impiè géssimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non in. Glória Patri. Non.

℟. vij. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditátem. Quem.

℟. viij. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

## FERIA SECUNDA.

Incipit Nahum Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

ONus Nínive: Liber visiónis Nahum Elceséi. Deus æmulátor, & ulciscens Dóminus: ulciscens Dóminus, & habens furórem: ulciscens Dóminus in hostes suos, & iráscens ipse inimícis suis. Dóminus pátiens, & magnus fortitúdine, & mundans non fáciet innocéntem. Dóminus in tempestáte & túrbine viæ ejus, & nébulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare, & exsíccans illud: & ómnia flúmina ad desértum dedúcens.

℟. Redémit pópulum suum, & liberávit eum: & vénient, & exultábunt in monte Sion: & gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, & óleo: * Et ultra non esúrient. ℣. Eritque ánima eórum quasi hortus írriguus. Et ultra.



Lectio ij.

INfirmátus est Basan, & Carmélus, & flos Líbani elánguit. Montes commóti sunt ab eo, & colles desoláti sunt: & contrémuit terra à fácie ejus, & orbis, & omnes habitántes in eo. Ante fáciem indignatiónis ejus quis stabit? & quis resístet in ira furóris ejus? indignátio ejus effúsa est ut ignis: & petræ dissolútæ sunt ab eo.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius.

Lectio iij.

BOnus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis, & sciens sperántes in se. Et in dilúvio prætereúnte, consummatiónem fáciet loci ejus: & inimícos ejus persequéntur ténebræ. Quid cogitátis contra Dóminum? consummatiónem ipse fáciet: non consúrget duplex tribulátio. Quia sicut spinæ se ínvicem compléctúntur, sic convívium eórum páriter potántium: consuméntur quasi stípula ariditáte plena.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et non.

## FERIA TERTIA.

Incipit Hábacuc Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

ONus quod vidit Hábacuc Prophéta. Usquequò Dómine clamábo, & non exáudies? vociferábor ad te vim pátiens, & non salvábis? Quare ostendísti mihi iniquitátem & labórem, vidére prædam & injustítiam contra me? & factum est judícium, & contradíctio poténtior. Propter hoc lacerâta est lex, & non pervénit usque ad finem judícium: quia ímpius prævalet advérsùs justum, proptéreà egréditur judícium pervérsum.

℟. A fácie furóris tui Deus, conturbáta est omnis terra: * Sed miserére Dómine, & ne fácias consummatiónem. ℣. Dómine Dóminus noster, quàm admirábile est nomen tuum. Sed miserére.

Lec-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio ij.

ASpicite in Géntibus, & vidéte: admirámini, & obstupéscite: quia opus factum est in diébus vestris, quod nemo credet cum narrábitur. Quia ecce ego suscitábo Chaldæos, gentem amáram & velócem, ambulántem super latitúdinem terræ, ut possídeat tabernácula non sua. Horríbilis & terríbilis est: ex semetipsa judícium, & onus ejus egrediétur.

℟. Civitátem istam tu circúmda Dómine: & Angeli tui custódiant muros ejus: * Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. ℣. Avertátur furor tuus, Dómine, à pópulo tuo, & à civitáte sancta tua. Exáudi Dómine.

Lectio iij.

LEvióres pardis equi ejus, & velocióres lupis vespertínis, & diffundéntur équites ejus: équites namque ejus de longe vénient, volábunt quasi áquila festínans ad comedéndum. Omnes ad prædam vénient, fácies eórum ventus urens: & congregábit quasi arénam, captivitátem. Et ipse de régibus triumphábit, & tyránni ridículi ejus erunt: ipse super omnem munitiónem ridébit, & comportábit ággerem, & cápiet eam.

℟. Genti peccatríci, pópulo pleno peccáto miserére, * Dómine Deus. ℣. Esto placábilis super nequítiam pópuli tui. Dómine Deus. Glória Patri. Dómine.

FERIA QUARTA.

Incipit Sophonias Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

VErbum Dómini, quod factum est ad Sophoníam fílium Chusi, filii Godolíæ, filii Amaríæ, filii Ezecíæ, in diébus Josíæ filii Amon regis Judæ. Cóngregans congregábo ómnia à fácie terræ, dicit Dóminus: cóngregans hóminem & pecus, cóngregans volatília cæli & pisces maris: & ruinæ impiórum erunt: & dispérdam hómines à fácie terræ, dicit Dóminus.

℟. Indicábo tibi homo, quid sit bonum, aut quid Dóminus requírat à te: * Fácere judícium & justítiam, & sollícitum ambuláre cum Deo tuo. ℣. Spera in Dómino, & fac bonitátem, & inhábita terram. Fácere.

Lectio ij.

ET exténdam manum meam super Judam, & super omnes habitántes Jerúsalem, & dispérdam de loco hoc relíquias Baal, & nómina æditnórum cum sacerdótibus: & eos qui adórant super tecta milítiam cæli, & adórant & jurant in Dómino, & jurant in Melchom. Et qui avertúntur de post tergum Dómini, & qui non quæsiérunt Dóminum, nec investigavérunt eum.



℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est; si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Mélius est.

Lectio iij.

SIlére à fácie Dómini Dei: quia juxtà est dies Dómini, quià præparávit Dóminus hóstiam, sanctificávit vocátos suos. Et erit in die hóstiæ Dómini visitábo super príncipes, & super fílios regis, & super omnes qui indúti sunt veste peregrína: & visitábo super omnem qui arrogánter ingréditur super limen in die illa: qui complent domum Dómini Dei sui iniquitáte & dolo.

℟. Misit Dóminus Angelum suum: & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et non.

FERIA QUINTA.

Incipit Aggæus Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

IN anno secúndo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Dómini in manu Aggæi Prophétæ ad Zoróbabel fílium Saláthiel, ducem Juda, & ad Jesum, fílium Jósedec, sacerdótem magnum, dicens: Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens: Pópulus iste dicit: Nondum venit tempus domus Dómini ædificándæ.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et ea.

Lectio ij.

ET factum est verbum Dómini in manu Aggæi Prophétæ, dicens: Numquid tempus vobis est ut habitétis in dómibus laqueátis, & domus ista desérta? Et nunc hæc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda vestra super vias vestras. Seminástis multum, & intulístis parum: comedístis, & non estis satiáti: bibístis, & non estis inebriáti: operuístis vos, & non estis calefácti: & qui mercédes congre-

gregâvit, misit eas in sáccum pertúsum.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi óculos.

Lectio iij.

HÆc dicit Dóminus exercituum: Pónite corda vestra super vias vestras: ascéndite in montem, portâte ligna, & ædificâte domum, & acceptábilis mihi erit, & glorificâbor, dicit Dóminus. Respexístis ad ámplius, & ecce factum est minus: & intulístis in domum, & exsufflâvi illud, quam ob causam, dicit Dóminus exercituum? quia domus mea desérta est, & vos festinâtis unusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desolâta civitas plena divitiis, sedet in tristitia dómina Géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorâvit in nocte, & lácrymæ ejus in maxillis ejus. Non est. Glória Patri. Non est.

## FERIA SEXTA.

Incipit Zacharias Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

IN mense octávo, in anno secúndo Darii regis factum est verbum Dómini ad Zacharíam, fílium Barachíæ, filii Addo, Prophétam, dicens: Irâtus est Dóminus super patres vestros iracúndia. Et dices ad eos: Hæc dicit Dóminus exercituum: Convertímini ad me, ait Dóminus exercituum, & convértar ad vos, dicit Dóminus exercituum.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constitui custódes: * Tota die & nocte non tacébunt laudâre nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, & annuntiábunt Géntibus glóriam meam. Tota.

Lectio ij.

NE sitis sicut patres vestri, ad quos clamábant Prophétæ prióres, dicéntes: Hæc dicit Dóminus exercituum: Convertímini de viis vestris malis, & de cogitatiónibus vestris péssimis: & non audiérunt, neque attendérunt ad me, dicit Dóminus. Patres vestri ubi sunt? & Prophétæ numquid in sempitérnum vivent?

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcinge nos Dómine, & armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: * Libera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo. Libera.



Lectio iij.

VErúmtamen verba mea, & legítima mea, quæ mandávi servis meis Prophétis, numquid non comprehendérunt patres vestros, & conversi sunt, & dixérunt: Sicut cogitâvit Dóminus exercituum fácere nobis secúndum vias nostras, & secúndum adinventiónes nostras fecit nobis?

℟. Sustinúimus pacem, & non venit: quæsívimus bona, & ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscâris nos. ℣. Peccávimus, impiè gessimus, iniquitâtem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam. Non. Glória Patri. Non.

## SABBATO.

Incipit Malachías Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

ONus verbi Dómini ad Israël in manu Malachíæ. Diléxi vos, dicit Dóminus, & dixístis: In quo dilexísti nos? Nonne frater erat Esaü Jacob, dicit Dóminus, & diléxi Jacob, Esaü autem ódio hábui? & pósui montes ejus in solitúdinem, & hereditâtem ejus in dracónes desérti. Quòd si díxerit Idumæa: Destrúcti sumus, sed reverténtes ædificábimus quæ destrúcta sunt: hæc dicit Dóminus exercituum: Isti ædificábunt, & ego déstruam: & vocabúntur términi impietâtis, & pópulus cui irâtus est Dóminus usque in ætérnum.

℟. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercituum benedixit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, heréditas mea Israël. ℣. Beâta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hereditâtem. Quem.

Lectio ij.

ET óculi vestri vidébunt: & vos dicétis: Magnificétur Dóminus super términum Israël. Filius honórat patrem, & servus dóminum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dóminus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dóminus exercituum ad vos, ò sacerdótes, qui despícitis nomen meum, & dixístis: In quo despéximus nomen tuum? Offértis super altâre meum panem pollútum, & dícitis: In quo pollúimus te? In eo quod dícitis: Mensa Dómini despécta est.

℟. Angústiæ mihi sunt úndique, & quid éligam ignóro. * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quàm derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi

mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Meliùs est.

Lectio iij.

SI offerâtis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offerâtis claudum & lánguidum, nónne malum est? offer illud duci tuo, si placúerit ei, aut si suscéperit fáciem tuam, dicit Dóminus exercituum. Et nunc deprecámini vultum Dei, ut misereátur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quo modo suscipiat fácies vestras, dicit Dóminus exercituum. Quis est in vobis, qui claudat óstia, & incéndat altáre meum gratúitò? non est mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercituum: & munus non suscípiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in Géntibus, & in omni loco sacrificátur, & offertur nómini meo oblátio munda: quia magnum est nomen meum in Géntibus, dicit Dóminus exercituum.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et

Ad Vésperas, Antiphonæ cum Psalmis de Psaltério 152. Capitulum, Hymnus, ℣. Antiphona ad Magnificat & Orátio, ut in Sabbato ante Dominicam primam Advéntus, in parte Hiemáli.

HO-



HOMILIÆ ET ORATIONES

# IN DOMINICIS

Per Ordinem disposita ab undécima post Pentecosten usque ad Advéntum.

## DOMINICA XI.

Post Pentecosten. Orátio.

OMnipotens sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ, & mérita súpplicum excédis & vota: effúnde super nos misericórdiam tuam, ut dimíttas quæ consciéntia metuit, & adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

Lectio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap. 7. d*

IN illo témpore: Exiens Jesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapóleos. Et relíqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilia 10. Lib. 1. in Ezechiélem, ante médium.*

QUid est, quod creátor ómnium Deus, cùm surdum & mutum sanáre voluísset, in aures illíus suos dígitos misit, & éxpuens linguam ejus tetígit? Quid per dígitos Redemptóris, nisi dona sancti Spíritus designántur? Undè cùm in álio loco ejecísset dæmónium, dixit: Si in dígito Dei ejício dæmónia, profectò pervénit in vos regnum Dei. Qua de re per Evangelístam álium dixísse descríbitur: Si ego in Spíritu Dei ejício dæmones, ígitur pervénit in vos regnum Dei. Ex quo utróque loco collígitur, quia dígitus Spíritus vocátur. Dígitos ergo in aurículas míttere, est per dona Spíritus sancti mentem surdi ad obediéndum aperíre.

Lectio viij.

QUid est verò, quòd éxpuens linguam ejus tetígit? Salíva nobis est ex ore Redemptóris, accépta sapiéntia in elóquio divíno. Salíva quippe ex cápite défluit in ore. Ea ergo sapiéntia, quæ ipse est, dum lingua nostra tángitur, mox ad prædicatiónis verba formátur. Qui suspíciens in cælum, ingémuit: non quòd ipse necessárium gémitum habéret, qui dabat quod postulábat: sed nos ad eum gémere, qui cælo præsidet, dócuit: ut & aures nostræ per donum Spíritus sancti aperíri, & lingua

per

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Melius est.

Lectio iij.

SI offerátis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offerátis claudum & lánguidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placúerit ei, aut si suscéperit faciem tuam, dicit Dóminus exercítuum. Et nunc deprecámini vultum Dei, ut misereátur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quo modo suscípiat fácies vestras, dicit Dóminus exercítuum. Quis est in vobis, qui claudat óstia, & incéndat altáre meum gratúito? non est mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercítuum: & munus non suscípiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in Géntibus, & in omni loco sacrificátur, & offertur nómini meo oblátio munda: quia magnum est nomen meum in Géntibus, dicit Dóminus exercítuum.

℞. Misit Dóminus Angelum suum, & conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et non.

Ad Vésperas, Antíphonæ cum Psalmis de Psaltério 152. Capítulum, Hymnus, ℣. Antíphona ad Magníficat & Orátio, ut in Sábbato ante Domínicam primam Advéntus, in parte Hiemáli.

HO-



# HOMILIÆ ET ORATIONES IN DOMINICIS

## Per Ordinem disposita ab undécima post Pentecosten usque ad Advéntum.

### DOMINICA XI. Post Pentecosten.

Orátio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ, & mérita súpplicum excédis & vota: effúnde super nos misericórdiam tuam, ut dimíttas quæ consciéntia métuit, & adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

Lectio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap. 7. d*

IN illo témpore: Exiens Jesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilææ, inter médios fines Decapóleos. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilía 10. Lib. 1. in Ezechiélem, ante médium.*

QUid est, quod creátor ómnium Deus, cum surdum & mutum sanáre voluísset, in aures illíus suos dígitos misit, & éxpuens linguam ejus tétigit? Quid per dígitos Redemptóris, nisi dona sancti Spíritus designántur? Unde cum in álio loco ejecísset dæmónium, dixit: Si in dígito Dei ejício dæmónia, profécto pervénit in vos regnum Dei. Qua de re per Evangelístam álium dixísse descríbitur: Si ego in Spíritu Dei ejício dæmones, ígitur pervénit in vos regnum Dei. Ex quo utróque loco collígitur, quia dígitus Spíritus vocátur. Dígitos ergo in aurículas míttere, est per dona Spíritus sancti mentem surdi ad obediéndum aperíre.

Lectio viij.

QUid est veró, quod éxpuens linguam ejus tétigit? Salíva nobis est ex ore Redemptóris, accépta sapiéntia in elóquio divíno. Salíva quippe ex cápite défluit in ore. Ea ergo sapiéntia, quæ ipse est, dum lingua nostra tángitur, mox ad prædicatiónis verba formátur. Qui suspíciens in cælum, ingémuit: non quod ipse necessárium gémitum habéret, qui dabat quod postulábat: sed nos ad eum gémere, qui cælo præsidet, dócuit: ut & aures nostræ per donum Spíritus sancti aperíri, & lingua

per

per salivam oris, id est, per sciéntiam divinæ locutiónis, solvi debeat ad verba prædicatiónis.

Lectio ix.

Cui mox, éphphetа, id est, adaperire, dicitur: & statim apértæ sunt aures ejus, & solútum est vinculum linguæ ejus. Quâ in re notándum est, quia propter clausas aures dictum est, adaperire. Sed cui aures cordis ad obediéndum apértæ fúerint, ex subsequenti procul dúbio étiam linguæ ejus vinculum solvitur: ut bona quæ ipse fécerit, étiam faciénda aliis loquátur. Ubi benè ádditur: Et loquebátur rectè. Ille enim rectè lóquitur, qui priùs obediéndo fécerit, quæ loquéndo ádmonet esse faciénda.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cùm transisset Dóminus fines Tyri, surdos fecit audire, & mutos loqui.

Ad Magnificat, Antiphona.

Benè ómnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

## DOMINICA XII.

Post Pentecósten.

Oratio.

Omnipotens & miséricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi a fidélibus tuis digne & laudabíliter serviátur: tribue quæsumus nobis, ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per Dóminum.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap. 10. d*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Beáti óculi, qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quòd multi Prophétæ & reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, & non vidérunt. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 3. cap. 43. in Luc. 10.*

Non óculi Scribárum & Pharisæórum, qui corpus tantùm Dómini vidére, sed illi beáti óculi, qui ejus possunt cognóscere sacraménta, de quibus dicitur: Et revelásti ea párvulis. Beáti óculi parvulórum, quibus & se & Patrem Filius reveláre dignátur. Abraham exultávit ut vidéret diem Christi: & vidit, & gavisus est. Isaias quoque, & Michæas, & multi alii Prophétæ vidérunt glóriam Dómini: qui & proptereà Vidéntes sunt appellári: sed hi omnes à longe aspiciéntes & salutántes, per spéculum & in ænigmate vidérunt.

Lectio viij.

Apóstoli autem in præséntiâ rum habéntes Dóminum, convescentésque ei, & quæcumque voluissent interrogándo discéntes, nequáquam per Angelos, aut várias visiónum spécies opus habébant docéri. Quos verò Lucas multos Prophétas & reges dicit, Matthæus apértiùs Prophétas & justos appéllat. Ipsi sunt enim reges magni: quia tentatiónum suárum mótibus non consentiéndo succúmbere, sed regéndo præésse novérunt.



Lectio ix.

Et ecce quidam Legisperitus surréxit, tentans eum, & dicens: Magister, quid faciéndo vitam ætérnam possidébo? Legisperítus, qui de vita ætérna Dóminum tentans intérrogat, occasiónem, ùt reor, tentándi de ipsis Dómini sermónibus sumpsit, ubi ait: Gaudéte autem quòd nómina vestra scripta sunt in cælis. Sed ipsa sua tentatióne declárat, quam vera sit illa Dómini conféssio, qua Patri lóquitur: Quòd abscondisti hæc à sapiéntibus & prudéntibus, & revelásti ea párvulis.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Magister, quid faciéndo, vitam ætérnam possidébo? at ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quómodo legis? Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, & íncidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum, & plagis impósitis abiérunt, semivivo relícto.

## DOMINICA XIII.

Post Pentecósten.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, da nobis fídei, spei, & charitátis augméntum: & ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amáre quod præcipis. Per Dóminum nostrum.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap. 17. c*

In illo témpore: Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam, & Galilæam. Et cùm ingrederétur quoddam castéllum occurrérunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

*Lib. 2. quæst. Evang. cap. 40.*

De decem leprósis, quos Dóminus ità mundávit, cùm ait: Ite, osténdite vos sacerdótibus; quæri potest cur eos ad sacerdótes míserit, ut cùm irent, mundaréntur. Nullum enim eórum, quibus hæc corporália benefícia præstitit, invenítur misisse ad sacerdótes, nisi leprósos. Nam & illum a lepra mundáverat, cui dixit: Vade osténde te sacerdótibus, & of-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

offer pro te sacrifícium, quod præcépit Móyses in testimónium illis. Quæréndum ígitur est, quid ipsa lepra signíficet: non enim sanáti, sed mundáti dicúntur, qui ea caruérunt. Colóris quippe vítium est, non valetúdinis, aut integritátis sensuum atque membrórum.

Lectio viij.

LEprósi ergo non absúrde intélligi possunt, qui sciéntiam veræ fídei non habéntes, várias doctrínas profiténtur erróris. Non enim abscóndunt imperítiam suam, sed pro summa perítia próferunt in lucem, & jactántia sermónis osténtant. Nulla porrò falsa doctrína est, quæ non áliqua vera intermísceat. Vera ergo falsis inordináte permíxta, in una disputatióne vel narratióne hóminis, tamquam in uníus córporis colóre apparéntia, signíficant lepram, tamquam veris falsísque colórum fucis humána córpora variántem atque maculántem.

Lectio ix.

HI autem tam vitándi sunt Ecclésiæ, ut si fíeri potest, lóngiùs remóti, magno clamóre Christum interpéllent: sicut isti decem stetérunt à longe, & levavérunt vocem, dicéntes: Jesu præcéptor, miserére nostri. Nam & quòd præceptórem vocant, quo nómine néscio utrum quisquam Dóminum interpellá-verit pro medicína corporáli, satis puto significáre, lepram falsam esse doctrínam, quam bonus præcéptor abstérgit.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cùm transíret Jesus quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi: qui stetérunt à longe, & levavérunt vocem, dicéntes: Jesu præcéptor, miserére nostri.

Ad Magnificat, Antiphona.

Unus autem ex illis, ut vidit quòd mundátus est, regréssus est cum magna voce magníficans Deum, allelúia.

## DOMINICA XIV.

### Post Pentecósten.

Oratio.

CUstódi Dómine, quǽsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua: & quia sine te lábitur humána mortálitas: tuis semper auxíliis & abstrahátur à nóxiis, & ad salutária dirigátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 6. c*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre. Et réliqua.

Homilía sancti Augustini Episcopi.

*Lib. 2. de Serm. Dómini in monte, cap. 14.*

NEmo potest duóbus dóminis servíre. Ad hanc ipsam intentiónem referéndum est quod consequénter expónit, dicens: Aut enim unum ódio habébit, & álterum díliget: aut álterum patiétur, & álterum contemnet. Quæ verba diligénter consideránda sunt: nam, qui sint duo dómini, deinceps osténdit, cùm dicit: Non potéstis Deo servíre & mammónæ. Mammóna apud Hebræos divítiæ appellári dicúntur. Cóngruit & Púnicum nomen: nam lucrum Púnicè mammon dícitur.

Lectio viij.

SEd qui servit mammónæ, illi útique servit, qui rebus istis terrénis mérito suæ perversitátis præpósitus, magistrátus hujus sǽculi à Dómino dícitur. Aut enim unum ódio habébit homo, & álterum díliget, id est, Deum: aut álterum patiétur, & álterum contémnet. Patiétur enim durum & perniciósum dóminum, quisquis servit mammónæ: sua enim cupiditáte implicátus, súbditur diábolo, & non eum díligit. Quis enim est qui díligat diábolum? sed tamen pátitur.



Lectio ix.

IDeò, inquit, dico vobis, non habére solicitúdinem ánimæ vestræ quid edátis, neque córpori vestro quid induátis: ne fortè, quamvis jam supérflua non quærántur, propter ipsa necessária cor duplicétur, & ad ipsa conquirénda, nostra detorqueátur inténtio, cùm áliquid quasi misericórditer operámur; id est, ut cùm consúlere álicui vidéri vólumus, nostrum emolumentum ibi pótiùs, quam illíus utilitátem attendámus; & ideò nobis non videámur peccáre, quia non supérflua, sed necessária sunt, quæ consequi vólumus.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Nolíte solíciti esse, dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus? scit enim Pater vester, quid vobis necésse sit, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quǽrite primum regnum Dei, & justítiam ejus, & hæc ómnia adjiciéntur vobis, allelúia.

## DOMINICA XV.

### Post Pentecósten.

Oratio.

ECclésiam tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet & múniat: & quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur. Per Dóminum.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 7. b*

IN illo témpore: Ibat Jesus in civitátem, quæ vocátur Naim: & ibant cum eo discípuli ejus, & turba copiósa. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Episcopi.

*Serm. 44. de Verbis Dómini, circa initium.*

DE júvene illo resuscitáto gavísa est mater vidua: de homínibus in spíritu quotídie suscitátis gaudet mater Ecclésia. Ille quidem mórtuus erat córpore: illi autem mente. Illíus mors visíbilis visibíliter plangebátur: illórum mors invisíbilis nec quærebátur, nec videbátur. Quæsívit ille, qui nóverat mórtuos. Ille solus nóverat mórtuos, qui póterat fácere vivos. Nisi enim ad mórtuos suscitándos venísset, Apóstolus non díceret: Surge qui dormis, & exúrge à mórtuis, & illuminábit te Christus.

Lectio viij.

TRes autem mórtuos invenímus à Dómino resuscitátos visibíliter, míllia invisibíliter. Quot autem mórtuos visibíliter suscitáverit, quis novit? Non enim ómnia quæ fecit, scripta sunt. Joánnes hoc dixit: Multa ália fecit Jesus: quæ si scripta essent, árbitror totúm mundum non posse libros cápere. Multi ergo sunt álii sine dúbio suscitáti, sed non tres frustrà commemoráti. Dóminus enim noster Jesus Christus, ea quæ faciébat corporáliter, étiam spirituáliter volébat intélligi. Neque enim tantùm mirácula propter mirácula faciébat: sed ut illa, quæ faciébat, mira essent vidéntibus, vera essent intelligéntibus.

Lectio ix.

QUemádmodùm qui videt lítteras in códice óptimè scripto, & non novit légere, laudat quidem antiquárii manum, admírans ápicum pulchritúdinem: sed quid sibi velint, quid índicent illi ápices, nescit, & est óculis laudátor, mente non cógnitor. Alius autem & laudat artifícium, & capit intelléctum: ille útique, qui non solùm vidére, quod commúne est ómnibus, potest, sed étiam légere: quod qui non dídicit, non potest. Ità qui vidérunt Christi mirácul., & non intellexérunt quid sibi vellent, & quid intelligéntibus quodámmodò innúerent, miráti sunt tantùm, quia facta sunt: álii verò & facta miráti, & intellécta assecúti. Tales nos in schola Christi esse debémus.

Te Deum laudámus. 17.

Ad

Ad Benedictus, Antiphona.

Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Naim: & ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matri suæ.

Ad Magnificat, Antiphona.

Prophéta magnus surréxit in nobis, & quia Deus visitávit plebem suam.

## DOMINICA XVI.

Post Pentecósten. Oratio.

TUa nos, quæsumus Dómine, grátia semper & prævéniat & sequátur: ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per Dóminum.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 14.*

IN illo témpore: Cùm intráret Jesus in domum cujúsdam príncipis Pharisæórum sábbato manducáre panem, & ipsi observábant eum. Et ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. 7. in Luc. cap. 14.*

CUrátur hydrópicus, in quo fluxus carnis exúberans ánimæ gravábat offícia, spíritus extinguébat ardórem. Deindè docétur humílitas, dum in illo convívio nuptiáli appeténtia loci superióris arcétur: cleménter tamen, ut persuásio humanitátis asperitátem coërtitiónis excluderet, rátio profíceret ad persuasiónis efféctum, & corréctio emendáret afféctum. Huic quasi próximo límine humánitas copulátur: quæ ità Domínicæ senténtiæ definitióne distinguitur, si in páuperes & débiles confer átur: nam hospitálem esse remuneratúris, afféctus avarítiæ est.

Lectio viij.

POstrémò jam quasi emérito militiæ viro contemnendárum stipéndium præscríbitur facultátum: quòd néque ille, qui stúdiis inténtus inferióribus possessiónes sibi terrénas coëmit, regnum cæli possit adipísci, cùm Dóminus dicat, Vende ómnia tua, & séquere me: nec ille, qui emit boves, cùm Eliséus occíderit, & pópulo divíserit quos habébat: & ille qui duxit uxórem, cógitet quæ mundi sunt, non quæ Dei. Non quò conjúgium reprehendátur, sed quia ad majórem honórem vocétur intégritas: quóniam múlier innúpta & vídua cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore & spíritu.

Lectio ix.

SEd ut in grátiam, ut suprà cum víduis, ità nunc étiam cum conjúgibus revertámur: non refúgimus opiniónem, quam sequúntur plerique, ut tria génera hóminum a consórtio magnæ illius cœnæ æstimémus exclúdi: Gentílium, Judæórum



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

rum, Hæreticórum. Et ideò Apóstolus avaritiam dicit esse fugiéndam: ne impediti more Gentili, iniquitâte, malítia, impudicítia avarítia, ad regnum Christi pervenîre nequeâmus. Omnis enim immúndus, aut avârus, quod est idolôrum sérvitus, non habet hereditâtem in regno Christi & Dei.

Te Deum laudâmus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cùm intrâret Jesus in domum cujúsdam Principis Pharisæôrum sábbato manducâre panem: ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum: ipse verò apprehénsum sanâvit eum, ac dimísit.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cùm vocâtus fúeris ad núptias, recúmbe in novíssimo loco, ut dicat tibi qui te invitâvit: Amice, ascénde supérius: & erit tibi glória coram simul discumbéntibus, allelúia.

## DOMINICA XVII.

### Post Pentecósten.

Orátio.

DA, quæsumus Dómine, pópulo tuo diabólica vitâre contagia: & te solùm Deum pura mente sectâri. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 22. d*

IN illo témpore: Accessérunt ad Jesum Pharisæi: & interrogâvit eum unus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandâtum magnum in Lege? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Crhysóstomi.

*Homilia 72. in Matthæum.*

SAdducæis confúsis, Pharisæi rursus aggrediúntur: cùmque quiéscere oportêret, decertâre voluérunt: & legis peritiam profiténtem præmittunt, non díscere, sed tentâre cupiéntes, ac ità intérrogant: Quodnam primum mandâtum in Lege sit. Nam cùm primum illud sit, Díliges Dóminum Deum tuum: putantes causas sibi allatûrum ad mandâtum hoc corrigéndum, aliquid addéndo, quóniam Deum se faciêbat, hoc modo intérrogant: quid igitur Christus? Ut osténdat idcircò ad hæc eos devenisse, quia nulla in eis esset cháritas, sed invídiæ livôre tabéscerent: Díliges, inquit, Dóminum Deum tuum: hoc primum & magnum mandâtum est. Secúndum autem símile huic: Díliges próximum tuum sicut teipsum.

Léctio viij.

QUamóbrem símile est huic? quóniam hoc illud indúcit, & ab illo rursùs munítur. Quicúmque enim male agit, ódio habet lucem, & non venit ad lucem. Et rursùs: Dixit in-



insipiens in corde suo, non est Deus. Deinde séquitur: Corrúpti sunt, & abomináblies facti sunt in stúdiis suis. Et iterùm: Radix ómnium malôrum avarítia est: quam quidam appeténtes, erravérunt à fide. Et, Qui díligit me, mandâta mea servâbit: quorum caput & radix est, Díliges Dóminum Deum tuum, & próximum tuum sicut teipsum.

Léctio ix.

SI ergo dilígere Deum, dilígere próximum est: (Nam si díligis me, ò Petre inquit, pasce oves meas) si étiam diléctio próximi facit ut mandâta custódias: meritò ait in his totam Legem & Prophêtas pendêre. Et quemádmodum in superióribus, cùm de resurrectióne interrogarêtur, plus dócuit quàm tentántes petêbant: sic in hoc loco de primo interrogâtus mandâto, secúndum étiam non valdè quàm primum inferiùs sponte áttulit: secúndum enim est primo símile. Ità occúltè insinuâvit, ódio illos ad quæréndum incitâri. Cháritas enim, inquit, non æmulâtur.

Te Deum laudâmus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Magister, quod est mandâtum magnum in lege? Ait illi Jesus: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quid vobis vidêtur de Christo? cujus fílius est? dicunt ei omnes: David. Dicit eis Jesus: Quómodo David in spíritu vocat eum Dóminum, dicens: Dixit Dóminus Dómino meo, Sede à dextris meis?

## DOMINICA XVIII.

### Post Pentecósten. Orátio.

DIrigat corda nostra, quæsumus Dómine, tuæ miseratiônis operátio: quia tibi sine te placêre non póssumus. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 9.*

IN illo témpore: Ascéndens Jesus in navículam, transfretâvit, & venit in civitâtem suam. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi. *Serm. 50.*

CHristum in humânis áctibus divína gessísse mystéria, & in rebus visibílibus invisibília exercuísse negótia, léctio hodiérna monstrâvit. Ascéndit, inquit, in navículam, & transfretâvit, & venit in civitâtem suam. Nonne ipse est, qui fugâtis flúctibus, maris profúnda nudâvit, ut Israelíticus pópulus inter stupéntes undas sicco vestígio velut móntium cóncava pertransíret? Nonne hic est, qui Petri pédibus marínos vórtices inclinâvit, ut iter líquidum

humánis gréssibus sólidum præbéret obséquium?

Léctio viij.

ET quid est, quòd ipse sibi sic maris dénegat servitûtem, ut brevíssimi lacus tránsitum sub mercêde náutica transfretâret? Ascéndit, inquit, in navículam, & transfretávit. Et quid mirum, fratres? Christus venit suscípere infirmitátes nostras, & suas nobis conférre virtútes: humána quærere, præstáre divína: accípere injúrias, réddere dignitátes: ferre tædia, reférre sanitátes: quia médicus, qui non fert infirmitátes, curáre nescit: & qui non fúerit cum infírmo infirmátus, infírmo non potest conférre sanitátem.

Léctio ix.

CHristus ergo, si in suis mansísset virtútibus, commúne cum homínibus nil habéret: & nisi implésset carnis órdinem, carnis in illo esset otiósa suscéptio. Ascéndit, inquit, in navículam, & transfretávit, & venit in civitátem suam. Creátor rerum, orbis Dóminus, postquam se propter nos nostra angustávit in carne, cœpit habêre humánam pátriam, cœpit civitátis Judáicæ esse civis, paréntes habére cœpit paréntum ómnium ipse parens: ut invitâret amor, attráheret cháritas, vinciret afféctio, suadéret humánitas, quos fugârat dominátio, metus dispérserat, fécerat vis potestátis extórres.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedíctus, Antíphona.

Dixit Dóminus paralytico: Confide fili, remittúntur tibi peccáta tua.

Ad Magníficat, Antíphona.

Tulit ergo paralyticus lectum suum, in quo jacêbat, magníficans Deum: & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

## DOMINICA XIX.

### Post Pentecósten.

Orátio.

OMnípotens & miséricors Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde: ut mente & córpore páriter expedíti, quæ tua sunt, líberis méntibus exequámur. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 22.*

IN illo témpore: Loquebátur Jesus princípibus sacerdótum & Pharisæis in parábolis, dicens: Símile factum est regnum cælórum hómini regi, qui fecit núptias Fílio suo. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilía 38. in Evangélia, post inítium.*

SÆpe jam me dixísse mémini, quod plerúmque in sancto Evangélio regnum cælórum præsens



sens Ecclésia nominátur: congregátio quippe justórum, regnum cælórum dícitur. Quia enim per Prophêtam Dóminus dicit: Cælum mihi sedes est: & Sálomon ait: Anima justi sedes sapiéntiæ: Paulus étiam dicit Christum Dei virtûtem, & Dei sapiéntiam: alíquando colligere debêmus, quia si Deus sapiéntia, ánima autem justi sedes sapiéntiæ, dum cælum dícitur sedes Dei, cælum ergo est ánima justi. Hinc per Psalmístam de sanctis prædicatóribus dícitur: Cæli enárrant glóriam Dei.

Léctio viij.

REgnum ergo cælórum est Ecclésia justórum: quia dum eórum corda in terra nil ámbiunt, per hoc quód ad supérna suspírant, jam in eis Dóminus quasi in cæléstibus regnat. Dicátur ergo: Símile est regnum cælórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Jam intélligit cháritas vestra, quis est iste Rex Regis fílii pater, ille nimírùm, cui Psalmísta ait: Deus judícium tuum Regi da, & justítiam tuam fílio Regis. Qui fecit núptias fílio suo. Tunc enim Deus Pater Deo Fílio suo núptias fecit, quando hunc in útero Vírginis humánæ natúræ conjúnxit, quando Deum ante sæcula fíeri vóluit hóminem in fine sæculórum.

Léctio ix.

SEd quia ex duábus persónis fíeri solet ista nuptiális conjúnctio: absit hoc ab intelléctibus nostris, ut persónam Dei & hóminis Redemptóris nostri Jesu Christi, ex duábus persónis credámus unitam. Ex duábus quippe, atque in duábus hunc natúris exístere dícimus: sed ex duábus persónis compósitum credi, ut nefas, vitámus. Apértius ergo atque secúrius dici potest, quia in hoc Pater Regi Fílio núptias fecit, quo ei per incarnatiónis mystérium sanctam Ecclésiam sociávit. Uterus autem genitrícis vírginis, hujus sponsi thálamus fuit. Unde & Psalmísta dicit: In sole pósuit tabernáculum suum, & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedíctus, Antíphona.

Dícite invitátis: Ecce prándium meum parávi, veníte ad núptias, allelúia.

Ad Magníficat, Antíphona.

Intrávit autem Rex, ut vidéret discumbéntes: & vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli, & ait illi: Amíce quómodo huc intrásti, non habens vestem nuptiálem?

## DOMINICA XX.

Post Pentecosten.

Oratio.

LArgire, quæsumus Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus & pacem: ut páriter ab ómnibus mundéntur offénsis, & secúra tibi mente desérviant. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Léctio vij. *Cap. 4. f*

IN illo témpore: Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

*Homilía 28. in Evangélia.*

LEctio sancti Evangélii quam modò, fratres, audístis, expositióne non indíget: sed ne hanc tácitè præterísse videámur, exhortándo pótius, quàm exponéndo in ea aliquid loquámur. Hoc autem nobis solúmmodò de expositióne vídeo esse requiréndum, cur is, qui ad salútem fílio peténdam vénerat, audívit: Nisi signa & prodígia vidéritis, non créditis. Qui enim salútem fílio quærébat, procuIdúbio credébat: neque enim ab eo quǽreret salútem, quem non créderet Salvatórem. Quare ergo dícitur: Nisi signa & prodígia vidéritis: non créditis, qui ante crédidit, quàm signa vidéret?

Léctio viij.

SEd mementóte quid pétiit, & apértè cognoscétis, quia in fide dubitávit. Popóscit namque ut descénderet, & sanáret fílium ejus. Corporálem ergo præséntiam Dómini quærébat, qui per spíritum nusquam déerat. Minùs ítaque in illum crédidit, quem non putávit posse salútem dare, nisi præsens esset & córpore. Si enim perféctè credidísset, procuIdúbio sciret, quia non esset locus ubi non esset Deus.

Léctio ix.

EX magna ergo parte diffísus est, qui virtútem non dedit majestáti, sed præséntiæ corporáli. Salútem ítaque fílio pétiit, & tamen in fide dubitávit: quia eum ad quem vénerat, & poténtem ad curándum crédidit, & tamen moriénti fílio esse abséntem putávit. Sed Dóminus, qui rogátur ut vadat; quia non desit ubi invitátur, índicat: solo jussu salútem réddidit, qui voluntáte ómnia creávit.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedíctus, Antíphona.

Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum: hic cum audísset, quod Jesus veníret in Galilǽam, rogábat eum, ut sanáret fílium ejus.





Ad Magníficat, Antíphona.

Cognóvit autem pater, quia illa hora erat, in qua dixit Jesus: Fílius tuus vivit: & crédidit ipse, & domus ejus tota.

## DOMINICA XXI.

Post Pentecosten.

Orátio.

FAmíliam tuam, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi: ut à cunctis adversitátibus te protegénte sit líbera, & in bonis áctibus tuo nómini sit devóta. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 18. c*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Assimilátum est regnum cælórum hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

*Lib. 3. Comment. in cap. 18. Matthæi.*

FAmiliáre est Syris, & máximè Palæstínis, ad omnem sermónem suum parábolas júngere; ut quod per simplex præcéptum tenéri ab auditóribus non potest, per similitúdinem exemplúmque teneátur. Præcépit ítaque Dóminus Petro sub comparatióne regis & dómini, & servi, qui débitor decem míllium talentórum à dómino rogans véniam impetráverat, ut ipse quoque dimíttat consérvis suis minóra peccántibus. Si enim ille rex & dóminus servo debitóri decem míllia talentórum tam fácilè dimísit: quantò magis servi consérvis suis debent minóra dimíttere?

Léctio viij.

QUod ut maniféstiùs fiat, dicámus sub exémplo. Si quis nostrûm commíserit adultérium, homicídium, sacrilégium, majóra crímina decem míllium talentórum rogántibus dimittúntur, si & ipsi dimíttant minóra peccántibus. Sin autem ob factam contuméliam sumus implacábiles, & propter amárum verbum perpétes habeámus discórdias: nonne nobis vidémur rectè redigéndi in cárcerem, & sub exémplo óperis nostri hoc ágere, ut majórum nobis delictórum vénia non relaxétur?

Léctio ix.

SIc & Pater meus cæléstis fáciet vobis, si non remiséritis unusquísque fratri suo de córdibus vestris. Formidolósa senténtia, si juxta nostram mentem senténtia Dei fléctitur, atque mutátur: si parva frátribus non dimíttimus, magna nobis à Deo non dimitténtur. Et quia potest unusquísque di-

ce : et: Nihil habeo contra eum, ipse novit, habet Deum júdicem : non mihi curæ est quid velit agere, ego ignóvi ei : confirmat sententiam suam, & omnem simulatiónem fictæ pacis evertit, dicens : Si non remiseritis unusquisque fratri suo de córdibus vestris.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dixit autem Dóminus servo: Redde quod debes. Procidens autem servus ille, rogabat eum, dicens : Patiéntiam habe in me, & ómnia reddam tibi.

Ad Magnificat, Antiphona.

Serve nequam, omne débitum dimisi tibi, quóniam rogasti me : nonne ergo opórtuit & te miséreri consérvi tui, sicut & ego tui misértus sum? allelúia.

## DOMINICA XXII.

Post Pentecósten.

Oratio.

Deus, refúgium nostrum, & virtus, adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus auctor ipse pietátis, & præsta : ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 22. b*

In illo témpore : Abeúntes Pharisæi, consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Episcopi.

*In Comment. in Matth. can. 23.*

Frequénter Pharisæi commoventur, & occasiónem insimulándi eum habére ex prætéritis non possunt. Cádere enim vitium in gesta ejus & dicta non póterat : sed de malítiæ affectu, in omnem se inquisitiónem reperiúndæ accusatiónis extendunt. Namque à sæculi vitiis, atque à superstitiónibus humanárum religiónum, universos ad spem regni cæléstis vocábat. Igitur an violáret sæculi potestátem, de propósitæ interrogatiónis conditióne perténtant : an vidélicet reddi tribútum Cæsari oportéret.

Lectio viij.

Qui intérna cognitiónum secréta cognóscens (Deus enim nihil eórum quæ intra hóminem sunt abscónsa, non speculátur) afférri sibi denárium jussit, & quæsivit cujus & inscríptio esset, & forma. Pharisæi respondérunt : Cæsaris eam esse. Quibus ait: Cæsari reddénda esse, quæ Cæsaris sunt : Deo autem reddénda esse, quæ Dei sunt. O plenam miráculi responsiónem, & perféctam dicti cæléstis absolutiónem! Ita ómnia inter contémptum sæculi, & contuméliam lædéndi Cæsaris



ris temperávit, ut curis ómnibus & offíciis humánis devótas Deo mentes absólveret, cùm Cæsari, quæ ejus essent, reddénda decérnit.

Lectio ix.

Si enim nihil ejus penes nos resséderit, conditióne reddéndi ei quæ sua sunt, non tenébimur. Porrò autem si rebus illíus incubámus, si jure potestátis ejus útimur, & nos tamquam mercenários aliéni patrimónii procuratióni subjícimus : extra querélam injúriæ est, Cæsari redhibéri quod Cæsaris est : Deo autem quæ ejus sunt própria réddere nos oportére, corpus, ánimam, voluntátem. Ab eo enim hæc profécta atque aucta retinémus : proínde condígnum est, ut ei se totum reddant, cui debére se récolunt & oríginem & proféctum.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritáte doces, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Réddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari : & quæ sunt Dei, Deo, allelúia.

Si sequens Dominica fuerit ultima post Pentecósten, ejus loco ponitur xxiv. ut infra, 329. & officium hujus Dominicæ ponitur in Sabbato præcedenti, non impedito Festo novem Lectionum, alioquin Feria vj. vel alia similiter non impedita.

## DOMINICA XXIII.

Post Pentecósten.

Oratio.

Absólve, quæsumus Dómine, tuórum delícta populórum : ut à peccatórum nostrórum néxibus, quæ pro nostra fragilitáte contráximus, tua benignitáte liberémur. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 9. c*

In illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, ecce princeps unus accéssit, & adorábat eum, dicens : Dómine, fília mea modò defúncta est. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 1. Comment. in cap. 9. Matthæi.*

Octávum signum est, in quo princeps suscitári póstulat fíliam suam, nolens de mystério veræ circumcisiónis exclúdi : sed subintrat múlier sánguine fluens, & octávo sanátur loco : ut príncipis fília de hoc exclúsa número, véniat ad nonum, juxta illud quod in Psalmis dícitur : Æthiópia prævéniet manus ejus Deo : &, Cùm intráverit plenitúdo Géntium, tunc omnis Israël salvus fiet.

Léctio viij.

ET ecce múlier, quæ sánguinis fluxum patiebátur duódecim annis, accéssit retrò, & tétigit fimbriam vestiménti ejus. In Evangélio secúndùm Lucam scribitur, quòd princípis filia duódecim annos habéret ætátis. Nota ergo, quòd eo témpore hæc múlier, id est, Géntium pópulus cœperit ægrotáre, quo genus Judæórum credíderat. Nisi enim ex comparatióne virtútum, vítium non osténditur.

Léctio ix.

HÆc autem múlier sánguine fluens, non in domo, non in urbe accédit ad Dóminum, quia juxta legem úrbibus excludebátur: sed in itínere ambulánte Dómino: ut dum pergit ad áliam, ália curarétur. Undè dicunt & Apóstoli: Vobis quidem oportébat prædicári verbum Dei: sed quóniam vos judicástis indignos salúte, transgrédimur ad Gentes.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dicébat enim intra se: Si tetígero fímbriam vestiménti ejus tantùm, salva ero.

Ad Magnificat, Antiphona.

At Jesus convérsus, & videns eam, dixit: Confíde fília, fides tua te salvam fecit, allelúja.

Dominicæ post Pentecósten non possunt esse pauciores vigintitribus, itaque plures vigintiocto. Cùm autem fúerint plures vigintiquatuor, tunc post xxiij. Dominicam resumuntur quæ eo anno superfuerunt post Epiphaniam, quo ad Oratiónem, Homiliam, & Antiphonas ad Benedictus, & Magnificat, hoc ordine.

Si Dominicæ post Pentecósten, fuerint xxv. Dominica xxiv. post Pentecósten erit quæ est vj. post Epiphaniam.

Si fuerint xxvj. Dominica xxiv. erit quæ est v. post Epiphaniam, & xxv. quæ est vj.

Si fuerint xxvij. Dominica xxiv. erit quæ est iv. post Epiphaniam, xxv. erit v. & xxvj. erit vj.

Si fuerint xxviij. Dominica xxiv. erit quæ est iij. post Epiphaniam, xxv. erit iv. & xxvj. erit v. & xxvij. erit vj. & último loco semper ponitur, quæ sequitur hic in órdine.

## DOMINICA III.

Quæ superfuit post Epiphaniam.

Orátio.

OMnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice: atque ad protegéndum nos déxteram tuæ majestátis exténde. Per Dóminum nostrum.

Léc-



Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap.* 8.

IN illo témpore: Cum descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprósus véniens, adorábat eum. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib.* 1. *Comment. in cap.* 8. *Matthæi.*

DE monte Dómino descendénte, occúrrunt turbæ, quia ad altióra ascéndere non valuérunt. Et primus ei occúrrit leprósus: necdum enim póterat cum lepra tam multíplicem in monte Salvatóris audíre sermónem. Et notándum, quòd hic primus speciáliter curátus sit: secúndò, puer Centuriónis: tértiò, socrus Petri fébriens in Caphárnaum: quarto loco, qui obláti sunt ei à dæmónio vexáti: quorum spíritus verbo ejiciébat, quando & omnes malè habéntes curávit.

Léctio viij.

ET ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens. Rectè post prædicatiónem atque doctrínam, signi offértur occásio, ut per virtútem miráculi, prætéritus apud audiéntes sermo firmétur Dómine, si vis, potes me mundáre. Qui voluntátem rogat, de virtúte non dúbitat. Et exténdens Jesus manum, tétigit eum, dicens: Volo, mundáre. Extendénte manum Dómino, statim lepra fugit. Simúlque considera, quam húmilis, & sine jactántia respónsio. Ille díxerat, Si vis: Dóminus respóndit, Volo. Ille præmíserat, Potes me mundáre: Dóminus jungit, & dicit, Mundáre. Non ergo, ut pleríque Latinórum putant, jungéndum est, & legéndum, Volo mundáre: sed separátim, ut primùm dicat, Volo, deindè ímperet, Mundáre.

Léctio ix.

ET ait illi Jesus: Vide, némini díxeris. Et revéra quid erat necésse ut sermóne jactáret, quod córpore præferébat! Sed vade, osténde te sacerdóti. Várias ob causas mittit eum ad sacerdótem: primùm propter humilitátem, ut sacerdótibus deferre honórem videátur. Erat enim lege præcéptum, ut qui mundáti fúerant à lepra, offérrent múnera sacerdótibus. Deindè, ut mundátum vidéntes leprósum, aut créderent Salvatóri, aut non créderent: si créderent, salvaréntur: si non créderent, inexcusábiles forent. Et simul, ne, quod in eo sæpíssimè criminabántur, legem viderétur infríngere.

Te Deum. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cùm descendísset Jesus de mon-

monte, ecce leprôſus véniens adorâbat eum, dicens: Dómine, ſi vis, potes me mundâre: & extêndens manum, tétigit eum, dicens: Volo, mundâre.

Ad Magnificat, Antiphona. Dómine, ſi vis, potes me mundâre: & ait Jeſus, Volo, mundâre.

## DOMINICA IV.

Quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam.

Oratio.

DEus, qui nos in tantis perículis conſtitûtos, pro humâna ſcis fragilitâte non poſſe ſubſiſtere: da nobis ſalûtem mentis & córporis; ut ea, quæ pro peccâtis noſtris pâtimur, te adjuvânte vincâmus. Per Dóminum noſtrum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap.* 8. *c*

IN illo témpore: Aſcendénte Jeſu in navículam, ſecûti ſunt eum diſcípuli ejus: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navícula operirêtur flúctibus, ipſe verò dormiêbat. Et réliqua.

Homilía ſancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib.* 1. *Comment. in cap.* 8. *Matthæi.*

QUintum ſignum fecit, quando aſcéndens navem de Caphárnaum, ventis imperâvit & mari. Sextum, quando in regiône Geraſenôrum dedit poteſtâtem dæmónibus in porcos. Séptimum, quando ingrédiens civitâtem ſuam, paralyticum ſecundum curâvit in léctulo. Primus enim paralyticus eſt puer Centuriónis.

Léctio viij.

IPſe verò dormiêbat: & accessérunt ad eum, & ſuſcitavérunt eum, dicentes: Dómine, ſalva nos. Hujus ſigni typum in Jona légimus, quando céteris periclitántibus, ipſe secûrus eſt, & dormit, & ſuſcitâtur: & império ac ſacraménto paſſiónis ſuæ líberat ſuſcitántes. Tunc ſurgens imperâvit ventis & mari. Ex hoc loco intellígimus, quòd omnes creatûræ séntiant creatórem. Quas enim increpâvit, & quibus imperâvit, séntiunt imperántem: non errôre hæreticôrum, qui ómnia putant animántia, ſed majeſtâte conditôris, quæ apud nos inſensibília, illi ſensibília ſunt.

Léctio ix.

POrrò hómines miráti ſunt dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obédiunt ei? Non diſcípuli, ſed nautæ, & céteri qui in navi erant, mirabántur. Sin autem quis contentióſè volúerit, eos qui mirabántur, fuiſſe diſcípulos: reſpondébimus, rectè hómines appellâtos, qui necdum nóverant poténtiam Salvatóris.

Te Deum laudâmus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona. Aſcendénte Jeſu in navículam, ecce motus magnus factus eſt in mari: & ſuſcitavérunt eum diſcípuli ejus, dicentes: Dómine, ſalva nos, perímus.

Ad Magnificat, Antiphona. Dómine, ſalva nos, perímus: ímpera, & fac Deus tranquillitâtem.



## DOMINICA V.

Quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam. Oratio.

FAmíliam tuam, quæſumus Dómine, contínua pietâte cuſtódi: ut quæ in ſola ſpe grátiæ cæléſtis innítitur, tua ſemper protectióne muniâtur. Per Dóminum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap.* 13. *c*

IN illo témpore: Dixit Jeſus turbis parábolam hanc: Símile factum eſt regnum cælórum hómini, qui ſeminávit bonum ſemen in agro ſuo. Et réliqua.

Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

*Lib. Quæſt. Evang. in Matth. cap.* 11. *tom.* 4.

CUm negligéntiùs ágerent præpóſiti Eccléſiæ, aut cùm dormitiónem mortis accíperent Apóſtoli, venit diábolus, & ſuperſeminávit eos, quos malos fílios Dóminus interpretâtur. Sed quæritur, utrum hærétici ſint, an malè viventes Cathólici. Poſſunt enim dici fílii mali étiam hærétici, quia ex eódem Evangélii sémine, & Chriſti nómine procreâti, pravis opiniónibus ad falſa dógmata convertúntur.

Léctio viij.

SEd quod dicit eos in médio trítici ſeminâtos, quaſi videntur illi ſignificâri, qui unius communiónis ſunt. Verúmtamen quóniam Dóminus agrum ipſum, non Eccléſiam, ſed hunc mundum interpretâtus eſt: benè intelligúntur hærétici, quia non ſocietâte unius Eccléſiæ, vel unius fídei, ſed ſocietâte ſolius nóminis Chriſtiáni in hoc mundo permiſcéntur bonis. At illi qui in eâdem fide mali ſunt, pálea potiùs quam zizánia reputántur: quia pálea étiam fundaméntum ipſum habet cum fruménto, radicémque commûnem.

Léctio ix.

IN illa planè ſagéna, qua concludúntur & mali & boni piſces, non abſúrdè mali Cathólici intelligúntur. Aliud eſt enim mare, quod magis mundum iſtum ſígnificat: aliud ſagéna, quæ unius fídei, vel unius Eccléſiæ communiónem vidétur oſténdere. Inter hæréticos & malos Cathólicos hoc intereſt, quod

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod hærétici falsa credunt: illi autem vera credéntes, non vivunt ita ut credunt. Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona. Dómine, nónne bonum semen seminásti in agro tuo? Undè ergo habet zizánia? & ait illis: Hoc fecit inimícus homo.

Ad Magnificat, Antiphona. Collígite primùm zizánia, & alligáte ea in fascículos ad comburéndum: tríticum autem congregáte in hórreum meum, dicit Dóminus.

## DOMINICA VI.

Quæ superfuit post Epiphaniam. Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita, & dictis exequámur, & factis. Per Dóminum nostrum.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 13. d*

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 2. Comment. in cap. 13. Matthæi.*

REgnum cælórum, prædicátio Evangélii est, & notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, & de qua dícitur ad Judæos: Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur Genti faciénti fructus ejus. Símile est ergo hujuscemodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo, à plerísque Salvátor intellígitur, quòd in ánimis credéntium séminet: ab áliis ipse homo séminans in agro suo, hoc est in semetípso, & in corde suo.

Lectio viij.

QUis est iste qui séminat, nisi sensus noster & ánimus: qui suscípiens granum prædicatiónis, & fovens seméntem, humóre fídei facit in agro sui péctoris pullulàre? Prædicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplínis. Ad primam quippe doctrínam, fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Christum mórtuum, & scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus Philosophórum, & libris eórum, & splendóri eloquéntiæ, & compositióni sermónum: & vidébis quantò minor sit céteris semínibus seméntis Evangélii.

Lectio ix.

SEd illa cum créverint, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demónstrant: sed totum flaccidum marcidúmque & mollítum, ebúllit in ólera & in herbas, quæ citò aréscunt & córruunt. Hæc autem prædicátio, quæ parva videbátur in princípio, cùm vel in ánima credéntis, vel in toto mundo sata fúerit, non exúrgit in ólera, sed crescit in árborem, ita ut vólucres cæli (quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines, Dei servítio mancipátas, sentíre debémus) véniant & hábitent in ramis ejus. Ramos puto Evangélicæ árboris, quæ de grano sinápis créverit, dógmatum esse diversitátes, in quibus supradictárum vólucrum unaquæque requiéscit. Te Deum laudámus. 17.



Ad Benedictus, Antiphona. Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod mínimum est ómnibus semínibus, cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus.

Ad Magnificat, Antiphona. Símile est regnum cælórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum.

## DOMINICA XXIV.

Ultima Post Pentecósten. Oratio.

EXcita, quæsumus Dómine, tuórum fidélium voluntátes, ut divíni óperis fructum propénsiùs exequéntes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant. Per Dóminum nostrum.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 24. b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cùm vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est à Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto: qui legit, intélligat. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 4. Comm. in c. 24. Matth.*

QUando ad intelligéntiam provocámur, mýsticum monstrátur esse quod dictum est. Légimus autem in Daniéle hoc modo: Et in dimídio hebdómadis auferétur sacrifícium & libámina: & in templo abominátio desolatiónum erit, usque ad consummatiónem témporis, & consummátio dábitur super solitúdinem. De hoc & Apóstolus lóquitur, quòd homo iniquitátis, & adversárius elevándus sit contra omne quod dícitur Deus & cólitur: ita ut áudeat stare in templo Dei, & osténdere quod ipse sit Deus: cujus advéntus, secúndùm operatiónem sátanæ déstruat eos, & ad Dei solitúdinem rédigat, qui se suscéperint.

Lectio viij.

POtest autem simplíciter aut de Antichristo accipi, aut de imágine Cæsaris, quam Pilátus pósuit in templo

quod hæretici falsa credunt: illi autem vera credéntes, non vivunt ita ut credunt. Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona. Dómine, nonne bonum semen seminásti in agro tuo? Unde ergo habet zizánia? & ait illis: Hoc fecit inimicus homo.

Ad Magnificat, Antiphona. Collígite primùm zizánia, & alligáte ea in fascículos ad comburéndum: tríticum autem congregáte in hórreum meum, dicit Dóminus.

## DOMINICA VI.

Quæ superfuit post Epiphaniam. Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita, & dictis exequámur, & factis. Per Dóminum nostrum.

Lectio sancti Evangelii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 13. d*

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 2. Comment. in cap. 13. Matthæi.*

REgnum cælórum, prædicátio Evangélii est, & notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, & de qua dícitur ad Judæos: Auferétur a vobis regnum Dei, & dábitur Genti faciénti fructus ejus. Símile est ergo hujuscémodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo, a plerísque Salvátor intellígitur, quod in ánimis credéntium séminet: ab áliis ipse homo séminans in agro suo, hoc est in semetípso, & in corde suo.

Lectio viij.

QUis est iste qui séminat, nisi sensus noster & ánimus: qui suscípiens granum prædicatiónis, & fovens seméntem, humóre fídei facit in agro sui péctoris pullulare? Prædicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplínis. Ad primam quippe doctrínam, fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Christum mórtuum, & scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus Philosophórum, & libris eórum, & splendóri eloquéntiæ, & compositióni sermónum: & vidébis quantò minor sit céteris semínibus seméntis Evangélii.

Lectio ix.

SEd illa cum créverint, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demónstrant: sed totum flaccídum marcidúmque & mollítum, ebúllit in ólera & in herbas, quæ



quæ citò aréscunt & córruunt. Hæc autem prædicátio, quæ parva videbátur in princípio, cùm vel in ánima credéntis, vel in toto mundo sata fúerit, non exúrgit in ólera, sed crescit in árborem, ita ut vólucres cæli (quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines, Dei servítio mancipátas, sentíre debémus) véniant & hábitent in ramis ejus. Ramos puto Evangélicæ arbóris, quæ de grano sinápis créverit, dógmatum esse diversitátes, in quibus supradictárum vólucrum unaquæque requiéscit.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona. Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod mínimum est ómnibus semínibus, cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus.

Ad Magnificat, Antiphona. Símile est regnum cælórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum.

## DOMINICA XXIV.

Ultima Post Pentecosten. Oratio.

EXcita, quæsumus Dómine, tuórum fidélium voluntátes, ut divíni óperis fructum propénsiùs exequéntes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant. Per Dóminum nostrum.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 24. b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est à Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto: qui legit, intélligat. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 4. Comm. in c. 24. Matth.*

QUando ad intelligéntiam provocámur, mysticum monstrátur esse quod dictum est. Légimus autem in Daniéle hoc modo: Et in dimídio hebdómadis auferétur sacrifícium & libámina: & in templo abominátio desolatiónum erit, usque ad consummatiónem témporis, & consummátio dábitur super solitúdinem. De hoc & Apóstolus lóquitur, quod homo iniquitátis, & adversárius elevándus sit contra omne quod dícitur Deus & cólitur: ita ut áudeat stare in templo Dei, & osténdere quod ipse sit Deus: cujus advéntus, secúndum operatiónem sátanæ déstruat eos, & ad Dei solitúdinem rédigat, qui se suscéperint.

Lectio viij.

POtest autem simplíciter aut de Antichristo accípi, aut de imágine Cæsaris, quam Pilátus pósuit in templo

plo, aut de Adriáni equéstri státua, quæ in ipso sancto sanctórum loco usque in præséntem diem stetit. Abominátio quoque secúndum véterem scriptúram idólum nuncupátur: & idcirco additur, desolatiónis, quod in desoláto templo atque destrúcto idólum pósitum sit.

Lectio ix.

Abominátio desolatiónis intélligi potest & omne dogma perversum: quod cùm viderimus stare in loco sancto, hoc est in Ecclésia, & se osténdere Deum, debémus fúgere de Judæa ad montes, hoc est, dimissa occidénte littera, & Judáica pravitáte, appropinquáre móntibus ætérnis, de quibus illúminat mirabíliter Deus: & esse in tecto, & in dómate, quò non possint ignita diáboli jácula pervenire, nec descéndere & tóllere áliquid de domo conversatiónis pristínæ, nec quærere quæ retrórsum sunt: sed magis sérere in agro spirituálium scripturárum, ut fructus capiámus ex eo: nec tóllere álteram túnicam, quam Apóstoli habére prohibéntur.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona. Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est à Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto, qui legit, intélligat.

Ad Magnificat, Antiphona. Amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant: cælum & terra transíbunt, verba autem mea non transíbunt, dicit Dóminus.





# PROPRIUM SANCTORUM.

## PARS AUTUMNALIS.

### DIE XXIX. AUGUSTI.

In Decollatióne S. Joánnis Baptístæ. Duplex.

Capitulum. *Jacobi 1. b*

Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus. Deus tuórum mílitum, ut in Communi Mártyris. xxij. ℣. Glória & honóre.

Ad Magnificat, Antiphona. Misso Heródes spiculatóre, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere: quo audíto, discípuli ejus venérunt, & tulérunt corpus ejus, & posuérunt illud in monuménto.

Orátio.

Sancti Joánnis Baptístæ, præcursóris & mártyris tui, quæsumus Dómine, veneránda festívitas, salutáris auxílii nobis præstet efféctum. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Deinde fit Commemoratio S. Augustini, Antiphona. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Augustíne, divínæ legis amátor deprecáre pro nobis Fílium Dei. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Orátio.

Adésto supplicatiónibus nostris omnípotens Deus, & quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges: intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum.

Postea S. Sabinæ mártyris Antiph. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, & comparávit eam. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, & regna.

Orátio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti: concéde propítius; ut qui beátæ Sabínæ mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

plo, aut de Adriáni equéstri státua, quæ in ipso sancto sanctòrum loco usque in præséntem diem stetit. Abominátio quoque secúndum véterem scriptúram idòlum nuncupátur: & idcirco ádditur, desolatiónis, quod in desoláto templo atque destrúcto idòlum pósitum sit.

Lectio ix.

ABominátio desolatiónis intélligi potest & omne dogma perversum: quod cùm viderímus stare in loco sancto, hoc est in Ecclésia, & se osténdere Deum, debêmus fúgere de Judæa ad montes, hoc est, dimissa occidénte líttera, & Judáica pravitáte, appropinquáre móntibus ætérnis, de quibus illúminat mirabíliter Deus: & esse in tecto, & in dómate, quò non possint ignita diáboli jácula pervenire, nec descéndere & tóllere áliquid de domo conversatiónis pristínæ, nec quærere quæ retrórsum sunt: sed magis sérere in agro spirituálium scripturárum, ut fructus capiámus ex eo: nec tóllere álteram túnicam, quam Apóstoli habére prohibéntur.

Te Deum laudâmus. 17.

Ad Benedíctus, Antiphona. Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est à Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto, qui legit, intélligat.

Ad Magníficat, Antiphona. Amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant: cælum & terra transíbunt, verba autem mea non transíbunt, dicit Dóminus.

PRO-



# PROPRIUM SANCTORUM.

## PARS AUTUMNALIS.

DIE XXIX. AUGUSTI.

In Decollatióne S. Joánnis Baptístæ. Duplex.

Capítulum. *Jacobi 1. b*

BEátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus. Deus tuórum mílitum, ut in Commúni Mártyris. xxij. ℣. Glória & honóre.

Ad Magníficat, Antiphona. Misso Heródes spiculatóre, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere: quo audíto, discípuli ejus venérunt, & tulérunt corpus ejus, & posuérunt illud in monuménto.

Orátio.

SAncti Joánnis Baptístæ, præcursóris & mártyris tui, quæsumus Dómine, veneránda festívitas, salutáris auxílii nobis præstet efféctum. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Deinde fit Commemorátio S. Augustíni, Antiphona. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Augustíne, divínæ legis amátor deprecáre pro nobis Fílium Dei. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Orátio.

ADésto supplicatiónibus nostris omnípotens Deus, & quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges: intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum.

Póstea S. Sabínæ mártyris Antiph. Símile est regnum cælòrum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, & comparávit eam. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Orátio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ Sabínæ mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad Matutinum, Invitatórium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi & Versiculi Nocturnórum dicúntur de Communi unius Martyris. xiiij.

In primo Nocturno.

Incipit Jeremías Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

VErba Jeremiæ filii Helciæ, de sacerdótibus, qui fuérunt in Anathoth, in Terra Benjamin. Quod factum est verbum Dómini ad eum in diébus Josiæ filii Amon regis Juda, in tertiodécimo anno regni ejus, & factum est in diébus Jóakim filii Josiæ regis Juda, usque ad consummatiónem undécimi anni Sedeciæ filii Josiæ regis Juda, usque ad transmigratiónem Jerúsalem, in mense quinto. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens: Priúsquam te formárem in útero, novi te, & ántequam exíres de vulva sanctificávi te, & Prophétam in géntibus dedi te.

℟. Misit Heródes rex manus, ac ténuit Joánnem, & vinxit eum in cárcere, quia metuébat eum, propter Herodíadem, * Quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem. ℣. Arguébat Heródem Joánnes propter Herodíadem. Quam.

Lectio ij.

ET dixit, A a a, Dómine Deus, ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me, noli dícere: Puer sum, quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis, & univérsa, quæcúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas à fácie eórum: quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, & tétigit os meum: & dixit Dóminus ad me, Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constítui te hódie super Gentes, & super regna, ut evéllas, & déstruas, & dispérdas, & díssipes, & ædífices, & plantes.

℟. Joánnes Baptísta arguébat Heródem, * Propter Herodíadem, quam túlerat fratri suo viventi uxórem. ℣. Misso Heródes spiculatóre, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere. Propter.

Lectio iij.

TU ergo accinge lumbos tuos, & surge, & lóquere ad eos ómnia quæ ego præcípio tibi. Ne formídes à fácie eórum: nec enim timére te fáciam vultum eórum. Ego quippè dedi te hódie in civitátem munítam, & in colúmnam férream, & in murum æreum, super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, & sacerdótibus, & pópulo terræ. Et bellábunt advérsum te, & non prævalébunt: quia ego tecum sum ait Dóminus, ut líberem te.

℟.



℟. Puéllæ saltánti imperávit mater: * Nihil áliud petas, nisi caput Joánnis, * Et constristátus est rex propter jusjurándum, & propter simul discumbéntes. ℣. Ait puélla matri suæ: Quid petam? at illa ait. Nihil. Glória Patri. Et constristátus.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus.

Lectio iv. *Lib. 3. post. init.*

QUóniam beáti Joánnis Baptístæ non strictim prætereúnda est recordátio, interest, ut quis, & à quibus, & quam ob causam, quo modo, & quo témpore sit occísus, advértere debeámus. Ab adúlteris justus occíditur, & à reis in júdicem capitális scéleris pœna convértitur. Deindè præmium saltatrícis, mors est Prophétæ. Postremò (quod étiam omnes bárbari horrére consuevérunt) inter épulas atque convívia consummándæ crudelitátis profértur edíctum: & à convívio ad cárcerem, de cárcere ad convívium ferális flagítii circumfértur obséquium. Quanta in uno facínore sunt crímina!

℟. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et.

Lectio v.

QUis non, cùm è convívio ad cárcerem cursári vidéret, putáret Prophétam jussum esse dimítti? Quis, inquam, cùm audísset natálem esse Heródis, solémne convívium, puéllæ optiónem eligéndi quod vellet datam, missum ad Joánnem ob solutiónem non arbitrarétur? Quid crudelitáti cum delíciis? quid cum funéribus voluptáti? Rápitur ad pœnam Prophéta conviváli témpore, conviváli præcépto, quo non cúperet vel absólvi: perímitur gládio, caput ejus affértur in disco. Hoc crudelitáti férculum debebátur, quo insatiáta épulis féritas vescerétur.

℟. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília magna, & exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Et.

Lectio vj.

INtuére rex acerbíssime, tuo spectácula digna convívio. Pórrige déxteram, ne quid sævítiæ tuæ desit, ut inter dígitos tuos rivi defluant sacri cruóris. Et quóniam non exsaturíri épulis fames, non restíngui póculis pótuit inaudítæ sævítiæ sitis: bibe sánguinem scaturiéntibus adhuc venis exsécti cápitis profluéntem. Cerne óculos

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

los in ipsa morte scéleris tui testes, aversántes conspéctum deliciárum. Claudántur lúmina non tam mortis necessitáte, quàm horróre luxúriæ. Os aureum illud exángue, cujus senténtiam ferre non póteras, conticéscit, & adhuc timêtur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit. Glória Patri. Et.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Léctio vij. *Cap. 6. c*

IN illo témpore: Misit Heródes, ac ténuit Joánnem, & vinxit eum in cárcere, propter Herodíadem uxórem Philíppi fratris sui, quia dúxerat eam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm. 10. in novis Sermónib.*

CUm sanctum Evangélium legerêtur, crudéle spectáculum ante óculos nostros constitútum est: caput sancti Joánnis in disco, ferális míssus crudelitátis propter ódium veritátis. Puélla saltat, & sævit mater: & inter lascívias & delícias conviväntium temerè jurâtur, & impiè quod jurâtur implêtur. Factum est Joánni quod ipse prædíxerat. De Dómino enim Jesu Christo díxerat: Illum opórtet créscere, me autem minúi. Iste minûtus est in cápite, Ille crevit in cruce. Odium péperit véritas. Non pótuit æquo ánimo tolerári, quod homo Dei sanctus monébat: qui útique salútem eórum quærébat, quos sic monébat. Respondérunt illi mala pro bonis.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Léctio viij.

QUid enim ille díceret, nisi quo plenus erat? Et quid illi respondérent, nisi quo pleni erant? Ille tríticum seminávit, sed spinas invênit. Dicébat regi: Non licet tibi habêre uxórem fratris tui. Vincébat enim regem libido: tenébat apud se prohibítam uxórem fratris sui. Sed eum tamen sic libébat, ut non sæviret. Honorábat eum, à quo verum audiébat: sed múlier detestábilis ódium concipiébat, quod aliquándo dato témpore pareret. Quando autem parturiébat, péperit fíliam, fíliam saltántem.





℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

Pro Sancta Sabina mártyre.

Léctio ix.

SAbína múlier Románа, Valentíni viri clarissimi uxor, à Seraphía vírgine Christianæ fidei præcéptis institúta, post sanctæ vírginis martyrium colléctas ejus relíquias piis exéquiis sepelívit. Quæ propter eam causam paulo post Adriáno Imperatóre comprehénsa, Elpídio júdici sístitur. Cui is: Tu ne illa Sabína, & génere & matrimónio nobilíssima? At illa: Sum, inquit: sed Dómino meo Jesu Christo grátias ago, qui me intercessióne Seraphíæ fámulæ suæ è dæmonum potestáte liberávit. Quam váriè tentátam, ut propósitum mutáret, cùm à fidei constántia movêre non posset, Præféctus, pronuntiáta senténtia quòd deos contémneret, cápitis damnávit. Ejus corpus à Christiánis in eódem sepúlchro cónditum est, in quo ipsa magístram fidei suæ Seraphíam posúerat.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES, & per Horas, Antiphona.

HEródes enim ténuit & ligávit Joánnem, & pósuit in cárcerem propter Herodíadem. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

Antiphona. Dómine mi rex, da mihi in disco caput Joánnis Baptístæ. Antiphona. Puéllæ saltánti imperávit mater, nihil áliud petas nisi caput Joánnis. Antiphona. Arguébat Heródem Joánnes propter Herodíadem, quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem. Antiphona. Da mihi in disco caput Joánnis Baptístæ: & contristátus est rex propter jusjurándum.

Capitulum. Beátus vir.

Hymnus Invícte. xxxiij.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Benedictus, Antiphona. Misso Heródes spiculatóre præcépit amputári caput Joánnis in cárcere: quo audíto, discípuli ejus venérunt, & tulérunt corpus ejus, & posuérunt illud in monuménto.

Orátio. Sancti Joánnis Baptístæ, ut supra. 331.

Pro Commemoratione S. Sabínæ, Antiphona. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio. Deus, qui inter cétera, ut supra. 135.

Ad Tertiam, Antiphona. Dómine mi rex. Capitulum. Beátus vir, ut supra. ℟. breve. Glória & honóre, * Coronásti eum Dómine. Glória & honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória & honóre. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Sextam, Antiphona. Puellæ saltánti.

Capitulum. *Eccli. 15.*

Cibávit illum pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum Dóminus Deus noster.

℟. breve. Posuísti Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Ad Nonam, Antiphona. Da mihi in disco.

Capitulum. *Eccli. 39.*

Justus cor suum tradidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, & in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. breve. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória Patri. Magna. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Vesperas, Antiphona. Heródes enim, cum reliquis de Láudibus. 335. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Domínica, 133. & loco ultimi, Psalm. Crédidi. 137.

Vesperæ à Capitulo de sequenti, Comm. præcedentis.

## DIE XXX. AUGUSTI.

In festo S. Rosæ à S. Maria virginis Limanæ.

Duplex.

Omnia de Commúni Virginum. xc. præter sequentia.

Orátio.

Bonórum ómnium largítor omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cæléstis grátiæ rore præveniéntam, virginitátis & patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti: da nobis fámulis tuis; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Qui tecum vivit.

Et fit Comm. Decollatiónis S. Joánnis Baptistæ. Antiphona. Misit Rex incrédulus minístros detestábiles, & amputári jussit caput Joánnis Baptistæ.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orátio. Sancti Joánnis Baptistæ, ut supra, 331.

Deinde Commem. sanctor. Felicis, & Adaucti Martyr.

Antiphona. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad prǽmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orátio.

Majestátem tuam Dómine súpplices exorámus, ut sicut nos júgiter Sanctórum tuórum commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne deféndas. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In ii. Noctúrno. Lectio iv.

Primus Américæ Meridionális flos sanctitátis virgo Rosa, Christiánis paréntibus Limæ progénita, mox ab incunábulis cláruit futúræ sanctimóniæ indíciis: nam vultus infántis mirabíliter in rosæ effígiem transfigurátus, huic nómini occasiónem dedit: cui póstea virgo Deípara cognómen adjécit, jubens vocári deinceps Rosam à sancta María. Quinquénnis votum perpétuæ virginitátis emísit. Adúltior, ne à paréntibus ad núptias cogerétur, clàm sibimet venustíssimam cápitis cæsáriem præscidit. Jejúniis supra humánum modum addicta, integras Quadragésimas transégit pane abstinens, ac diétim solis quinque granulis mali citrini victitans.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et.

Lectio v.

Hábitu Tértii Ordinis sancti Domínici assúmpto, prístinas vitæ austeritátes duplicávit: oblóngo asperrimóque cilício sparsim minúsculas acus innéxuit: sub velo corónam densis acúleis intrórsus obarmátam intérdiu noctúque gestávit. Sanctæ Catharínæ Senénsis árdua premens vestígia, caténa férrea, tríplici nexu circumdúcta, lumbos cinxit. Léctulum sibi è truncis nodósis compósuit, horúmque vácuas commissúras fragmínibus testárum implévit. Céllulam sibi angustíssimam struxit in extrémo horti ángulo, ubi cæléstium contemplatióni dédita, crebris disciplínis, inédia, vigíliis corpúsculum exténuans, at spíritu vegetáta, larvas dæmonum, frequénti certámine victrix, impávidè protrívit, ac superávit.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter ve-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

ritátem, & mansuetúdinem, & justitiam. Propterea.

Lectio vj.

ÆGritúdinum torméntis, domesticórum insúltibus, linguárum mórsibus dirè agitáta, nondum satis pro mérito se affligi querebátur. Per quíndecim annos ad plúsculas horas desolatióne spíritus, & ariditáte misérrimè contabéscens, forti ánimo tulit agónes omni morte amarióres. Exindè cœpit supérnis abundáre delíciis, illustrári visiónibus, colliquéscere Seráphicis ardóribus. Angelo tutelári, sanctæ Catharínæ Senénsi, Vírgini Deíparæ inter assíduas apparitiónes mirè familiáris, a Christo has voces audíre méruit: Rosa cordis mei tu mihi sponsa esto. Deníque Sponsi hujus Paradíso felíciter invéctam, plurimísque ante & post óbitum miráculis coruscam, Clemens Décimus Póntifex Máximus sanctárum Vírginum catálogo ritu solémni adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno Homilía S. Gregórii Papæ in Evangélium. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, de Commúni Vírginum ciij.

Pro SS. Martýribus Felice & Adaúcto.

Lectio ix.

FElix, Diocletiáno & Maximiáno Imperatóribus, propter suscéptam Christi religiónem comprehénsus, in Serápidis templum addúctus est. Cui sacrificáre cùm juberétur, os simulácri cónspuit. Quo facto, statim ærea státua córruit. Quod cùm iterum ac tertio in æde Mercúrii, Dianǽque factum esset, impietátis, & mágicæ artis accusátus, equúleo torquétur. Mox ad secúndum ab Urbe lápidem via Ostiénsi dúcitur, ut secúri feriétur. Cui inter viam oblátus quidam Christiánus, cùm Felícem agnóscens ad Martýrium duci vidéret: Ego quoque, clara voce inquit, eádem, qua iste, lege vivo: ego eúmdem Jesum Christum colo. Itaque Felícem osculátus, cum eo secúri percútitur, tértio Kaléndas Septémbris: cujus nomen cum ignótum esset Christiánis, is Adaúcti nómine nobilitátus est, quod sancto mártyri Felíci adaúctus sit ad corónam.

Te Deum laudámus. 17.

In Láudibus fit Commemorátio SS. Felícis, &c. Mártyrum.

Vésperæ à Capítulo de sequénti.

DIE



## DIE XXXI. AUGUSTI.

In festo sancti Raymúndi Nonnáti Confessóris.

Duplex.

Omnia de Commúni Confessóris non Pontíficis lxxiij. præter ea, quæ sequúntur.

In Hymno. Iste Conféssor, mutatur tertius Versus.

Orátio.

DEus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte, beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti: ejus nobis intercessióne concéde, ut à peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exequámur. Per Dóminum nostrum.

Fit Commemorátio præcedéntis.

Lectiónes primi Nocturni: Beátus vir, qui invéntus est, de in Commúni Confessóris non Pontíficis. lxxxv.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

RAymúndus, Nonnátus cognoménto dictus, quia præter commúnem natúræ legem è mórtuæ matris dissécto látere in lucem edúctus fuit, Portelli in Catalónia piis & nobílibus paréntibus ortus, ab ipsa infántia futúræ sanctitátis indícia dedit. Nam puerília oblectaménta, mundíque illécebras réspuens, ita pietáti óperam dabat, ut omnes in púero adúltam virtútem admiraréntur. Crescénte verò ætáte, litterárum stúdiis incúbuit: sed mox jubénte patre vitam ruri agens, sacéllum sancti Nicolái in Portelli fínibus situm crebrò adíbat, ut sacram Deíparæ imáginem, quæ in eo summa fidélium veneratióne étiam nunc cólitur, visitáret. Ibi effúsus in preces, ipsam Dei paréntem, ut se in fílium adoptáret, viámque salútis, ac sciéntiam Sanctórum edocére dignarétur, enixè deprecabátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

NEc défuit votis ejus benigníssima Virgo: ab ipsa enim intelléxit, gratíssimum sibi fore, si Religiónem, sub título de Mercéde, seu de Misericórdia Redemptiónis Captivórum, ea suggerénte nuper fundátam, ingrederétur. Qua monitióne percépta, Barchinónam statim proféctus, illud tam præcelléntis erga próximum charitátis institútum ampléxus est. Regulári ígitur milítiæ adscríptus virginitátem, quam pridem

beatæ Virgini consecráverat, perpétuò cóluit, ceterisque virtútibus enituit, charitàte præsértim erga Christiànos, qui sub potestàte Paganòrum miseram in captivitàte vitam degébant. Hos ut redímeret, in Africam missus, cùm jam multos à servitûte liberásset, ne, consúmpta pecúnia, áliis item in próximo abnegándæ fidei discrímine constitùtis deésset, seípsum pignori dedit; sed cùm ardentissimo salûtis animàrum desidério succénsus, plures Mahometános suis conciónibus ad Christum convérteret, in arctam custódiam à bárbaris conjéctus, variisque supplíciis cruciâtus: mox làbiis perforàtis, & sera férrea clausis, crudêle martyrium diu sustinuit.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum: stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornâvit eum. Et ad.

Lectio vj.

OB hæc & ália fórtiter gesta, sanctitàtis ejus fama longè latèque diffùsa est: qua permôtus Gregórius Nonus, in amplissimum sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálium collégium Raymúndum adscripsit: sed vir Dei in ea dignitàte ab omni pompa abhórrens, religiósæ humilitàtis tenacissimus semper fuit. Romam verò pergens, statim ac Cardônam pervênit, extrêmo morbo conféctus, Ecclesiásticis Sacraméntis muniri summis précibus postulâvit. Cùmque morbus ingravésceret, & sacérdos diútiùs tardâret, Angelòrum ministério, sub spécie Religiosórum sui Ordinis apparéntium, salutári viático reféctus fuit. Quo sumpto, & gràtiis Deo peráctis, migrâvit ad Dóminum Dominica última Augústi, anno millésimo ducentésimo quadragésimo. Mórtui corpus, cùm circa locum sepultúræ conténtio orta esset, arcæ inclûsum, & mulæ cæcæ impósitum, ad sacellum sancti Nicolài Dei nutu delâtum fuit, ut ibi tumularêtur, ubi prima jécerat sanctióris vitæ fundamenta. Illic constrúcto sui Ordinis Cœnóbio, à confluéntibus voti causa ex univérsa Catalónia fidélibus pópulis honoràtur, váriis miráculis & signis gloriósus.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locùtus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervênit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.





In tértio Noctúrno Homília sancti Gregórii Papæ in Evangelium Sint lumbi vestri præcincti, ut in Commúni Confessóris non Pontíficis. lxxxij.

In secúndis Vésperis fit Commemorátio sequéntis.

## FESTA SEPTEMBRIS.

Prima die non impedita dícitur Officium Defunctórum. clxxiij.

## DIE I. SEPTEMBRIS.

Sancti Ægídij Abbàtis.

Oràtio.

INtercéssio nos, quæsumus Dómine, beati Ægídii Abbàtis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequâmur. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemorátio sanctórum Duódecim fratrum Mártyrum, Antiphona. Istórum est enim. ℣. Lætámini in Dómino, ut suprà. 337.

Oràtio.

FRatérna nos Dómine Mártyrum tuórum coróna lætíficet: quæ & fidei nostræ præbeat increménta virtútum, & multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Lectio iij.

ÆGidius Atheniénsis, régiæ stirpis, à prima ætàte divinis litteris, & charitàtis offíciis ita dédicus fuit, ut nihil prætéreà curàre viderêtur. Itaque paréntibus mórtuis, totum patrimónium in páuperes erogâvit: quin étiam túnicam éxuit, ut ægrôtum egéntem tégeret: qua ille indûtus statim convàluit. Sed multis deinceps clárior miráculis, timens sui nóminis celebritâtem, Arelâtem ad beâtum Cæsárium conténdit: à quo post biénnium discédens, secéssit in erêmum: ubi diútiùs herbârum radícibus, & cervæ lacte, quæ statis ad eum horis veniêbat, admirábili sanctitàte vixit. Quæ cerva, insequéntibus quodam die cánibus régiis, cùm in antrum Ægídii refugisset, Gálliæ regem impulit, ut ab eo summis précibus péteret, ut in loco spelúncæ monastérium extrui paterêtur. Cujus administratiònem, flagitánte rege, invitus suscêpit: eóque múnere áliquot annis prudénter piéque gesto, migrâvit in cælum.

Te Deum laudámus. 17.

In Láudibus fit Commemorátio sanctórum Duódecim Fratrum Mártyrum, Antiphona. Vestri capilli cápitis omnes numerati sunt: nolite timêre: multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exultàbunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis. Oràtio. Fratérna nos, ut suprà 341.

## DIE II. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Stephani Hungariæ Regis Confessóris.

Semidúplex.

Omnia de Communi Confessóris non Pontíficis, lxxiij. præter ea, quæ hic habentur.

In Hymno, Iste Confessor, dicátur: Hac die lætus méruit suprémos Laudis honóres.

### Orátio.

CОncéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ omnípotens Deus: ut beátum Stephanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptura occurrente.

In secundo Noctúrno.

### Lectio iv.

STéphanus in Hungáriam Christi fidem, & regium nomen invexit, regia coróna à Románo Pontífice impetráta, ejúsque jussu in Regem inúnctus, regnum Sedi Apostólicæ óbtulit, vária pietátis domicília Romæ, Jerosólymis, Constantinópoli: in Hungária Archiepiscopátum Strigoniénsem, Episcopátus decem, admirábili religióne, & munificéntia fundávit. Par in páuperes amor, & liberálitas: quos véluti Christum ipsum compléctens, néminem à se mœréntem, ac vácuum umquam dimísit: quin ad eórum inópiam sublevándam amplíssimis facultátibus erogátis, doméstica quoque supelléctilem exímia benignitáte frequénter distríbuit: suis ínsuper mánibus laváre páuperum pedes, noctu solus, & ignótus nosocómia frequentáre, decumbéntibus inservíre, ac cétera charitátis officia exhibére consuévit: quarum virtútum mérito illius déxtera, resolúto cétero córpore, incorrúpta permánsit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

### Lectio v.

ORandi stúdio noctes pené totas ducébat insomnes, atque in cæléstium rerum contemplatióne defíxus, interdum extra sensus raptus, sublímis in áëre ferri visus fuit. Perduéllium conspiratiónes, ac validórum hóstium ímpetus, miro prorsus modo, non semel oratiónis præsídio evitávit. Suscéptum ex Ghisélla Bavárica sancti Henríci Imperatóris soróre, quam sibi matrimónio junxerat, Eméricum fílium, tanta morum disciplína, talíque pietáte erudívit, quantum ejus póstea sanctitas declarávit. Regni veró negótia ita dispósuit, ut accítis úndique prudentíssimis ac sanctíssimis viris, nihil umquam sine illórum consílio molirétur. Humíllimis intérim précibus in cínere, & cilício Deum deprecans, ut universum Hungáriæ regnum, ántequam è vita migráret, Cathólicum vidére mererétur. Veré propter ingens dilatándæ fídei stúdium, illius gentis Apóstolus nuncupátus, facta à Románo Pontífice ipsi, posterísque Régibus præferéndæ Crucis potestáte.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad.

### Lectio vj.

DEi Genitrícem, quam ardentíssimè venerabátur, amplíssimo in ejus honórem constrúcto templo, Hungáriæ Patrónam instítuit; ab eádem vicíssim Vírgine recéptus in cælum ipso suæ Assumptiónis die, quem Húngari è sancti Regis institúto Magnæ Dóminæ diem appéllant. Sacrum ejus corpus suavíssimo fragrans odóre, liquóre cælésti scatens, inter multa & vária mirácula, Románi Pontíficis jussu, nobiliórem in locum translátum est, atque honorificéntiùs cónditum. Ejus autem Festum Innocéntius Undécimus Póntifex Máximus quarto Nonas Septembris, ob insígnem victóriam ab exércitu Leopóldi Primi Romanórum elécti Imperatóris, & Hungáriæ Regis eádem die in Budæ expugnatióne, ope Divína, è Turcis reportátam, celebrándum instítuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

### Lectio vij. *Cap. 19. d.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum & revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. 8. in Luc. 12.*

BOnus ordo, ut vocatúrus Gentes, & Judæos jussúrus interfíci, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret comparatiónem, ne dicerétur: Nihil déderat pópulo Ju-

Judæórum, undè póterat mélior fieri: ut quid ab eo, qui nihil recépit, exigitur? Non mediocris ista est mna, quam supra múlier Evangélica, quia non invênit, lucérnam accéndit, límine quærit admóto, gratulâtur inventam.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudâvit Dóminum: *Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viij.

DEnique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortassè iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus: ille duplícia, id est, mystica legis, & morália probitátis. Unde & Matthæus quinque talénta, & duo talénta pósuit. In quinque taléntis, ut sint morália: in duóbus utrúmque, mysticum atque morále. Ita quod número inferiùs, re ubériùs.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: *Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

ET hic póssumus decem mnas, decem verba intellígere, id est, Legis doctrínam; quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legis perítum in ómnibus volo esse perfectum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Benè autem quia de Judæis dicit, duo soli multiplicâtam pecúniam déferunt, non útique æris, sed dispensatiônis usúris. Alia est enim pecúniæ fœnebris, ália doctrínæ cæléstis usúra. Te Deum laudámus. 17.

## DIE V. SEPTEMBRIS.

In festo S. Laurent. Justinián. Episcopi & Confessóris. Semiduplex.

Omnia de Commúni Confessóris Pontíficis, liij. præter ea, quæ sequúntur própria.

In Hymno ad Vésperas & Matutinum dicâtur: Hac die lætus méruit suprémos Laudis honóres.

Orátio.

DA, quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis veneranda solémnitas, & devotiónem nobis áugeat & salútem. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrente.

In ij. Noctúrno. Lectio iv.

LAuréntius ex illústri Justinianórum família Venétiis natus, exímiam vel puer morum gravitâtem præ se tulit. Exácta inter pietátis offícia adolescéntia ad castum Verbi & ánimæ connúbium à divína Sapiéntia invitátus, de religiósæ vitæ institúto capesséndo deliberâre cœpit. Novæ itaque milítiæ clam prolúdens, præter álias córporis afflictatiónes, super nudos cubâbat asseres, sedénsque velut árbiter hinc inter sæculi blandiménta, paratásque à matre núptias, illinc claustráles inter austeritátes, óculis in Christi patiéntis crucem convérsis, Tu (inquit) es Dómine spes mea, ibi posuísti certíssimum refúgium tuum; ad Canonicórum sancti Geórgii in Alga Congregatiónem convolávit: ubi novis excogitâtis cruciátibus ácriùs in seipsum, véluti in hostem infensíssimum, instáurans bellum, nullam adeò sibi oblectatiónem indulgêbat, ut ne in doméstícum unquam hortum, nec in patérnam quidem domum, nisi cùm moriénti matri extrêma pietátis offícia siccis óculis persólvit, exindè intráverit. Par erat obediéntiæ, mansuetúdinis, ac præcipuè humilitátis stúdium, cùm abjectíssima quæque cœnóbii múnia sibi ultrò desúmeret, celebérrima per urbis loca, non tam victum, quàm ludíbria emendicáret, illatásque contumélias ac calúmnias immôtus ac silens perferret; assíduæ præsértim oratiônis subsídio, qua sæpè per mentis excéssum rapiebâtur in Deum, tantóque cor ejus æstuábat ardôre, ut nutantes étiam Sodales ad perseverántiam, ac Jesu Christi amôrem inflammáret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: *Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitâtis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

AB Eugénio Quarto Pátriæ Episcopus designâtus, quem magna contentiône honorem detrectáverat, majóri gessit cum laude: nam consuéta vivéndi ratiône nihil ádmodùm immutáta, paupertátem, quam semper colúerat, in mensa, supelléctili, ac lecto, perpetuò retinuit: módicam domi alêbat famíliam, quòd grandem álteram sibi esse díceret, páuperes Christi significans. Quacúmque adirêtur hora, præsto ómnibus erat, patérna omnes charitáte allevâbat, non rénuens, vel ære se aliêno graváre, dum illórum ne inópiæ deésset; rogátus qua spe id fáceret? Dómini mei,

qui pro me dissólvere facilè póterit, respondébat. Spem autem non confúndere divína providéntia submissus insopinátò subsidiis júgiter declarábat. Plura Virginum Monastéria construxit, quas étiam ad perfectióris vitæ ratiónem sua vigilántia compósuit. Matrónis à sæculi pompis, & ornátus vanitáte revocándis, Ecclesiásticæ disciplinæ, ac móribus reformándis, maximópere stúduit: dignus sanè qui ab eódem Eugénio glória & decus Præsulum coram Cardinálibus vocitarétur, & qui à Nicoláo Quinto ejus successóre, transláto è Gradénsi civitáte título, primus Venetiárum Patriárcha renunciarétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vj.

Ærymnárum dono insignítus, omnipoténti Deo placatiónis hóstiam quotídiè offerébat: quod cùm aliquándo nocte Domínicæ Nativitátis perágeret, Christum Jesum sub pulchérrimi infántis spécie vidére prómeruit; tantúmque in eo erat commíssi gregis præsídium, ut cælitùs aliquándo accéptum fúerit, Pontíficis sui intercessióne, ac méritis stetísse Rempúblicam. Prophetíæ spíritu afflátus, plura humánæ cognitióni prorsùs impérvia prædixit: morbos ac dæmones suis précibus sæpè fugávit: libros étiam cæléstem doctrínam ac pietátem spirántes, grammáticæ penè rudis, conscripsit. Denique dum lethálem incidísset in morbum, & commodiórem doméstici lectum seni, atque ægro paráre, aversátus ejúsmodi delícias, tamquam à durissima moriéntis Dómini sui cruce plus nímio abhorréntes, consuéto in stramíne se jussit depóni; & finem vitæ suæ adventáre prænóscens, sublátis in cælum óculis, Vénio (inquit) ad te, ò bone Jesu, ac die octáva Januárii obdormívit in Dómino. Pretiósam ejus mortem testáti sunt Angélici concéntus à Carthusiánis quibúsdam Mónachis audíti, & sacrum cadáver per duos ultrà menses inhumátum, suávi fragrans odóre, & rubescénte fácie intégrum atque incorrúptum, ac nova post mortem patráta mirácula: quibus permótus Alexánder Octávus Póntifex Máximus eum in Sanctórum número adscrípsit; Innocéntius verò Duodécimus quintam Septembris diem, qua vir sanctus ad Pontifíciam primò Cáthedram fúerat evéctus, celebrándo illíus Festo assignávit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium. Homo peregrè proficíscens, de Communi Confessoris Pontificis. lxij.



## DIE VIII. SEPTEMB.

## IN NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. Nativitas gloriósæ, cum réliquis de Laudibus. 351. Psalmi consueti de sancta Maria, ut in Officio parvo. cliij.

Capitulum. Ab initio.

Hymnus. Ave maris stella.

℣. Nativitas est hódiè sanctæ Maríæ vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnificat, Antiphona. Gloriósæ vírginis Maríæ ortum digníssimum recolámus, quæ & genitrícis dignitátem obtínuit, & virginálem pudicítiam non amísit.

Oratio.

Fámulis tuis, quǽsumus Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatórium. Nativitátem vírginis Maríæ celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum. Psalmus, Venite exultémus. 2. Hymnus. Quem terra. Antiphonæ & Psalmi Nocturnorum, ut in ejus Officio parvo. clvij.

In primo Nocturno.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Incipiunt Cántica Canticórum.

Lectio j. *Cap. 1.*

Osculétur me ósculo oris sui: quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum, ideò adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me Rex in cellária sua: exultábimus & lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum: recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. Hódiè nata est beáta virgo María ex progénie David: * Per quam salus mundi credéntibus appáruit, cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. ℣. Nativitátem beátæ Maríæ vírginis cum gáudio celebrémus. Per quam.

Lectio ij.

NOlite me consideráre quòd fusca sim, quia decoloràvit me sol, fílii matris meæ pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis: víneam meam non custodívi. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te, ò pulchérrima inter mulíeres, egrédere, & abi post vestígia gregum, & pasce hœdos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis: collum tuum sicut monília.

℟. Beatíssimæ vírginis Maríæ Nativitátem devotíssimè celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditáte Nativitátem beátæ Maríæ vírginis devotíssimè celebrémus. Ut.

Lectio iij.

MUrénulas áureas faciémus tibi, vermiculátas argénto. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri diléctus meus mihi, in víneis Engaddi. Ecce tu pulchra es amíca mea, ecce tu pulchra es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es dilécte mi, & decórus. Léctulus noster flóridus: tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. Gloriósæ vírginis Maríæ ortum digníssimum recolámus, * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nunt ante concépit Salvatórem mundi. ℣. Beatíssimæ vírginis Maríæ Nativitátem devotíssimè celebrémus. Cujus. Glória Patri. Cujus.

In secúndo Noctúrno.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

*Serm. 18. de Sanctis, qui est 2. de Annunt. Dominica.*

Lectio iv.

ADest nobis, dilectíssimi, optátus dies beátæ ac venerábilis semper vírginis Maríæ: ideò cum summa exultatióne gáudeat terra nostra tantæ Vírginis illustráta natáli. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiósum lílium convállium, per cujus partum mutátur natúra protoplastórum, delétur & culpa. Præcísum est in ea illud Hevæ infelicitátis elógium, quo dícitur: In dolóre páries fílios tuos; quia ista in lætítia Dóminum péperit.

℟. Nativitas gloriósæ vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódiè nata est beáta virgo María ex progénie David. Cujus.

Lectio v.

HEva enim luxit, ista exultávit: Heva lácrymas, María gáudium in ventre portávit: quia illa peccatórem, ista édidit innocéntem. Mater géneris nostri pœnam íntulit mundo, génitrix Dómini nostri salútem íntulit mundo. Auctrix peccáti Heva, auctrix mériti María. Heva occidéndo óbfuit, María vivificándo prófuit. Illa percússit, ista sanávit. Pro inobediéntia enim obediéntia commutátur, fides pro perfídia compensátur.

℟. Cum jucunditáte Nativitátem beátæ Maríæ celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Corde & ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ genitrícis Dei Maríæ. Ut ipsa.



Lectio vj.

PLaudat nunc órganis María: & inter velóces artículos tympana puérperæ concrepent. Concinant lætántes chori, & alternántibus módulis dulcísona cármina misceántur. Audíte ígitur quemádmodum tympanístria nostra cantáverit. Ait enim: Magníficat ánima mea Dóminum: & exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit mihi magna qui potens est. Causam ígitur invalescéntis erráti miráculum novi partus evícit: & Hevæ planctum Maríæ cantus exclúsit.

℟. Nativitas tua, Dei génitrix virgo, gáudium annuntiávit universo mundo: * Ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: & confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Ex. Glória Patri. Qui solvens.

In tértio Noctúrno.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Lec-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio sancti Evangelii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 1.*

LIber generatiònis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 1. Comment. in Matth.*

IN Isaia légimus: Generatiónem ejus quis enarràbit? Non ergo putémus Evangelistam Prophetæ esse contrárium, ut quod ille impossibile dixit effátu, hic narràre incipiat: quia ibi de generatióne divinitàtis, hic de incarnatióne est dictum. A carnálibus autem cœpit, ut per hóminem Deum díscere incipiàmus. Filii David, filii Abraham. Ordo præpósterus, sed necessàriò commutàtus. Si enim primùm posuisset Abraham, & pósteà David, rursùs ei repeténdus fúerat Abraham, ut generatiònis séries texerêtur.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Lectio viij.

IDeò autem céteris prætermissis, horum filium nuncupavit: quia ad hos tantùm est facta de Christo repromissio. Ab Abraham: In sémine, inquit, tuo benedicéntur omnes gentes, quod est Christus. Ad David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem génuit Phares & Zaram de Thamar. Notándum in genealogía Salvatòris nullam sanctàrum assúmi mulierum, sed eas quas Scriptúra reprehéndit: ut qui propter peccatóres vénerat, de peccatóribus nascens, ómnium peccàta delêret. Undè & in consequéntibus Ruth Moabitis pónitur, & Bethsabée uxor Uriæ.

℟. Felix namque es sacra virgo Maria, & omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justítia, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercède pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam Nativitàtem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Pro S. Adriàno Mártyre.

Lectio ix.

ADriànus jussu Maximiáni Imperatòris apud Nicomedíam persequens Christiànos: cùm sæpiùs eórum in fidei confessióne, & tormentórum perpessióne constantiam demirâtus esset, vehementer ea re commótus, ad Christum



sese convértit. Quamóbrem cum áliis viginti tribus Christiánis conjectus est in cárcerem: ubi cum visitans Natália uxor, quæ & ipsa ánteà in Christum credíderat, ad martyrium incéndit. Itaque è custódia edúctus, tàmdiu flagéllis cæsus est, donec intestina diffúerent. Postrémò fractis crúribus, mánibus pedibúsque præcisis, unà cum multis áliis martyrii certámen feliciter absólvit.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

NAtívitas gloriósæ vírginis Mariæ, ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalm. Dóminus regnávit, cum réliquis. 18. Antiphona. Natívitas est hódie sanctæ Mariæ vírginis, cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias. Antiphona. Regali ex progénie Maria exórta refúlget: cujus précibus nos adjuvari mente & spíritu devotíssime póscimus. Antiphona. Corde & ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitate præcelsæ genitrícis Dei Mariæ. Antiph. Cum jucunditàte Nativitátem beatæ Mariæ celebrêmus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capítulum. *Eccli. 24. b*

AB initio, & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam, & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus. O Gloriósa Vírginum. clxv.

℣. Natívitas est hódie sanctæ Mariæ vírginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Benedictus, Antiphona. Nativitàtem hodiérnam perpetuæ vírginis genitrícis Dei Mariæ solemniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

Orátio. Fámulis tuis, quæsumus, ut supra. 347.

Deinde fit Commemoratio S. Adriani Mart. hoc loco tantùm, Antiphona. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orátio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus: ut qui beàti Adriáni Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborêmur. Per Dóminum.

Ad Primam, in ℟. brevi dicitur ℣. Qui natus es de Maria vírgine, & sic dicitur per totam Oct. etiam in Fest.

Ad Tertiam, Antiphona. Natívitas est hódiè. Capítulum. Ab initio, ut supra. ℟. breve. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de, & regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam, Antiphona. Regali ex progénie.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

ET sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, & in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei heréditas illius, & in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. breve. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona. Cum jucunditáte.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

IN platéis sicut cinnamómum & bálsamum aromatizans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. breve. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In secúndis Véspesis ómnia ut in primis. 347.

℣. Nativitas est hódie sanctæ Mariæ vírginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnificat, Antiphona. Nativitas tua, Dei génitrix virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: & confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

Orátio. Fámulis tuis, ut supra. 347.

Et fit Commem. S. Gorgónii Mártyris, Antiphona. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, & à verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Orátio.

SAnctus tuus Dómine Gorgónius sua nos intercessióne lætíficet: & pia fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

## DOMINICA

Infra Octávam Nativitátis beatæ Mariæ Virginis.

Officium de SS. Nómine ejusdem B. Mariæ Virginis.

Duplex majus.

Si dies immediatè sequens post Festum Nativitátis sit Dominica, Vésperæ dicúntur integræ de Nativitáte sine Commemoratióne Festi Nóminis. Si autem Festum Nóminis incidat in diem Octávam Nativitátis, faciéndum est Officium de Nómine B. Mariæ absque Commemoratióne Octávæ.



Ad Vésperas, Antiph. Dum esset Rex, cum réliquis Antiphonis & Psalmis, ut in Officio parvo B. Mariæ cliij.

Capitulum. *Eccl. 24. b*

AB initio, & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam, & in habitatione sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus. Ave maris stella.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnificat, Antiphona. Sancta Maria succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tui sancti Nóminis commemoratiónem.

Orátio

COncéde, quǽsumus omnípotens Deus, ut fidéles tui, qui sub sanctíssimæ vírginis Mariæ Nómine, & protectióne lætántur: ejus pia intercessióne, à cunctis malis liberéntur in terris, & ad gáudia ætérna pervenire mereántur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemorátio Domínicæ occurréntis.

Ad Matutinum, Invitat. Sancta Maria Dei génitrix virgo, * Intercéde pro nobis. Psalmus. Venite, exultémus. I. Hymnus. Quem terra. Antiphonæ, & Psalmi Nocturnórum, ut in Officio parvo B. Mariæ clvij.

In primo Nocturno.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *Cap. 8. b & 9.*

EGo sapiéntia hábito in consílio, & erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum, arrogántiam, & supérbiam, & viam pravam, & os bilíngue detéstor. Meum est consílium & ǽquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, & legum conditóres justa decérnunt. Per me Príncipes ímperant, & poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me diligo, & qui manè vígilant ad me, invénient me.

℟. Sancta & immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio: Quia quem cæli cápere non póterant,

rant, tuo grémio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio ij.

MEcum sunt divitiæ, & glória, opes superbæ, & justitia. Melior est enim fructus meus auro, & lapide pretióso, & genimina mea argénto electo. In viis justitiæ ambulo, in médio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, & thesauros eórum repleam. Dóminus possédit me in initio viárum suárum, antequam quidquam fáceret à princípio. Ab ætérno ordináta sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiébar.

℟. Congratulámini mihi omnes qui diligitis Dóminum, quia cum essem párvula, plácui Altissimo: * Et de meis viscéribus génui Deum & hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancillam húmilem respéxit Deus. Et de meis.

Lectio iij.

BEátus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, & háuriet salútem à Dómino: qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes qui me odérunt, diligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excidit colúmnas septem. Immolávit victimas suas, míscuit vinum, & propósuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis. Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est: Venite, comédite panem meum, & bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Beáta es virgo María, quæ Dóminum portásti Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, & in ætérnum pérmanes virgo. ℣. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In secundo Nocturno.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis.

*Ex Homilia 2. super Missus est, circa finem.*

Lectio iv.

ET Nomen, inquit, virginis María. Loquámur pauca, & super hoc Nómine, quod interpretátum Maris stella dícitur, & Matri vírgini valdè conveniénter aptátur. Ipsa namque aptíssimè síderi comparátur: quia sicut sine sui corruptióne sidus suum emittit rádium, sic absque sui læsióne Virgo parturivit fílium. Nec síderi rádius suam minuit claritátem, nec Virgini Fílius suam integritátem. Ipsa est igitur nóbilis illa stella ex Jacob orta, cujus rádius universum orbem illúminat, cujus splendor & præfulget in supérnis, & ínferos pénetrat, terras étiam perlústrans, & calefáciens magis mentes, quam córpora, fovet virtútes, excoquit vítia. Ipsa, inquam, est præclára, & exímia stella super hoc mare magnum & spatiósum necessario sublevàta, micans méritis, illústrans exémplis.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, & sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v.

O Quisquis te intélligis in hujus sǽculi proflúvio magis inter procéllas & tempestátes fluctuáre, quàm per terram ambuláre: ne avértas óculos à fulgóre hujus síderis, si non vis óbrui procéllis. Si insúrgant venti tentatiónum, si incúrras scópulos tribulatiónum, réspice stellam, voca Maríam. Si jactáris supérbiæ undis, si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis, réspice stellam, voca Maríam. Si iracúndia, aut avarítia, aut carnis illécebra navículam concússerit mentis, réspice ad Maríam. Si críminum immanitáte turbátus, consciéntiæ fœditáte confúsus, Judícii horróre pertérritus, bárathro incípias absorbéri tristítiæ, desperatiónis abysso, cógita Maríam.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, & formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, & beátam dixérunt, & reginæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, & lília convállium. Vidérunt.

Lectio vj.

IN perículis, in angústiis, in rebus dúbiis Maríam cógita, Maríam ínvoca. Non recédat ab ore, non recédat à corde: & ut impétres ejus oratiónis suffrágium, non déseras conversatiónis exémplum. Ipsam sequens non dévias, ipsam rogans non despéras, ipsam cógitans non erras, ipsa tenénte non córruis, ipsa protegénte non métuis, ipsa duce non fatigáris, ipsa propítia pérvenis: & sic in temetipso experíris, quam méritò dictum sit: Et nomen Vírginis María. Quod quidem venerábile Nomen, jam-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jampridem in quibúsdam Christiáni Orbis pártibus speciáli ritu cultum, Innocéntius Undécimus Románus Póntifex, ob insignem victóriam sub ejúsdem vírginis Maríæ præsídio de immaníssimo Turcárum tyránno cervícibus pópuli Christiáni insultánte Viennæ in Aústria partam, & in perénne tanti benefícii monuméntum, in Ecclésia universáli singulis annis Domínica infra Octávam Nativitátis beátæ vírginis Maríæ celebrári præcépit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit Regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et. Glória Patri. Unguéntum.

In tertio Nocturno.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap. 1. c.*

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

*Sermóne 142. de Annuntiat.*

AUdístis hódiè, fratres charíssimi, Angelum cum mulíere de hóminis reparatióne tractántem. Audístis agi, ut homo cúrsibus eísdem, quibus dilápsus fúerat ad mortem, redíret ad vitam. Agit, agit cum María Angelus de salúte: quia cum Heva ángelus égerat de ruína. Audístis Angelum de carnis nostræ limo templum divínæ majestátis arte ineffábili construéntem. Audístis in terris Deum, in cælis hóminem sacraménto incomprehensíbili collocári. Audístis inaudíta ratióne in uno córpore Deum hominémque miscéri. Audístis frágilem nostræ carnis natúram ad portándam totam Deitátis glóriam Angélica exhortatióne roborári.

℟. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Commemoratiónem. Quia.

Léctio viij.

DEnique, ne tanto pónderi cæléstis fábricæ in María subtílis nostri córporis arêna succúmberet: & in Vírgine totíus géneris humáni portatúra fructum, virga ténuis frangerétur, fugatúra metum vox Angeli mox præcéssit, dicens: Ne tímeas María. Ante causam dígnitas Vírginis annuntiátur ex Nómine: nam María Hebræo sermóne, Latínè Dómina nuncupátur. Vocat ergo Angelus Dóminam, ut Dominatóris Genitrícem trepidátio déserat servitûtis, quam nasci, & vocári Dóminam ipsa sui gérminis fecit, & impetrávit auctóritas: Ne tímeas María, invenísti enim grátiam. Verum est: quia qui invénit grátiam, nescit timére: Invenísti grátiam.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit. Glória Patri. Quia.

Léctio nona de Homilía Domínicæ occurréntis.

Si autem idem Offícium juxta Rúbricas Breviárii Románi transferéndum sit, nona Léctio sumátur eo anno ex Offício B. Maríæ in Sábbato mensis Septémbris.

Ad Laudes & per Horas, Antíphona Dum esset Rex, cum réliquis ut in Offício B. Maríæ in Sábbato. cxlix.

Capítulum. Ab inítio.



Hymnus. O gloriósa vírginum. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Antíphona. Beáta es María, quæ credidísti, perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi à Dómino, allelúia.

Orátio. Concéde, quæsumus, ut suprà. 353.

Deínde fit Commemorátio Domínicæ occurréntis.

Ad Horas, Antíphonæ, Capítula & ℟. brevia, ut in Offício B. Maríæ in Sábbato, cl.

In ij. Vésperis ut in j. 347.

Ad Magníficat, Antíphona. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

Orátio. Concéde, quæsumus, ut suprà. 353.

Et fit Commemorátio Domínicæ occurréntis.

## DIE IX. SEPTEMBRIS.

Secúnda die infra Octávam Nativitátis beátæ Maríæ.

In primo Nocturno, Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Nocturno.

De serm. S. Augustíni Episc.

*Serm. 28. de Sanctis, in med.* Léctio iv.

EXúltat María, & matrem se læta mirátur, & de Spíritu sancto se peperísse gaudet: nec quia péperit innúpta, terrétur; sed quia genúerit, cum exultatióne mirátur. O fémina super fe-

feminas benedicta, quæ virum omninò non novit, & virum suo útero circúmdedit! Circúmdat virum Maria Angelo fidem dando, quia Heva pérdidit virum, serpenti consentiendo. O felix obediéntia, ò insignis grátia! quæ dum fidem humíliter dedit, cæli in se opíficem corporávit. Hinc promeruit glóriam, quam ipsa póstmodùm hausit. Ecce, ait, ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. Nativitas gloriósæ vírginis Mariæ ex sémine Abrahæ, orta de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódiè nata est beáta virgo Maria ex progénie David. Cujus vita.

### Lectio v.

O Beáta Maria, quis tibi dignè váleat jura gratiárum, ac laudum præcónia rependere, quæ singulári tuo assénsu mundo succurristi pérdito? Quas tibi laudes fragílitas humáni géneris persólvat, quæ solo tuo commércio recuperándi áditum invénit? Accipe itaque quascúmque exíles, quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiónes: & cùm suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admitte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, & repórta nobis antídotum reconciliatiónis.

℟. Cum jucunditáte Nativitátem beátæ Mariæ celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Corde & ánimo Christo cantémus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ genitrícis Dei Mariæ. Ut ipsa.

### Lectio vj.

SIt per te excusábile, quod per te ingérimus: fiat impetrábile, quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus; quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, & in te beatíssima nostrórum est expectátio præmiórum. Sancta Maria, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intervéni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Nativitátem.

℟. Nativitas tua, Dei génitrix virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: & confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex. Glória Patri. Qui.



### In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

### Lectio vij. *Cap. 1.*

LIber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 1. Comment. in Matth.*

JAcob autem génuit Joseph. Hunc locum objécit nobis Juliánus Augústus de dissonántia Evangelistárum, cur Evangelista Matthæus Joseph dixerit filium Jacob, & Lucas eum filium appellárit Heli: non intélligens consuetúdinem Scripturárum, quòd alter secúndùm natúram, alter secúndùm legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Móysen Deo jubénte præcéptum, ut si frater aut propinquus absque líberis mórtuus fúerit, alius accípiat uxórem ad suscitándum semen fratris vel propinqui sui. Joseph virum Mariæ. Cùm virum audíeris, suspício tibi non súbeat nuptiárum: sed recordáre consuetúdinis Scripturárum, quòd sponsi viri, & sponsæ vocentur uxóres.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit.

### Lectio viij.

ET à transmigratióne Babylónis usque ad Christum generatiónes quatuórdecim. Numera à Jechonia usque ad Joseph, & invénies generatiónes trédecim. Quartadécima ergo generátio in ipsum Christum reputábitur. Christi autem generátio sic erat. Quærat díligens lector, & dicat: Cùm Joseph non sit pater Dómini Salvatóris, quid pértinet ad Dóminum generatiónis ordo dedúctus usque ad Joseph? Cui respondébimus primùm, non esse consuetúdinis Scripturárum, ut mulíerum in generatiónibus ordo texátur. Deindè ex una tribu fuisse Joseph & Mariam, undè ex lege eam accípere cogebátur ut propinquam: & quòd simul censentur in Béthlehem, ut de una vidélicet stirpe generáti.

℟. Felix namque es sacra virgo Maria, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intervéni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque cé-

celébrant tuam sanctam nativitátem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Pro sancto Gorgónio Mart.

Lectio ix.

GOrgónius Nicomediæ natus, Diocletiáni Imperatóris cubiculárius, Dorótheo collèga suo adjutóre reliquos omnes cubículi ministros ad Christi fidem perdúxit. Utérque autem cùm vidisset quodam die mártyrem coram Diocletiáno acerbíssimè cruciári, ejus exémplo martyrii amôre incénsus est. Itaque ambòrum hæc vox erúpit: Quid est, Imperâtor, quòd hujus condemnáta senténtia, quæ nobis cum eo commúnis est, unum illum punis? Istius nostra étiam est fides, idem propósitum. Eos ígitur vinctos Imperâtor flagéllis concidi jubet, ita ut toto córpore cutis dirumperétur, & in plagas acétum infúndi sale permíxtum: mox revinctis in craticula subjíci imperat vim candéntium carbónum. Denique váriè torti, suspéndio necáti sunt. Ac sancti Gorgónii corpus aliquando Romam portátum, inter duas lauros via Latina sepúltum, póstea Gregório Quarto Summo Pontífice in Basílicam Príncipis Apostolórum translátum est.

Te Deum laudámus. 17.

In Láudibus fit Commemorátio S. Gorgónii Mart. Antiphona. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit.
℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Orátio Sanctus tuus, ut supra. 352.

Vésperæ de S. Nicolào, cum Commemor. Octávæ Nativitátis B. Maríæ.

## DIE X. SEPTEMBRIS.

In festo S. Nicolái de Tolentino Confessòris.

Duplex.

Omnia de Commúni Confessòris non Pontíficis, lxxiij. præter sequéntia.

Orátio.

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti Nicolái Confessòris tui solemnitáte deférimus: ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Deindè fit Commemorátio Octávæ Nativitátis B. Maríæ, ut supra in secundis Véspéris Festi. 352.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

NIcolàus, Tolentinas à diutúrno illius civitátis domicílio appellátus, in óppido sancti Angeli in Picéno est natus piis paréntibus: qui liberórum desidério Barium voti causa profecti, ibique a Sancto Nicolào de futúra prole confirmári, quem suscepérunt Filium de illius nómine appellárunt. Is ab infántia multárum virtútum, sed abstinéntiæ in primis spécimen dedit. Nam anno vix séptimo, beátum ipsum Nicolàum imitátus, complúres hebdómadæ dies jejunáre cœpit: eámque póstea consuetúdinem rétinuit, solo pane & aqua conténtus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

ADúlta ætâte jam clericáli milítiæ adscriptus, & Canónicus factus, cum quodam die concionatórem Ordinis Eremitárum sancti Augustíni, de mundi contémptu dicéntem audisset, eo sermóne inflammátus, statim eúndem Ordinem est ingréssus: in quo tam exáctam religiósæ vitæ ratiónem cóluit, ut áspero vestítu, verbéribus, & férrea caténa corpus domans, atque a carne, & omni ferè obsónio abstinens, charitáte, humilitáte, patiéntia, ceterísque virtútibus áliis prælucéret.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

ORándi assíduum stúdium, quamvis sátanæ insídiis váriè vexátus, & flagéllis intérdum cæsus, non intermittébat. Demùm sex ante óbitum ménsibus, síngulis nóctibus Angélicum concéntum audívit; cujus suavitáte, cùm jam paradísi gáudia prægustáret, crebrò illud Apóstoli repetébat: Cúpio dissólvi, & esse cum Christo. Dénique óbitus sui diem Frátribus prædixit, qui fuit quarto Idus Septémbris. Miráculis multis étiam post mortem cláruit: quibus ritè & órdine cógnitis, ab Eugénio Papa Quarto in Sanctórum númerum est relátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In tertio Nocturno Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri in Evangelium, Nolite timère pusillus grex, de Communi Confessoris non Pontificis lxxxviij.

Et fit commemoratio Octavæ Nativitatis beatæ Mariæ. Antiphona. Nativitàtem hodièrnam perpètuæ virginis genitrìcis Dei Mariæ solèmniter celebrèmus, qua celsitùdo throni processit, allelùia. ℣. Nativitas est hodiè sanctæ Mariæ virginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illùstrat Ecclèsias.

Oràtio Fàmulis tuis, ut supra 347.

In secundis Vesperis fit Commemoratio Octavæ Nativitatis B. Mariæ. 352.

Postea SS. Proti & Hyacinthi Martyrum, Antiphona. Istòrum est enim regnum cælòrum, qui contempsèrunt vitam mundi, & pervenèrunt ad præmia regni, & lavèrunt stolas suas in sànguine Agni. ℣. Lætàmini in Dòmino, & exultàte justi. ℟. Et gloriàmini omnes recti corde.

Oràtio.

BEatòrum màrtyrum tuòrum Proti & Hyacinthi nos Dòmine fòveat pretiòsa confèssio, & pia jùgiter intercèssio tueàtur. Per Dòminum nostrum.

## DIE XI. SEPTEMBRIS.

Quarta die infra Octàvam Nativitàtis beatæ Mariæ.

In secùndo Noctùrno.

Sermo sancti Bernàrdi Abbàtis.

*Sermòne in cap. 12. Apocal. ante medium.*

Lectio iv.

NOvum fecit Dòminus super terram, ut mùlier circùmdaret virum, nec àlium quàm Christum, de quo dìcitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cælo, ut mùlier sole apparèret amicta. Dènique & coronàvit eum, & vicissim ab eo mèruit coronàri. Egredimini filiæ Sion, & vidète regem Salomònem in diadèmate, quo coronàvit eum mater sua. Verùm hoc aliàs. Interim sane ingredìmini magis, & vidète Reginam in diadèmate, quo coronàvit eam Fìlius suus. In càpite, inquit, ejus coròna stellàrum duòdecim.

℟. Nativitas gloriòsæ vìrginis Mariæ ex sèmine Abrahæ, ortæ de tribu Juda clara ex stirpe David, * Cujus vita inclyta cunctas illùstrat Ecclèsias. ℣. Hòdiè nata est beàta virgo Maria ex progènie David. Cujus.

Lectio v.

DIgnum planè stellis coronàri caput, quod & ipsis longè clàriùs micans, ornet eas pòtiùs, quàm ornètur ab eis. Quidni coròment sidera, quam sol vestit? Sicut dies verni circùmdabant eam flores rosàrum, & lilia convàllium. Nimìrùm læva sponsi sub càpite ejus, & jam dèxtera illius amplexàtur eam. Quis illas æstimet gemmas? quis stellas nòminet, quibus Mariæ règium diadèma compactum est?

℟. Cum jucunditàte Nativitàtem beatæ Mariæ celebrèmus: * Ut ipsa pro nobis intercèdat ad Dòminum Jesum Christum. ℣. Corde & ànimo Christo canàmus glòriam in hac sacra solemnitàte præcèlsæ genitrìcis Dei Mariæ. Ut ipsa.

Lectio vi.

QUid ergo sìdereum micat in generatiòne Mariæ? Planè quòd ex règibus orta, quòd ex sèmine Abrahæ, quòd generòsa ex stirpe David. Si id parum vidètur, adde quòd generatiòni illi ob singulàre privilègium sanctitàtis divìnitus nòscitur esse concessa: quòd longè antè eisdem pàtribus cælitus repromissa, quòd mysticis præfiguràta miràculis, quòd oràculis prænuntiàta prophèticis. Hanc enim sacerdotàlis virga, dum sine radìce flòruit; hanc Gedeònis vellus, dum in mèdio siccæ àreæ màduit; hanc in Ezechièlis visiòne orientàlis porta, quæ nulli unquam pàtuit, præsignàbat.

℟. Nativitas tua, Dei genitrix virgo, gàudium annuntiàvit univèrso mundo: * Ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiònem, dedit benedictiònem: & confùndens mortem, donàvit nobis vitam sempitèrnam. ℣. Benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex. Glòria Patri. Qui solvens.

In tertio Noctùrno.

Lectio sancti Evangèlii secùndùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap 1.*

LIber generatiònis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham gènuit Isaac. Isaac autem gènuit Jacob. Et rèliqua.

Homilia sancti Hilàrii Episcopi.

*Commentàrio in Matth. can. 1.*

GRessus quem Matthæus in òrdine règiæ successiònis ediderat, & quem Lucas per sacerdotàlem òrdinem dinùmerat, utèrque agnatiònem in Dòmino utriùsque tribus signìficat, & rectæ generatiònis gradum ponit: quia sacerdotàlis & règiæ tribus Socìetas, per David ex conjùgio inita, jam à Salathiel in Zorobabel confirmàtur ex gènere.

nere. Atque ità, dùm Matthæus patérnam oríginem, quæ ex Juda proficiscebátur, recénset, Lucas verò acceptum per Nathan ex tribu Levi genus édocet: suis utérque pátribus Dómino nostro Jesu Christo, qui est ætérnus & Rex & Sacérdos, étiam in carnáli ortu utriúsque géneris glóriam probavérunt.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit.

Lectio viij.

QUòd verò Joseph pótiùs, quàm Mariæ nativitas recenseátur, nihil refert: eádem enim est totíus tribus atque una cognátio. Exémplum autem étiam Matthæus & Lucas dedérunt, patres ínvicem appellántes, non tam génere, quàm gente: quia ab una tribu cœpta, sub uníus successiónis & oríginis família continéntur. Cùm enim fílius David atque Abrahæ sit ostendéndus, ità Matthæus cœpit: Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abrahæ.

℟. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Nativitátem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Pro SS. Martyribus Proto & Hyacintho.

Lectio ix.

PRotus & Hyacinthus fratres, beátæ Eugéniæ vírginis eunúchi, unà cum illa ab Héleno Epíscopo baptizáti, ac stúdiis dedíti divinárum litterárum, aliquámdiù in Ægypto in monastério mira humilitáte & vitæ sanctitáte vixérunt. Sed pósteà sanctam vírginem Eugéniam Romam prosecúti, Gallièno Imperatóre in Urbe propter Christiánæ fídei professiónem comprehénsi sunt. A quibus cùm nullo modo impetrári posset, ut Christiánam religiónem descréntes, deos cólerent, acérbis verbéribus cæsi, secúri feriúntur tértio Idus Septémbris.

Te Deum laudámus. 17.

In Láudibus fit Commem. sanctórum Proti & Hyacinthi, Antíphona. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orátio. Beatórum mártyrum tuórum, ut supra. 362.



## DIE XII. SEPTEMBRIS.

Quinta die infra Octávam Nativitátis beátæ Maríæ.

In secúndo Noctúrno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Apud Metaphrásten.*

Lectio iv.

DEi Fílius non divitem, aut locuplétem aliquam féminam sibi matrem elégit, sed beátam Vírginem illam, cujus ánima virtútibus ornáta erat. Cùm enim beáta María supra omnem humánam natúram castitátem servâret, proptéreà Christum Dóminum in ventre concépit. Ad hanc ígitur sanctíssimam Vírginem & Dei matrem accurréntes: ejus patrocíniis utilitátem assequámur. Itaque quæcúmque estis vírgines, ad matrem Dómini confúgite. Illa enim pulchérrimam, pretiosíssimam, & incorruptíbilem possessiónem patrocínio suo vobis conservábit.

℟. Nativítas gloriósæ vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódie nata est beáta virgo María ex progénie David. Cujus vita.

Lectio v.

MAgnum revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper virgo María. Quid namque illa majus aut illústriùs ullo umquam témpore invéntum est, seu aliquándò inveníri póterit? Hæc sola cælum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctiùs? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim, non dénique áliud quidpiam inter creátas res visíbiles aut invisíbiles, majus aut excelléntiùs inveníri potest. Eádem ancílla Dei est & mater: eádem virgo & génitrix.

℟. Cum jucunditáte Nativitátem beátæ Maríæ celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Corde & ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ genitrícis Dei Maríæ. Ut ipsa.

Lectio vj.

HÆc ejus mater est, qui à Patre ante omne princípium génitus fuit, quem Angeli & hómines agnóscunt Dóminum rerum ómnium. Visne cognóscere quantò virgo hæc præstántior sit cæléstibus Poténtiis? Illæ cum timóre & tremóre assistunt,

nuit, fáciem velántes suam: hæc humánum genus illi offert, quem génuit. Per hanc & peccatórum véniam conséquimur. Ave igitur mater, cælum, puélla, virgo, thronus, Ecclésiæ nostræ decus, glória & firmaméntum, assíduè pro nobis precáre Jesum Fílium tuum, & Dóminum nostrum: ut per te misericórdiam inveníre in die judícii, & quæ repósita sunt iis qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus, grátia & benignitáte Dómini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul & sancto Spirítui glória & honor, & impérium nunc & semper in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Natívitas tua, Dei génitrix virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: & confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Ex te. Glória Patri. Qui solvens.

In tertio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 1.*

LIber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Episcopi.

*Comment. in Matth. can. 1.*

NOn refert quis in origínis número atque órdine collocétur, dúmmodò universórum família cœpta esse intelligátur ab uno. Itaque cùm ejúsdem tribus sit Joseph & María, dum proféctus esse ex Ábrahæ génere Joseph osténditur, proficta quoque docétur & María. Hæc enim in lege rátio servàta est, ut si mórtuus sine fíliis famíliæ princeps esset, defúncti uxórem postérior frater ejúsdem cognatiónis accíperet, susceptósque fílios in famíliam ejus, qui mórtuus esset, reférret: manerétque ità in primogénitis successiónis ordo, cùm patres eórum, qui post se nati essent, aut nómine haberéntur, aut génere.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Léctio viij.

SEquens illud est, ut, quia díximus secúndum rerum fidem generatiónis istius órdinem nec número sibi nec successióne constáre, hujus quoque rei rátio afferátur. Non enim levis causa est, ut áliud in narratióne sit, áliud fúerit in gestis, & áliud referátur in summa, áliud verò teneátur in número. Namque ab Abraham usque ad David quatuórdecim generatiónes numerátæ sunt: & à David usque ad transmigratiónem Babylónis in quibúsdam libris decem & septem deprehendúntur. Sed in hoc non mendácii, aut negligéntiæ vítium est. Tres enim ratióne prætéritæ sunt. Nam Joras génuit Ochozíam, Ochozías verò génuit Joam, Joas deindè Amasíam, Amasías autem Político: & in Matthæo Joras Ozíam genuísse scríbitur, cùm quartus ab eo sit. Hoc ità, quia ex gentíli fémina Joras Ochozíam génuit, ex Achab scílicet, qui Jézabel hábuit uxórem.

℟. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Nativitátem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Léctio ix.

DEnique per Prophétam non nisi quarta generatióne in throno regio Israélis quémquam de domo Achab esse sessúrum dícitur. Purgáta igitur labe famíliæ gentílis tribus, quæ prætéritis jam régulis, in quarto generatiónum consequéntium órdine numerátur, & usque ad Maríam generatiónes quatuórdecim esse scribúntur, cùm in número decem & septem reperiántur, nullus error esse póterit sciéntibus non eam solùm esse Dómino nostro Jesu Christo oríginem, quæ cœpit ex María: sed in procreatióne corpórea, nativitátis ætérnæ significántiam comprehéndi.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE XIII. SEPTEMB.

Sexta die infra Octávam Nativitátis beátæ Maríæ.

In secúndo Noctúrno.

Ex libro sancti Epiphánii Episcopi advérsus hæreses.

*Lib. 3. hæres. 78. post médium.*

Léctio iv.

BEáta mater Dei María per Hevam significátur, quæ per ænigma accépit, ut mater vivéntium vocétur. Illa étenim mater vivéntium vocáta est, étiam postquam audívit: Terra es, & in terram revertéris,



post



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

post transgressiônem. Et mirum est, quòd post transgressiònem hoc magnum cognômen hábuit. Et quod quidem pértinet ad rem sensibilem, ab illa Heva omnis hóminum generátio dedúcta est in terra: hic autem verè à Maria hæc vita mundo génita est, ut vivéntem gigneret, & fieret Maria mater vivéntium. Per ænigma igitur Maria mater vivéntium appellâta est.

℟. Nativitas gloriósæ vírginis Mariæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódiè nata est beáta virgo Maria ex progénie David. Cujus.

Lectio v.

HEvæ datum est operíre corpus sensibile propter nuditâtem sensibilem; Mariæ verò datum est à Deo, ut páreret nobis Agnum & ovem, & ex glória ipsius Agni & ovis fieret nobis velut à véllere in sapiéntia per virtûtem ipsius induméntum incorruptibilitâtis. Hæva étiam mortis causa facta est hominibus; per ipsam enim mors ingréssa est in mundum: Maria verò causa vitæ, per quam génita est nobis vita, & per hanc Filius Dei advênit in mundum: & ubi abundâvit peccâtum, ibi superabundâvit & grátia: & undè illâta est mors, illinc procêssit & vita, ut vita pro morte fieret: & qui per mulierem nobis vita factus est, mortem ex muliere indúctam excluderet. Et quóniam illic Heva, cùm adhuc esset virgo, per inobediéntiam transgressa est: è contrário per vírginem obediéntia grátiæ facta est, annuntiâto advéntu in carne de cælo, & vita ætérna.

℟. Cum jucunditâte Nativitâtem beátæ Mariæ celebrêmus: * Ut ipsa pro nobis intercêdat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Corde & ánimo Christo canâmus glóriam in hac sacra solemnitâte præcélsæ genitrícis Dei Mariæ. Ut ipsa.

Lectio vj.

DE Maria accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod scriptum est de Ecclésia: Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærêbit uxóri suæ: & erunt duo in carne una. Sanctus autem Apóstolus dicit: Mystérium hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclésia. Et vide Scripturárum accurâtam dicéndi proprietâtem, quòd de Adam quidem dixit, formâvit: de Heva verò, non formâtam esse, sed ædificâtam. Accêpit enim, inquit, unam de costis ejus, & ædificâvit ipsi in uxôrem. Quo osténdat, Dóminum quidem de Maria efformâsse sibi ipsi corpus, ab ipsa verò costa ædificâtam esse Ecclésiam, in eo quòd punctum & apértum est ipsius latus, & mystéria sánguinis & aquæ, prétia redemptiònis facta sunt.

℟. Nativitas tua, Dei génitrix virgo, gáudium annuntiâvit univérso mundo: * Ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiônem, dedit benedictiònem: & confúndens mortem, donâvit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te. Glória Patri. Qui.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 1.*

LIber generatiònis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Episcopi.

*Lib. 2. de consens. Evang. c. 1.*

MAtthæus Evangelista sic orsus est: Liber generatiònis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Quo exórdio suo satis ostêndit generatiónem Christi secúndùm carnem se suscepisse narrándam. Secúndùm hanc enim Christus Filius hóminis est: quod étiam se ipse sæpissime appéllat, commendans nobis quid misericórditer dignâtus sit esse pro nobis. Nam illa superna & ætérna generátio, secúndum quam Filius Dei unigénitus est ante omnem creatûram, quia ómnia per ipsum facta sunt, ita ineffábilis est, ut de illa dictum à Propheta intelligâtur: Generatiónem ejus quis enarrábit?

℟. Beátam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Lectio viij.

EXéquitur ergo humânam generatiónem Christi Matthæus, ab Abraham generatóres commemorans, quos perdûcit ad Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus. Neque enim fas erat, ut ob hoc eum à conjúgio Mariæ separándum putâret, quòd non ex ejus concúbitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnificè insinuâtur fidélibus conjugâtis, étiam servâta pari consénsu continéntia, posse permanére vocarique conjugium,

non permixto córporis sexu, sed custodito mentis affectu: præsértim quia nasci eis étiam filius pótuit sine ullo compléxu carnáli, qui propter solos gignéndos filios adhibéndus est.

℟. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Nativitátem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Lectio ix. *Cap. 2.*

CUm autem evidénter dicat Apóstolus Paulus, ex sémine David secúndum carnem Christum, ipsam quoque Maríam de stirpe David áliquam consanguinitátem duxísse, dubitáre útique non debémus. Cujus féminæ quóniam nec sacerdotále genus tacétur, insinuánte Luca quod cognáta ejus esset Elísabeth, quam dicit de filiábus Aaron: firmíssimè tenéndum est, carnem Christi ex utróque génere propagátam, & regum scílicet, & sacerdótum; in quibus persónis apud illum pópulum Hebræórum étiam mystica únctio figurabátur, id est, chrisma, undè Christi nomen elúcet, tantò antè étiam ista evidentíssima significatióne prænuntiátum.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE XIV. SEPTEMBRIS.

### In festo Exaltatiónis sanctæ Crucis.

Duplex.

Ad Vésperas, Antiphona.

O magnum pietátis opus, cum réliquis de Laudib. 376.

Psalmus. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 133. & loco ultimi, Psalmus. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *Phil. 2. b*

FRatres, Hoc enim sentíte in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo.

Hymnus.

VExilla regis pródeunt,
Fulget Crucis mystérium,
Qua vita mortem pértulit,
Et morte vitam prótulit.
Quæ vulneráta lánceæ
Mucróne diro, críminum
Ut nos lavâret sórdibus,
Manávit unda & sánguine.
Impléta sunt, quæ cóncinit
David fidéli cármine,
Dicéndo natiónibus:
Regnávit à ligno Deus.






Arbor decóra & fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.
Beáta, cujus bráchiis
Prétium pepéndit sæculi,
Statéra facta córporis,
Tulitque prædam tártari.
O Crux ave spes única,
In hac triúmphi glória,
Piis adáuge grátiam,
Reísque dele crímina.
Te, fons salútis Trínitas,
Colláudet omnis spíritus,
Quibus Crucis victóriam
Largíris, adde prǽmium.
Amen.

℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. ℟. Cum Dóminus ad judicándum vénerit.

Ad Magníficat, Antiphona.

O Crux, splendídior cunctis astris, mundo célebris, homínibus multum amábilis, sánctior univérsis, quæ sola fuísti digna portáre taléntum mundi: dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera: salva præséntem catérvam in tuis hódie láudibus congregátam.

Orátio.

DEus, qui nos hodiérna die Exaltatiónis sanctæ Crucis ánnua solemnitáte lætíficas: præsta quǽsumus, ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis prǽmia in cælo mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit Comm. de Octáva Nativitátis B. Maríæ, Ant. Nativítas tua, Dei génitrix virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: & confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Nativítas est hodiè sanctæ Maríæ vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Orátio. Fámulis tuis, ut suprà 347.

Ad Matutinum, Invitat.

Christum Regem pro nobis in Cruce exaltátum, * Venite adorémus. Psalm. Venite, exultémus. 2.

Hymnus.

PAnge lingua gloriósi
Lauream certáminis,
Et super Crucis trophæo
Dic triúmphum nóbilem,
Quáliter Redémptor orbis
Immolátus vícerit.
De paréntis protoplásti
Fraude Factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notávit,
Damna ligni ut sólveret.
Hoc opus nostræ salútis
Ordo depopóscerat,
Multifórmis proditóris
Ars ut artem fálleret:
Et medélam ferret inde
Hostis unde lǽserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris

Natus orbis Cónditor,
Atque ventre Virgináli
Carne amíctus pródiit.
Vagit infans inter arcta
Cónditus præsépia :
Membra pannis involúta
Virgo Mater álligat :
Et Dei manus, pedésque
Stricta cingit fascia.
Sempitérna sit beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque,
Par decus Paráclito :
Unius Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

In primo Noctúrno, Aña. Nobile lignum exaltátur, Christi fides rútilat, dum Crux ab ómnibus venerátur. Psalmus. Beátus vir. xxiij. Antiphona. Sancta Crux extóllitur à cunctis régibus, virga régia erigitur, in qua Salvátor triumphávit. Psalmus. Quare fremuérunt. xxiv. Antiphona. O Crux venerábilis, quæ salútem attulísti míseris, quibus te éfferam præcóniis, quóniam vitam nobis cælitem præparásti? Psalmus. Dómine, quid multiplicáti. xxiv. ℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. ℟. Cùm Dóminus ad judicándum vénerit.

De libro Númeri.

Léctio j. *Cap. 21.*

CUm audísset Chananæus rex Arad, qui habitábat ad merídiem, venísse scilicet Israël per exploratórum viam, pugnávit contra illum, & victor exístens, duxit ex eo prædam. At Israël voto se Dómino óbligans, ait : Si tradíderis pópulum istum in manu mea, delébo urbes ejus. Exaudivítque Dóminus preces Israël, & trádidit Chananæum, quem ille interfécit subvérsis úrbibus ejus, & vocávit nomen loci illius Horma, id est, anáthema.

℟. Gloriósum diem sacra venerátur Ecclésia, dum triumphále exaltátur lignum : * In quo Redémptor noster mortis víncula rumpens, cállidum áspidem superávit. ℣. In ligno pendens nostræ salútis sémitam Verbum Patris invénit. In quo.

Léctio ij.

PRofécti sunt autem & de monte Hor per viam quæ ducit ad mare Rubrum, ut circuïrent terram Edom. Et tædére cœpit pópulum itíneris ac labóris: locutúsque contra Deum & Móysen, ait : Cur eduxísti nos de Ægypto, ut moreremur in solitúdine? Deest panis, non sunt aquæ, ánima nostra jam náuseat super cibo isto levíssimo. Quamóbrem misit Dóminus in pópulum ignítos serpéntes.

℟. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine : * Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustínuit. ℣. Super ómnia ligna cedrórum tu sola excélsior. Dulce.

Léctio iij.

AD quorum plagas & mortes plurimórum, venérunt ad Móysen, atque dixérunt : Peccávimus, quia locúti sumus contra Dóminum & te : ora ut tollat à nobis serpéntes. Oravítque Móyses pro pópulo, & locútus est Dóminus ad eum : Fac serpéntem æneum, & pone eum pro signo : qui percússus aspéxerit eum, vivet. Fecit ergo Móyses serpéntem æneum, & pósuit eum pro signo : quem cùm percússi aspícerent, sanabántur.

℟. Hæc est arbor digníssima, in paradísi médio situáta, * In qua salútis auctor própria morte mortem ómnium superávit. ℣. Crux præcellénti decóre fúlgida, quam Heraclius Imperátor concupiscénti ánimo recuperávit. In qua. Glória Patri. In qua.

In secúndo Noctúrno, Aña. O Crucis victória, & admirábile signum, in cælésti cúria fac nos captáre triúmphum. Psalm. Cùm invocárem, exaudívit. xxvj. Aña. Funéstæ mortis damnátur supplícium, dum Christus in cruce nostra destrúxit víncula críminum. Psalm. In Dómino confído. xxix. Aña. Rex exaltátur in æthera, cùm nóbile trophæum Crucis ab univérsis Christícolis adorátur per sæcula. Psalm. Dómine in virtúte tua. xxx. ℣. Adorámus te Christe, & benedícimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

Léctio iv.

CHósroas Persárum rex, extrémis Phocæ impérii tempóribus, Ægypto & Africa occupáta, ac Jerosólyma capta, multísque ibi cæsis Christianórum míllibus, Christi Dómini Crucem, quam Heléna in monte Calváriæ collocárat, in Pérsidem ábstulit. Itaque Heraclius, qui Phocæ succésserat, multis belli incómmodis & calamitátibus afféctus, pacem petébat; quam à Chósroa victóriis insolénte, ne iníquis quidem conditiónibus impetráre póterat. Quare in summo discrímine, se assíduis jejúniis & oratiónibus exércens, opem à Deo vehementer implorábat : cujus mónitu exércitu comparáto, signa cum hoste cóntulit, ac tres duces Chósroæ cum tribus exercítibus superávit.

℟. Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : in quo est salus, vita, & resurréctio nostra : * Per quem salvári & liberáti sumus. ℣. Tuam Cru-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eleménta senténtiam, cum obscurátis luminaribus cæli, & convérso in noctem die, terra quoque mótibus quatiétur insólitis, universaque creatúra impiórum úsui se negaret. Traxisti Dómine ómnia ad te, quóniam scisso templi velo, sancta sanctórum ab indignis pontifícibus recessérunt, ut figúra in veritátem, prophetía in manifestatiónem, & Lex in Evangélium verterétur.

℟. Sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Filium hóminis: * Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed hábeat vitam ætérnam. ℣. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. Ut omnis. Glória Patri. Ut.

Lectio ix.

TRaxisti Dómine ómnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbrátis significatiónibus tegebátur, pleno apertóque sacraménto universárum ubique natiónum devótio celebráret. Nunc étenim & ordo clárior Levitárum, & dignitas ámplior seniórum, & sacrátior est únctio Sacerdótum: quia Crux tua ómnium fons benedictiónum, ómnium est causa gratiárum: per quam credéntibus datur virtus de infirmitáte, glória de oppróbrio, vita de morte. Nunc étiam carnálium sacrificiórum varietáte cessánte, omnes differéntias hostiárum una córporis & sánguinis tui implet oblátio, quóniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: & ita in te univérsa perficis mystéria, ut sicut unum est pro omni víctima sacrifícium, ita unum de omni gente sit regnum.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

O Magnum pietátis opus! mors mórtua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit. Psalmus, Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

Antiph. Salva nos Christe Salvátor per virtútem Crucis, qui salvásti Petrum in mari, miserére nobis.

Antiphona. Ecce Crucem Dómini: fúgite partes advérsæ, vicit leo de tribu Juda, radix David, allelúja.

Antiphona. Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi.

Antiphona. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos Deus noster.

Capitulum. *Philip. 2.*

FRatres, Hoc enim sentíte in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo.



Hymnus.

LUstra sex qui jam perégit,
Tempus implens córporis,
Sponte líbera Redémptor
Passióni déditus,
Agnus in Crucis levátur
Immolándus stípite.

Felle potus ecce languet,
Spina, clavi, láncea
Mite corpus perforárunt,
Unda manat, & cruor:
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavántur flúmine!

Crux fidélis, inter omnes
Arbor una nóbilis:
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sústinent.

Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas:
Et supérni membra regis
Tende miti stípite.

Sola digna tu fuísti
Ferre mundi Víctimam,
Atque portum præparáre
Arca mundo náufrago,
Quam sacer cruor perúnxit
Fusus Agni córpore.

Sempitérna sit beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque,
Par decus Paráclito:
Unius, Triníque nomen
Laudet univérsitas. Amen.

℣. Adorámus te Christe, & benedícimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Super ómnia ligna cedrórum tu sola excélsior, in qua vita mundi pependit, in qua Christus triumphávit, & mors mortem superávit in ætérnum.

Oratio.

DEus, qui nos hodiérna die Exaltatiónis sanctæ Crucis ánnua solemnitáte lætíficas: præsta quæsumus; ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis præmia in cælo mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Póstea fit Commemorátio de Octáva Nativitátis beátæ Maríæ, Antiphona. Nativitátem hodiérnam perpétuæ vírginis genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúja. ℣. Nativitas est hódie sanctæ Maríæ vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Oratio. Fámulis tuis. 347.

Ad Tertiam, Antiphona.

Salva nos. Capitulum. Fratres, Hoc enim. 376.

℟. br. Hoc signum Crucis, * Erit in cælo. Hoc. ℣. Cum Dóminus ad judicándum vénerit. Erit. Glória Patri. Hoc. ℣. Adorámus te Chris-

Christe, & benedicimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Ad Sextam, Antiphona.

Ecce Crucem Dómini.

Capitulum. *Galat. 6. d.*

Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, & ego mundo.

℟. br. Adorámus te Christe, * Et benedicimus tibi. Adorámus te. ℣. Quia per Crucem tuam redemisti mundum. Et benedicimus. Glória Patri. Adorámus. ℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo Dómine.

Ad Nonam, Antiphona.

Per signum Crucis.

Capitulum. *Philip. 2.*

Humiliávit semetipsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen, quod est super omne nomen.

℟. br. Omnis terra adóret te, * Et psallat tibi. Omnis. ℣. Psalmum dicat nómini tuo Dómine. Et psallat. Glória Patri. Omnis terra. ℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. ℟. Cùm Dóminus ad judicandum vénerit.

In secúndis Vésperis ómnia dicántur ut suprà in primis Vésperis. 370.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Crux benedícta, quæ sola fuisti digna portáre Regem cælórum, & Dóminum, allelúja. Orátio Deus, qui nos hodierna, ut supra. 377.

Deindè fit Commemorátio diéi Octávæ Nativitátis beátæ Maríæ, ex in primis Vésperis Festi, Antiphona.

Gloriósæ vírginis Maríæ ortum digníssimum recolámus, quæ & genitrícis dignitátem obtínuit, & virginálem pudicitiam non amísit. ℣. Nativitas est hódiè sanctæ Maríæ vírginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Orátio Fámulis tuis, quæsumus, ut suprà. 337.

Posteà S. Nicomédis mártyris, Antiphona. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, & à verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Orátio.

Adésto Dómine pópulo tuo: ut beáti Nicomédis mártyris tui mérita præclára suscipiens, ad impetrándam misericórdiam tuam semper ejus patrocíniis adjuvétur. Per Dóminum nostrum.

DIE



## DIE XV. SEPTEMBRIS.

In Octáva Nativitátis beátæ Maríæ.

Duplex.

In primo Noctúrno.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. *Cap. 8. b*

Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa super dilectum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

℟. Hódiè nata est beáta virgo María ex progénie David: * Per quam salus mundi credéntibus appáruit, cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. ℣. Nativitátem beátæ Maríæ vírginis cum gáudio celebrémus. Per quam.

Lectio ij.

Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina obruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Soror nostra parva, & úbera non habet. Quid faciémus soróri nostræ in die quando alloquénda est? Si murus est, ædificémus super eum propugnácula argéntea: si óstium est, compingámus illud tábulis cédrinis.

℟. Beatíssimæ vírginis Maríæ Nativitátem devotíssimè celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditáte Nativitátem beátæ Maríæ vírginis devotíssimè celebrémus. Ut ipsa.

Lectio iij.

Ego murus: & úbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem repériens. Vinea fuit pacífico in ea, quæ habet pópulos: trádidit eam custódibus, vir affert pro fructu ejus mille argénteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacífici, & ducénti his, qui custódiunt fructus ejus. Quæ hábitas in hortis, amici auscúltant: fac me audíre vocem tuam. Fuge dilécte mi, & assimiláre cápreæ, hinnulóque cervórum super montes arómatum.

℟. Gloriósæ vírginis Maríæ ortum digníssimum recolámus, * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi. ℣. Beatíssimæ vírginis Maríæ Nativitátem devotíssimè celebrémus. Cujus. Glória Patri. Cujus.

In

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In secúndo Noctúrno.

Sermo S. Cyrilli Episcopi Alexandrini.

*Homilia contra Nestórium.*

Léctio iv.

Hilarem video cœtum sanctórum ómnium, qui convenérunt promptis ánimis, à sancta & Dei matr. Maria semper vírgine convocáti. Laus & glória sit tibi sancta Trínitas, quæ omnes nos ad hanc celebritátem convocásti. Sit étiam tibi sancta Dei mater laus. Tu enim es pretiósa marg rita orbis terrárum: tu lampas inextinguíbilis, coróna virginitátis, sceptrum orthodóxæ fídei, templum indissolúbile, cóntinens eum qui nusquam continéri potest; mater, & virgo, per quam benedictus, qui venit in nómine Dómini, in sanctis Evangéliis nominátur.

℟. Natívitas gloriósæ vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódie nata est beáta virgo María ex progénie David.

Léctio v.

Per te Trínitas sanctificátur, per te Crux pretiósa celebrátur, & adorátur in toto orbe terrárum. Per te exúltat cælum, lætántur Angeli & Archángeli, fugántur dæmónes, & homo ipse ad cælum revocátur. Per te omnis creatúra idolórum erróre detenta, convérsa est ad agnitiónem veritátis, & fidéles hómines ad sanctum baptísma pervenérunt, atque in toto orbe terrárum constrúctæ sunt Ecclésiæ.

℟. Cum jucunditáte Nativitátem beátæ Maríæ celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Corde & ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ genitrícis Dei Maríæ. Ut.

Léctio vj.

Te adjutríce gentes véniunt ad pœniténtiam. Quid plura? Per te unigénitus Dei Fílius, vera illa lux effúlsit sedéntibus in ténebris & umbra mortis. Per te Prophétæ prænuntiárunt, per te Apóstoli salútem Géntibus prædicárunt. Quisnam póterit tuárum laudum præcónia explicáre, María mater & virgo? Hanc, fratres dilectíssimi, celebrémus, ejus Fílium Ecclésiæ sponsum immaculátum adorántes: cui honor & glória in sæcula sæculórum, Amen.

℟. Natívitas tua, Dei génitrix virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: & confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Ex. Glória Patri. Qui solvens.



In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 1.*

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Homilia 2. in Matth. post initium.*

Auditu quidem mirábile est, quòd ineffábilis Deus, & qui nec sermónibus explicári potest, nec cogitatiónibus comprehéndi, Patrique per ómnia coæquális, per Vírginis ad nos venit úterum, & fieri ex mulíere dignátus est, & habére progenitóres David & Abraham: & quid dico, David & Abraham? étiam illas, quod magis stupéndum est, féminas, quas paulò ante memorávi. Hæc igitur áudiens mente consúrge, nihílque húmile suspicéris, sed pótius propter hoc ipsum máximè miráre, quia cùm verus & diléctus Fílius sit sempitérni Dei, étiam Fílius David esse dignátus est, modò ut te Fílium fáceret Dei: servum patrem habére dignátus est, ut tibi servo patrem fáceret ipsum Deum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Léctio viij.

Vides ab ipso statim princípio, quàm læta sint hæc núntia. Quod si ámbigis de his quæ ad tuum spectant honórem, ab iis quæ illíus sunt étiam tua disce crédere. Quantum enim cónsequi potest humána rátio, multò est difficílius Deum hóminem fieri, quàm hóminem Dei fílium consecrári. Cùm ergo audíeris, quia Fílius Dei fílius sit & David & Abrahæ, dubitáre jam désine, quòd & tu, qui fílius es Adæ, futúrus sis fílius Dei. Non enim semetípsum ità humiliásset, nisi nos esset exaltatúrus. Natus est enim secúndum carnem, ut tu nascerére spíritu: natus est ex mulíere, ut tu desíneres fílius esse mulíeris.

℟. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus

Deus

Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam Nativitâtem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Pro S. Nicoméde mártyre.

Lectio ix.

NIcomédes Présbyter, persequénte Christiános Domitiáno Imperatóre, quòd corpus Felículæ vírginis propter confessiònem Christiánæ fídei à Flacco Cómite interféctæ sepelísset, comprehéndi jussus est: ductúsque ad státuas deórum, cùm eis sacrificáre velle (quod fácere jubebâtur) constánter negavísset, proptérea quod sacrifícium uni Deo vero, qui regnat in cælis, deberétur: plumbátis cæsus, in eo martyrio ánimam Deo réddidit. Cujus corpus cùm idem Comes in profluéntem Tíberim projíci imperásset, Justus Nicomédis cléricus diligénter conquisítum, ad muros Urbis via Nomentána honorífice in sepúlchro condidit.

Te Deum laudâmus. 17.

In Láudibus fit Commem. S. Nicomédis martyr. Antiphona. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orátio. Adésto Dómine, ut supra. 378.

Et in ij. Vésperis fit Commemorátio de SS. Cornélio, & Cypriáno, & áliis.

## DIE XVI. SEPTEMB.

In festo sanctórum mártyrum Cornélii & Cypriáni.

Semidúplex.

Omnia de Communi plurimórum Mártyrum, xxxvj. præter ea, quæ sequúntur.

Antiphona. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orátio.

BEatórum mártyrum paritérque Pontíficum, Cornélii & Cypriáni nos, quæsumus Dómine, festa tueántur, & eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. SS. Euphémiæ, Lúciæ & Geminiáni mártyrum.

In Vésperis, Antiphona. Gáudent in cælis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: & quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ideò cum Christo exúltant sine fine. ℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

In Láudibus verò, Antiphona. Istórum est enim. ℣. Lætámini, ut supra. 382.

Orátio.

PRæsta, Dómine, précibus nostris cum exultatióne provéntum: ut sanctórum mártyrum Euphémiæ, Lúciæ, & Geminiáni, quorum diem passiónis ánnua devotióne recólimus, étiam fídei constántiam subsequámur. Per Dóminum nostrum.

Si Festum SS. Cornélii & Cypriáni vénerit in Domínica, transfertur in próximam diem Festo novem Lectiónum non impedítam: Commem. autem SS. Euphémiæ, Lúciæ & Geminiáni fit in j. Vésperis & Láudibus Domínicæ, cum nona Lectióne ipsórum: & Antíphonæ & ℣. non variántur.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

Si autem vénerit in Quatuor Tempóribus, legúntur Lectiónes de Epístola beáti Pauli ad Romános. Fratres, Debitóres, de Communi plurimórum Mart. xl. & nona Léctio de Homilía Fériæ occurréntis, cum ejus Commemoratióne ad Laudes tantum.

In ij. Noctúrno. Léctio iv.

COrnélius Románus, Gallo & Volusiáno Imperatóribus Pontificátum gerens, cum Lucína fémina sanctíssima, córpora Apostolórum Petri & Pauli è Catacúmbis in opportunióre locum tránstulit: ac Pauli corpus Lucína in suo prǽdio via Ostiénsi, prope eum locum, ubi fúerat gládio percússus, collocávit: Cornélius Príncipis Apostolórum corpus non longè indè, ubi crucifíxus fúerat, repósuit. Quod cùm ad Imperatóres delátum esset, & Pontífice auctóre multos fíeri Christiános, míttitur is in exílium ad Centum cellas; ubi eum sanctus Cypriánus Episcopus Carthaginiénsis per lítteras est consolátus.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illǽsi in aquis válidis: *Terra appáruit árida, & in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra.

Léctio v.

HOc autem Christiánæ charitátis offícium, cùm frequens alter álteri persólveret, deterióre in partem id accipiéntes Imperatóres, accersítum Romam Cornélium, tamquam de majestáte reum, plumbátis cædi, raptúmque ad Martis simulácrum, ei sacrificáre jubent. Quam impietátem cùm ille detestarétur, ei caput abscíssum

sum est décimo octávo Kaléndas Octóbris: cujus corpus beáta Lucina clericis adjutóribus humávit in arenária prædii sui prope cœmetérium Callisti. Vixit in Pontificátu annos circiter duos.

℟. Verbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplicia. Ut.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio vj.

CYpriánus Afer, primùm gloriósè Rhetóricam dócuit: exinde suadénte presbytero Cæcílio, à quo & cognoméntum sortitus est, Christiánus factus, omnem substántiam suam paupéribus erogávit. Ac post non multum témporis eléctus in presbyterum, étiam Episcopus Carthaginiénsis constitútus est. Hujus ingénii supérfluum est índicem téxere, cùm sole clarióra sint ejus ópera. Passus est sub Valeriáno & Gallièno Princípibus, persecutióne octáva, eódem die, quo Romæ Cornélius, sed non eódem anno.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam.

In tértio Noctúrno Homilía sancti Gregórii Papæ in Evangélium Cùm audiéritis prælia, de Commúni plurimórum Mártyrum. xlvij.

Pro SS. Martýribus Euphémia, Lúcia & Geminiáno.

Lectio ix.

EUphémia, Lúcia, & Geminiánus, in persecutióne Diocletiáni, non eódem loco, sed eódem die, martyrio coronáti sunt. Euphémia virgo apud Chalcédonem, Prisco procónsule, vária tormentórum génera, virgárum, equúlei, rotárum, ignis constánter passa; demum béstiis objécta, una ex iis morsum sancto córpori infligénte, céteris pedes ejus lambéntibus, immaculátum spíritum Deo réddidit. Lucia vídua Romána, à fílio Eutrópio, quòd Christum multos annos coluísset, accusáta, in ollam pice ac plumbo fervéntem demíttitur: undè incólumis evádens, cùm ferro plumbóque oneráta per Urbem ducerétur, Geminiánum, nóbilem virum, constántia fídei & martyrii ad Christum convértit: quem étiam cum multis aliis ad fidem perdúctis, várie tortum, gloriósi martyrii abscíso cápite sócium hábuit. Quorum córpora Máxima, múlier Christiána, honorífice sepelívit.

Te Deum laudámus. 17.

In secúndis Vésperis à Capítulo de sequénti, cum Commemoratióne sanctórum Cornélii, & Cypriáni Mártyrum.



## DIE XVII. SEPTEMB.

In Festo Impressiónis sacrórum Stigmatum in corpore S. Francisci.

Semiduplex.

Omnia de Commúni Confessóris non Pontíficis, lxxiij. præter ea, quæ hic habéntur própria.

Ad Vésperas, Capítulum. *Eccli. 31.*

BEátus vir, qui invéntus est sine mácula: & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúniæ thesáuris. Quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

Iste Conféssor Dómini, colèntes
Quem piè laudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit beáta
Vúlnera Christi.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus artus.

Cujus ob præstans méritum frequénter
Ægra quæ passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi Chorus obsequéntem
Cóncinit laudem, celebrésque palmas,
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cæli sólio coruscans,
Tótius mundi sériem gubernat
Trinus, & unus. Amen.

In utrísque Vésperis.

℣. Signásti Dómine servum tuum Francíscum. ℟. Signis redemptiónis nostræ.

Orátio.

DOmine Jesu Christe, qui frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francísci Passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde propítius, ut ejus méritis & précibus crucem júgiter ferámus, & dignos fructus pœniténtiæ faciámus. Qui vivis & regnas.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Deinde fit Commemorátio sanctórum Cornélii & Cypriáni mártyrum, Aña. Gaudent in cælis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: & quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ideò cum Christo exúltant sine fine. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orátio ut supra, 382.

In primo Noctúrno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. *Cap. 5. d & 6.*

SI spíritu vívimus, spíritu & ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes. Fratres, & si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans te ipsum, ne & tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, & sic adimplebítis legem Christi. Nam si quis exístimat se áliquid esse, cùm nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquísque, & sic in semetípso tantùm glóriam habébit, & non in áltero. Unusquísque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is qui catechizátur verbo, ei qui se catechízat, in ómnibus bonis.

℟. Euge serve bone & fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra.

Lectio ij.

NOlite erráre: Deus non irridétur. Quæ enim seminàverit homo, hæc & metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne & metet corruptiónem: qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam. Bonum autem faciéntes, non deficiámus: témpore enim suo metémus non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máximè autem ad domésticos Fídei. Vidéte quálibus lítteris scripsi vobis mea manu. Quicúmque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circumcídi, tantùm ut crucis Christi persecutiónem non patiántur. Neque enim qui circumcidúntur, legem custódiunt: sed volunt vos circumcídi, ut in carne vestra gloriéntur.

℟. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et.

Lectio iij.

MIhi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per



per quem mihi mundus crucifíxus est, & ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, & misericórdia, & super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, cum spíritu vestro, fratres. Amen.

℟. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília magna, & exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Et invéntus. Glória Patri. Et.

In secúndo Noctúrno.

*D. Bonaventura in Legenda sancti Francisci, cap. 13.*

Lectio iv.

FIdélis revéra fámulus & minister Christi Francíscus, biénnio antequam spíritum rédderet cælo, cùm in loco excélso seórsum, qui mons Alvérniæ dícitur, quadragenárium, ad honórem Archángeli Michaélis, jejúnium inchoásset: supérnæ contemplatiónis dulcédine abundántiùs sólito superfúsus, ac cæléstium desiderióum ardentióri flamma succénsus, supernárum cœpit immissiónum cumulátiùs dona sentíre. Dum ígitur Seráphicis desiderióum ardóribus sursùm agerétur in Deum, & afféctus compassíva teneritúdine in eum transformarétur, cui ex charitáte nímia crucifígi complácuit: quodam manè, circa festum Exaltatiónis sanctæ Crucis, in látere montis orans, vidit quasi spéciem uníus Séraphim, sex alas tam fúlgidas quàm ígnitas habéntem, de cælórum sublimitáte descéndere: qui volátu celérrimo ad áëris locum viro Dei propínquum pervéniens, non solùm alátus, sed & crucifíxus appáruit: manus quidem & pedes habens exténsos, & cruci affíxos, alas verò sic miro modo hinc indè dispósitas, ut duas supra caput erígeret, duas ad volándum exténderet, duábus verò réliquis totum corpus circumplecténdo veláret. Hoc videns, veheménter obstúpuit, mixtúmque dolóri gáudium mens ejus incúrrit: dum & in gratióso ejus aspéctu sibi tam mirabíliter quàm familiáriter apparéntis excessívam quamdam concipiébat lætítiam, & dira conspécta crucis affíxio ipsíus ánimam compassívi dolóris gládio pertransívit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

turâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Intelléxit quidem illo docénte intérius, qui & apparébat extérius, quòd licet passiònis infirmitas cum immortalitâte Spíritus Seràphici nullàtenus convenîret; ideò tamen hujúsmodi visio suis fúerat præsentâta conspéctibus, ut amícus ipse Christi prænósceret, se non per martyrium carnis, sed per incéndium mentis totum in Christi Jesu Crucifixi expréssam similitúdinem transformándum. Dispárens itaque vísio, post arcânum ac familiâre collóquium, mentem ipsius Seraphico intérius inflammâvit ardóre: carnem verò Crucifixo confórmi extérius insignívit effígie, tamquam si ad ignis liquefactívam virtútem præámbulam sigillatíva quædam esset impréssio subsecûta. Statim namque in mánibus & pédibus ejus apparêre cœpérunt signa clavòrum, ipsòrum capítibus in inferióri parte mánuum & superióri pedum apparéntibus, & eórum acumínibus exsisténtibus ex advérso. Dextrum quoque latus quasi láncea transfixum rubra cicatrice obdúctum erat: quod sæpè sánguinem sacrum effúndens, túnicam & femorália respergébat.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornâvit eum. Et ad.

Lectio vj.

Postquam igitur novus homo Franciscus novo & stupéndo miráculo cláruit, cum singulári privilégio retroáctis sæculis non concésso insignítus appáruit: sacris vidélicet Stigmátibus decorátus, descéndit de monte secum ferens Crucifixi effígiem non in tábulis lapídeis, vel lígneis manu figurâtam artíficis, sed in cárneis membris descríptam dígito Dei vivi. Quóniam sacraméntum Regis Seráphicus vir abscóndere bonum esse óptimè nórat, secréti regális cónscius, signácula illa sacra pro víribus occultâbat. Verùm, quia Dei est ad glóriam suam magna reveláre, quæ facit Dóminus ipse: qui signácula illa secrétè impresserat, mirácula quædam apértè per ipsa monstrâvit, ut illòrum occúlta & mira vis Stigmatum, manifésta patéret claritâte signòrum. Porrò rem adeò admirábilem, ac tantópere testâtam, atque in Pontifíciis diplomátibus præcípuis láudibus & favóribus exaltâtam, Benedíctus Papa Undécimus anniversária solemnitâte celebrári vóluit: quam póstea Paulus Quintus Póntifex Máximus, ut corda fidélium in Christi crucifixi accenderéntur amóre, ad univérsam Ecclésiam propagâvit.



℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervênit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno Homilía sancti Gregórii Papæ in Evangélium, Si quis vult post me veníre, ut in Commúni unius Mártyris. xxxvj.

℟. vij. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor abstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

℟. viij. Mihi absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: * Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. ℣. Ego enim Stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Per quem. Glória Patri. Per quem.

Hymnus ad Laudes, Jesu coróna célsior, sed loco ℣. Migrâvit inter sídera, Dicátur: Christi recépit Stígmata, de Commúni Confessòris non Pontíficis.

Vesp. de sequenti, cum comm. præcedéntis.

## DIE XVIII. SEPTEMB.

In festo S. Thomæ de Villanóva Episc. & Confessór.

Duplex.

Omnia de Commúni Confessòris Pontíficis, liij. præter ea, quæ sequúntur.

In Hymno Iste Conféssor, mutátur tértius Versus.

Hac die lætus méruit suprémos Laudis honóres.

Ad Magníficat in utrísque Véspéris, Antiphona. Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Orátio.

Deus, qui beâtum Thomam Pontíficem insígnis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti: quæsumus, ut ejus intercessióne in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemorátio sacrórum Stigmatum in córpore sancti Francisci.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

Si vénerit in Quátuor Tempóribus, in primo Nocturno legúntur Lectiónes de Epis-

Epistola prima beati Pauli Apóstoli ad Timótheum, Fidélis sermo, de Commúni Confessóris Pontíficis, iv. & nona Léctio de Homilía Fériæ occurréntis cum Commemoratióne ad Laudes tantùm.

In secundo Noctúrno.

Léctio iv.

THomas in óppido Fontisplàni Toletánæ Diœcéseos in Hispánia natus anno Dómini millésimo quadringentésimo octogésimo octávo, ab óptimis paréntibus ineúnte vita pietátem, & singulárem in páuperes misericórdiam accépit: cujus adhuc puer complùra dedit exémpla; sed illud in primis nóbile, quòd ut nudos operíret, própriis véstibus non semel seipsum exuit. Exácta puerítia, Compluto (quò missus fúerat, ut alúmnus in Collégio majóri sancti Ildefónsi lítteris óperam daret) patris óbitu revocátus, universam hereditátem egénis Virgínibus aléndis dicávit: eodémque statim revérsus est, & sacræ Theologíæ cursu confécto, ádeò doctrína excélluit, ut in eàdem Universitáte Cathedram ascéndere jussus, Philosóphicas Theologicásque quæstiónes mirabíliter explanáverit. Intérim assíduis précibus sciéntiam sanctórum, & rectam vitæ morúmque normam à Dómino vehementíssimè póstulans: quare Divíno instínctu Eremitàrum sancti Augustíni ampléxus est Institútum.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Léctio v.

REligiónem proféssus, ómnibus religiósi hóminis virtútibus & ornaméntis excélluit; humilitáte, patiéntia, continéntia, sed ardentíssima charitáte summè conspícuus: inter várias & assíduos labóres oratióni, rerúmque divinárum meditatióni invícto spíritu semper inténtus. Prædicándi ótius, útpotè sanctimónia & doctrína præstans subíre jussus, cœlésti aspiránte grátia, innumerábiles è vitiórum cœno in viam salútis edúxit. Regéndis deindè frátribus admótus, prudéntiam, æquitátem, & mansuetúdinem pari sedulitáte ac severitáte conjúnxit; adeò ut priscam sui Ordinis disciplínam multis in locis vel firmáverit, vel restitúerit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.



Léctio vi.

GRanaténsis Archiepíscopus designátus, mira humilitáte & constántia insígne munus rejécit. Verùm non multò post Valentínam Ecclésiam, Superiórum auctoritáte coáctus, gubernándam suscépit: quam annis ferme úndecim ita rexit, ut sanctíssimi & vigilantíssimi Pastóris partes expléverit. Cæterùm consuéta vivéndi ratióne nihil ádmodum immutáta, inexplébili charitáti multò magis indúlsit; cùm ámplos Ecclésiæ rédditus in egénos dispérsit, ne léctulo quidem sibi relícto: nam eum, in quo decumbébat, cùm in cœlum evocarétur, ab eódem commodátum hábuit, cui pauló antè eleemósynæ loco donáverat. Obdormívit in Dómino sexto Idus Septémbris, annos natus octo & sexagínta. Servi sui sanctitátem adhuc viventis, & exindè post mortem, miráculis Deus testátam vóluit; præsértim, cùm hórreum, fruménto paupéribus distribúto pénitus vácuum, repénte plenum invéntum est: & cum ad ejus sepúlchrum puer mórtuus revíxit. Quibus aliísque non paucis fulgéntem signis, Alexánder Séptimus Póntifex Máximus Sanctórum número adscrípsit, atque ejus memóriam quarto décimo Kaléndas Octóbris celebrári mandávit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tértio Noctúrno Homília sancti Gregórii Papæ in Evangélium Homo peregrè proficíscens, de Commúni Confessóris Pontíficis. lxij.

Ad Benedíctus, Antíphona. Eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

Et fit Commemor. Fériæ, si vénerit in Quatuor Tempóribus, ad Laudes tantùm.

Vesp. à Cap. de sequénti, cum Commemor. S. Thomæ de Villanova, ut supra.

## DIE XVIII. SEPTEMB.

In festo S. Joséphi à Cupertíno Confessóris.

Duplex.

Omnia de Commúni Confessóris non Pontíficis, præter sequéntia.

In primis Vésperis, quæ dicúntur de hoc festo, ad Magníficat Aña. Mórtuus sum, & vita mea est abscóndita cum Christo in Deo.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Orátio.

DEus, qui ad unigénitum Filium tuum exaltátum à terra ómnia tráhere disposuísti: pérfice propítius, ut méritis & exémplo Seráphici Confessóris tui Joséphi supra terrénas omnes cupiditátes eleváti, ad eum perveníre mereámur. Qui tecum vivit.

Deinde fit Commemorátio sacrórum Stigmátum in córpore sancti Francísci.

In primo Noctúrno.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Léctio j. Cap. 4. & 5.

DEus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus: ut sublímitas sit virtútis Dei, & non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus: semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut & vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. Semper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli.

℟. Euge serve bone & fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra.

Léctio ij. Cap. 5.

SCimus enim, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cælo est, superindúi cupiéntes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam & qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti: eo quòd nólumus expoliári, sed supervestíri; ut absorbeátur quod mortále est, à vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spíritus. Audéntes ígitur semper, sciéntes quóniam dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino: (per fidem enim ambulámus, & non per spéciem) audémus autem, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore, & præséntes esse ad Dóminum.

℟. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et florébit.

Léctio iij. Cap. 12.

SI gloriári opórtet (non expédit quidem) véniam autem ad visiónes, & revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim (sive in córpore, sive extra corpus, néscio, Deus scit) raptum hujúsmodi usque ad tértium cælum. Et scio hujúsmodi hóminem (sive in córpore, sive extra corpus, néscio, Deus scit) quóniam raptus est in Paradísum: & audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui. Pro hujúsmodi gloriábor: pro me autem nihil gloriábor nisi in infirmitátibus meis. Nam, & si volúero gloriári, non ero insípiens: veritátem autem dicam; parco autem, ne quis me exístimet supra id, quod videt in me, aut áliquid audit ex me. Et ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ ángelus sátanæ, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi, ut discéderet à me, & dixit mihi: Súfficit tibi grátia mea: nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

℟. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília magna, & exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In secúndo Noctúrno.

Léctio iv.

JOsephus à Cupertino, óppido in Salentínis Diœcésis Neritonénsis, anno reparátæ salútis millésimo sexcentésimo tértio, piis ibídem paréntibus ortus, Deíque amóre prævéntus, pueritiam atque adolescéntiam summa cum simplicitáte, morúmque innocéntia transégit. A diutúrno molestóque morbo patientíssime toleráto Deíparæ Vírginis ope liberátus, se totum pietátis opéribus, ac excoléndis virtútibus dedit: utque Deo ad majóra vocánti se intimiùs conjúngeret, Ordini Seráphico nomen dare constítuit. Post várіos evéntus voti tandem compos factus apud Minóres Conventuáles in Cœnóbio Cryptulæ, inter Láicos primùm ob litterárum imperítiam, deinde inter Cléricos Divína dispositióne connumerátus est. Sacerdótio post solémnia vota initiátus,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

perfectius sibi vitæ institútum propósuit. Quamobrem mundánis quibuscúmque affectibus, terrenisque rebus pene ad vitam necessáriis illicò à se abdicátis, ciliciis, flagellis, catenis, omni demùm asperitâtum ac pœnárum genere corpus afflixit; spiritum verò sanctæ oratiónis, altissimæque contemplatiónis assiduitáte dúlciter enutrívit. Hinc factum est, ut cháritas Dei, quæ jam erat in ejus corde à prima ætáte diffúsa, miro planéque singulari modo indies coruscáverit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

ELúxit præcipuè ardentíssima ejus cháritas in extásibus ad Deum suavíssimis, stupendísque ráptibus, quibus frequénter afficiebátur. Mirum autem, quod alienáto à sénsibus ánimo, statim ab éxtasi eum revocábat sola obediéntia. Hanc quippe virtútem exímio stúdio prosequebátur, dicere sólitus, se ab ea véluti cæcum circumdúci, & mori pótiùs velle, quàm non obedire: paupertâtem verò Seráphici Patriárchæ ita æmulátus est, ut morti próximus Prælato suo assérere verè potúerit, se nihil habére, quod more Religiosórum resignáret. Itaque mundo sibique mórtuus, vitam Jesu manifestábat in carne sua, quæ dum in aliquibus ex turpitúdine obscœnum flagítium sentiébat, prodigiósum de se efflábat odórem, indícium nitidíssimæ illius puritátis, quam, immúndo spíritu vehementíssimis tentatiónibus frustrà obnubiláre diu conánte, servávit illæsam, tùm arctâ sénsuum custódia, tùm jugi córporis maceratióne, tùm dénique speciáli protectióne puríssimæ Vírginis Maríæ, quam matrem suam appelláre consuévit, ac véluti matrem dulcíssimam íntimo cordis afféctu venerabátur, eámque ab áliis venerári exoptábat, ut cum ejúsdem patrocínio, sicut ipse ajébat, ómnia bona consequeréntur.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad.

Lectio vj.

HÆc beáti Joséphi sollicitúdo à sua erga próximos charitáte prodíbat: tanto enim animárum zelo exardébat, ut ómnium salúte modis ómnibus instantíssimè procuráret. Exténdens páriter charitátem suam in próximum, sivè páuperem, sivè infírmum, sivè quacúmque ália tribulatióne vexátum, quantum in ipso erat, illum recreábat. Nec alièni erant ab ejus charitáte, qui objurgatiónibus, probris, omnísque géneris injúriis ipsum appéterent: nam eádem patiéntia, mansuetúdine, vultúque hilaritáte tália excipiébat, qua tot inter, ac tantas vicissitúdines resplénduit, dum vel Moderatórum Ordinis, vel Sacræ Inquisitiónis jussu hac illac erráre, versaríque coáctus est. Quamquam verò pópuli non solùm, sed viri Príncipes exímiam ejus sanctitátem, & supérna charísmata admiraréntur, ea nihilóminùs erat humilitáte, ut magnum se peccatórem réputans, Deum enixè deprecarétur, ut sua ab eo illústria dona removéret; hómines verò exoráret, ut in eum locum mórtuum ejus corpus injicerent, ubi memória sui esset prorsùs obliteráta. At Deus, qui ponit húmiles in sublíme, quique Servum suum, dum víveret, cælésti sapiéntia, prophetía, córdium



perscrutatióne, curatiónum grátia, cæterisque donis cumulatíssimè exornáverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse anteà prædíxerat, loco, ac témpore, anno ætátis suæ sexagésimo primo, Auximi in Picéno pretiósam réddidit, sepulcrúmque gloriósum. Illum dénique étiam post óbitum miráculis coruscántem Benedíctus Quartusdécimus Beatórum, Clemens Tertiusdécimus Sanctórum fastis adscrípsit: ejus autem Officium & Missam Clemens Quartusdécimus ejúsdem Ordinis ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

## In tértio Noctúrno.

Lectio Sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore: Loquebátur Jesus Princípibus sacerdótum, & Pharisǽis in parábolis, dicens: Símile factum est regnum cælórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et réliqua.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Homilia sancti Gregórii Papæ.

*Lib. 2. Homiliar. Homil. 38. circa medium.*

QUia jam largiénte Dómino, nuptiá:um domum, id est, Sanctam Ecclésiam, intrástis, solérter, fratres, aspicite, ne aliquid de mentis vestræ hábitu Rex ingrédiens reprehéndat. Cum magno enim cordis timóre pensandum est, quod prótinus súbditur: Intrávit autem rex ut vidéret discumbéntes, & vidit ibi hóminem non vestitum veste nuptiáli. Quid fratres charissimi, exprimi per nuptiálem vestem putámus? Si enim vestem nuptiálem baptisma, vel fidem dicimus, quis sine baptismate & fide has núptias intrávit? Eo enim ipso foris est, qui necdum crédidit. Quid ergo debémus intelligere nuptiálem vestem, nisi charitátem? Intrat enim ad núptias, sed cum nuptiáli veste non intrat, qui in Sancta Ecclésia assistens fidem habet, sed charitátem non habet. Rectè enim cháritas nuptiális vestis vocátur, quia hanc in se Cónditor noster hábuit, dum ad sociándæ sibi Ecclésiæ núptias venit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viij.

SOla quippè dilectióne Dei actum est, ut ejus Unigénitus mentes sibi electórum hóminum uniret. Unde & Joánnes dicit: Sic enim diléxit Deus mundum, ut Filium suum unigénitum daret pro nobis. Qui ergo per charitátem venit ad hómines, eámdem charitátem innótuit vestem esse nuptiálem. Omnis ergo vestrûm, qui in Ecclésia pósitus Deo crédidit, jam ad núptias intrávit: sed cum nuptiáli veste non venit, si charitátis grátiam non custódit. Et certè, fratres, si quis ad carnáles núptias esset invitátus, vestem mutáret: congaudére se sponso & sponsæ ex ipso sui hábitus decóre osténderet: inter gaudéntes, & festa celebrántes despectis véstibus apparére erubésceret. Nos ad Dei núptias vénimus, & cordis vestem mutáre dissimulámus. Congaudent Angeli, cùm ad cælum assumúntur elécti. Qua ergo mente hæc spirituália festa conspícimus, qui nuptiálem vestem, id est, charitátem, quæ sola nos speciósos exhibet, non habémus?

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescitis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

SCiéndum verò est, quia sicut in duóbus lignis, superióre vidélicet & inferióre vestis téxitur: ità in duóbus præcéptis cháritas habétur, in dilectióne scilicet Dei, & próximi. Scriptum quippè est: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota virtúte tua, & próximum tuum sicut teipsum. Qua in re notándum est, quia in dilectióne próximi mensúra amóris pónitur, cùm dícitur: Díliges próximum tuum sicut teipsum: Dei autem diléctio nulla mensúra constríngitur, cùm dícitur: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota ánima tua, ex tota virtúte tua. Non enim jubétur quisque quantum díligat, sed ex quanto, cùm dícitur, Ex toto: quia ille veráciter Deum díligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo necésse est ut charitátis præcepta custódiat, quisquis habére in núptiis vestem nuptiálem curat.

Te Deum laudámus.

Si verò hoc Festum occúrrat in Quátuor Tempóribus, nona Lectio légitur de Homilia illius Fériæ.

Ad Benedictus, Antiphona. Osténdit mihi (Dóminus) flúvium aquæ vivæ, splendidum tamquam crystállum procedentem de sede Dei, & Agni.

Et fit Commemorátio Fériæ, si vénerit in Quátuor Tempóribus, ad Laudes tantùm.

Vesperæ à Capitulo de Sanctis Martyribus Januário & Sociis, cum Commemoratióne S. Joséphi à Cupertino, Antiphona. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Orátio. Deus, qui ad unigénitum, ut suprà.

## DIE XIX. SEPTEMB.

In festo SS. Martyr. Januárii Episcopi & Sociórum.

Duplex.

Omnia de Commúni plurimórum Mártyrum, xxxvij. præter sequentia. Orátio.

DEus, qui nos ánnua sanctórum mártyrum tuórum, Januárii & Sociórum



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

rum ejus, solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemorátio S. Thomæ de Villanóva. Antíphona. Dispérsit. ℣. Justum dedúxit. Oratio. Deus, qui, ut supra. 389.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptura occurrente.

Si autem vénerit in Quatuor Tempóribus, in primo Nocturno legantur Lectiónes de Epistola ad Romános, Fratres, Debitóres sumus, ut in Commani plurimórum Mártyrum xl. & nona Lectio de Homilia Feriæ occurréntis, cum ejus Commemoratióne ad Laudes tantum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JAnuárius, Beneventi Episcopus, Diocletiáno & Maximiáno in Christiános sæviéntibus, ad Timótheum Campániæ Præsidem ob Christianæ fidei professiónem Nolam perdúcitur. Ibi ejus constantia varie tentáta, in ardéntem fornácem conjéctus, ita illæsus evásit, ut ne vestiméntum, aut capillum quidem flamma violáverit. Hinc Præses accénsus iracúndia, mártyris corpus imperat usque eò distrahi, quoad nervórum compages artuúmque solvántur. Festus intéreà ejus Diáconus, & Desidérius Lector comprehénsi, vinctíque unà cum Episcopo ante rhedam Præsidis Puteolos pertrahúntur, & in eumdem cárcerem, in quo Sósius Misénas, & Próculus Puteolánus Diáconus, Eútyches & Acútius láici ad béstias damnáti detinebántur, simul conjiciúntur.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, & in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

POstero die omnes in amphitheátro feris objécti sunt: quæ naturális oblítæ feritátis, ad Januári pedes se prostravére. Id Timótheus magicis cantiónibus tríbuens cùm senténtiam cápitis in Christi mártyres pronuntiásset, óculis repéntè captus, oránte mox beáto Januário, lumen recépit: quo miráculo hóminum míllia ferè quinque Christi fidem suscepérunt. Verùm ingrátus judex nihilo placátior factus benefício, sed conversióne tantæ multitúdinis actus in rábiem, veritus máximè Príncipum decréta, sanctum Episcopum cum sóciis gládio pércuti jussit.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Lectio vj.

HOrum córpora finítimæ urbes pro suo quæque stúdio certum sibi patrónum ex iis apud Deum adoptándi, sepeliénda curárunt. Januárii corpus Neapolitáni divíno admónitu extulére: quod primò Beneventum, indè ad monastérium Montis Vírginis, postrémò Neápolim translátum, & in majóri Ecclésia cónditum, multis miráculis cláruit. Sed illud in primis memorándum, quòd erumpéntes olim è monte Vesúvio flammárum globos, nec vicínis modò, sed longínquis étiam regiónibus vastitátis metum afferéntes, extínxit. Præclárum illud quoque, quòd ejus sanguis, qui in ampúlla vítrea concrétus asservátur, cùm in conspéctu cápitis ejúsdem Mártyris pónitur, admirándum in modum colliquefíeri & ebullíre, perinde atque recens effúsus, ad hæc usque témpora cérnitur.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tértio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo témpore: Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secrétò, dicéntes: Dic nobis, quando hæc erunt? Et réliqua.

Homilía S. Hilárii Episc.

*Comment. in Matth. can. 25.*

DIscípuli Dóminum intérrogant quando hæc fíerent, quodve signum & advéntus sui & consummatiónis sæculi nóscerent. Et quia tria hæc in unum quæsíta sunt: distinctis & témporis intelligéntiæ significatiónibus separántur. Respondétur igitur primùm de civitátis occásu: & confirmántur veritáte doctrínæ, ne quis fallax ignorántibus posset obrépere. Ventúri enim erant étiam eórum témpore, qui se Christum essent nuncupatúri. Ut igitur fides pestífero mendácio detrahi posset, admonítio præcéssit.

℟. Propter testaméntum Dómini, & leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fra-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quàm bonum & quam jucúndum habitáre fratres in unum. Quia.

Lectio viij.

COnfirmat igitur eos ad tolleránti am passiónum fugæ, verberatiónis, intéritus, & públici in eos ódii propter nomen ejus. Atque his quidem vexatiónibus multi turbabúntur, & tantis insurgéntibus malis scandalizabúntur, & usque in mútuum ódium excitabúntur. Et falsi prophétæ erunt (ut Nicoláus unus ex septem Diacónibus fuit) multósque eméntita veritáte pervertent: & abundánte nequítia, cháritas refrigéscet.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis, * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

SEd usque in finem perseverántibus salus reserváta est: ac tum per omnes orbis partes viris Apostólicis dispérsis, Evangélii véritas prædicábitur. Et cùm univérsis fúerit cognítio sacraménti cæléstis invécta, tum Jerúsalem occásus & finis incúmbet: ut prædicatiónis fidem & infidélium pœna, & metus civitátis érutæ consequátur. Hæc igitur in eam, ut fúerant prædícta, perfécta sunt: & lapidátis, fugátis, perémptis Apóstolis, fame, bello, captivitáte, consúmpta est. Ac tum fuit digna non esse, cum ejéctis prædicatóribus Christi, indignam Dei prædicatióne se præbuit. Te Deum laudámus. 17.

Vésperæ à Capítulo de SS. Eustáchio & Sociis martyribus cum Commemoratióne SS. Januárii & Sociórum.

## DIE XX. SEPTEMBRIS.

In festo SS. Eustáchii & Sociórum mártyrum.

Duplex.

Omnia de Commúni plurimórum Mártyrum xxxvii. præter sequéntia. Orátio.

DEus, qui nos concédis sanctórum mártyrum tuórum Eustáchii & Sociórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Pro Commem. SS. Januárii & Sociórum, Ant. Gaudent in cælis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: & quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ideo cum Christo exúltant sine fine. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orátio. Deus, qui nos, ut supra 397.

Si hoc Festum vénerit in Quatuor Tempóribus, Lectiónes primi Nocturni, fratres, Debitóres sumus, de Commúni plurimórum Mart. xl. Lectio ix legitur de Homilía Fériæ occurréntis, cum ejus Commemoratióne in Láudibus tantum, & de Vigília nihil fit, nisi in Missa.

Si non vénerit in Quatuor Tempóribus, Lectiónes j. Nocturni de Scriptúra occurrénte, ix. Lectio erit de Vigília ut infra, & Commemoratio in Láudibus.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

EUstáchius, qui & Plácidus, génere, ópibus, & militári glória inter Romános insígnis, sub Trajáno Imperatóre magístri mílitum títulum méruit: cùm verò sese aliquándo in venatióne exercéret, ac fugiéntem miræ magnitúdinis cervum insequerétur, vidit repéntè inter consisténtis feræ córnua excélsam atque fulgéntem Christi Dómini è cruce pendéntis imáginem: cujus voce ad immortális vitæ prædam invitátus, unà cum uxóre Theopísta, ac duóbus párvulis Fíliis, Agapíto & Theopísto, Christiánæ milítiæ nomen dedit.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, & in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

MOx ad visiónis pristínæ locum, sicut ei Dóminus præcéperat, regréssus, illum præmuntiántem audívit, quanta sibi deinceps pro ejus glória perferénda essent. Quocírca incredíbiles calamitátes mira patiéntia perpéssus, brevi in summam egestátem redáctus est. Cúmque clam se subdúcere cogerétur, in itínere cónjugem primùm, deinde étiam líberos sibi miserabíliter ereptos ingémuit. Tantis obvolútus ærúmnis in regióne longínqua víllicum agens, longo témpore delítuit; donec cælésti voce recreátus, ac nova occasióne à Trajáno conquisítus, iterum bello præfícitur.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vj.

ILla in expeditióne, líberis simul cum uxóre insperáto recéptis, victor Urbem ingénti ómnium gratulatióne ingréditur. Sed paulò post inánibus diis pro parta victória sacrificáre jussus, constantíssimè rénuit. Cúmque

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

que váriis ártibus ad Christi fidem ejurándam frustrà tentarétur, unà cum uxóre & líberis leónibus objícitur: horum mansuetúdine concitátus Imperátor, æneum in taurum subjéctis flammis candéntem eos immitti jubet, ubi divínis in láudibus consummáto martyrio, duodécimo Kaléndas Octóbris ad sempitérnam felicitátem convolárunt: quorum illǽsa córpora religióse à fidélibus sepúlta, póstmodùm ad Ecclésiam, eórum nómine eréctam, honorificè transláta sunt.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tértio Noctúrno Homília S. Ambrósii Epíscopi in Evangélium Descéndens Jesus, de Commúni plurimórum Mártyrum. liij.

Pro Vigília sancti Matthǽi nona Léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

*Cap. 5. c.*

IN illo témpore: Vidit Jesus publicánum nómine Levi, sedéntem ad telónium, & ait illi: Séquere me. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib. 5. Comment. in Luc. c. 5. post initium.*

MYstica est hæc vocátio publicáni, quem sequi jubet non córporis gressu, sed mentis afféctu. Itaque ille prius avára de mercédibus, dura de labóribus periculísque nautárum emoluménta convértens, verbo vocátus própria derelínquit, qui rapiébat aliéna: ac vile illud sedíle destítuens, toto post Dóminum vestígio mentis incédit: convívii quoque magni exhibet apparátum. Qui enim domicílio Christum récipit intérno, máximis delectatiónibus exuberántium páscitur voluptátum.

Te Deum laudámus. 17.

In Láudibus fit Commem. Vigíliæ, Antiphona & ℣. de Féria occurrénte.

Orátio.

DA quǽsumus omnípotens Deus: ut beáti Matthǽi Apóstoli tui & Evangelístæ, quam prævenímus veneránda solémnitas, & devotiónem nobis áugeat & salútem. Per Dóminum nostrum.

Vésperæ de sancto Matthǽo Apóstolo cum Commemoratióne præcedéntis Festi.

DIE



# DIE XXI. SEPTEMBRIS.

## IN FESTO SANCTI MATTHÆI Apóstoli & Evangelístæ.

Duplex.

Omnia de Commúni Apostolórum, ij. præter sequéntia.

Orátio.

BEáti Apóstoli & Evangelístæ Matthǽi, Dómine, précibus adjuvémur: ut quod possibílitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. sanctórum Eustáchii & Sociórum mártyrum, Antiphona. Gaudent in cælis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: & quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeò cum Christo exúltant sine fine. ℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orátio.

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Eustáchii & Sociórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

In primo Noctúrno legúntur Lectiónes de Ezechiéle Prophéta, pósitæ in Commúni Evangelistárum. xviij.

In ij. Noctúrno. Léctio iv.

MAtthæus, qui & Levi, Apóstolus & Evangelísta, Capharnáï cùm ad telónium sedéret, à Christo vocátus, statim secútus est ipsum: quem étiam cum réliquis discípulis convívio excépit. Post Christi resurrectiónem, antequam in provínciam proficiscerétur, quæ ei ad prædicándum obtígerat, primus in Judǽa, propter eos qui ex circumcisióne credíderant, Evangélium Jesu Christi Hebráice scripsit: mox in Æthiópiam proféctus, Evangélium prædicávit, ac prædicatiónem multis miráculis confirmávit.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, & Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem, & dicéntem. Isti sunt.

Léctio v.

ILlo ígitur in primis miráculo, quo regis fíliam à mórtuis excitávit, regem patrem, & uxórem ejus, cum univérsa província ad Christi fidem convértit. Rege mórtuo, Hirtacus ejus succéssor, cùm Iphigéniam, régiam fíliam, vellet sibi dari in matrimónium, Matthæum, cujus ópera illa virginitátem Deo vóverat, & in sancto propósito perseverábat, ad altáre mystérium celebrántem jussit occídi. Qui undécimo Kaléndas Octóbris munus

Apos-

Apostólicum martyrii glória cumulávit. Cujus corpus Salérnum translátum, ac póstmodùm in Ecclésia ejus nómine dedicáta, Gregório Septimo Summo Pontífice, cónditum, ibidem magno hóminum concúrsu ac pietáte cólitur.

℟. Beáti estis cùm maledíxerint vobis hómines, & persecúti vos fúerint, & dixerint omne malum advérsùm vos, mentiéntes, propter me. * Gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cùm vos óderint hómines, & cùm separáverint vos, & exprobráverint: & ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte.

De Expositióne S. Gregórii Papæ super Ezechiélem Prophétam.

*Homilia 3. lib. 1.*

Léctio vj.

SAncta quátuor animália, quæ prophetiæ spíritu futúra prævidéntur, subtíli narratióne describúntur, cùm dícitur: Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni. Quid per fáciem, nisi notítia: & quid per pennas, nisi volátus exprímitur? Per fáciem quippè unusquisque cognóscitur: per pennas verò in altum ávium córpora sublevántur. Fácies itaque ad fidem pértinet, penna ad contemplatiónem. Per fidem namque ab omnipoténti Deo cognóscimur, sicut ipse de suis óvibus dicit: Ego sum pastor bonus, & cognósco oves meas, & cognóscunt me meæ. Qui rursùs ait: Ego scio quos elégerim. Per contemplatiónem verò, qua super nosmetipsos tóllimur, quasi in áera levámur.

℟. Isti sunt triumphatóres, & amici Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna: * Modo coronántur, & accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Modò coronántur. Glória Patri. Modò coronántur.

In tértio Noctúrno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 9. b*

IN illo témpore: Vidit Jesus hóminem sedéntem in telónio, Matthæum nómine. Et ait illi: Sequere me. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 1. Comment. in Matth. cap. 9.*

CÆteri Evangelistæ, propter verecúndiam, & honórem Matthæi, noluérunt eum nómine appellàre vulgáto, sed dixérunt, Levi: dúplici quippè vocábulo fuit. Ipse autem Matthæus (secúndùm illud quod dícitur à Salomóne: Justus accusátor est sui in princípio sermónis: & in alio loco: Dic tu peccáta tua, ut justificéris) Matthæum se & publicánum nóminat, ut osténdat legéntibus, nullum debére salútem desperáre, si ad melióra convérsus sit, cùm ipse de publicáno in Apóstolum sit repentè mutátus.

℟. Isti sunt, qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, & amici Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Cálicem.

Léctio viij.

ARguit in hoc loco Porphyrius, & Juliánus Augústus, vel imperítiam histórici mentiéntis, vel stultítiam eórum, qui statim secúti sunt Salvatórem: quasi irrationabíliter quémlibet vocántem hóminem sint secúti: cùm tantæ virtútes tantáque signa præcésserint, quæ Apóstolos, ántequam créderent, vidísse non dúbium est. Certè fulgor ipse, & majéstas divinitátis occúltæ, quæ étiam in humána fácie relucébat, ex primo ad se vidéntes tráhere póterat aspéctu. Si enim in magnéte lápide & súccinis hæc esse vis dícitur, ut ánnulos, & stípulam, & festúcas sibi cópulent: quantò magis Dóminus ómnium creaturárum ad se tráhere póterat, quos vocábat?

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, & dedit illis glóriam sempitérnam: * Quórum doctrína fulget Ecclésia, ut sole, luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. Quorum. Glória Patri. Quorum.

Léctio ix.

ET factum est, discumbénte eo in domo, ecce multi publicáni & peccatóres veniéntes discumbébant cum Jesu. Vidébant publicánum à peccátis ad melióra convérsum, locum inveníse pœniténtiæ, & ob id étiam ipsi non despérant salútem. Neque verò in prístinis vítiis permanéntes véniunt ad Jesum, ut Pharisæi & Scribæ múrmurant, sed pœniténtiam agéntes, ut sequens Dómini sermo signíficat, dicens: Misericórdiam volo, & non sacrifícium; non enim veni vocáre justos, sed peccatóres. Ibat autem Dóminus ad convívia peccatórum, ut occasiónem habéret docéndi, & spirituáles invitatóribus suis præbéret cibos.

Te Deum laudámus. 17.

In secúndis Vésperis fit Commemorátio SS. Mauritii & Sociórum Mártyrum.

DIE



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## DIE XXII. SEPTEMB.

### SS. Mauritii & Sociorum Martyrum.

Antiphona. Istôrum est enim regnum cælôrum, qui contempsêrunt vitam mundi, & pervenêrunt ad præmia regni, & lavêrunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Lætamini in Dómino, & exultâte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orátio.

ANnue, quæsumus omnipotens Deus, ut sanctôrum mártyrum tuôrum, Mauritii & Sociôrum ejus, nos lætíficet festíva solémnitas; ut quorum suffrágiis nitimur, eôrum natalítiis gloriémur. Per Dóminum.

Léctio iij.

CUm Maximiânus Imperátor, ducto in Gálliam exércitu, in fínibus Sedunôrum sacrifícii causa constitisset, Thebæôrum légio, ne se impiôrum sacrôrum societâte contamináret, à réliquis cópiis discéssit. Quare Imperátor misit ad eos mílites, qui suo nómine nuntiárent, ut si salvi esse vellent, in castra ad sacrifícia redirent: Qui se Christiána religiône impediri respondérunt. Quorum respónsum ille indignissimè ferens, majóri iracúndia, quàm anteà, exársit. Itaque immissa parte exércitus in Thebæos, décimum quemque eôrum primùm occidi jussit: quod martyrium suâ sponte, maximéque hortatôre Mauritio, ferre maluérunt, quàm imperáta fácere nefarii Imperatôris: ac deinde réliquos omnes, constantíssimè Christum prædicántes, decimo Kaléndas Octóbris, ab universo exércitu trucidari imperat.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE XXIII. SEPTEMB.

### In festo S. Lini Papæ & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, xxij. præter ea, quæ hic habentur.

Orátio.

DEus, qui nos beáti Lini mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitâte lætíficas: concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemorátio Sanctæ Theclæ Vírginis & Mártyris. Antiphona. Veni sponsa Christi, áccipe corônam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Orátio.

DA quæsumus omnipotens Deus: ut qui beátæ Theclæ vírginis & mártyris tuæ natalítia cólimus, & ánnua solemnitâte lætémur, & tantæ fídei proficiámus exemplo. Per Dóminum.



Si hoc Festum vénerit in Quátuor Tempóribus, Lectiônes j. Nocturni erunt de Actibus Apostolôr. AMiléto Paulus, de Commúni unius Mártyris. liij.

In secundo Nocturno.

Léctio iv.

LInus Póntifex, Volatérris in Etrúria natus, primus post Petrum gubernávit Ecclésiam. Cujus tanta fides & sanctitas fuit, ut non solùm dæmones ejíceret, sed etiam mórtuos revocáret ad vitam. Scripsit res gestas beáti Petri, & ea máximè, quæ ab illo acta sunt contra Simônem magum. Sancivit, ne qua múlier, nisi veláto cápite in Ecclésiam introíret. Huic Pontífici caput amputátum est ob constántiam Christiánæ fídei, jussu Saturnini impii & ingratíssimi Consuláris, cujus fíliam à dæmonum vexatiône liberáverat. Sepúltus est in Vaticáno prope sepúlchrum Príncipis Apostolôrum Nono Kaléndas Octóbris. Sedit annos úndecim, menses duos, dies viginti tres, creátis bis mense Decembri Episcopis quíndecim, Presbýteris decem & octo.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam: & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

De Expositiône S. Ambrósii Episcopi in Psalmum centésimum decimum octávum.

Léctio v. *Serm. 21.*

PRíncipes persecúti sunt me gratis: & à verbis tuis trepidávit cor meum. Benè hoc Martyr dicit, quòd injústè persecutiónum torménta sustíneat: qui nihil rapúerit, nullum violéntus oppresserit, nullíus sánguinem fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum: qui nihil légibus débeat, & gravióra latrônum sustinére cogátur supplícia: qui loquátur justè, & non audiátur: qui loquátur plena salútis, & impugnétur, ut possit dícere, Cùm loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiônem pátitur, qui impugnátur sine crímine, impugnátur ut nóxius, cùm sit in tali confessiône laudábilis: impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cùm píetas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fráu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fraudâsti eum. ℣. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vj.

VEre frustrà impugnâtur, qui apud ímpios & infidos impietâtis arcéssitur, cùm fidei sit magister. Verùm qui gratis impugnâtur, fortis debet esse & constans. Quómodò ergo subtéxuit: Et à verbis tuis trepidâvit cor meum? Trepidâre infirmitâtis est, timóris atque formídinis. Sed est étiam infírmitas ad salûtem, est étiam timor sanctórum. Timéte Dóminum omnes sancti ejus: &, Beâtus vir qui timet Dóminum. Qua ratióne beâtus? Quia in mandâtis ejus cupit nimis. ℟. Stola jucunditâtis induit eum Dóminus. * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibâvit illum Dóminus pane vitæ, & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutâris potâvit illum. Et. Glória Patri. Et.

In tértio Noctúrno, Homília S. Gregórii Papæ in Evangélium, Si quis venit, de Commun. unius Mártyris. xxxj.

Pro S. Thecla Vírgine & mártyre.

Lectio ix.

THecla virgo, ex illústribus paréntibus Icónii nata, a Paulo Apóstolo fídei præcéptis institûta, miris sanctórum Patrum láudibus celebrâtur. Quæ décimum octâvum annum agens, Thamíride sponso relícto, cùm eam paréntes, quòd Christiâna esset, accusâssent: in ardéntem rogum, qui, nisi Christo renuntiâret, ei parâtus erat, priùs signo crucis armâta, seipsam injécit. Sed igne plúvia, quæ repénte exórta est, extíncto, Antiochíam venit: ubi feris objécta, & tauris in divérsa incitâtis alligâta, mox conjécta in fossam plenam serpéntibus, ex ómnibus Jesu Christi grátia liberâtur. Cujus ardóre fídei, & vitæ sanctitâte multi ad Christum convérsi sunt. Iterùm in pátriam rédiens, in montem sola secéssit: deindè multis virtútibus & miráculis insígnis, nonagenâria migrâvit ad Dóminum, ac Seleucîæ sepúlta est.

Te Deum laudâmus. 17.

Pro Commem. S. Theclæ, Añ. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, & comparâvit eam. ℣. Diffûsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Orátio. Da, quæsumus omnípotens, ut suprà 406.

Vésperæ de sequénti cum Commemoratióne S. Lini Papæ & mártyris.

DIE



## DIE XXIV. SEPTEMB.

In festo beatíssimæ Vírginis Maríæ de Mercéde.

Duplex.

Ad Vésperas, Antíphona. Dum esset Rex, cum relíquis Antiphónis & Psalmis, ut in Offício parvo beátæ Maríæ. cliij.

Capítulum. Ab inítio. Hymnus. Ave maris stella. clv. ℣. Dignâre me laudâre te Virgo sacrâta. ℟. Da mihi virtûtem contra hostes tuos.

Ad Magníficat, Antíphona. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitâtem.

Orátio.

DEus qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem ad liberándos Christi fidéles à potestâte paganórum nova Ecclésiam tuam prole amplificâre dignâtus es: præsta quæsumus, ut quam piè venerâmur tanti óperis institutrícem, ejus páriter méritis & intercessióne à peccâtis ómnibus, & captivitâte dæmonis liberémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Deindè fit Commemorátio S. Lini Papæ & Mártyris. Antíphona. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequâtur me. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orátio.

DEus, qui nos beáti Lini mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitâte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutínum, Invitatór. Sancta María Dei génitrix virgo, * Intercéde pro nobis. Psalm. Veníte, exultémus. 1. Hymn. Quem terra. Antíphonæ & Psalmi Nocturnórum, ut in Offício parvo B. Maríæ. clvij.

In primo Noctúrno.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *Cap. 8. b & 9.*

EGo sapiéntia hábito in consílio, & erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum, arrogántiam, & supérbiam, & viam pravam, & os bilíngue detéstor. Meum est consílium & æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, & legum conditóres justa decérnunt. Per me Príncipes ímperant, & poténtes decér-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

nunt justitiam. Ego diligéntes me diligo, & qui manè vigilant ad me, invénient me.

℟. Sancta & immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quia.

Lectio ij.

MEcum sunt divítiæ, & glória, opes supérbæ & justítia. Mélior est enim fructus meus auro, & lápide pretióso, & genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, & thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret à princípio. Ab ætérno ordináta sum, & ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, & ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dóminum, quia cùm essem párvula, plácui altíssimo: * Et de meis viscéribus génui Deum & hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et.

Lectio iij.

BEátus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídiè, & obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, & háuriet salútem à Dómino: qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, & propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas ut vocárent ad arcem, & ad mœnia civitátis. Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est: Veníte, comédite panem meum, & bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Beáta es virgo María quæ Dóminum portásti Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, & in ætérnum permánes virgo. ℣. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In secúndo Nocturno.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Lectio iv.

QUo témpore major, felíciórque Hispaniárum pars diro Saracenórum opprimebátur jugo, innumerique fidéles sub immáni servitúte, máximo cum perículo Christiánæ fídei abjurándæ, amitténdæque salútis ætérnæ, infelíciter detinebántur: beatíssima cælórum Regína tot tantísque benígniter occúrrens malis, nímiam charitátem suam in iis rediméndis osténdit. Nam sancto Petro Noláſco, pietáte, & ópibus floré nti, qui sanctis vacans meditatiónibus, júgiter ánimo recogitábat, qua ratióne tot Christianórum ærúmnis sub Maurórum captivitáte degéntium succúrri posset, ipsamet beatíssima Virgo seréna fronte se conspiciéndam dedit, & acceptíssimum sibi, ac unigénito suo Fílio fore dixit, si suum in honórem instituerétur Ordo Religiosórum, quibus cura incúmberet captívos è Turcárum tyránnide liberándi. Qua cælésti visióne vir Dei recreátus, mirum est, quo charitátis ardóre flagráre cœperit, hoc unum servans in corde suo, ut ipse, ac instituénda ab eo Religio máximam illam charitátem sédulò exercérent, ut quisque ánimam suam póneret pro amícis & próximis suis.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, & sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v.

EA ipsa nocte eádem Virgo sanctíssima beáto Raymúndo de Pennafort, & Jacóbo Aragóniæ regi appáruit, idípsum de Religiósis instituéndis ádmonens, suadénsque, ut opem pro constructióne tanti óperis ferrent. Petrus autem statim ad Raymúndi pedes, qui ipsi erat à sacris confessiónibus, ádvolans, ei rem omnem apéruit: quem étiam cælitùs instrúctum réperit, ejúsque directióni se humillimè subjécit. At supervéniens Jacóbus rex, quam & ipse accéperat à beatíssima Vírgine revelatiónem, éxequi statuit. Undè collátis inter se consíliis, & consentiéntibus ánimis, in honórem ejúsdem Vírginis matris Ordinem instítuere aggréssi sunt sub invocatióne sanctæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, & formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, & beátam dixérunt, & regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, & lília convállium. Vidérunt.

Lectio vj.

DIe igitur décima Augústi anno Dómini millésimo ducentésimo décimo

octávo, Rex idem Jacóbus eam institutiónem jam pridem ab iisdem sanctis viris concéptam exequi státuit, sodálibus quarto voto adstrictis, manéndi in pignus sub paganórum potestáte si pro Christianórum liberatióne opus fúerit. Quibus Rex ipse arma sua régia in pectore deferre concessit, & à Gregório Nono illud tam præcelléntis erga próximum charitátis Institútum, & religiónem confirmari curávit. Sed & ipse Deus per Virginem matrem increméntum dedit, ut talis institútio celérius ac felicius totum per orbem divulgarétur, sanctísque viris floruerit, charitáte ac pietáte insignibus, qui eleemósynas à Christi fidélibus collectas in prétium redemptiónis suórum proximórum expénderent, seque ipsos intérdum darent in redemptiónem multórum. Ut autem tanti beneficii, & institutiónis débitæ Deo, & Virgini matri referántur grátiæ, Sedes Apostólica hanc peculiárem festivitátem celebrári, & officium recitári indúlsit, cùm alia fere innúmera eidem Ordini privilégia páriter contulisset.

℟. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupivit: * Et vidéntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit Regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória patri. Unguéntum.

In tértio Noctúrno.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap. 11. d*

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 4. cap. 49. in Luc. 11.*

MAgnæ devotiónis & fidei hæc múlier osténditur, quæ Scribis & Pharisæis Dóminum tentántibus, simul & blasphemántibus, tanta ejus incarnatiónem præ ómnibus sinceritáte cognóscit, tanta fidúcia confitétur, ut & præséntium prócerum calúmniam, & futurórum confúndat hæreticórum perfídiam. Nam sicut tunc Judæi, sancti Spiritus ópera blasphemándo, verum consubstantialémque Patri Dei Filium negábant: sic hærétici póstea negándo, Maríam semper virginem, sancti Spiritus operánte virtúte, nascitúro cum humánis membris Unigénito Dei, carnis suæ matériam ministrásse, verum consubstantialémque matri Filium hóminis fatéri non debére dixérunt.

℟. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. Quia ex te. Benedíctio. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Léctio viij.

SEd si caro Verbi Dei secúndum carnem nascéntis à carne Virginis matris pronuntiátur extránea, sine causa venter qui eam portásset, úbera quæ lactássent, beatificántur. Dicit autem Apóstolus: Quia misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Neque audiéndi sunt qui legéndum putant: Natum ex muliere, factum sub lege: sed, factum ex muliere: quia concéptus ex útero virgináli, carnem non de níhilo, non aliúnde, sed matérna traxit ex carne: aliòquin nec verè Filius hóminis dicerétur, qui oríginem non habéret ex hómine. Et nos ígitur his contra Eutychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia cathólica, cujus hæc múlier typum gessit, extollámus & mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri: Beátus venter, qui te portávit, & úbera, quæ suxisti. Verè enim beáta parens, quæ sicut quidam ait: Enixa est puérpera Regem, Qui cælum terrámque tenet per sæcula.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit. Glória Patri. Quia.

Léctio ix.

QUinímmò beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt. Pulchrè Salvátor attestatióni mulieris ánnuit, non eam tantúmmodò quæ Verbum Dei corporáliter generáre merúerat, sed & omnes qui idem Verbum spirituáliter audítu fidei concípere, & boni óperis custódia vel in suo vel in proximórum corde párere, & quasi álere studúerint, asséverans esse beátos: quia & éadem Dei génitrix, & indè quidem beáta, quia verbi incarnándi ministra facta est temporális: sed indè multò beátior, quia ejúsdem sem-

per amándi custos manébat ætérna.

Te Deum laudámus. 17.

## AD LAUDES,

& per Horas, Aña.

DUm esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18. Aña. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Aña. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem: ideò diléxit me Rex, & introdúxit me in cubículum suum. Antiph. Jam hiems tránsiit, imber ábiit, & recéssit: surge amica mea, & veni. Antiphona. Speciósa facta es, & suávis in delíciis tuis, sancta Dei génitrix.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

AB initio, & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non desinam, & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

O Gloriósa Vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.
Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine,
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.
Tu regis alti jánua,
Et aula lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Antiphona. Beáta es María, quæ credidísti: perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi à Dómino, allelúia.

Orátio.

DEus, qui per gloriosíssimam Filii tui matrem ad liberándos Christi fidéles à potestáte Paganórum, nova Ecclésiam tuam prole amplificáre dignátus es: præsta quæsumus, ut quam piè venerámur tanti óperis Institutrícem, ejus páriter méritis & intercessióne à peccátis ómnibus, & captivitáte dæmonis liberémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Primam, in ℟. brevi dicitur ℣. Qui natus es de María vírgine.

Ad Tertiam, Antiphona. Læva ejus. Capitulum. Ab initio, ut supra.

℟. breve. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, & regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad



Ad Sextam, Antiphona. Nigra sum.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

ET sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, & in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei heréditas illíus, & in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit eam. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona. Speciósa.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

IN platéis sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. breve. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In secundis Vesperis, Aña. Dum esset Rex, cum reliquis de Laudibus 414. Psalmi, Capitulum, Hymnus, & ℣. ut in primis Vesperis. 409.

Ad Magnificat, Antiphona. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

Orátio. Deus, qui per gloriosíssimam, ut supra. 414.

## DIE XXVI. SEPTEMB.

### SS. Cypriani, & Justinæ Martyrum. Oratio.

BEatórum mártyrum Cypriáni & Justínæ nos Dómine fóveant continuáta præsídia: quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

Léctio ij.

CYpriánus primùm magus, póstea martyr, cùm Justínam Christiánam vírginem, quam júvenis quidam ardénter amábat, cantiónibus ac venefíciis ad ejus libídinis assénsum allícere conarétur: dæmonem consúluit, quonam id re cónsequi pósset. Cui dæmon respóndit: nullam illi artem processúram advérsus eos, qui verè Christum cólerent. Quo respónso commótus Cypriánus, veheménter dolére cœpit vitæ superióris institútum. Itaque relíctis mágicis ártibus, se totum ad Christi Dómini fidem convértit.

Léctio iij.

QUam ob causam unà cum vírgine Justína comprehénsus est, & ambo cólaphis flagellísque cæ-

cæsi sunt: mox in cárcerem conjécti, si fortè senténtiam commutárent. Verùm indè pósteà emissi, cùm in Christiána religióne constantissimi reperiréntur, in sartáginem plenam ferventis picis, ádipis, & ceræ, injécti sunt. Demum Nicomediæ secúri feriúntur. Quorum projécta córpora, cùm sex dies inhumáta jacuissent, noctu quidam nautæ clam ea in navem impósita Romam portavérunt: ac primùm in prædio Rufinæ nóbilis féminæ sepúlta sunt: pósteà translàta in Urbem, in Basilica Constantiniána cóndita sunt prope Baptistérium.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE XXVII. SEPTEMB.

In festo sanctórum Mártyrum Cosmæ & Damiáni. Semidúplex.

Omnia de Commúni plurimórum Mártyrum, xxxvij. præter sequentia.

Orátio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus, ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Cosmæ & Damiáni natalítia cólimus, à cunctis malis imminéntibus, eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum nostrum.

In primo Noctúrno legúntur Lectiónes de Scriptúra occurrente.

In secúndo Noctúrno. Lectio iv.

COsmas & Damiánus, fratres Arabes, in Ægea urbe nati, nóbiles médici, Imperatóribus Diocletiáno & Maximiáno, non magis medicinæ sciéntia, quàm Christi virtúte, morbis étiam insanabílibus medebántur. Quorum religiónem cùm Lysias Præféctus cognovisset, addúci eos ad se jubet: ac de vivéndi institúto, & de fidei professióne interrogátos, cùm se & Christiános esse, & Christiánam fidem esse ad salútem necessáriam, liberè prædicárent, deos venerari imperat: & si id recusent, minátur cruciátus, & necem acerbíssimam.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, & in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

VErum ut se frustrà hæc illis propónere intélligit: Colligáte, inquit, manus & pedes istórum, eósque exquisitis torquéte supplíciis. Quibus jussa exequéntibus, nihilóminùs Cosmas & Damiánus in senten-



tia persistébant. Quare ut erant vincti, in profúndum mare jaciúntur: unde cùm salvi ac solúti essent egréssi, mágicis ártibus Præféctus factum assignans, in cárcerem tradit, ac postridiè edúctos, in ardéntem rogum injíci jubet: ubi cùm ab ipsis flamma refúgeret, váriè & crudéliter tortos secúri pércuti vóluit. Itaque in Jesu Christi confessióne martyrii palmam accepérunt.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Sermo S. Augustini Episcopi.

*Serm. 47. de Sanctis.*

Lectio vj.

QUotiescúmque, fratres charíssimi, sanctórum Mártyrum solémnia celebrámus, ita, ipsis intercedéntibus, expectémus à Dómino cónsequi temporália benefícia, ut ipsos Mártyres imitándo, accípere mereámur ætérna. Ab ipsis enim sanctórum Mártyrum in veritáte festivitátum gáudia celebrántur, qui ipsórum Mártyrum exémpla sequúntur. Solemnitátes enim Mártyrum, exhortatiónes sunt martyriórum: ut imitári non pigeat, quod celebráre delectat.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tértio Noctúrno Homilia S. Ambrósii Epíscopi in Evangélium. Descéndens Jesus de monte, de Commúni plurimórum Mártyrum. lij.

℟. viij. Hæc est vera. xlviij.

Vésp. à Capítulo de sequenti, Commemorátio præcedentis.

## DIE XXVIII. SEPTEMB.

In festo sancti Wenceslai Ducis & Mártyris. Semidúplex.

Omnia de Commúni unius Mártyris, xxij. præter ea, quæ sequúntur. Orátio.

DEus, qui beátum Wenceslàum per martyrii palmam à terréno Principátu ad cæléstem glóriam transtulisti: ejus précibus nos ab omni adversitáte custódi, & ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrente.

In ii. Noctúrno. Lectio iv.

WEnceslàus Bohémiæ Dux, Wratislào patre Christiáno, Drahomíra matre genti-

tili natus, ab ávia Ludmilla, fémina sanctissima, piè educátus, omni virtútum génere insignis, summo stúdio virginitátem per omnem vitam servávit illibátam. Mater per nefáriam Ludmillæ necem regni administratiónem assecúta, impiè cum junióre fílio Bolesláo vivens, concitávit in se Prócerum indignatiónem: quare tyránnici & impii regíminis pertæsi, utriúsque excíso jugo, Wenceslàum in urbe Pragénsi Regem salutárunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam: & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Lectio v.

Ille regnum pietáte magis quàm império regens, órphanis, víduis, egénis tanta charitáte subvénit, ut própriis húmeris aliquándo ligna indigéntibus noctu comportárit, paupéribus humándis frequénter adfúerit, captívos liberárit, carcéribus deténtos nocte intempésta visitárit, pecúniis & consílio sæpíssimè consolátus. Miti ánimo Princeps vehementer dolébat quempiam, etsi reum, morti adjudicári. Summa religióne Sacerdótes venerátus, suis mánibus tríticum serébat, & vinum exprimébat, quibus in Missæ sacrifício uteréntur: nocte nudis pédibus super nivem & gláciem circuíbat Ecclésias, sanguínea & terram calefaciéntia post se relinquens vestígia.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vj.

Angelos hábuit sui córporis custódes: cùm enim ad singuláre certámen advérsùs Radislàum, Ducem Curiménsem, eo fine accéderet, ut suórum salúti prospíceret, visi sunt Angeli arma ministrásse, & dixísse adversário, Ne férias: pertérritus hostis, venerabúndus prócidens, véniam exorávit. Cùm in Germániam proféctus esset, Imperátor, conspéctis duóbus Angelis, áurea cruce ad se accedéntem ornántibus, è sólio prosíliens bráchiis excépit, regiis insígnibus decorávit, eíque sancti Viti bráchium donávit. Nihilóminus ímpius frater, matre hortánte, convívio excéptum, & póstea in Ecclésia orántem, parátæ sibi mortis præscium, adhibitis scéleris comítibus, interfécit. Sanguis, per paríetes aspérsus, adhuc conspícitur: &, Deo vindice, matrem inhumánam terra absórbuit: interfectóres váriis modis míserè periérunt.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno Homilía sancti Gregórii Papæ in Evangélium, Si quis vult post me veníre, ut in Commúni unius Mártyris, xxxvj.

Vésperæ de S. Michaële Archángelo, sine Commemoratióne sancti Wenceslái.

## DIE XXIX. SEPTEMB.

## IN DEDICATIONE S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Duplex.

Ad Vésperas, Antiphona.

Stetit Angelus, cum réliquis de Láudibus, 430.

Psalm. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica. 133. & loco ultimi, Psalmus.

Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *Apoc. 1.*

Significávit Deus quæ opórtet fíeri citò, loquens per Angelum suum servo suo Joánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi, quæcúmque vidit.



Hymnus.

Te splendor & virtus Patris,
Te vita, Jesu, córdium,
Ab ore qui pendent tuo,
Laudámus inter Angelos.

Tibi mille densa míllium
Ducum coróna mílitat;
Sed explicat Victor Crucem
Míchael salútis sígnifer.

Dracónis hic dirum caput
In ima pellit tártara,
Ducémque cum rebéllibus
Cælésti ab arce fúlminat.

Contra ducem supérbiæ
Sequámur hunc nos Príncipem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis coróna glóriæ.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magníficat, Antiphona.

Dum sacrum mystérium cérneret Joánnes, Archángelus Míchael tuba cécinit: Ignósce Dómine Deus noster, qui áperis librum, & solvis signácula ejus, allelúia.

Orátio.

Deus, qui miro órdine Angelórum ministéria, hominúmque dispénsas: concéde propítius, ut à quibus tibi ministránti-

 bus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

bus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniâtur. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatórium. Regem Archangelórum Dóminum, * Venite adorêmus. Psalm. Venite, exultêmus. 2. Hymnus. Te splendor, ut supra. 419.

In primo Nocturno, Ant. Concússum est mare, & contrémuit terra, ubi Archángelus Michael descendêbat de cælo.

Psalmus 8.

Domine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam elevâta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultôrem.

Quóniam vidêbo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glória & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas: insuper & pécora campi.

Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster: * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Antiphona. Concússum est mare, & contrémuit terra, ubi Archángelus Michael descendêbat de cælo.

Antiphona. Laudêmus Dóminum, quem laudant Angeli, quem Chérubim & Séraphim, sanctus, sanctus, sanctus, proclámant.

Psalmus 10.

In Dómino confído: quómodò dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitâtem, odit ánimam suam.



Pluet super peccatóres láqueos: * ignis & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus & justítias diléxit: * æquitâtem vidit vultus ejus.

Antiphona. Laudêmus Dóminum, quem laudant Angeli, quem Chérubim, & Séraphim, sanctus, sanctus, sanctus, proclámant.

Antiphona. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini de manu Angeli.

Psalmus 14.

Domine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam:

Qui lóquitur veritâtem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accêpit advérsùs próximos suos:

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: * timéntes autem Dóminum gloríficat:

Qui jurat próximo suo, & non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocéntem non accêpit:

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Antiphona. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini de manu Angeli.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ex Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 7. c*

Aspiciêbam donec throni pósiti sunt, & antíquus diérum sedit: vestiméntum ejus cándidum quasi nix, & capilli cápitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accénsus. Flúvius ígneus, rapidúsque egrediebâtur à fácie ejus. Míllia míllium ministrábant ei, & décies míllies centêna míllia assistébant ei: judícium sedit, & libri apérti sunt. Aspiciêbam propter vocem sermónum grándium, quos cornu illud loquebâtur: & vidi quóniam interfécta esset béstia, & periísset corpus ejus, & tráditum esset ad comburéndum igni.

℟. Factum est siléntium in cælo, dum commítteret bellum draco cum Michaéle Archángelo: * Audíta est vox míllia míllium dicéntium, Salus, honor, & virtus omnipoténti Deo. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, & décies centêna míllia assistébant ei. Audíta est.

Lec-

Lectio ij. Cap. 10.

DIe autem vigésima & quarta mensis primi eram juxta flúvium magnum, qui est Tygris. Et levávi óculos meos, & vidi: & ecce vir unus vestitus líneis, & renes ejus accincti auro obrizo: & corpus ejus quasi chrysólithus, & fácies ejus velut spécies fúlguris, & óculi ejus ut lampas ardens, & bráchia ejus, & quæ deórsum sunt usque ad pedes, quasi spécies æris candéntis: & vox sermónum ejus ut vox multitúdinis. Vidi autem ego Dániel solus visiónem: porrò viri, qui erant mecum, non vidérunt, sed terror nimius irruit super eos, & fugérunt in abscónditum. Ego autem relictus solus vidi visiónem grándem hanc: & non remansit in me fortitúdo, sed & spécies mea immutáta est in me, & emárcui, nec hábui quidquam vírium.

℟. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua: & data sunt ei incénsa multa: * Et ascéndit fumus aromátum de manu Angeli in conspéctu Dómini. ℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo Dómine. Et ascéndit.

Lectio iij.

ET audivi vocem sermónum ejus: & áudiens jacébam consternátus super fáciem meam, & vultus meus hærébat terræ. Et ecce manus tétigit me, & eréxit me super génua mea, & super artículos mánuum meárum. Et dixit ad me: Dániel vir desideriórum, intéllige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixísset mihi sermónem istum, steti tremens. Et ait ad me: Noli metúere Dániel: quia ex die primo, quo posuísti cor tuum ad intelligéndum ut te afflígeres in conspéctu Dei tui, exaudíta sunt verba tua: & ego veni propter sermónes tuos. Princeps autem regni Persárum restitit mihi vigínti & uno diébus: & ecce Míchael, unus de princípibus primis, venit in adjutórium meum, & ego remánsi ibi juxta regem Persárum. Veni autem ut docérem te quæ ventúra sunt pópulo tuo in novíssimis diébus, quóniam adhuc visio in dies.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi, & adorábo ad templum sanctum tuum: * Et confitébor nómini tuo Dómine. ℣. Super misericórdia tua, & veritáte tua, quóniam magnificásti super nos nomen sanctum tuum. Et confitébor. Glória Patri. Et.

In secúndo Nocturno, Antiphona. Michael Archángele, veni in adjutórium pópulo Dei.

Psalmus 18.

CÆli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diei erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * a summo cælo egréssio ejus:

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos:

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sǽculum sǽculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum: * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * & emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * & redémptor meus.

Antiphona. Michael Archángele, veni in adjutórium pópulo Dei.

Antiphona. Michael præpósitus paradísi, quem honoríficant Angelórum cives.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in va-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles; * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Antiphona. Michaël præpósitus paradísi, quem honoríficant Angelórum cives.

Antiphona. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini, proptéreà decórem índuit te Dóminus.

Psalmus 33.

Benedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini: * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvábit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * & erípiet eos.

Gustáte & vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.



Juxtà est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his liberávit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes qui sperant in eo.

Antiphona. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini, proptéreà decórem índuit te Dóminus.

℣. Ascéndit fumus aromátum in conspéctu Dómini.
℟. De manu Angeli.

Sermo S. Gregórii Papæ.

*Ex Homilia 14. in Evangel. ante medium.*

Lectio iv.

Novem Angelórum órdines dícimus, quia vidélicet esse testánte sacro elóquio scimus, Angelos, Archángelos, Virtútes, Potestátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim, atque Séraphim. Esse namque Angelos, & Archángelos, penè omnes sacri elóquii páginæ testántur: Chérubim verò atque Séraphim sæpè, ut notum est, libri Prophetárum loquúntur. Quátuor quoque órdinum nómina Paulus Apóstolus ad Ephésios enúmerat, dicens: Supra omnem Principátum, & Potestátem, & Virtútem, & Dominatiónem. Qui rursùs ad Colossénses scribens, ait: Sive Throni, sive Potestátes, sive Principátus, sive Dominatiónes. Dum ergo illis quátuor, quæ ad Ephésios dixit, conjungúntur Throni, quinque sunt órdines; quibus dum Angeli, & Archángeli, Chérubim, atque Séraphim adjúncta sunt, proculdúbio novem esse Angelórum órdines inveniúntur.

℟. Hic est Michaël Archángelus, princeps milítiæ Angelórum: * Cujus honor præstat benefícia populórum, & orátio perdúcit ad regna cælórum. ℣. Archángelus Michaël præpósitus paradísi, quem honoríficant Angelórum cives. Cujus.

Lectio v.

Sciéndum verò, quòd Angelórum vocábulum nomen est offícii, non natúræ. Nam sancti illi cæléstis pátriæ spíritus, semper quidem sunt spíritus, sed semper vocári Angeli nequáquam possunt: quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos áliqua nuntiántur. Undè & per Psal-

Psalmistam dicitur: Qui facit Angelos suos spiritus. Ac si patenter dicat: Qui eos, quos semper habet spiritus, étiam cum voluerit, Angelos facit. Hi autem qui minima núntiant, Angeli: qui verò summa annúntiant, Archangeli vocántur. Hinc est enim quòd ad Maríam vírginem non quílibet Angelus, sed Gábriel Archángelus míttitur. Ad hoc quippe ministérium, summum Angelum veníre dignum fúerat, qui summum ómnium nuntiábat. Qui idcircò étiam privatis nomínibus censéntur, ut signétur per vocábula, étiam in operatióne quid váleant. Míchaël namque, Quis ut Deus? Gabriël autem, Fortitúdo Dei: Ráphael verò dícitur Medicína Dei.

℟. Venit Míchaël Archángelus cum multitúdine Angelórum, cui trádidit Deus ánimas Sanctórum: * Ut perdúcat eas in paradísum exultatiónis. ℣. Emítte Dómine Spíritum sanctum tuum de cælis, spíritum sapiéntiæ & intelléctus. Ut perdúcat.

Lectio vj.

Et quóties miræ virtútis áliquid ágitur, Míchaël mitti perhibétur: ut ex ipso actu & nómine detur intélligi, quia nullus potest fácere, quod fácere prævalet Deus. Undè & ille antiquus hostis, qui Deo esse per supérbiam símilis concupívit, dicens: In cælum conscéndam, super astra cæli axaltábo sólium meum, símilis ero Altíssimo: dum in fine mundi in sua virtúte relinquétur extrémo supplício periméndus, cum Michaële Archángelo præliatúrus esse perhibétur, sicut per Joánnem dícitur: Factum est prælium cum Michaële Archángelo. Ad Maríam quoque Gábriel míttitur, qui Dei Fortitúdo nominátur. Illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas áëreas potestátes húmilis apparére dignátus est. Ráphael quoque interpretátur, ut díximus, Medicína Dei: quia vidélicet dum Tobíæ óculos quasi per offícium curatiónis tétigit, cæcitátis ejus ténebras tersit.

℟. In témpore illo consúrget Míchaël, qui stat pro fíliis vestris: * Et véniet tempus, quale non fuit, ex quo gentes esse cœpérunt, usque ad illud. ℣. In témpore illo salvábitur pópulus tuus omnis, qui invéntus fúerit scriptus in libro vitæ. Et véniet. Glória Patri. Et véniet.

In tértio Noctúrno, Antiph. Angelus Archángelus Míchaël Dei núntius pro animábus justis, allelúia, allelúia.

Psal-



Psalmus 95.

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium, afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in Géntibus quia, Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, & exúltet terra, commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

Antiphona. Angelus Archángelus Míchaël, Dei núntius pro animábus justis, allelúia, allelúia.

Antiphona. Data sunt ei incénsa multa, ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini.

Psalmus 96.

Dóminus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, & calígo in circúitu ejus: * justítia, & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.

Et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et exultavérunt Fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine:

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltâtus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberávit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Antiphona. Data sunt ei incénsa multa, ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini.

Antiphona. Multa magnália de Michaële Archángelo, qui fortis in prælio fecit victóriam.

Psalmus 102.

BEnedic ánima mea Dómino: * & ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino: * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis: * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam: * qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israël voluntátes suas.

Miserátor, & miséricors Dóminus: * longánimis, & multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndùm peccáta nostra fecit nobis: * neque secúndùm iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndùm altitúdinem cæli à terra, * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte: * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodò miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se: * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsístet: * & non cognóscet ámpliùs locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * & usque in ætérnum super timéntes eum.



Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus.

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam, * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus; * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus: * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Antiphona. Multa magnália de Michaële Archángelo, qui fortis in prælio fécit victóriam.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap.* 18.

IN illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis putas, major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib.* 3. *Comment. in cap.* 18. *Matthæi.*

POst invéntum statêrem, post tribúta réddita, quid sibi vult Apostolórum repentína interrogátio, Quis putas, major est in regno cælórum? Quia víderant pro Petro & Dómino idem tribútum rédditum, ex æqualitáte prétii arbitráti sunt Petrum ómnibus Apóstolis esse prælátum, qui in redditióne tribúti Dómino fúerat comparátus: ideò intérrogant, quis major sit in regno cælórum. Vidénsque Jesus cogitatiónes eórum, & causas erróris intélligens, vult desidérium glóriæ, humilitátis contentióne sanáre.

℟. In conspéctu Géntium nolíte timére: vos enim in córdibus vestris adoráte & timéte Dóminum: * Angelus enim ejus vobíscum est.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua. Angelus. Benedíctio. Quorum festum cólimus.

Léctio viij.

SI autem manus tua, vel pes tuus scandalízat te, abscínde eum, & prójice abs te. Necésse est quidem veníre scándala: væ tamen ei est hómini, qui, quod necésse est ut fiat in mundo, vítio suo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suo facit ut per se fiat. Igitur omnis truncatur affectus, & universa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & est utilis atque solicitus, & acutus ad perspiciendum: scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est, ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas: ne dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum.

℟. Michaël Archangelus venit in adjutorium populo Dei, * Stetit in auxilium pro animabus justis. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Stetit in auxilium. Gloria Patri. Stetit in auxilium.

Lectio ix.

Dico vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei. Supra dixerat, per manum & pedem & oculum omnes propinquitates & necessitudines, quæ scandalum facere poterant, amputandas: austeritatem itaque sententiæ subjecto præcepto temperat, dicens: Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis. Sic, inquit, præcipio severitatem, ut commisceri clementiam, doceam: quia Angeli eorum in cælis vident semper faciem Patris. Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Unde legimus in Apocalypsi Joannis: Angelo Ephesi, & reliquarum Ecclesiarum, scribæ hæc. Apostolus quoque præcipit velari capita in Ecclesiis feminarum propter Angelos.

Te Deum laudamus. 17.

## AD LAUDES,

Et per Horas, Antiphona.

Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Psalmus Dominus regnavit, cum reliquis. 18. Antiph. Dum præliaretur Michaël Archangelus cum dracone, audita est vox dicentium: Salus Deo nostro, alleluia. Antiphona. Archangele Michaël, constitui te principem super omnes animas suscipiendas. Antiph. Angeli Domini Dominum benedicite in æternum. Antiphona. Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus, & Potestates, Virtutes cælorum, laudate Dominum de cælis, alleluia.





Capitulum. *Apoc. 1.*

Significavit Deus quæ oportet fieri cito, loquens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit.

Hymnus.

Christe, sanctorum decus Angelorum,
Gentis humanæ Sator & Redemptor,
Cælitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes.

Angelus pacis Michaël in ædes
Cælitus nostras veniat, serenæ
Auctor ut pacis lacrymosa in orcum
Bella relegет.

Angelus fortis Gabriël, ut hostes
Pellat antiquos, & amica cælo,
Quæ triumphator statuit per orbem,
Templa revisat.

Angelus nostræ medicus salutis
Adsit e cælo Raphaël, ut omnes
Sanet ægrotos, & dubiosque vitæ
Dirigat actus.

Virgo Dux pacis, Genitrixque lucis,
Et sacer nobis Chorus Angelorum
Semper assistat, simul & micantis
Regia cæli.

Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum.
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Benedictus, Antiphona. Factum est silentium in cælo, dum draco committeret bellum: & Michaël pugnavit cum eo, & fecit victoriam, alleluia.

Oratio.

Deus, qui miro ordine, Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi mini trantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona. Dum præliaretur. Capitulum. Significavit, desupra. ℟. breve. Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta. Gloria Patri. Stetit. ℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam, Antiphona.

Archángele Michaël.

Capitulum. *Apoc. 5. c*

AUdivi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, & animálium, & seniórum: & erat númerus eórum míllia míllium, voce magna dicéntium: Salus Deo nostro.

℟. br. Ascéndit fumus arómatum, * In conspéctu Dómini. Ascéndit fumus. ℣. De manu Angeli. In conspéctu. Glória Patri. Ascéndit fumus. ℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Ad Nonam, Antiphona.

Angeli, Archángeli.

Capitulum. *Apoc. 12. b*

FActum est prælium magnum in cælo: Michaël, & Angeli ejus præliabántur cum dracóne, & draco pugnábat, & angeli ejus: & non prævaluérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in cælo.

℟. br. In conspéctu Angelórum, * Psallam tibi Deus meus. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo. Psallam tibi. Glória Patri. In conspéctu. ℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

In secúndis Vésperis, Ant. Stetit Angelus, cum reliquis de Láudibus. 430. Psalm. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, & loco último, Psalmus. Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: quóniam audísti. 148. Capitul. Significávit Deus. Hymnus, Te splendor, ut in primis Vésperis. 429. ℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Ad Magnificat, Antiphona. Princeps gloriosíssime, Michaël Archángele, esto memor nostri: hic, & ubíque semper precáre pro nobis Fílium Dei, allelúia, allelúia.

Orátio. Deus, qui miro órdine, ut supra. 431.

Deinde fit Commemorátio S. Hierónymi, ut infra.

## DIE XXX. SEPTEMB.

In festo S. Hierónymi Presbyteri, Confessóris & Ecclésiæ Doctóris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessóris non Pontíficis. lxxiij. præter ea, quæ hic habentur própria.

Ad Magníficat in utrísque Vésperis, Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Hierónyme, divínæ legis amátor, deprecáre pro





nobis Fílium Dei. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Orátio.

DEus, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum Confessórem tuum, Doctórem máximum providére dignátus es: præsta quǽsumus, ut ejus suffragántibus méritis, quod ore simul & ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno Lectiónes de Libro Ecclesiástici, Sapiéntiam ómnium antiquórum, ut in Communi Doctórum. lxviij.

In secúndo Nocturno.

Lectio iv.

HIerónymus, Eusébii fílius, Stridóne in Dalmátia Constántio Imperatóre natus, Romæ adoléscens est baptizátus, & in liberálibus disciplínis à Donáto & áliis viris doctíssimis erudítus. Tum discéndi stúdio Gálliam peragrávit: ubi pios áliquot, & in divínis lítteris erudítos viros cóluit, multósque sacros libros sua manu descrípsit. Mox se in Græciam cónferens, Philosophia & eloquéntia instrúctus, summórum Theologórum consuetúdine flóruit: in primis verò Gregório Nazianzéno Constantinópoli óperam dedit: quo doctóre se sacras lítteras didicísse profitétur. Tum religiónis causa visit Christi Dómini incunábula, totámque lustrávit Palæstínam: quam peregrinatiónem, adhibítis Hebræórum eruditíssimis, ad sacræ Scriptúræ intelligéntiam sibi multùm profuísse testátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

DEinde secéssit in vastam Sýriæ solitúdinem: ubi quadriénnium in lectióne divinórum librórum, cælestísque beatitúdinis contemplatióne consúmpsit, assídua se abstinéntia, vi lacrymárum, & córporis afflictatióne discrúcians. Presbyter à Paulíno Epíscopo Antiochíæ factus, Romam de controvérsiis quorúmdam Episcopórum cum Paulíno & Epiphánio ad Dámasum Pontíficem proféctus, ejus Ecclesiásticis epístolis scribéndis adjútor fuit. Verùm cum prístinæ solitúdinis desidério tenerétur, in Palæstínam revérsus,

Béthlehem ad Christi Dómini præsépe, in monastério, quod a Paula Románа extrúctum erat, cæléstem quamdam vitæ ratiônem instítuit: & quamquam váriè morbis doloribúsque tentarétur, tamen córporis incómmoda piis labóribus, & perpétua lectióne ac scriptióne superábat.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad.

Lectio vj.

TAmquam ad orâculum ex ómnibus orbis terræ pártibus ad ipsum divínæ Scriptúræ quæstiónes explicándæ referebántur. Illum Dámasus Póntifex, illum sanctus Augustínus de locis Scriptúræ difficíllimis sæpè consúluit, propter ejus singulárem doctrínam, & linguæ non solùm Latínæ & Græcæ, sed Hebráicæ étiam, & Chaldáicæ intellegéntiam; & quòd omnes penè scriptóres, ejúsdem Augustíni testimónio, légerat. Hæréticos acérrimis scriptis exagitávit: piórum & catholicórum patrocínium semper suscépit. Vetus Testaméntum ex Hebræo convértit: novum jussu Dámasi Græcæ fídei réddidit; magna étiam ex parte explicávit. Multa prætéreà Latinè réddidit scripta doctórum virórum: & ipse áliis própriis ingénii monuméntis Christiánam disciplínam illustrávit. Qui ad summam senectútem pervéniens, sanctitáte & doctrína illústris, Honório Imperatóre migrávit in cælum. Cujus corpus ad Béthlehem sepúltum, pósteà Romam in Basílicam sanctæ Maríæ ad præsépe translátum est.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 5. b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

*Lib. 2. Comment. in cap. 5. Matthæi.*

SAl appellántur Apóstoli & Doctóres: quia per illos univérsum hóminum condítur genus. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Si doctor erráverit, à quo álio doctóre emendábitur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, & conculcétur ab homínibus. Exemplum de agricultúra sumptum est. Sal étenim sicut in cibórum condiméntum, & ad siccándas carnes necessárium est, ità álium usum non habet. Certè légimus in Scriptúris, urbes quasdam ira victórum sale seminátas, ut nullum in ipsis germen orirétur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viij.

CAveant ergo doctóres & Epíscopi, & vídeant poténtes poténter torménta sustinére, nihílque esse remédii, sed majórum ruínam ad tártarum dúcere. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita: neque accéndunt lucérnam, & ponunt eam sub módio, sed super candelábrum: ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Docet fidúciam prædicándi, ne Apóstoli abscondántur ob metum, & sint símiles lucérnæ sub módio; sed tota libertáte se prodant: ut quod audiérunt in cubículis, prædicent in tectis.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ & intelléctus. ℣. Jucunditátem & exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

NOlíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut Prophétas; non veni sólvere, sed adimplére. Sive quòd de se per álios prophetáta compléverit; sive quòd ea, quæ antè propter infirmitátem audiéntium rudia & imperfécta fúerant, sua prædicatióne compléverit, iram tollens, & vicem taliónis exclúdens, & occúltam in mente concupiscéntiam damnans. Donec tránseat cælum & terra. Promittúntur nobis cæli novi, & terra nova, quæ factúrus est Dóminus Deus. Si ergo nova creánda sunt, consequénter vétera transitúra.

Te Deum laudámus. 17.

In secúndis Vésperis fit Commemorátio sancti Remígii.

## FESTA OCTOBRIS.

Prima die non impedíta dícitur Offícium Defunctórum. clxxij.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

# DOMINICA

Prima Octobris, quæ incidit in Kalendas illius mensis, vel proximè sequitur.

In festo solemnitatis Sanctissimi Rosarii beatæ Mariæ Virginis.

Duplex.

## AD VESPERAS.

Antiphona. Dum esset Rex, cum reliquis Antiphonis & Psalmis, ut in Officio parvo B. Mariæ. cliij. Capitulum. Ab initio. Hymnus. Ave maris stella. clv. ℣. Dignâre me laudâre te, Virgo sacrâta. ℟. Da mihi virtûtem contra hostes tuos.

Ad Magnificat, Antiphona. Sancta Maria succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercêde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam solemnitâtem.

Orâtio.

DEus, cujus Unigénitus, per Vitam, Mortem, & Resurrectiònem suam, nobis salûtis ætérnæ præmia comparâvit: concêde quæsumus, ut hæc Mystéria sanctíssimo beatæ Mariæ Virginis Rosário recoléntes, & imitémur quod cóntinent; & quod promíttunt assequâmur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitâte.

Et fit Commemorátio Domínicæ occurréntis.

Ad Matutinum, Invitatorium. Sancta Maria Dei génitrix virgo, * Intercêde pro nobis. Psalmus. Venite exultêmus. Hymnus. Quem terra.

Antiphonæ & Psalmi Nocturnórum, ut in Officio parvo B. M. Virg. clvij.

In primo Nocturno.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procêde, & regna.

Lectiónes & Responsória ut in festo B. V. Mariæ de Mercêde, die 24. Septembris. 409.

In secundo Nocturno.

℣. Adjuvâbit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Léctio iv.

CUm Albigénsium hæresis per Tolosâtium regiònem impiè grassarêtur, atque áltiùs in dies radíces ágeret, sanctus Domínicus, qui nuper Prædicatôrum Ordinis fundaménta jécerat, ad eam convelléndam totus incúbuit. Id ut præstâret validiùs, auxílium beatæ Virginis, cujus dígnitas illis erróribus impudentíssimè impetebâtur, cuique datum est cunctas hæreses interímere in univérso mundo, enixis précibus implorâvit: à qua (ut memóriæ próditum est) cùm mónitus esset, ut Rosárium pópulis prædicâret, velut singulâre advérsùs hæreses, ac vitia, præsidium; mirum est, quanto mentis fervóre, & quàm felici succéssu injúnctum sibi munus sit exsecûtus. Est autem Rosárium certa precandi fórmula, qua quíndecim Angelicârum Salutatiònum décades, oratióne Domínica interjécta, distínguimus, & ad eârum síngulas tótidem nostræ reparatiònis Mystéria pia meditatiòne recólimus. Ex eo ergo témpore pius hic orándi modus mirabíliter per sanctum Domínicum promulgári, augerìque cœpit: quem ejúsdem Institutórem, Auctorémque fuisse Summi Pontífices, Apostólicis litteris, passim affirmârunt.

℟. Sicut cedrus exaltâta sum in Líbano, & sicut cyprés-sus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitâtem odôris. ℣. Et sicut cinnamómum & bálsamum aromatizans. Dedi.

Léctio v.

INnumerábiles porrò fructus ex hac tam salutári institutióne in Christiánam Rempúblicam dimanârunt: inter quos Victória illa meritò numerâtur, quam sanctíssimus Póntifex Pius Quintus, & ab eo inflammâti Christiáni Príncipes, apud Echinadas Insulas de Turcârum tyránno potentíssimo reportârunt. Nam cum illa ipsa die ea Victória relâta sit, qua die sanctíssimi Rosárii Sodalitâtes per univérsum orbem consuétas supplicatiónes perágerent, statutásque preces de more fúnderent; iis précibus haud immeritò refértur accépta. Quod quidem, cùm étiam Gregórius Tertiusdécimus testâtus esset, ut pro tam singulári beneficio beatæ Virgini sub appellatióne Rosárii perénnes grátiæ ubíque terrârum haberéntur: in Ecclésiis ómnibus, in quibus Altâre Rosárii foret, prima quaque Octóbris Dominica Officium ritu dúplici majóri perpétuo celebrándum indíxit: aliíque Pontífices Rosárium recitantibus, ejusdémque Rosárii Sodalitátibus Indulgéntias penè innúmeras concessêre.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, & formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, & beâtam dixérunt, & regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosârum, & lília convállium. Vidérunt.



UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio vj.

NUper verò Clemens Undecimus animo réputans insignem pariter Victóriam anno millésimo septingentésimo decimosexto in Hungáriæ Regno à Cárolo Sexto, in Imperatórem Románórum electo, de innúmeris Turcárum cópiis relátam, eo die contigiſſe, quo Festum Dedicatiónis sanctæ Maríæ ad Nives celebrarétur, atque eódem ferme témpore, quo sanctissimi Rosárii Confrátres públicam solemnémque supplicatiónem in Alma Urbe ingénti pópuli concúrsu, magnaque religióne peragéntes, fervidas ad Deum preces pro Turcárum depressióne fundérent, ac poténtem opem Deíparæ Vírginis in auxílium Christianórum humíliter implorárent: eam ob rem, Victóriam illam, necnon liberátam paulò post eorúmdem Turcárum obsidióne Corcyrénsem ínsulam, ejúsdem beátæ Vírginis patrocínio pie cénsuit adscribéndam. Quamóbrem, ut hujus quoque tam insígnis benefícii perénnis semper & memória extáret & grátia, sanctissimi Rosárii Festum eádem die, eodémque ritu celebrándum ad Ecclésiam univérsam exténdit. Hæc autem ómnia Benedictus Decimustertius in Breviário Romano novissimè apponi jussit. Sanctíssimam ergo Dei Genitrícem cultu hoc eídem gratíssimo júgiter venerémur: ut quæ tóties Christi fidélibus, Rosárii précibus exoráta, terrénos hostes profligáre dedit, ac pérdere, inférnos páriter superáre concédat.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit Regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et. Glória Patri. Unguéntum.

In tertio Nocturno.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri in Evangelium.

Loquénte Jesu ad turbas, cum reliq. ut in festo B. V. Maríæ de Mercéde die xxiv. Septémbris. 412.

Nona Lectio dícitur de Homilía Domínicæ occurréntis.

Ad Laudes & per Horas, Antíphonæ, Psalmi, Capítulum & Hymnus ut in Officio beátæ Maríæ Vírginis in Sábbato. cxlix.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Antíphona.

Beáta es María, quæ credidisti: perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi à Dómino, allelúia.

Orátio.

DEus cujus Unigénitus per Vitam, Mortem, & Resurrectiónem suam, nobis salútis ætérnæ præmia comparávit: concéde quæsumus, ut hæc Mystéria sanctíssimo beátæ Maríæ Vírginis Rosário recoléntes, & imitémur quod cóntinent, & quod promíttunt assequámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit Commemorátio Domínicæ occurréntis.

In secundis Vésperis ómnia ut in primis. 416.

Ad Magníficat, Antíphona.

Beátam me dicent omnes generatiónes: quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

Et fit Commemorátio Domínicæ occurréntis.

## DIE I. OCTOBRIS.

Sancti Remígii Epíscopi & Confessóris.

Antíphona. Sacérdos & Póntifex, & virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Orátio.

DA quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Remígii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, & devotiónem nobis áugeat, & salútem. Per Dóminum nostrum.

Lectio iij.

REmígius, Epíscopus Rheménsis, flóruit Clodovéo rege Francórum, quem étiam baptizávit, & primus ómnium doctrína & miráculis Francos ad Christi Dómini fidem perdúxit. Ejus oratióne mórtua puélla revíxit. Multos interpretátus est divínæ Scriptúræ libros. Amplius septuagínta annos summa cum laude Rheménsem Ecclésiam administrávit. Cujus vitæ & mortis sanctitátem multa, quæ consecúta sunt, miracula comprobárunt.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE II. OCTOBRIS.

In festo SS. Angelórum Custódum.

Duplex.

Ad Vésperas, Antíphona.

Angelis suis Deus mandávit, cum réliquis de Laud. 445.

Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliq. de Domínica. 133. & loco ultimi, Psalm. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *Exodi 23. d*

ECce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat in via, & introdúcat in locum quem parávi. Obsérva eum, & audi vocem ejus.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### Hymnus.

Custódes hóminum psállimus Angelos,
Natúræ frágili quos Pater áddidit
Cæléstis cómites, insidiántibus
Ne succúmberet hóstibus.

Nam quòd corrúerit próditor ángelus,
Concéssis méritò pulsus honóribus,
Ardens invídia, péllere nítitur
Quos cælo Deus ádvocat.

Huc custos ígitur pérvigil ádvola,
Avértens pátria de tibi crédita
Tam morbos ánimi, quàm requiéscere
Quidquid non sinit íncolas.

Sanctæ sit Tríadi laus pia júgiter,
Cujus perpétuo númine máchina
Triplex hæc régitur, cujus in ómnia
Regnat glória sæcula.
Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Ad Magníficat, Antiphona. Omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos, qui hereditátem cápiunt salútis.

### Oratio.

Deus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris: largíre supplícibus tuis, & eórum semper protectióne deféndi, & ætérna societáte gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ad Matutinum, Invitat. Regem Angelórum Dóminum, * Venite adorémus. Psalm. Veníte, exultémus. 2. Hymn. Custódes hóminum, ut supra in Vésperis.

In primo Nocturno, Ant. Dóminus Deus cæli & terræ ipse mittet Angelum suum coram te. Psalmus. Dómine Dóminus noster. 420. Antiphona. Deus meus misit Angelum suum, & conclúsit ora leónum, & non nocuérunt mihi. Psalm. In Dómino confído. 420. Antiphona. Bene ambulétis, & Dóminus sit in itínere vestro: & Angelus ejus comitétur vobíscum. Psalmus. Dómine, quis habitábit. 421. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Lectiones primi Nocturni, quæ sequuntur, omittuntur eo anno, quo in præcedéntibus diébus non potest legi inítium libri Esther, quod ideo legi debet in hoc Festo.

De



De libro Exodi.

Lectio j. *Cap.* 23.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat in via, & introdúcat in locum quem parávi. Obsérva eum, & audi vocem ejus, nec contemnéndum putes: quia non dimíttet cùm peccáveris, & est nomen meum in illo. Quòd si audíeris vocem ejus, & féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, & affligam affligéntes te. Præcedétque te Angelus meus.

℟. Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. * In mánibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, & décies míllies centéna míllia assistébant ei. In mánibus.

Ex Zacharía Prophéta.

Lectio ij. *Cap.* 1.

Factum est verbum Dómini ad Zacharíam, fílium Barachíæ fílii Addo, Prophétam dicens: Vidi per noctem, & ecce vir ascéndens super equum rufum, & ipse stabat inter myrtéta, quæ erant in profúndo: & post eum equi rufi, várii, & albi. Et dixi, Quid sunt isti, Dómine mi? & dixit ad me Angelus, qui loquebátur in me: Ego osténdam tibi quid sint hæc. Et respóndit vir, qui stabat inter myrtéta, & dixit: Isti sunt, quos misit Dóminus ut perámbulent terram. Et respondérunt Angelo Dómini, qui stabat inter myrtéta, & dixérunt: Perambulávimus terram, & ecce omnis terra habitátur, & quiéscit.

℟. Respóndit Angelus Dómini, & dixit: Dómine exercítuum, * Usquequò tu non miseréberis Jerúsalem, & úrbium Juda, quibus irátus es? ℣. Iste enim septuagésimus annus est. Usquequò.

Lectio iij. *Cap.* 2.

Et levávi óculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu ejus funículus mensórum. Et dixi: Quò tu vadis? Et dixit ad me: Ut métiar Jerúsalem, & vídeam, quanta sit latitúdo ejus, & quanta longitúdo ejus. Et ecce Angelus, qui loquebátur in me, egrediebátur, & Angelus álius egrediebátur in occúrsum ejus. Et dixit ad eum: Curre, lóquere ad púerum istum, dicens: Absque muro habitábitur Jerúsalem, præ multitúdine hóminum, & jumentórum in médio ejus. Et ego ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu: & in glória ero in médio ejus.

℟. In conspéctu Géntium nolíte timére: vos enim in córdibus vestris adoráte, & timéte Dóminum: * Angelus

lus enim ejus vobiscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum áureum in manu sua. Angelus. Glória Patri. Angelus.

In secúndo Noctúrno, Ant. Cùm essem vobiscum, per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite, & cantáte ei. Psalmus. Cæli enarrant. 423. Antiphona. Tollens se Angelus Dómini, qui præcedébat castra Israel, abiit post eos. Psalmus. Dómini est terra 423. Ant. Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, & eripiet eos. Psalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore. 424. ℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

*In Psalmum, Qui hábitat.*

Lectio iv.

Angelis suis mandávit de te. Mira dignátio, & verè magna diléctio charitátis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandávit? studiosè considerêmus, fratres: diligénter commendêmus memóriæ hoc tam grande mandátum. Quis enim mandávit? cujus sunt Angeli, cujus mandátis obtémperant? cujus obédiunt voluntáti? Nempè Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Nec cunctántur, quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo Majéstas mandávit Angelis, & Angelis suis mandávit. Illis útique sublímibus, tam beátis, quàm próximis sibi cohæréntibus, & verè domésticis mandávit de te. Tu quis es? Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hóminis, quóniam réputas eum? Quasi verò non sit homo putrédo, & filius hóminis vermis. Sed quid putas mandávit de te? ut custódiant te.

℟. Vivit ipse Dóminus, * Quóniam custodívit me Angelus ejus, & hinc eúntem, & ibi commorántem, & indè huc reverténtem. ℣. Et non permísit me Dóminus ancillam suam coinquinári. Quóniam.

Lectio v.

Quantam tibi debet hoc verbum inférre reveréntiam, afférre devotiónem, conférre fidúciam! Reveréntiam pro præséntia, devotiónem pro benevoléntia, fidúciam pro custódia. Cautè ámbula, ut vidélicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandátum est in ómnibus viis tuis. In quovis diversório, in quovis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne áudeas illo præsénte, quod vidénte me non audéres. An præséntem esse dúbitas, quem non vides? Quid si audíres? quid si tángeres? quid si olfáceres? Vide, quia non solo visu rerum præséntia comprobétur.

℟. Angelus Dómini descéndit cum Azaría & sóciis ejus in fornácem: & excússit flammam ignis de fornáce, * Et non tétigit eos omninò ignis, neque contristávit. ℣. Benedíctus Deus eórum, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos qui credidérunt in eum. Et non.

Lectio vj.

In ipso itaque, fratres affectuósè diligâmus Angelos ejus, tamquam futúros aliquándo coherédes nostros, interim verò actóres & tutóres a Patre pósitos, & præpósitos nobis. Quid sub tantis custódibus timeâmus? Nec superári, nec sedúci, minùs autem sedúcere possunt, qui custódiunt nos in ómnibus viis nostris; fidéles sunt, prudéntes sunt, poténtes sunt; quid trepidâmus? Tantùm sequámur eos, adhæreâmus eis, & in protectióne Dei cæli commorémur. Quóties ergo gravíssima cérnitur urgére tentátio, & tribulátio véhemens imminére, invoca custódem tuum, ductórem tuum, adjutórem tuum in opportunitátibus, in tribulatióne: incláma eum, & dic: Dómine salva nos, perímus.



℟. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus: * Et Angelus fáciei ejus salvávit eos. ℣. In dilectióne sua, & indulgéntia sua ipse redémit eos, & portávit eos, & elevávit eos cunctis diébus sæculi. Et. Glória Patri. Et.

In tertio Noctúrno, Ant. Misit Dóminus Angelum suum, qui percússit omnem virum robústum, & bellatórem, & príncipem exércitus regis Assyriórum. Psalmus. Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino 427. Antiph. Adoráte Dóminum omnes Angeli ejus, audívit, & lætáta est Sion. Psalmus. Dóminus regnávit, exúltet. 427. Antiph. Benedícite Dómino omnes Angeli ejus, poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus. Psalmus. Bénedic ánima mea Dómino: * & ómnia, quæ intra me sunt. 428. ℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis putas, major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homilía S. Hilárii Episcopi.
*Comment. in Matth. can. 18. post initium.*

NOn nisi revérsos in natúram puerórum introíre regnum cælórum Dóminus docet, id est, per simplicitátem puerílem vitia córporum nostrórum animǽque revocánda. Púeros autem credéntes omnes per audiéntiæ fidem nuncupávit. Hi enim patrem sequúntur, matrem amant, próximo velle malum nésciunt, curam opum négligunt: non insoléscunt, non odérunt, non mentiúntur, dictis credunt, & quod áudiunt, verum habent. Reverténdum igitur est ad simplicitátem infántium, quia in ea collocáti, spéciem humilitátis Domínicæ circumferémus.

℟. Machabǽus, & qui cum eo erant, cognovérunt expugnári præsídia: * Cum fletu & lácrymis rogábant Dóminum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mítteret ad salútem Israel. ℣. Cum páriter prompto ánimo procéderent Jerosólymis, appáruit præcédens eos eques in veste cándida. Cum fletu. Benedíct Quorum festum cólimus.

Lectio viij.

VÆ huic mundo ab scándalis. Humílitas passiónis scándalum mundo est. In hoc enim máxime ignorántia detinétur humána, quòd sub deformitáte crucis, ætérnæ glóriæ Dóminum nóluit accípere. Et quid mundo tam periculósum, quàm non recepísse Christum? Ideo verò necésse esse, ait, venire scándala: quia ad sacraméntum reddéndæ nobis æternitátis, omnis in eo passiónis humílitas esset explénda.

℟. Tu Dómine, qui misísti Angelum tuum sub Ezechía rege Juda, & interfecísti de castris Sennacherib centum octoginta quinque míllia: * Et nunc Dominátor cælórum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre & tremóre magnitúdinis bráchii tui. ℣. Ut metuant qui cum blasphémia véniunt advérsus sanctum pópulum tuum. Et nunc. Glória Patri. Et nunc.

Lectio ix.

VIdéte ne contemnátis unum de pusíllis istis, qui credunt in me. Aptíssimum vínculum mútui amóris impósuit, ad eos præcípue, qui verè in Dómino credidíssent. Pusillórum enim Angeli quotídie Deum vident: quia Fílius hóminis venit salváre, quæ períerant: Ergo & Fílius hóminis salvat, & Deum Angeli vident, & Angeli pusillórum præsunt fidélium oratiónibus. Præesse Angelos absolúta auctóritas est. Salvatórum igitur per Christum oratiónes Angeli quotídie Deo ófferunt. Ergo perículóse ille contémnitur, cujus desidéria ac postulatiónes ad ætérnum & invisíbilem Deum ambitióso Angelórum famulátu ac ministério pervehúntur. Te Deum laudámus. 17.



## AD LAUDES,
& per Horas, Antiphona.

ANgelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18. Aña. Laudémus Dóminum, quem laudant Angeli, quem Chérubim & Séraphim, Sanctus, sanctus, sanctus, proclámant. Aña. Angeli eórum semper vident fáciem Patris mei, qui est in cælis. Antiph. Benedíctus Deus, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos, qui credidérunt in eum. Antiphona. Laudáte Deum omnes Angeli ejus, laudáte eum omnes virtútes ejus.

Capitulum. *Exod. 23. d*

ECce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat in via, & introdúcat in locum, quem parávi. Obsérva eum, & audi vocem ejus.

Hymnus.

Ætérne Rector síderum,
Qui, quidquid est, poténtia
Magna creásti, nec regis
Minóre providéntia:

Adésto supplicántium
Tibi reórum cœtui;
Lucísque sub crepúsculum
Lucem novam da méntibus.

Tuúsque nobis Angelus,
Electus ad custódiam,
Hic adsit, à contágio
Ut críminum nos prótegat.

Nobis dracónis ǽmuli
Versútias extérminet;
Ne rete fraudeléntiæ
Incáuta nectat péctora.

Metum repéllat hóstium
Nostris procul de fínibus:
Pacem procúret cívium,
Fugétque pestiléntiam.

Deo Patri sit glória,
Qui, quos redémit Fílius,
Et sanctus unxit Spíritus,
Per Angelos custódiat.
Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Ad Benedictus, Antiphona. Revérsus est Angelus qui loquebátur in me, & suscitávit me, quasi virum, qui suscitátur à somno suo.

Orátio.

DEus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris: largíre supplícibus tuis, & eórum semper protectióne deféndi, & ætérna societáte gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad Tértiam, Antíphona. Laudémus Dóminum. Capitulum. Ecce ego mittam, ut supra. 445.

℟. breve. Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta. Glória Patri. Stetit. ℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam, Antíphona. Angeli eórum.

Capitulum. *Exod. 23. d*

NEc contemnéndum putes: quia non dimittet cùm peccáveris, & est nomen meum in illo.

℟. breve. Ascéndit fumus arómatum, * In conspéctu Dómini. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. In conspéctu. Glória Patri. Ascéndit. ℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Ad Nonam, Antíphona. Laudáte Deum.

Capitulum. *Exod. 23. c*

QUod si audíeris vocem ejus, & féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, & affligam affligéntes te. Præcedétque te Angelus meus.

℟. breve. In conspéctu Angelórum, * Psallam tibi Deus meus. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo. Psallam tibi. Glória Patri. In conspéctu. ℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

In secundis Vésperis, Antíphona. Angelis suis, cum réliquis de Láudibus. 445. Psalm. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica 233. & loco ultimi, Psalmus. Confitébor tibi Dómine in toto corde meo, * quóniam audísti. 146.

Capitulum, Hymnus & ℣. ut supra in primis Vésperis 439.

Ad Magníficat, Antíphona. Sancti Angeli Custódes nostri, deféndite nos in prælio, ut non pereámus in treméndo judício.

Orátio ut supra.

## DIE IV. OCTOBRIS.

In festo S. Francisci Confessóris. Duplex.

Omnia de Commúni Confessóris non Pontíficis, lxxiij. præter sequéntia.

Orátio.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Francísci méritis fœtu novæ prolis amplíficas: tríbue nobis, ex ejus imitatióne terréna despícere, & cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

In primo Noctúrno Lectiónes de libro Sapiéntiæ, Justus si morte præoccupátus, ut in Commúni Confessóris non Pontíficis. lxxv.

In secúndo Noctúrno.

Léctio iv.

FRanciscus, Asissi in Umbria natus, patris exémplum secútus, à prima ætáte mercatúram fecit. Qui quodam die páuperem, pro Christi amóre flagitántem pecúniam, cùm præter consuetúdinem repulisset, repénte eo facto commótus, largè ei misericórdiam impertivit: & ex eo die Deo promísit, se némini umquam poscénti eleemósynam negatúrum. Cùm verò pòst in gravem morbum incidisset, ex eo aliquándo confirmátus, cœpit ardéntius cólere officia charitátis. Qua in exercitatióne tantum profécit, ut Evangélicæ perfectiónis cúpidus, quidquid habéret, paupéribus largirétur. Quod ferens iníquiùs pater, eum ad Assisinátem Episcopum duxit, ut coram illo bonis céderet patérnis: qui rejéctis étiam véstibus, patri concéssit ómnia, illud subjúngens, sibi in pósterum majórem facultátem fore dicéndi: Pater noster qui es in cælis.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.



Léctio v.

CUm autem illud ex Evangélio audisset: Nolíte possidére aurum, neque argentum, neque pecúniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta: sibi eam regulam servandam propósuit. Itaque detráctis cálceis, & una conténtus túnica, cùm duódecim sócios adhibuisset, Ordinem Minórum instituit. Quare Romam venit anno salútis millésimo ducentésimo nono, ut sui Ordinis régula ab Apostólica Sede confirmarétur. Quem cùm accedéntem ad se Summus Póntifex Innocéntius Tértius rejecisset: quòd in somnis pósteà sibi ille, quem repúlerat, collabéntem Lateranénsem Basílicam suis húmeris sustinére visus esset, conquisítum accersíri jussit; benignéque accípiens, omnem ejus institutórum ratiónem confirmávit. Franciscus igitur, dimissis in omnes orbis terræ partes Frátribus ad prædicándum Christi Evangélium, ipse cúpiens sibi aliquam dari martyrii occasiónem, navigávit in Syriam: ubi a rege Soldáno liberalíssime tractátus, cùm nihil profíceret, rédiit in Itáliam.

℟. Amávit eum Dóminus, &

& ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

MUltis igitur extrúctis suæ famíliæ domicíliis, se in solitúdinem montis Alverni cóntulit: ubi quadraginta diérum, propter honórem sancti Michaélis Archángeli jejúnio inchoáto, festo die Exaltatiónis sanctæ Crucis, ei Séraphim Crucifíxi effígiem inter alas cóntinens appáruit: qui ejus & mánibus & pédibus & láteri vestígia clavórum impréssit: quæ sanctus Bonaventúra, cùm Alexándri Quarti Summi Pontíficis prædicatióni interésset, narrásse Pontíficem à se visa esse, lítteris commendávit. His insígnibus summi in eum Christi amóris, máximam habébat ómnium admiratiónem. Ac biénnio post gráviter ægrótans, deférri vóluit in Ecclésiam sanctæ Maríæ Angelórum: ut ubi grátiæ spíritum à Deo accéperat, ibi spíritum vitæ rédderet. Eo in loco Fratres ad paupertátem ac patiéntiam, & sanctæ Románæ Ecclésiæ fidem servándam cohortátus, Psalmum illum pronúntians, Voce mea ad Dóminum clamávi; in eo versículo, Me expéctant justi, donec retríbuas mihi, efflávit ánimam, quarto Nonas Octóbris. Quem miráculis clarum Gregórius Nonus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum scripsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 11. d*

IN illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cæli & terræ, quia abscondísti hæc à sapiéntibus, & prudéntibus, & revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

*Sermóne 10. de Verbis Dómini.*

VEníte ad me omnes, qui laborátis. Quare enim omnes laborámus: nisi quia sumus hómines mortáles, frágiles, infírmi, lútea vasa portántes, quæ fáciunt ínvicem angústias? Sed si angustiántur vasa carnis, dilaténtur spátia charitátis. Quid ergo dicit, Veníte ad me omnes qui laborátis, nisi ut non laborétis? Deníque promíssio ejus in promptu est, quóniam laborántes vocávit. Quærent fortè, qua mercéde vocáti sunt. Et ego vos, inquit, refíciam. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me, non mundum fabricáre, non cuncta visibília & invisibília creáre, non in ipso mundo mirabília fácere, & mórtuos suscitáre; sed, Quóniam mitis sum, & húmilis corde.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viij.

MAgnus esse vis? à mínimo íncipe. Cógitas magnam fábricam construére celsitúdinis? de fundaménto priùs cógita humilitátis. Et quantam quisque vult & dispónit superimpónere molem ædifícii, quantò erit majus ædifícium, tantò áltiùs fodit fundaméntum. Et fábrica quidem cùm constrúitur, in supérna consúrgit; qui autem fodit fundaméntum, ad ima déprimitur. Ergo & fábrica ante celsitúdinem humiliátur, & fastígium post humiliatiónem erígitur.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

QUod est fastígium construéndæ fábricæ, quam mólimur? quò perventúrum est cacúmen ædifícii? Citò dico, usque ad conspéctum Dei. Vidétis quam excélsum est, quanta res est conspícere Deum. Qui desíderat, & quod dico, & quod audit intélligit. Promíttitur nobis conspéctus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, vidéntem vidére. Nam qui colunt falsos deos, fácilè illos vident; sed eos vident, qui óculos habent, & non vident. Nobis autem promíttitur vísio Dei vivéntis, & vidéntis.

Te Deum laudámus. 17.

In secundis Vesperis fit Commemorátio SS. Plácidi & Sociórum Mártyrum.

## DIE V. OCTOBRIS.

Sanctórum Plácidi & Sociórum Mártyrum.

Antiphona. Istórum est enim regnum cælórum, qui contemp-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orátio.

Deus, qui nos concédis sanctórum mártyrum tuórum, Plácidi & Sociórum ejus, natalítia cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Lectio iij.

Plácidus Romæ, Tertúllo patre in primis nóbili natus, puer Deo oblátus, & sancto Benedicto tráditus, tantum ejus disciplína & monásticæ vitæ institútis profécit, ut inter præcípuos illíus discípulos numerétur. Ab eo in Sicíliam missus, monastérium & Ecclésiam in honórem sancti Joánnis Baptístæ prope Messánæ portum constrúxit, ubi cum Mónachis admirábili sanctitáte vixit. Ejus viséndi causa cùm eò venissent Eutychius & Victorínus illíus fratres, & Flávia virgo soror, eódem témpore illuc áppulit immánis quidam piráta, Manúcha nómine, qui capto monastério, cùm Plácidum & céteros nullo modo addúcere potuisset ut Christum negárent, ipsum fratrésque illíus ac sorórem crudéliter necári jussit. Cum quibus étiam Donátus, Firmátus Diáconus, Faustus, aliíque trigínta Mónachi, martyrii agónem felíciter consummárunt tértio Nonas Octóbris, anno salútis quingentésimo trigésimo nono.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE VI. OCTOBRIS.

In festo S. Brunónis Confessóris. Duplex.

Omnia dicúntur de Commúni Confessóris non Pontíficis, lxxiij. præter sequéntia.

Orátio.

Sancti Brunónis Confessóris tui, quæsumus Dómine, intercessiónibus adjuvémur: ut qui majestátem tuam gráviter delinquéndo offéndimus, ejus méritis & précibus nostrórum delictórum véniam consequámur. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrente.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

Bruno Carthusiánæ Religiónis institútor, Colóniæ Agrippínæ natus est. Ab ipsis incunábulis spécimen futúræ sanctitátis præferens, morum gravitáte, puerília illíus ætátis, divína favénte grátia, declinans, ádeò excélluit, ut jam inde Monachórum pater, vitæque anachoréticæ futúrus instaurátor agnoscerétur. A paréntibus, génere ac virtúte cláris, Lutétiam Parisiórum missus, tantum ibi in Philosophiæ ac Theologiæ stúdiis profécit, ut Doctóris ac Magistri munus in utráque facultáte sit adéptus: nec multò post, ob egrégias ipsíus virtútes, Ecclésiæ Rheménsis Canonicátu potítus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Elápsis áliquot annis cum sex áliis familiáribus mundo renúntians, sanctum Hugónem Episcopum Gratianopolitánum ádiit. Qui causa eórum advéntus cógnita, eosdémque intélligens esse, quos eádem nocte velúti septem stellas ad suos pedes corruéntes in somnis víderat: montes suæ Diœcésis aspérrimos, quos Carthusiános appéllant, illis concéssit. Illuc Bruno cum sóciis, ipso Hugóne comitánte, secédens, cum per áliquot annos eremíticam vitam egísset, ab Urbáno Secúndo, qui ejúsdem Brunónis discípulus fúerat, Romam accersítur. Ejus consíliis ac doctrína Póntifex, in tot illis Ecclésiæ calamitátibus, per áliquot annos usus est: donec Bruno, recusáto Rhegiénsi Archiepiscopátu, discedéndi facultátem obtínuit.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et.

Lectio vj.

Igitur solitúdinis amóre erémum quamdam apud Squillácum in Calábriæ fínibus pétiit. Quo in loco, cùm ipsum orántem Rogérius Comes Calábriæ inter venándum, latrántibus ad illíus spelúncam cánibus, reperísset, sanctitáte viri permótus, illum ac sócios fovére, & cólere impénsè cœpit. Nec liberálitas sine prǽmio fuit. Cum enim idem Rogérius Cápuam obsidéret, cúmque Sérgius quidam excubiárum magíster pródere statuísset, Bruno adhuc in dicta erémo vivens, in somnis illi ómnia apériens, ab imminénti perículo Cómitem liberávit. Tandem virtútibus ac méritis plenus, nec sanctitáte minùs quàm doctrínæ fama clarus, obdormívit in Dómino, sepultúsque est in monastério sancti Stéphani ab ipso Rogé-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gério constrúcto, ubi háctenùs honorificè cólitur.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregórii Papæ in Evangélium Sint lumbi vestri, de Communi Confessóris non Pontíficis. lxxxij.

In secundis Vésperis fit Commemorátio de sequenti.

## DIE VII. OCTOBRIS.

Sancti Marci Papæ & Confessóris.

Antiph. Sacérdos & Póntifex, & virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Orátio.

EXáudi Dómine preces nostras, & interveniénte beáto Marco Confessóre tuo atque Pontífice, indulgéntiam nobis tribue placátus & pacem. Per Dóminum.

Et fit Commemorátio sanctorum Mártyrum Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apuléii, Antiph. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orátio.

SAnctórum mártyrum tuórum nos, Dómine, Sérgii, Bacchi, Marcelli, & Apuléii, beáta mérita prosequántur, & tuo semper fáciant amóre fervéntes. Per Dóminum.

Lectio iij.

MArcus Románus, Constantino magno Imperatóre Póntifex, instituit, ut Episcopus Ostiénsis, à quo Románus Póntifex consecrátur, pállio uterétur. Duas Romæ Basílicas ædificávit, álteram in Urbe, álteram via Ardeatína: quas Constantinus auctas, magnis munéribus exornávit. Vixit in Pontificátu menses octo, sepultúsque est in cœmetério Balbínæ. Te Deum laudámus. 17.

In Láudibus fit Commem. SS. Sergii, &c. Mártyrum Antiphona. Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orátio. Sanctórum mártyrum tuórum, ut suprà. 412.



## DIE VIII. OCTOBRIS.

In festo S. Birgittæ Viduæ. Duplex.

Omnia de Communi Sanctárum nec Vírginum nec Mártyrum, ex. præter ea, quæ hic habéntur.

Orátio.

DOmine Deus noster, qui beátæ Birgittæ per Fílium tuum unigénitum secréta cæléstia revelásti: ipsíus pia intercessióne da nobis fámulis tuis, in revelatióne sempitérnæ glóriæ tuæ gaudére lætántes. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BIrgitta in Suévia illústribus & piis paréntibus orta, sanctíssimè vixit. Cùm adhuc in útero gestarétur, à naufrágio propter eam mater erépta est. Decennis post audítum de passióne Dómini sermónem, sequénti nocte Jesum in cruce recénti sánguine perfúsum vidit, & de eádem passióne secum loquéntem: quo ex témpore in ejúsdem meditatióne ita afficiebátur, ut de ea sine lácrymis cogitáre deinceps numquam posset.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et.

Lectio v.

ULfóni Nericiæ Príncipi in matrimónium trádita, virum ipsum ad pietátis offícia, tum óptimis exémplis, tum efficácibus verbis adhortáta est. In filiórum educatióne píssima. Paupéribus, & máximè infírmis, domo ad id múneris dicáta, inserviébat quàm diligentíssimè, illórum pedes sólita laváre, & osculári. Cùm autem unà cum viro suo rediret Compostélla, ubi sancti Jacóbi Apóstoli sepúlchrum visitáverant, & Atrebáti Ulfo gráviter ægrotáret, sanctus Dionysius Birgittæ noctu appáruit, & de maríti salúte, aliísque de rebus, quæ futúræ erant, præmónuit.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà.

Lectio vj.

VIro Cisterciénsi mónacho facto, & pauló post defúncto, Birgitta, audíta Christi voce in somnis, arctiórem vitæ formam est aggressa. Cui deinde arcána multa fuérunt divinitùs reveláta. Monastérium Vastanénse sub régula sancti Salvatóris, ab ipso Dómino accép-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cépta, instituit. Romam Dei jussu venit, ubi plúrimos ad amórem divinum vehementer accéndit. Indè Jerosólymam pétiit, & iterùm Romam: qua ex peregrinatióne cùm in febrim incidisset, grávibus per annum integrum afflictata morbis, cumuláta méritis, prænuntiáto mortis die, migrávit in cælum. Corpus ejus ad Vastanénse monastérium translátum est: & miráculis illústrem Bonifácius Nonus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tértio Nocturno, Homília sancti Gregórii Papæ in Evangélium: Símile est regnum cælórum thesáuro, de Commúni Sanctárum non Vírginum. cxvj.

In secúndis Vésperis Commemorátio de sequénti.

## DIE IX. OCTOBRIS.

In festo SS. mártyrum Dionysii, Rústici, & Eleuthérii. Semidúplex.

Omnia de Commúni plurimórum Mártyrum, xxxvij. præter sequéntia.

### Orátio.

Deus, qui hodiérna die beátum Dionysium Mártyrem tuum atque Pontíficem virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi ad prædicándum Géntibus glóriam tuam Rústicum, & Eleuthérium sociáre dignátus es: tribue nobis quǽsumus, eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, & nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Nocturno.

### Léctio iv.

Dionysius Atheniénsis, unus ex Areopagítis júdicibus, vir fuit omni doctrínæ génere instrúctus. Qui cùm adhuc in Gentilitátis erróre versarétur, eo die quo Christus Dóminus cruci affíxus est, solem præter natúram defecísse animadvértens, exclamásse tráditur: Aut Deus natúræ pátitur, aut mundi máchina dissolvétur. Sed cùm Paulus Apóstolus véniens Athénas, & in Areópagum ductus, ratiónem reddidísset ejus doctrínæ, quam prædicábat, affírmans Christum Dóminum resurrexísse, & mórtuos omnes in vitam reditúros esse: cùm álii multi, tùm ipse Dionysius in Christum crédidit.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra.



### Léctio v.

Itaque & baptizátus est ab Apóstolo, & Atheniénsium Ecclésiæ præféctus. Qui cùm posteà Romam venísset, à Cleménte Pontífice missus est in Gálliam prædicándi Evangélii causa. Quem Lutétiam usque Parisiórum Rústicus presbyter, & Eleuthérius Diáconus prosecúti sunt: ubi à Fescénnio Præfécto, quòd multos ad Christiánam religiónem convertísset, ipse cum sóciis virgis cæsus est: cùmque in prædicatióne Christiánæ fídei constantíssimè perseveráret, in cratículam subjécto igne injícitur, multísque prætéreà supplíciis unà cum sóciis cruciátur.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

### Léctio vj.

Sed ea tormentórum génera ómnibus forti, ac libénti ánimo perferéntibus, Dionysius annum agens supra centésimum, cum réliquis secúri percútitur séptimo Idus Octóbris. De quo illud memóriæ próditum est, abscíssum suum caput sustulísse, & progréssum ad duo míllia passuum in mánibus gestásse. Libros scripsit admirábiles, ac planè cæléstes, de divínis nomínibus, de cælésti & Ecclesiástica hierarchía, de mystica Theología, & álios quosdam.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam.

In tértio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

### Léctio vij. *Cap. 12.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite à ferménto Pharisæórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 4. in Lucam, cap. 52.*

De hoc ferménto Apóstolus præcipit: Itaque epulémur non in ferménto véteri, neque in fer-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ferménto malítiæ & nequítiæ, sed in ázymis sinceritátis, & veritátis. Nam sicut módicum ferméntum totam farínæ, cui injícitur, massam corrúmpit, universámque mox conspersiónem suo sapóre commáculat: sic nimirùm simulátio, cujus semel ánimum imbúerit, tota virtútum sinceritáte & veritáte fraudábit. Est ergo sensus: Atténdite ne æmulémini simulatóres, quia véniet profectò tempus, in quo & vestra virtus ómnibus, & eórum revelétur hypócrisis.

℟. Propter testaméntum Dómini, & leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quàm bonum & quàm jucúndùm habitáre fratres in unum. Quia unus.

Lectio viij.

VErùm quod séquitur: Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: non solùm in futúro, quando cuncta córdium abscóndita proferéntur ad lucem, sed & in præsénti témpore potest congruénter áccipi: quóniam quæ inter ténebras quondam pressurárum, carcerúmque umbras, vel locúti vel passi sunt Apóstoli: nunc clarificáta per orbem Ecclésia, lectis eórum áctibus públicè prædicántur. Ne terreámini ab his qui occídunt corpus. Si persecutóres Sanctórum, occísis corpóribus non habent ámplius quid contra illos agant: ergo supervácua furúnt insánia, qui mórtua Mártyrum membra feris avibúsque discerpénda projíciunt: cùm nequáquam omnipoténtiæ Dei, quin ea resuscitándo vivíficet, obsístere possint.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis, * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

DUo autem sunt génera persecutórum: unum palàm sæviéntium, álterum fictè fraudulentérque blandiéntium. Contra utrúmque nos munire atque instítuere volens Salvátor, & suprà ab hypócrisi Pharisæórum atténdere, & hic à carnificum cæde præcipit non timére: quia vidélicet post mortem, nec horum crudélitas, nec illórum váleat simulátio duráre. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio? Si minutíssima, inquit, animália, & quæ quólibet per áëra ferúntur volatília, Deus oblivísci non potest; vos qui



qui ad imáginem facti estis Creatóris, non debétis terréri ab his qui occídunt corpus: quia qui irrationabília animália gubérnat, rationabília curáre non désinit.

Te Deum laudámus. 17.

Vésperæ de sequénti sine ulla Commemoratióne in Hispánia.

## DIE X. OCTOBRIS.

In festo sancti Francisci Bórgiæ Conféssóris.

Duplex ij. Classis in Hispánia.

Omnia de Commúni Confessóris non Pontíficis, lxxiij. præter sequéntia, & in Hymno Iste Conféssor, mutátur tértius Versus.

Orátio.

DOmine Jesu Christe, veræ humilitátis & exémplar, & prǽmium: quǽsumus, ut sicut beátum Franciscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ità nos ejúsdem imitatiónis, & glóriæ tríbuas esse consórtes. Qui vivis.

In primo Nocturno Lectiónes de eodem Commúni secúndo loco, Beátus vir.

In secúndo Nocturno.

Lectio iv.

FRanciscus Gándiæ Dux quartus, Joanne Bórgia, & Joanna Aragónia, Ferdinándi Cathólici nepte génitus, post puerílem ætátem inter doméstícos mira innocéntia & pietáte transáctam, in aula primùm Caroli Quinti Cǽsaris, mox in Catalaúniæ administratióne admirabílior fuit Christiánæ virtútis & vitæ austerióris exémplis. Ad Granaténse sepúlchrum Isabéllam Imperatrícem cùm detulísset, in ejus vultu, fœde commutáto, mortálium ómnium caducitátem rélegens, voto se adstrinxit rebus ómnibus, cùm primùm licéret, abjéctis, regum Regi únicè inserviéndi. Indè tantum virtútis increméntum fecit, ut inter negotiórum turbas religiósæ perfectiónis simíllimam imáginem réferens, Miráculum príncipum appellarétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

MOrtua Eleonóra de Castro cónjuge, ingréssus est Societátem Jesu, ut in ea latéret secúrius, & præclúderet dignitátibus áditum, interpósita voti religióne: dignus, quem & viri príncipes complúres in amplecténdo severióri institúto fúerint secúti, & Caro-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

lius Quintus ipse in abdicándo Império hortatórem sibi, aut ducem extitisse non diffiterétur. In eo arctióris vitæ stúdio Franciscus jejúniis, caténis férreis, aspérrimo cilício, cruéntis, longísque verberatiónibus, somno brevíssimo, corpus ad extrémam usque macíem redégit; nullis prætérea parcens labóribus ad sui victóriam, & ad salútem animárum. Tot ítaque instrúctus virtútibus, à sancto Ignátio primùm Generális Commissárius in Hispániis, nec multò post Præpósitus Generális Tértius à Societáte universa, licet invitus, elígitur. Quo in múnere Princípibus, ac Summis Pontifícibus prudéntia, ac morum sanctitáte apprimè charus, præter complúra vel cóndita, vel aucta ubíque domicília, Sócios in regnum Polóniæ, in ínsulas Oceáni, in Mexicánam, & Peruánam províncias invéxit: missis quoque in álias regiónes Apostólicis viris, qui prædicatióne, sudóribus, sánguine, fidem Cathólicam Románam propagárunt.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

DE se ità demisse sentiébat, ut peccatóris nomen sibi próprium fáceret: Románam púrpuram à Summis Pontifícibus sæpius oblátam, invicta humilitátis constántia recusávit. Verrere sordes, emendicáre victum ostiátim, ægris ministráre in Nosocómiis, mundi ac sui contémptor, in delíciis hábuit. Síngulis diébus multas continénter horas, frequénter octo, quandóque decem, dabat cæléstium contemplatióni. Cénties quotídie de genu Deum adorábat. Numquam à sacrificándo abstínuit: prodebátque sese divínus, quo æstuábat ardor, ejus vultu sacram Hóstiam offeréntis, aut concionántis interdum radiánte. Sanctíssimum Christi Corpus in Eucharístia latens, ubi asservarétur instínctu cælésti sentiébat. Cardináli Alexandríno, ad conjungéndos contra Turcam Christiános príncipes, legáto comes ádditus à beáto Pio Quinto árduum iter, fractis jam penè víribus, suscépit ex obediéntia: in qua & vitæ cursum Romæ, ùt optárat, felíciter consummávit, anno ætátis suæ sexagésimo secúndo, salútis verò millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo. A sancta Terésia, quæ ejus



ejus utebátur consíliis, Vir sanctus, à Gregório Décimo-tértio, Fidélis administer appellátus: demùm à Cleménte Décimo plúribus, magnísque clarus miráculis, in Sanctórum númerum adscríptus.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tértio Noctúrno, Lectiónes de Homilía S. Hierónymi Presbyteri in Evangélium Ecce nos relíquimus ómnia, ut in Commúni Abbátum. lxxxix.

## DIE XIII. OCTOBRIS.

In festo S. Eduárdi Regis Confessóris.

Semidúplex.

Omnia de Commúni Confessóris non Pontíficis, lxxiij. præter sequéntia.

In Hymno Iste Confessor mutátur tértius Versus.

Orátio.

DEus qui beátum regem Eduárdum Confessórem tuum ætérnitátis glória coronásti: fac nos, quæsumus, ita eum venerári in terris, ut cum eo regnáre possímus in cælis. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

EDuárdus cognoménto Conféssor, nepos sancti Eduárdi regis & Mártyris, Anglo-Saxónum Regum últimus (quem futúrum Regem Brithuáldo viro sanctíssimo in mentis excéssu Dóminus demonstrávit) decénnis à Danis Angliam vastántibus quæsítus ad necem, exuláre cógitur apud avúnculum Normánniæ Ducem: ubi in médiis vitiórum illécebris talem se exhíbuit integritáte vitæ, morúmque innocéntia, ut ómnibus admiratióni esset. Elúxit in eo vel tum mira píetas in Deum, ac res divínas, fuítque ingénio mitíssimo, atque ab omni dominándi cupiditáte alieno: cujus ea vox fertur, Malle se regno carére, quod sine cæde & sánguine obtinéri non possit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

EXtínctis mox tyránnis, qui frátribus suis vitam, & regnum eripúerant, revocá-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

câtur in pátriam, ubi summis ómnium votis & gratulatiône regno potitus, ad hostílium irârum delénda vestígia totum se convértit, à sacris exórsus ac Divôrum templis: quorum ália à fundaméntis eréxit, ália refécit, auxítque redditibus ac privilégiis, in eam curam potíssimum inténtus, ut refloréscere collápsa Relígio. Ab aulæ procéribus compúlsum ad núptias, constans est assértio scriptôrum, cum vírgine sponsa virginitâtem in matrimónio servásse. Tantus in eo fuit in Christum amor, & fides, ut illum aliquándo inter Missârum solémnia vidêre merúerit blando vultu, & divína luce fulgéntem. Ob profúsam charitâtem, orphanôrum & egenôrum pater passim dicebâtur: numquam lætior, quàm cùm régios thesauros exhausisset in páuperes.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam Fídei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

PRophetiæ dono illústris, de Angliæ futuro statu multa cælitùs prævídit: & illud in primis memorábile, quod Suveyni Danôrum regis in mare demérsi mortem, dum Angliam invadéndi ánimo classem conscénderet, eôdem quo áccidit moménto, divinitùs intelléxit. Joánnem Evangelístam mirífice cóluit: nihil cuíquam quod ejus nómine peterêtur, negâre sólitus. Cui olim sub lácera veste suo nómine stipem rogánti, cùm nummi deéssent, detráctum ex dígito ánnulum porréxit, quem Divus non ità multò post Eduárdo remísit, unà cum núntio secutúræ mortis. Quare Rex, indíctis pro se précibus, ipso ab Evangelísta prædícto die, píissimè óbiit, Nonis vidélicet Januárii, anno salûtis millésimo sexagésimo sexto: quem sequénti sæculo, Alexánder Tértius, Pontífex Máximus miráculis clarum, Sanctôrum fastis adscripsit. At ejus memóriam Innocéntius Undécimus offício públíco per univérsam Ecclésiam eo die celebrâri præcépit, quo annis ab óbitu sex & trigínta translátum ejus corpus incorrúptum, & suâvem spirans odôrem, repértum est.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervênit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno Homilía sancti Gregórii Papæ in Evangélium. Sint lumbi vestri præcíncti, ut in Commúni Confessôris non Pontíficis. lxxxij.

In secúndis Vésperis à Capítulo de sequénti cum Commemoratiône S. Eduárdi.

## DIE XIV. OCTOBRIS.

In festo S. Callísti Papæ & Mártyris.

Semidúplex.

Omnia de Commúni uníus Mártyris, xxij. præter sequéntia.

Oratio.

DEus, qui nos cónspicis ex nostra infirmitâte defícere, ad amôrem tuum nos misericórditer per Sanctôrum tuôrum exémpla restaura. Per Dóminum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptúra occurrénte.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CAllistus Români præfuit Ecclésiæ Antoníno Heliogábalo Imperatôre. Constítuit Quátuor anni Témpora, quibus jejúnium ex Apostólica traditiône accéptum ab ómnibus servarêtur. Ædificâvit Basílicam sanctæ Maríæ trans Tíberim: & in via Appia vetus cœmetérium ampliávit, in quo multi sancti Sacerdótes & Mártyres sepúlti sunt: quod ab eo Callísti cœmetérium appellátur. Sedit annos quinque, mensem unum, dies duódecim. Ordinatiónibus quinque mense Decémbri creávit Presbyteros sexdecim, Diáconos quátuor, Epíscopos octo. Martyrio coronâtus sub Alexándro Imperatôre, illâtus est in cœmetérium Calepódii via Aurélia, tértio ab Urbe lápide, prídie Idus Octóbris.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

*Sermône 44. de Sanctis.*

Lectio v.

TRiumphâlis beâti mártyris Callísti dies hódie nobis anniversária celebritâte recúrrit: cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propônit sequénda vestígia. Si enim compátimur, & conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípuè consideránda sunt: induráta vidélicet tortôris sævítia, & mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortôris, ut eam detestémur;

mur: Patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmistam advérsus malítiam increpántem: Noli æmulári in malignántibus: quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent. Quòd autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem: Patiéntia vobis necessária est, ut reportêtis promissiónes.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vj.

CORonâta itaque est beáti Mártyris patiéntia, mancipáta est ætérnis cruciátibus tortóris incorrécta malítia. Hoc attèndens in agóne suo gloriósus Christi athléta, non exhórruit cárcerem. Ad imitatiónem capitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit: & quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, altè retinébat: Quia non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Et quia momentáneum hoc & leve nostræ tribulatiónis, ætérnum glóriæ pondus operátur in cælis. Hujus promissiónis amóre à terrénis suspénsus, & prægustáta supérnæ suavitátis dulcédine, ineffabíliter afféctus, dicébat cum Psalmísta: Quid mihi est in cælo, & à te quid vólui super terram? Defécit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et.

## In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 10. c*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur: & occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Episcopi.

*Comment. in Matth. can. 10. post médium.*

DOminus diem judícii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet: & ea, quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ deteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuéndas: quia dies judícii nulla hæc fuísse atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: & quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, & doctrínam in ténebris tradidísse: sed quia omnis sermo ejus, carnálibus ténebræ sunt, & verbum ejus infidélibus nox est.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viij.

ITaque id, quod à se dictum est, cum libertáte fídei & confessiónis vult esse loquéndum. Idcircò quæ in ténebris dicta sunt, prædicári jussit in lúmine: ut quæ secréto áurium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, & profúndum doctrínæ Evangélicæ secrétum in lúmine prædicatiónis Apostólicæ revelándum, non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est: sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna & ánimæ & córporis sit potéstas.

℟. Hic est verè martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

NOlite timére eos qui occídunt corpus. Nullus igitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndæ carnis admittendus est dolor: quando pro natúræ suæ atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos, opórtet liberam confiténdi Dei habére constántiam: étiam conditiónem, qua tenerémur, adjécit: negatúrum se eum Patri in cælis, qui se homínibus in terra negásset; eum porrò qui conféssus coram homínibus se fuísset, & à se in cælis confiténdum: qualésque nos nó-



 mi-

VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

minis sui testes hominibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

Te Deum laudámus. 17.

Vésperæ de S. Terésia, cum Commemoratióne S. Callisti Papæ & martyris.

## DIE XV. OCTOBRIS.

In festo S. Terésiæ Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum, xc. exceptis iis, quæ hic própria ponúntur.

Ad Vésperas, Capitulum. 2. *Cor.* 10. *d*

FRatres, Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est, sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

REgis supérni núntia
Domum patérnam déseris,
Terris Terésa bárbaris
Christum datúra, aut sánguinem:
Sed te manet suávior
Mors, pœna poscit dúlcior;
Divini amóris cúspide
In vulnus icta cóncides.
O Charitátis víctima!
Tu corda nostra cóncrema,
Tibique gentes créditas
Averni ab igne líbera.
Sit laus Patri cum Fílio,
Et Spíritu Paráclito,
Tibíque sancta Trínitas,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, & regna.

Ad Magníficat, Antíphona. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Orátio.

EXáudi nos Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Terésiæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita cæléstis ejus doctrínæ pábulo nutriámur, & piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

Pro Commemor. S. Callisti Papæ & martyris, Antíphona. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Orátio. Deus, qui nos cónspicis, ut supra. 461.

Ad Matutinum, Invitator. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

HÆc est dies, qua cándidæ
Instar colúmbæ, Cælitum
Ad sacra templa spíritus
Se tránstulit Terésiæ,
Sponsíque voces áudiit:
Veni soror de vértice
Carméli ad Agni núptias:
Veni ad corónam glóriæ.

Te



Te sponse Jesu Vírginum,
Beáti adórent Ordines,
Et nuptiáli cántico
Laudent per omne sæculum.
Amen.

Antíphonæ, Psalmi, ℣. & ℟. Nocturnórum de Commúni Vírginum. xciv.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Nocturno.

Lectio iv.

TErésia virgo nata est Abulæ in Hispánia, paréntibus tum génere, tum pietáte præcláris. Ab iis divíni timóris lacte educáta, admirándum futúræ sanctitátis in teneríssima adhuc ætáte spécimen dedit. Nam cum sanctórum Mártyrum acta perlégeret, adeò in ejus meditatióne sancti Spíritus ignis exársit, ut domo aufúgiens in Africam trajíceret, ubi vitam pro glória Jesu Christi, & animárum salúte profúnderet. A pátruo revocáta, ardens martyrii desidérium eleemósynis, aliísque piis opéribus compensávit, júgibus lácrymis deplórans óptimam sibi sortem fuísse præréptam. Mórtua matre, cùm à beatíssima Vírgine péteret, ut se matrem esse monstráret, pii voti compos effécta est: semper perínde ac fília patrocínio Deíparæ perfruens. Vigéssimum ætátis annum agens, ad Moniáles sanctæ Maríæ de Monte Carmélo se cóntulit: ubi per duodevigínti annos gravíssimis morbis, & váriis tentatiónibus vexáta, constantíssime méruit in castris Christiánæ pœniténtiæ, nullo refécta pábulo cæléstium eárum consolatiónum, quibus solet étiam in terris sánctitas abundáre.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

ANgélicis ditáta virtútibus, non modò própriam, sed públicam étiam salútem sollícita charitáte curávit. Quare severiórem véterum Carmelitárum régulam, Deo afflánte, & Pio Quarto approbánte, primùm muliéribus, deinde viris observándam propósuit. Effloruit in eo consílio omnipoténtis miseréntis Dómini benedíctio: nam duo supra trigínta Monastéria inops virgo pótuit ædificáre, ómnibus humánis destitúta auxíliis, quinimmò adversántibus plerúmque sæculi Princípibus. Infidélium & hæreticórum ténebras perpétuis deflébat lácrymis, atque ad placándam divínæ

V 5 ul-

ultiónis iram voluntários próprii córporis cruciátus Deo pro eórum salúte dicábat. Tanto autem divíni amóris incéndio cor ejus conflagrávit, ut méritò víderit Angelum ignito jáculo sibi præcórdia transverberántem, & audíerit Christum data déxtera dicéntem sibi: Deinceps ut vera sponsa meum zelábis honórem. Eo consiliánte, máximè árduum votum emísit, efficiéndi semper quidquid perféctius esse intellígeret. Multa cœléstis sapiéntiæ documénta conscrípsit, quibus fidélium mentes ad supérnæ pátriæ desidérium máximè excitántur.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea.

Léctio vj.

CUm autem assídua éderet exémpla virtútum, tam ánxio castigándi córporis desidério æstuábat, ut quamvis secùs suadérent morbi, quibus affligebátur, corpus cilíciis, caténis, urticárum manípulis, aliísque aspérrimis flagéllis sæpè cruciáret, & aliquándo inter spinas volutáret, sic Deum álloqui sólita: Dómine aut pati, aut mori; se semper misérrima morte pereúntem existimans, quándiù à cœlésti ætérnæ vitæ fonte abésset. Prophétiæ dono excélluit, eámque divínis charismátibus tam liberáliter locupletábat Dóminus, ut sæpiùs exclámans péteret, benefíciis in se divínis modum impóni, nec tam céleri oblivióne culpárum suárum memóriam aboléri. Intolerábili ígitur divíni amóris incéndio pótiùs, quam vi morbi, Albæ cùm decúmberet, prænuntiáto suæ mortis die, Ecclesiásticis Sacraméntis muníta, alúmnos ad pacem, charitátem, & regulárem observántiam adhortáta, sub colúmbæ spécie puríssimam ánimam Deo réddidit, annos nata sexagínta septem, anno millésimo quingentésimo octogésimo secúndo, Idibus Octóbris, juxta Kalendárii Románi emendatiónem. Ei moriénti adésse visus est inter Angelórum ágmina Christus Jesus: & arbor árida cellæ próxima statim effióruit. Ejus corpus usque ad hanc diem incorrúptum, odoráto liquóre circumfúsum pia veneratióne cólitur. Miráculis cláruit ante & post óbitum, eámque Gregórius Décimus-quintus in Sanctárum númerum rétulit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 25.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilía 12. in Evangélia.*

SÆpè vos, fratres charíssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre: sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere, ut & bona quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis: ne per hoc quod à vobis rectum géritur, favor aut grátia humána requirátur: ne apétitus laudis subrépat, & quod foris osténditur, intùs à mercéde vacuétur. Ecce enim Redemptóris voce decem vírgines, & omnes dicúntur vírgines, & tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes sunt recéptæ, quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam forìs éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et.

Léctio viij.

SEd priùs quæréndum nobis est, quid sit regnum cælórum, aut cur decem virgínibus comparétur, quæ étiam vírgines prudéntes & fátuæ dicántur. Dum enim cælórum regnum constat, quia reprobórum nullus ingréditur, étiam fátuis virgínibus cur símile esse perhibétur? Sed sciéndum nobis est, quòd sæpè in sacro elóquio regnum cælórum præséntis témporis Ecclésia dícitur. De quo álio in loco Dóminus dicit: Mittet Fílius hóminis Angelos suos, & cólligent de regno ejus ómnia scándala. Neque enim in illo regno beatitúdinis, in quo pax summa est, inveníri scándala póterunt, quæ colligántur.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

### Lectio ix.

IN quinque autem córporis sensibus unusquisque subsistit. Geminàtus autem quinàrius denàrium perficit. Et quia ex utrôque sexu fidélium multitúdo colligitur, sancta Ecclésia decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali cum bonis, & réprobi cum eléctis admixti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus & fátuis esse perhibétur. Sunt namque plerique continéntes, qui ab appetitu se exterióri custódiunt, & spe ad interióra rapiúntur, carnem mácerant, & toto desiderio ad supérnam pátriam anhélant, ætérna prǽmia expetunt, pro labóribus suis recipere laudes humánas nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra consciéntiam contegunt. Et sunt plerique, qui corpus per abstinéntiam affligunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres expétunt.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Laudes, Hymnus ut in primis Vésperis. 464.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Antiphona. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærenti bonas margaritas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, & comparávit eam.

Orátio.

EXáudi nos Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Teresiæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ità cæléstis ejus doctrínæ pábulo nutriámur, & piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

In secúndis Vésperis, ómnia ut in primis. 464.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

## DIE XVII. OCTOBRIS.

In festo S. Heduvigis Víduæ; Semidúplex.

Omnia de Commúni Sanctárum nec Vírginum nec Mártyrum, ex. præter ea, quæ hic habéntur.

Orátio.

DEus, qui beátam Heduvigem à sæculi pompa, ad húmilem tuæ crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde, ut ejus méritis, & exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, & in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis advérsantia superáre. Qui vivis.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrente.

In secúndo Noctúrno.

### Lectio iv.

HEduvígis Régiis clara natálibus, innocéntia tamen vitæ longè clárior, sanctæ Elisabéthæ filiæ regis Hungáriæ matértera, Berthóldi, & Agnétis Morávia Marchiónum fília, ánimi ab ineúnte ætáte moderatiónem prótulit: adhuc enim puéllula puerílibus abstínuit: & duodénnis Henríco Polóniæ Duci à paréntibus nuptui trádita, thálami fide sancte serváta, prolem inde suscéptam in Dei timóre erudívit. Ut autem commódiùs Deo vacáret, ex pari voto, & consénsu unánimi ad separatiónem thori virum indúxit; quo defúncto, ipsa in Monastério Trebnicénsi, Deo, quem assíduis précibus exoráverat, inspiránte, Cisterciénsem devóta sumpsit hábitum: in eóque contemplatióni inténta, divínis Offíciis, & Missárum solemniis à solis ortu ad merídiem usque assídua assístens, antíquum humáni géneris hostem fortis contémpsit.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et dedúcet.

### Lectio v.

SÆculi autem commércia, ni Divína, vel animárum salútem attíngerent, audíre, vel loqui non sustínuit: prudéntia in agéndis sic emícuit, ut neque excéssus esset in modo, nec error in órdine, comis allóqui, & mansuéta in próximum. Grandem autem de se triúmphum jejúniis, & vigíliis, vestiúmque asperitáte austéra carnem macerans, reportávit: hinc sublimióribus florens virtútibus christiánis, consiliórum gravitáte, animíque candóre, & quiéte in exímium religiósæ pietátis evásit exemplar: ómnibus se ultrò subjícere, atque vilióra præ céteris moniálibus alácriter múnia subíre: paupéribus étiam flexo genu ministráre, leprosórum pedes ablúere, & osculári, ipsi familiáre erat, neque illórum úlcera sánie manántia sui victrix abhórruit.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea.

### Lectio vj.

MIra fuit ejus patiéntia, animíque constántia; præcipuè verò in morte Henríci Ducis Silésiæ sui, quem matérnè diligébat, filii in bello à Tartaris cæsi, eminuit; pótius enim grátias Deo, quam fílio lácrymas réddidit. Miraculórum dénique glória percrébuit: púerum enim demer-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

mérsum, & molendini rotis allisum, & prorsus attritum, invocáta, vitæ restituit, aliaque præstitit, ut ritè iis Clemens Quartus probátis, Sanctórum número eam adscripserit, ejúsque festum in Polónia, ubi præcipua veneratióne uti Patróna cólitur, die décima quinta Octóbris celebrári concésserit: quod deindè ut décima séptima in tota Ecclésia fieret, Innocéntius Undécimus ampliávit.

℟. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo, * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier timens. Glória Patri. Múlier timens.

In tertio Noctúrno Homilía sancti Gregórii Papæ in Evangélium: Símile est regnum cælórum thesáuro, ut in Commúni non Vírginum.

Vésperæ de S. Luca, sine Commemor. S. Heduvígis.

## DIE XVIII. OCTOBRIS.

In festo S. Lucæ Evangelístæ.

Duplex.

Omnia de Commúni Apostolórum, ij. præter ea, quæ hic habéntur própria.

Orátio.

Intervéniat pro nobis, quæsumus Dómine, sanctus tuus Lucas Evangelísta: qui crucis mortificatiónem júgiter in suo córpore pro tui nóminis honóre portávit. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

In primo Noctúrno leguntur Lectiónes Ezechiélis Prophétæ, pósitæ in Commúni Evangelistárum. xviij.

In secúndo Noctúrno.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Léctio iv.

Lucas Médicus Antiochénsis, ut ejus scripta índicant, Græci sermónis non ignárus, fuit sectátor Apóstoli Pauli, & omnis peregrinatiónis ejus comes. Scripsit Evangélium, de quo idem Paulus: Mísimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangélio, per omnes Ecclésias. Et ad Colossénses: Salútat vos Lucas, Médicus charíssimus. Et ad Timótheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque édidit volúmen egrégium, quod título, Acta Apostolórum, prænotátur: cujus história usque ad biénnium Romæ commorántis Pauli pervénit, id est, usque ad quartum Nerónis annum. Ex quo intellígimus, in eádem urbe librum esse compósitum.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes splendídas vestes, & Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem, & dicéntem. Isti sunt.



Léctio v.

Igitur Períodos Pauli & Theclæ, & totam baptizáti Leónis fábulam, inter apócryphas scriptúras computámus. Quale enim est, ut indivíduus comes Apóstoli inter céteras ejus res hoc solum ignoráverit? Sed & Tertulliánus, vicínus eórum témporum, refert, Presbyterum quemdam in Asia amatórem Apóstoli Pauli, convíctum à Joánne, quod auctor esset libri, & conféssum se hoc Pauli amóre fecísse, & ob id loco excidísse. Quidam suspicántur, quotiescúmque in Epístolis suis Paulus dicit, juxta Evangélium meum, de Lucæ significáre volúmine.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, & persecúti vos fúerint, & díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me. * Gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cùm vos óderint hómines, & cùm separáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte & exultáte.

Léctio vj.

Lucam autem non solùm ab Apóstolo Paulo didicísse Evangélium, qui cum Dómino in carne non fúerat, sed à céteris Apóstolis: quod ipse quoque in princípio sui volúminis declárat, dicens: Sicut tradidérunt nobis, qui à princípio ipsi vidérunt, & minístri fuérunt sermónis. Igitur Evangélium, sicut audíerat, scripsit: Acta verò Apostolórum, sicut víderat ipse compósuit. Vixit octogínta & quatuor annos, uxórem non habens: sepúltus est Constantinópoli: ad quam urbem vigésimo Constantíni anno ossa ejus cum relíquiis Andréæ Apóstoli transláta sunt de Achája.

℟. Isti sunt triumphatóres, & amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna: * Modò coronántur, & accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Modò coronántur. Glória Patri. Modò coronántur.

In tértio Noctúrno Homilía S. Ambrósii Epíscopi in Evangélium: Designávit Dóminus, de Commúni Evangelistárum. xxj.

In secúndis Vésperis fit Commemorátio Sancti Petri.

DIE

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## DIE XIX. OCTOBRIS.

In festo S. Petri de Alcántara Confessóris.

Duplex.

Omnia de Commúni Confessóris non Pontíficis, lxxiij. præter ea quæ hic assignántur própria, & ad Hymnum Iste Conféssor, dicátur, Hac die lætus méruit suprémos Laudis honóres.

Orátio.

Deus, qui beátum Petrum Confessórem tuum admirábilis pœniténtiæ, & altíssimæ contemplatiónis múnere illustráre dignátus es: da nobis quǽsumus, ut ejus suffragántibus méritis, carne mortificáti, facílius cæléstia capiámus. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

Petrus Alcántaræ in Hispánia nobílibus paréntibus natus, à téneris annis futúræ sanctitátis indícia præbuit. Décimo sexto ætátis anno Ordinem Minórum ingréssus, se ómnium virtútum exemplar exhíbuit. Tum munus Concionatóris ex obediéntia excercens, innúmeros à vitiis ad veram pœniténtiam tradúxit. Primævum sancti Francisci Institútum exactíssimè reparáre cúpiens, ope divína fretus, & Apostólica munitus auctoritáte, angustíssimum & paupérrimum cœnóbium juxta Pedrosum fundávit: quod vitæ genus aspérrimum ibi felíciter cœptum, per divérsas Hispániæ províncias, usque ad Indias mirificè propagátum fuit. Sanctæ Terésiæ, cujus probáverat spíritum, in promovénda Carmelitárum reformatióne adjútor fuit. Ipsa autem à Deo edócta, quod Petri nómine nihil quisquam péteret, quin prótinus exaudirétur, ejus précibus se commendáre, & ipsum adhuc vivéntem Sanctum appelláre consuévit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Príncipum obséquia, qui ipsum velut oráculum consulébant, summa humilitáte declinans, Carolo Quinto Imperatóri à confessiónibus esse recusávit. Paupertátis rigidíssimus custos, una túnica, qua nulla detérior esset, conténtus erat. Puritátem ita coluit, ut à fratre, in extrémo morbo sibi inserviénte, nec léviter quidem tangi passus sit. Corpus suum perpétuis vigíliis, jejúniis, flagéllis, frígore, nuditáte, atque omni génere asperitátum in servitútem redégit, cum quo pactum iníerat, ne ullam in hoc sǽculo ei réquiem præbéret. Cháritas Dei & próximi in ejus corde diffúsa tantum quandóque excitábat incéndium, ut è cellæ angústiis in apértum campum prosilíre, aërísque refrigério concéptum ardórem temperáre cogerétur.

℟. Amávit eum Dóminus & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam Fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

Grátia contemplatiónis admirábilis in eo fuit, qua cùm assíduè spíritus reficerétur, intérdum áccidit, ut ab omni cibo & potu plúribus diébus abstinúerit. In áëra frequénter sublátus, miro fulgóre coruscáre visus est. Rápidos flúvios sicco pede trajécit. Fratres in extréma penúria, cælitùs delata alimónia cibávit. Báculus ab ipso terræ defíxus, mox in víridem ficúlneam excrévit. Cùm noctu iter ágeret densa nive cadénte, dirútam domum sine tecto ingréssus est, eíque nix in áëre péndula pro tecto fuit, ne illíus cópia suffocarétur. Dono prophetíæ, ac discretiónis spirítuum imbútum fuisse, sancta Terésia testátur. Dénique annum agens sexagésimum tértium, hora qua prædíxerat, migrávit ad Dóminum, mirábili visióne, Sanctorúmque præséntia confortátus. Quem eódem moménto in cælum ferri beáta Terésia procul distans vidit; cui póstea appárens dixit: O felix pœniténtia, quæ tantam mihi proméruit glóriam. Post mortem verò plúrimis miráculis cláruit, & à Cleménte Nono Sanctórum número adscríptus est.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tértio Noctúrno Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri in Evangélium Nolíte timére pusíllus grex, in Commúni Confessóris non Pontíficis. lxxxviij.

## DIE XX. OCTOBRIS.

In festo sancti Joánnis Cántii Confessóris.

Semidúplex.

Omnia de Commúni Confessóris non Pontíficis, præter



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per ea, quæ hic sunt própria.

In secúndis Vésperis S. Petri de Alcantara fit Commemor. sequent. Antiphona.

Similâbo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Orátio.

DA quæsumus omnípotens Deus, ut sancti Joánnis Confessóris exemplo in sciéntia Sanctórum proficiéntes, atque áliis misericórdiam exhibéntes, ejus méritis indulgéntiam apud te consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Nisi Festum sancti Joánnis transferri conting., tunc enim in primis Vésperis, si a Capítulo fiat de eódem Festo, dícitur sequens

Hymnus.

GEntis Polóniæ glória,
Clerique splendor nóbilis,
Decus Lycéi, & pátriæ
Pater, Joánnes inclyte.
Legem superni Núminis
Doces Magister, & facis,
Nil scire prodest: sédulò
Legem nitámur éxequi.
Apostolórum límina
Pedes viátor vísitas;
Ad pátriam, quam téndimus,
Gressus viámque dírige.
Urbem petis Jerúsalem:
Signáta sacro sánguine
Christi colis vestígia,
Rigásque tuis flétibus.
Acérba Christi vúlnera
Hærére nostris córdibus,
Ut cogitémus cónsequi
Redemptiónis prétium.
Te prona mundi máchina
Clemens adóret Trínitas:
Et nos novi per grátiam
Novum canámus cánticum.
Amen.

Ad Matutinum, Invitatórium. Regem Confessórum Dóminum, * Venite adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus.

Hymnus.

COrpus domas jejúniis,
Cædis cruénto vérbere,
Ut castra pœniténtium
Miles sequáris ínnocens.
Sequámur & nos sédulò
Gressus Paréntis óptimi,
Sequámur, ut licéntiam
Carnis refrænet spíritus.
Rigénte bruma, próvidum
Præbes amíctum páuperi,
Sitim famémque egéntium
Esca potúque súblevas.
O qui negásti némini
Opem roganti, pátrium
Regnum tuére, póstulant
Cives Poloni, & éxteri.
Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque sancte Spíritus:
Preces Joánnis impetrent
Beáta nobis gáudia.
Amen.

In primo Noctúrno Lectiones de Scriptura occurrénte.





In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

JOánnes in óppido Kéntii Cracoviensis Diœcésis, à quo Cantii cognómen duxit, Stanislao & Anna piis & honéstis paréntibus natus, morum suavitáte, innocéntia, gravitáte ab ipsa infántia spem fecit máximæ virtútis. In Universitáte Cracoviénsi Philosóphiæ, ac Theológiæ primùm audítor, tum per omnes Académiæ gradus ascendéndo Proféssor ac Doctor sacra, quam annis multis trádidit, doctrina mentes audiéntium non illustrábat modò, sed & ad omnem pietátem inflammábat, simul docens scilicet, & fáciens. Sacérdos factus, nihil de litterárum stúdio remíttens, stúdium auxit Christiánæ perfectiónis. Utque passim offéndi Deum máximè dolébat, sic eum sibi & pópulo placáre obláto quotídie, non sine multis lácrymis, incruénto Sacrifício satagébat. Ilkusiénsem Paróchiam annis aliquot egrégiè administrávit: sed animárum perículo commótus, póstea dimísit, ac postulánte Académia ad prístinum docéndi offícium rédiit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

QUidquid témporis ab stúdio supérerat, partim salúti proximórum, sacris præsértim conciónibus, curándæ, partim oratióni dabat, in qua cæléstibus quandóque visiónibus, & collóquiis dignátus fertur. Christi verò Passióne sic afficiebátur, ut in ea contemplánda totas intérdum noctes dúceret insómnes, ejúsque causa mélius recoléndæ Hierosólymam peregrinátus sit: ubi & martyrii desidério flagrans, Turcis ipsis Christum crucifíxum prædicáre non dubitávit. Quater étiam ad Apostolórum límina pedes, atque viária onústus sárcina Romam venit, tum ut Sedem Apostólicam, cui máximè addíctus fuit, honoráret, tum ut sui (sic enim ajébat) purgatórii pœnas, expósita illic quotídiè peccatórum vénia, redímeret. Quo in itínere à latrónibus olim spoliátus, & tum quid habéret prætéreà interrogátus, quum negásset; áureos deindè áliquot suo insútos pállio recordátus, fugiéntibus hos étiam clamans óbtulit la-

tró-

trónibus, qui viri sancti candórem simul & largitátem admiráti, étiam ablátos ultro reddidére. Aliénæ famæ ne quis detraheret, descriptis beáti Augustini exémplo in pariete versículis, se atque álios perpétuò vóluit admónitos. Famélicos de suo étiam obsónio satiábat. Nudos autem non emptis modò, sed detractis quoque sibi véstibus & cálceis operiébat, demisso ipse ínterim usque ad terram pállio, ne domum núdipes redíre viderétur.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas paradísi.

Lectio vj.

BRevis illi somnus, atque humi: vestis, quæ nuditátem, cibus, qui mortem dumtáxat arcéret: virginálem pudicítiam, velut lílium inter spinas, áspero cilício, flagéllis, atque jejúniis custodívit. Quin & per annos ante óbitum trigínta círciter & quinque ab esu cárnium perpétuò abstínuit. Tandem diérum juxtà ac meritórum plenus, quum vicínæ, quam præsénsit, morti se diu diligentérque præparásset, ne qua re ámplius tenerétur, si quid domi superérat, id omninò paupéribus distríbuit. Tum Ecclésiæ Sacraméntis ritè munítus, dissólvi jam cúpiens, & esse cum Christo, prídiè Nativitátis ejus in cælum evolávit, miráculis ante, & post mortem clarus. Mórtuus ad próximam Académiæ Ecclésiam Sanctæ Annæ delátus est, ibíque honorífice sepúltus. Auctáque índies pópuli veneratióne ac frequéntia, inter primários Polóniæ ac Lithuániæ Patrónos religiosíssimè cólitur. Novísque coruscans miráculis à Cleménte Decimotértio Pontífice Máximo decimoséptimo Kaléndas Augústi millésimi septingentésimi sexagésimi séptimi solémni ritu Sanctórum fastis adscríptus est.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tértio Noctúrno Homília S. Gregórii Papæ in Evangélium: Sint lumbi vestri



tri præcíncti, ut in Commúni Confessóris non Pontíficis.

Ad Laudes, Hymn. Gentis Polóniæ, ut supra in primis Vésperis. 474.

Ad secúndas Vésperas, Hymnus.

TE deprecánte, córporum
Lues recédit, ímprobi
Morbi fugántur, prístina
Rédeunt salútis múnera.
Phthisi febríque & úlcere
Diram redáctos ad necem,
Sacrátas morti víctimas
Ejus rapis è fáucibus.
Te deprecánte, túmido
Merces abáctæ flúmine,
Tractæ Dei poténtia
Sursùm fluunt retrógradæ.
Quum tanta possis, sédibus
Cæli locátus, póscimus:
Respónde votis súpplicum,
Et invocátus súbveni.
O una semper Trínitas!
O Trina semper Unitas!
Da, supplicánte Cántio,
Ætérna nobis prǽmia.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magníficat, Antíphona. Hic vir despíciens mundum & terréna, triúmphans, Divítias cælo cóndidit ore, manu.

Orátio. Da quǽsumus, ut supra. 474.

Deinde fit Commemorátio sancti Hilariónis Abbátis.

Posteà SS. Ursulæ, Sociárum Vírginum & Mártyrum.

## DIE XXI. OCTOBRIS.

Sancti Hilariónis Abbátis.

Orátio.

INtercéssio nos, quǽsumus Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemorátio SS. Ursulæ & Sociárum in Véspéris & Láudibus, Antiph. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Orátio.

DA nobis, quǽsumus Dómine Deus noster, sanctárum vírginum & mártyrum tuárum Ursulæ & Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Lectio ij.

HIlárion ortus Tabáthæ in Palæstína ex paréntibus infidélibus, Alexandríam missus studiórum causa, ibi morum & ingénii laude flóruit: ac Jesu Christi suscépta religióne, in fide & charitáte mirabíliter profécit. Frequens enim erat in Ecclésia, assíduus in je-

jejúnio & oratióne: omnes voluptátum illécebras, & terrenárum rerum cupiditátes contemnêbat. Cùm autem Antónii nómen in Ægypto celebérrimum esset, ejus vidéndi stúdio in solitúdinem conténdit, apud quem duóbus ménsibus omnem ejus vitæ ratiônem didicit. Domum revérsus, mórtuis paréntibus, facultátes suas paupéribus dilargitus est; necdum quintum décimum annum egréssus, rédiit in solitúdinem: ubi extrúcta exígua casa, quæ vix ipsum cáperet, humi cubábat. Nec verò saccum, quo semel amíctus est, umquam aut lavit aut mutávit, cùm supervacáneum esse díceret, mundítias in cilício quærere.

Léctio iij.

IN sanctárum litterárum lectióne & meditatióne multus erat. Paucas ficus, & succum herbárum ad victum adhibêbat, nec illis ante solis occásum vescebátur. Continéntia & humilitáte fuit incredíbili. Quibus aliísque virtútibus várias horribilésque tentatiónes diáboli superávit, & innumerábiles dæmones in multis orbis terræ pártibus ex hóminum corpóribus ejécit. Qui octogésimum annum agens, multis ædificátis monastériis, & clarus miráculis in morbum incidit: cujus vi cùm extrémo penè spíritu conflictarétur, dicébat: Egrédere, quid times? egrédere ánima mea, quid dúbitas? septuagínta propè annis servísti Christo, & mortem times? Quibus in verbis spíritum exhalávit.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE XXV. OCTOBRIS.

### SS. Chrysánthi & Dariæ mártyrum. Orátio.

BEatórum mártyrum tuórum, Dómine, Chrysánthi & Dariæ, quæsumus, adsit nobis orátio: ut quos venerámur obséquio, eórum pium júgiter experiámur auxílium. Per Dóminum.

Léctio ij.

CHrysánthus & Daría cónjuges, nóbili génere nati, fide étiam clarióres, quam Daría, maríti ópera, cum baptísmo suscéperat, Romæ innumerábilem hóminum multitúdinem, hæc mulíerum, ille virórum, ad Christum convertérunt. Quare Celerínus Præféctus comprehénsos trádidit Cláudio Tribúno: qui jussit à mílitibus Chrysánthum vinctum cruciátibus torquéri; sed víncula ómnia resolúta sunt: mox cómpedes, in quos conjéctus fúerat, confrácti.

Léctio iij.

DEinde bovis cório inclúsum in ardentíssimo sole constítuunt; tum pédibus ac mánibus caténa constríctis, in obscúrum cárcerem detrúdunt: ubi solútis caténis, claríssima lux locum illustrávit. Daría verò in lupánar compúlsa, leônis tutéla, dum in oratióne defíxa est, à contumélia divínitùs defénsa est. Dénique in arenáriam, quæ est via Salária, utérque ductus, effóssa terra, lapídibus óbruti, parem martyrii corónam adépti sunt.



Te Deum laudámus. 17.

## DIE XXVI. OCTOBRIS.

### Sancti Evaristi Papæ & Mártyris. Orátio.

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus: & quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Evarísti Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio iij.

EVaristus Græcus ex Judæo Patre, Trajáno Imperatóre Pontificátum gessit. Qui Ecclesiárum títulos Urbis Romæ Presbýteris divísit: & ordinávit, ut septem diáconi Epíscopum custodírent, dum Evangélicæ prædicatiónis offício fungerétur. Idem constítuit ex traditióne Apostólica, ut matrimónium públicè celebrétur, & Sacerdótis benedíctio adhibeátur. Præfuit Ecclésiæ annos novem, menses tres, Presbýteris decem & septem, Diáconis duóbus, Epíscopis quíndecim, quater mense Decémbri ordinátis. Martyrio coronátus, prope sepúlchrum Príncipis Apostolórum in Vaticáno sepúltus est séptimo Kaléndas Novémbris.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE XXVII. OCTOBR.

### In Vigília Apostolórum Simónis & Judæ.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Léctio j. *Cap. 15.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Tractátu 80. in Joánnem.*

ISte locus Evangélicus, fratres, ubi se dicit Dóminus vitem, & discípulos suos pálmites, secúndùm hoc dicit, quod est caput Ecclésiæ, nosque membra ejus, mediátor Dei & hóminum homo Christus Jesus. Unius quippe natúræ sunt vitis, & pálmites. Propter quod cum esset Deus, cujus natúræ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humána natúra, cujus & nos hómines pálmites esse possémus.

Responsória ut in Féria occurrénte.

Léctio ij.

QUid ergo est, Ego sum vitis vera? Numquid ut adderet, vera, hoc ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad eam vitem rétulit, undè ista similitùdo translàta est? Sic enim dicitur vitis per similitùdinem, non per proprietàtem: quemàdmodùm dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, & cétera hujúsmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitùdines, non proprietàtes. Sed cum dicit, Ego sum vitis vera: ab illa se útique discernit, cui dicitur, Quómodò conversa es in amaritùdinem vitis aliëna? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectàta est ut fáceret uvam, fecit autem spinas?

Lectio iij.

EGo sum, inquit, vitis vera: & Pater meus agricola est. Numquid unum sunt agricola & vitis? secundùm hoc ergo vitis Christus, secundùm quod ait: Pater major me est. Secúndùm autem id quod ait: Ego & Pater unum sumus; & ipse agricola est: nec talis, quales sunt qui extrinsecùs operando exhibent ministérium; sed talis, ut det étiam intrinsecùs increméntum. Nam neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat: sed, qui increméntum dat, Deus. Sed útique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum; undè ipse & Pater unum sunt: &, si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

In Láudibus dicúntur Preces feriáles flexis génibus, ut supra. 62.

Orátio.

COncéde quæsumus omnipotens Deus, ut sicut Apostolòrum tuórum Simònis & Judæ gloriòsa natalítia prævenimus; sic ad tua beneficia promerénda, Majestàtem tuam pro nobis ipsi præveniant. Per Dóminum nostrum.

## DIE XXVIII. OCTOBR.

## IN FESTO SS. APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Duplex.

Omnia de Commùni Apostolorum, ij. præter ea, quæ sequúntur. Orátio.

DEus, qui nos per beátos Apóstolos tuos Simònem & Judam ad agnitiónem tui nóminis venire tribuisti: da nobis eórum glóriam sempitérnam & proficiéndo celebràre, & celebrándo profícere. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Incipit Epistola cathólica beàti Judæ Apóstoli.

Lectio j.

JUdas Jesu Christi servus, frater autem Jacóbi, his qui sunt in Deo Patre diléctis, & Christo Jesu consèrvàtis, & vocàtis. Misericórdia vobis, & pax, & chá-



cháritas adimpleátur. Charíssimi, omnem solicitúdinem fáciens scribendi vobis de commúni vestra salùte, necéssè hábui scribere vobis: déprecans supercertàri semel tráditæ Sanctis fidei. Subintroiérunt enim quidam hómines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri grátiam transferéntes in luxúriam, & solum Dominatórem & Dóminum nostrum Jesum Christum negántes.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupòrum, dicit Dóminus: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut filii lucis sitis. Estóte.

Lectio ij.

COmmonère autem vos volo, sciéntes semel ómnia, quóniam Jesus pópulum de terra Ægypti salvans, secúndò eos, qui non credidérunt, perdidit: ángelos verò, qui non servavérunt suum principàtum, sed dereliquérunt suum domicílium, in judícium magni diéi, vínculis ætérnis sub calígine reservávit. Sicut Sódoma & Gomórrha, & finítimæ civitátes símili modo exfornicàtæ, & abeúntes post carnem álteram, factæ sunt exemplum, ignis ætérni pœnam sustinéntes. Similiter & hi carnem quidem máculant, dominatiónem autem spernunt, majestàtem autem blasphémant.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, & díscite à me, quia mitis sum, & húmilis corde. * Jugum enim meum suàve est, & onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum.

Lectio iij.

CUm Míchael Archángelus cum diábolo dísputans altercarêtur de Móysi córpore, non est ausus judícium inférre blasphémiæ; sed dixit: Imperet tibi Dóminus. Hi autem, quæcúmque quidem ignórant, blasphémant: quæcúmque autem naturáliter, tamquam muta animália norunt, in his corrumpúntur. Væ illis, quia in via Cain abiérunt, & erróre Bálaam mercêde effúsi sunt, & in contradictióne Core periérunt. Hi sunt in épulis suis máculæ convivántes sine timóre, semetipsos pascéntes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferúntur, árbores autumnáles infructuósæ, bis mórtuæ, eradicátæ, fluctus feri maris, despumántes suas confusiónes, sídera errántia: quibus procélla tenebrárum serváta est in ætérnum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℟. Dum steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare quómodò, aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini: sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Dábitur enim. Glória Patri. Dábitur enim.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

SImon Chananæus, qui & Zelótes, & Thaddæus, qui & Judas Jacóbi appellátur in Evangélio, unius ex cathólicis Epístolis scriptor, hic Mesopotámiam, ille Ægyptum Evangélica prædicatióne peragrávit. Póstea in Pérsidem conveniéntes, cùm innumerábiles fílios Jesu Christo peperíssent, fidémque in vastíssimis illis regiónibus & efferátis géntibus disseminássent: doctrína & miráculis, ac dénique glorióso martyrio, simul sanctíssimum Jesu Christi nomen illustrárunt.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, & Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum voce magna clamántem, & dicentem. Isti sunt.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

*Homilia 30. in Evangelia, post medium.*

Lectio v.

SCriptum est: Spíritus Dómini ornávit cælos. Ornamenta enim cælórum sunt virtutes prædicántium. Quæ videlicet ornaménta Paulus enúmerat, dicens: Alii datur per Spíritum sermo sapiéntiæ, alii sermo sciéntiæ secúndùm eúmdem Spíritum, alteri fides in eódem Spíritu, alii grátia sanitátum in uno Spíritu, alii operátio virtútum, alii prophetía, alii discrétio spirítuum, alii génera linguárum, alii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dividens singulis prout vult.

℟. Beati estis cùm maledixerint vobis hómines, & persecúti vos fúerint, & dixerint omne malum advérsum vos, mentiéntes propter me: * Gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cùm vos óderint hómines, & cum separáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte.

Lectio vi.

QUot ergo sunt bona prædicántium, tot sunt ornaménta cælórum. Hinc rursùs scriptum est: Verbo Dómini cæli firmáti sunt. Verbum enim Dómini Fílius est Patris. Sed eósdem cælos vidélicet sanctos Apóstolos, ut tota simul sancta Trínitas ostendátur operáta, repèntè de sancti Spíritus divinitáte adjúngitur: Et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Cælórum ergo virtus de Spíritu sumpta est: quia mundi hujus potestátibus contraíre non præsúmerent, nisi eos sancti Spíritus fortitúdo solidásset. Quales namque doctóres sanctæ Ecclésiæ ante advéntum hujus Spíritus fúerint, scimus & post advéntum illius, cujus fortitúdinis facti sint, conspícimus.

℟. Isti sunt triumphatóres, & amici Dei, qui contemnentes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna. * Modò coronántur, & accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Modò. Glória Patri. Modò.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vii. *Cap. 15. c*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem. Si mundus vos



odit, scitóte, quia me prióres vobis ódio hábuit. Et réliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

*Tractátu 87. in Joánnem.*

IN lectióne Evangélica, quæ hanc antecédit, díxerat Dóminus: Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, & pósui vos, ut eátis, & fructum afferátis, & fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. Hic autem dicit: Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem. Ac per hoc intelligere debémus, hunc esse fructum nostrum, de quo ait: Ego vos elégi, ut eátis, & fructum afferátis, & fructus vester máneat: & quod adjúnxit, Ut quodcúmque petiéritis patrem in nómine meo det vobis. Tunc útique dabit nobis, si diligámus ínvicem, cùm & hoc ipsum ipse déderit nobis, qui nos elégit non habéntes fructum, quia non eum nos elegerámus, & pósuit nos ut fructum afferámus, hoc est, ínvicem diligámus.

℟. Isti sunt, qui viventes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, & amici Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Cálicem.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio viij.

Charitas ergo est fructus noster, quam definit Apóstolus de corde puro, & consciéntia bona, & fide non ficta. Hac diligimus invicem, hac diligimus Deum: neque enim vera dilectióne diligerémus invicem, nisi diligentes Deum. Diligit enim unusquisque próximum suum tamquam seipsum, si diligit Deum: nam si non diligit Deum, non diligit seipsum. In his enim duóbus præcéptis charitátis tota Lex pendet, & Prophétæ. Hic est fructus noster. De fructu itaque nobis mandans, Hæc mando, inquit, vobis, ut diligátis invicem. Undè & Apóstolus Paulus, cùm contra ópera carnis commendáre fructum spíritus vellet, à cápite hoc pósuit: Fructus, inquit, spíritus, cháritas est: ac deinde cétera, tamquam ex isto cápite exórta & religáta contexuit, quæ sunt, gáudium, pax, longanímitas, benígnitas, bónitas, fides, mansuetúdo, continéntia, cástitas.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, & dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrina fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, * Quorum. Glória Patri. * Quorum.

Lectio ix.

Quis autem benè gaudet, qui bonum non diligit undè gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo potest habére, quem veráciter diligit? Quis est longánimis in bono ópere perseveránter manéndo, nisi férveat diligéndo? Quis est benignus, nisi diligat, cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligéndo efficiátur? Quis salúbriter fidélis, nisi ea fide, quæ per dilectiónem operátur? Quis utíliter mansuétus, cui non diléctio moderétur? Quis ab eo cóntinet undè turpátur, nisi diligat undè honestátur? Meritò itaque magister bonus dilectiónem sic sæpe commendat, tamquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodésse cétera bona, & quæ non potest habéri sine céteris bonis, quibus homo efficitur bonus.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE XXXI. OCTOBRIS.

In Vigilia ómnium Sanctórum.

Tres Lectiones leguntur de Homilia S. Ambrósii Epíscopi in Evangelium Descéndens Jesus de monte, de Communi plurimorum Mártyrum. lij.

Responsória de Féria occurrente.





In Laudibus dicúntur Preces feriáles flexis génibus, ut in Psaltério. 62.

Oratio.

Dómine Deus noster, multiplica super nos grátiam tuam: & quorum prævenimus gloriósa solémnia, tribue súbsequi in sancta professióne lætitiam. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

## FESTA NOVEMBRIS.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctórum. clxxij.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



J.ⁿ Moreno Tejada ſc.



# IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

## AD VESPERAS.

Antiph. Vidi turbam magnam, cum réliquis de Laudibus, 497. Psalmus. Dixit Dóminus. cum réliquis de Domínica, 133. & loco últimi, Psalm. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *Apoc. 7.*

Ecce ego Joánnes vidi álterum Angelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi: & clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum est nocére terræ & mari, dicens: Nolíte nocére terræ & mari, neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum.

Hymnus.

Placáre, Christe, sérvulis,
Quibus Patris cleméntiam
Tuæ ad Tribúnal grátiæ
Patróna virgo póstulat.
Et vos beáta per novem
Distincta gyros ágmina:
Antiqua cum præséntibus,
Futúra damna péllite.
Apóstoli cum Vátibus
Apud sevérum Júdicem,
Veris reórum flétibus
Expóscite indulgéntiam.
Vos purpuráti Mártyres,
Vos cándidáti præmio
Confessiónis, éxules
Vocáte nos in pátriam.
Chorēa Casta Vírginum,
Et quos erémus íncolas
Transmísit astris, Cælitum
Locáte nos in sédibus.
Auférte gentem pérfidam
Credéntium de fínibus:
Ut unus omnes únicum
Ovíle nos Pastor regat.
Deo Patri sit glória,
Natóque Patris único,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magníficat, Antiphona.

Angeli, Archángeli, Throni & Dominatiónes, Principátus & Potestátes, Virtútes cælórum, Chérubim atque Séraphim, Patriárchæ & Prophétæ, sancti Legis Doctóres, Apóstoli, omnes Christi Mártyres, sancti Confessóres, Vírgines Dómini, Anachorítæ, Sanctíque omnes intercédite pro nobis.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos ómnium



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sanctórum tuórum mérita sub una tribuisti celebritáte venerári: quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatór.

REgem regum Dóminum veníte adorémus, * Quia ipse est coróna Sanctórum ómnium. Psalm. Veníte, exultémus. 1. Hymnus. Placáre, Christe, ut supra. 487.

In primo Nocturno, Aña. Novit Dóminus viam justórum, qui in lege ejus meditántur die ac nocte.

Psalmus 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit, * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet:* & ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpii in judício: * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * & iter impiórum peribit.

Antiphona. Novit Dóminus viam justórum, qui in lege ejus meditántur die ac nocte.

Antiphona. Mirificávit Dóminus sanctos suos, & exaudívit eos clamántes ad se.

Psalmus 4.

CUm invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei: * & exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et scitóte, quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino:* Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui: * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, & requiéscam:

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe: * constituísti me.

Antiphona. Mirificávit Dóminus sanctos suos, & exaudívit eos clamántes ad se.

Antiphona. Admirábile est nomen tuum Dómine, quia glória & honóre coronásti Sanctos tuos, & constituísti eos super ópera mánuum tuárum.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus?* aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glória & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas, insuper & pécora campi.

Vólucres cæli, & pisces maris: * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster: * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!



Antiphona. Admirábile est nomen tuum Dómine, quia glória & honóre coronásti Sanctos tuos, & constituísti eos super ópera mánuum tuárum. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde. Pater noster. Absolútio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne benedícere. Benedictio. Benedictióne perpétua.

Ex libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. *Cap. 4.*

ET ecce sedes pósita erat in cælo, & supra sedem sedens. Et qui sedébat, símilis erat aspéctui lápidis jáspidis & sárdinis: & iris erat in circúitu sedis, símilis visióni smarágdinæ. Et in circúitu sedis sedília vigínti quátuor: & super thronos vigínti quátuor senióres sedéntes, circumamícti vestiméntis albis, & in capítibus eórum corónæ áureæ. Et de throno procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua: & septem lámpades ardéntes ante thronum, qui sunt septem spíritus Dei. Et in conspéctu sedis tamquam mare vítreum símile crystállo: & in médio sedis, & in circúitu sedis, quátuor animália plena óculis ante & retrò. Et ánimal primùm símile leóni, & secúndùm ánimal símile vítulo, & tértium ánimal



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habens faciem quasi hóminis, & quartum ánimal símile áquilæ volánti. Et quatuor animália, síngula eórum habébant alas senas: & in circúitu, & intùs plena sunt óculis: & réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui est, & qui ventúrus est.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & plena erat ómnis terra majestáte ejus, * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri. Et ea. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio iij. *Cap. 5.*

ET vidi in déxtera sedéntis supra thronum, librum scriptum intùs & foris, signátum sigíllis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicántem voce magna: Quis est dignus aperíre librum, & sólvere signácula ejus? Et nemo póterat, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram, aperíre librum, neque respícere illum. Et ego flebam multum, quóniam nemo dignus invéntus est aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de senióribus dixit mihi: Ne fléveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, & sólvere septem signácula ejus. Et vidi: & ecce in médio throni & quátuor animálium, & in médio seniórum, Agnum stantem tamquam occísum, habéntem córnua septem, & óculos septem: qui sunt septem spíritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera sedéntis in throno librum. Et cùm aperuísset librum, quátuor animália, & vigínti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, habéntes singuli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes Sanctórum.

℟. Beáta es virgo María, Dei génitrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum: * Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. ℣. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum. Intercéde. Benedictio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iiij.

ET cantábant cánticum novum, dicéntes: Dignus es Dómine accípere librum, & aperíre signácula ejus: quóniam occísus es, & redemísti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne: & fecísti nos Deo nostro regnum, & sacerdótes: & regnábimus super terram. Et vidi, & audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, & animálium, & seniórum: & erat númerus eórum míllia míllium dicéntium voce magna: Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. Et omnem creatúram, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audívi dicéntes: Sedénti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & potéstas in sǽcula sæculórum. Et quátuor animália dicébant: Amen. Et vigínti quátuor senióres cecidérunt in fácies suas: & adoravérunt vivéntem in sǽcula sæculórum.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi, * Et adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo Dómine. ℣. Super misericórdia tua, & veritáte tua: quóniam magnificásti super nos nomen sanctum tuum. Et adorábo. Glória Patri. Et adorábo.

In secúndo Noctúrno, Ant. Dómine, qui operáti sunt justítiam, habitábunt in tabernáculo tuo, & requiéscent in monte sancto tuo.



Psalmus 14.

DOmine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit advérsus próximos suos:

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum gloríficat:

Qui jurat próximo suo, & non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocéntem non accépit:

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Dómine, qui operáti sunt justítiam, habitábunt in tabernáculo tuo, & requiéscent in monte sancto tuo.

Antiphona. Hæc est generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem

Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accipiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens: Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Hæc est generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob.

Aña. Lætámini in Dómino, & exultáte justi, & gloriámini omnes recti corde.

Psalmus 31.

BEáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes: * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci: * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino: * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exultátio mea érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus & mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum constringe: * qui non approximant ad te.

Multa flagélla peccatóris; * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte justi, * & gloriámini omnes recti corde.

Aña. Lætámini in Dómino, & exultáte justi, & gloriámini omnes recti corde.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætitia. Pater noster.

Absolútio. Ipsius píetas.

℣. Jube domne benedícere. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Sermo venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Sermóne 18. de Sanctis.*

Lectio iv.

HOdie, dilectíssimi, ómnium Sanctórum sub una solemnitátis lætítia celebrámus festivitátem: quorum societáte cælum exúltat, quorum patrocíniis terra lætátur, triúmphis Ecclésia sancta coronátur, quorum conféssio quantò in passióne fórtior, tantò est clárior in honóre: quia dum crevit pugna, crevit & pugnántium glória, & martyrii triúmphus multíplici passiónum génere adornátur: perque gravióra torménta gravióra fuére & prǽmia, dum Cathólica mater Ecclésia, quæ per totum orbem longè latéque diffúsa est, in ipso cápite suo Christo Jesu edócta est, contumélias, cruces & mortem non timére, magis magísque roboráta, non resisténdo, sed perferéndo, univérsis, quos ágmine ínclyto carcer pœnális inclúsit, pari & símili calóre virtútis ad geréndum certámen glóriam triumphálem inspirávit.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur: * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptísta. ℣. Hic est Prophéta, & plus quàm Prophéta, de quo Salvátor ait. Nullus. Benedíctio. Christus perpétuæ.

Lectio v.

O Verè beáta mater Ecclésia, quam sic honor divínæ dignatiónis illúminat, quam vincéntium gloriósus Mártyrum sanguis exórnat, quam inviolátæ confessiónis cándida índuit virgínitas. Flóribus ejus nec rosæ, nec lília desunt. Certent nunc, charíssimi, singuli, ut ad utrósque honóres amplíssimam accípiant dignitátem, corónas, vel de virginitáte cándidas, vel de passióne purpúreas. In cæléstibus castris pax & ácies habent flores suos, quibus mílites Christi coronántur.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, & amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Cálicem. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vj.

DEi enim ineffábilis & imménsa bónitas étiam hoc provídit, ut labórum quidem tempus & agónis non



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

non exténderet, nec longum fáceret, aut ætérnum, sed breve, & ut ita dicam, momentáneum: ut in hac brevi & exigua vita agónes essent & labóres, in illa veró, quæ ætérna est, corónæ & præmia meritórum: ut labóres quidem citò finiréntur, meritórum veró præmia sine fine duràrent: ut post hujus mundi ténebras visúri essent candidíssimam lucem, & acceptúri majórem passiónum cunctárum acerbitátibus beatitúdinem, testánte hoc idem Apóstolo, ubi ait: Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad superventúram glóriam, quæ revelábitur in nobis.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis, * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

In tértio Noctúrno, Aña. Timéte Dóminum omnes Sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum: ecce óculi Dómini super justos, & aures ejus ad preces eórum.

Psalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini: * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * & erípiet eos.

Gustáte & vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super fa-



ciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes qui sperant in eo.

Antiphona. Timéte Dóminum omnes sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum: ecce óculi Dómini super justos, & aures ejus ad preces eórum.

Antiphona. Dómine spes Sanctórum, & turris fortitúdinis eórum, dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum, & habitábunt in tabernáculo tuo in sǽcula.

Psalmus 60.

EXáudi Deus deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi: * dum anxiarétur cor meum in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sǽcula: * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu Deus meus exaudísti oratiónem meam: * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies: * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanent in ætérnum in conspéctu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sǽculum sǽculi: * ut reddam vota mea de die in diem.

Antiphona. Dómine spes Sanctórum, & turris fortitúdinis eórum, dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum, & habitábunt in tabernáculo tuo in sǽcula.

Antiphona. Qui dilígitis Dóminum, lætámini in Dómino, & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, & calígo in circúitu ejus: * justítia, & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, propter judícia tua Dómine:

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberávit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Antiphona. Qui dilígitis Dóminum, lætámini in Dómino, & confitémini memóriæ sanctitátis ejus. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum. Pater noster. Absolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 5.*

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, & cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Episcopi.

*Lib. 1. de Serm. Dómini in monte sub inítium.*

SI quǽritur quid signíficet mons, benè intellígitur significáre majóra præcépta justítiæ, quia minóra erant quæ Judǽis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos Prophétas & fámulos suos, secúndùm ordinatíssimam distributiónem témporum, dedit minóra præcépta pópulo, quem adhuc timóre alligári oportébat: & per Fílium suum majóra pópulo, quem charitáte jam liberári convénerat. Cùm autem minóra minóribus, majóra majóribus dantur, ab eo dantur, qui solus novit congruéntem suis tempóribus géneri humáno exhibére medicínam.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Benedíctio. Quórum festum.



Léctio viij.

NEc mirum est, quòd dantur præcépta majóra propter regnum cælórum, & minóra data sunt propter regnum terrénum, ab eódem uno Deo, qui fecit cælum & terram. De hac ergo justítia, quæ major est, per Prophétam dícitur: Justítia tua sicut montes Dei. Et hoc benè signíficat quòd ab uno magistro, solo docéndis tantis rebus idóneo, docétur in monte. Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitátem magistérii. Et accédunt ad eum discípuli ejus, ut audiéndis illius verbis hi essent étiam córpore viciniores, qui præcéptis adimpléndis étiam ánimo propinquábant. Et apériens os suum docébat eos, dicens. Ista circumlocútio, qua scríbitur, & apériens os suum, fortássis ipsa mora commendat aliquánto longiórem futúrum esse sermónem. Nisi fortè non vacet, quòd nunc eum dictum est aperuísse os suum, quòd ipse in lege véteri aperíre soléret ora Prophetárum.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce. Benedíctio. Ad societátem.

Léctio ix.

QUid ergo dicit? Beáti páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Légimus scriptum de appetitióne rerum temporálium: Omnia vánitas, & præsúmptio spíritus. Præsúmptio autem spíritus, audáciam & supérbiam signíficat. Vulgò étiam magnos spíritus supérbi habére dicúntur: & rectè, quandóquidem spíritus étiam ventus vocátur. Undè scriptum est: Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum. Quis verò nésciat, supérbos inflátos dici, tamquam vento disténtos? Undè est étiam illud Apóstoli: Sciéntia inflat, cháritas verò ædíficat. Quapróptor rectè hic intelligúntur páuperes spíritu, húmiles & timéntes Deum, id est, non habéntes inflántem spíritum. Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

VIdi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus, stantes ante thronum. Psalmus Dóminus regnávit, cum réliquis. 18. Antiph. Et omnes Angeli stabant in circúitu throni, & cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, & adoravérunt Deum. Antiph. Redemísti nos Dómine Deus in sánguine tuo ex omni tribu, & lingua,

gua, & pópulo, & natióne, & fecisti nos Deo nostro regnum. Antiphona. Benedícite Dóminum omnes elécti ejus, ágite dies lætítiæ, & confitémini illi. Antiphona. Hymnus ómnibus Sanctis ejus, fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi: glória hæc est ómnibus Sanctis ejus.

Capitulum. *Apoc. 7.*

Ecce ego Joánnes vidi álterum Angelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi: & clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum est nocére terræ & mari, dicens: Nolíte nocére terræ & mari, neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum.

Hymnus.

Salútis ætérnæ Dator
Jesu redemptis súbveni:
Virgo parens cleméntiæ
Dona salútem sérvulis.
Vos Angelórum míllia,
Patrúmque cœtus, ágmina
Canóra Vatum, vos reis
Precámini indulgéntiam.
Baptísta Christi prævius,
Summique cæli Cláviger,
Cum céteris Apóstolis
Nexus resólvant críminum.
Cohors triúmphans Mártyrum,
Almus Sacerdótum Chorus,
Et Virginális cástitas
Nostros reátus ábluant.
Quicúmque in alta síderum
Regnátis aula Príncipes,
Favéte votis súpplicum,
Qui dona cæli flágitant.
Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Benedictus, Antiphona. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis númerus, te Mártyrum candidátus laudat exércitus, te omnes Sancti & elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

Orátio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris. Per Dóminum.

Ad Tértiam, Antiphona. Et omnes Angeli. Capitulum. Ecce ego Joánnes.

℟. breve. Lætámini in Dómino, * Et exultáte justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Lætámini. ℣. Exultent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Ad Sextam Antiphona. Redemísti nos.

Ca-



Capitulum. *Apoc. 7. c*

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus, & tríbubus, & pópulis, & linguis, stantes ante thronum Dei, in conspéctu Agni, amícti stolis albis, & palmæ in mánibus eórum.

℟. breve. Exúltent justi, * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu. Glória. Exúltent. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Ad Nonam, Aña. Hymnus ómnibus Sanctis ejus.

Capitulum. *Apoc. 7. c*

Benedíctio, & cláritas, & sapiéntia, & gratiárum áctio, honor, virtus, & fortitúdo Deo nostro, in sæcula sæculórum. Amen.

℟. breve. Justi autem, * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi. ℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Vesperas, Antiphona. Vidi turbam magnam, cum reliquis de Laudibus. 497. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 133. & loco ultimi, Psalmus Crédidi. 157. Capitulum. Ecce ego Joánnes. Hymnus. Placáre, Christe, ut supra in primis Vesperis. 487. ℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnificat, Antiphona. O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis, sequúntur Agnum quocúmque íerit.

Orátio. Omnipotens sempitérne Deus, ut supra. 487.

Dicto Benedicámus Dómino, dicúntur Vesperæ Defunctórum, incipiéndo ab Antiphona. Placébo Dómino: Quæ íntegra dicitur ante & post Psalmum, similiter & áliæ Antiphonæ, ad modum Dúplicis. Psalmus. Diléxi; & réliqua ómnia, ut in Vésperis Defunctórum, infra, clxxij. excepto Psalmo. Lauda ánima mea Dóminum, qui post Pater noster, non dicitur; sed dicitur tantum Orátio. Fidélium Deus ómnium, cum suis Versículis, ut ibídem notatur.

Si prima die post festum ómnium Sanctórum fúerit Domínica, fit Offícium de ea, ut in Rúbricis generálibus, & Offícium Defunctórum transfértur in sequentem Fériam ij. ita ut post Vésperas Domínicæ dicantur Vésperæ Defunctórum, Matutínum vero post Laudes Fériæ ij. quæ erit tértia dies infra Octavam.

DIE

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## DIE II. NOVEMBRIS.

Secúnda die infra Octávam ómnium Sanctórum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptura occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

De Sermône venerábilis Bedæ Presbyteri

*Sermône 18. de Sanctis.*

Léctio iv.

QUàm laxo sinu de prælio revertêntes cívitas cæléstis excipit, de hoste prostrato trophæa ferentibus occúrrit! Cum triumphántibus viris & féminæ veniunt, quæ cum sæculo sexum quoque vicérunt, & gemináta glória milítiæ, vírgines cum púeris ténetos annos virtútibus transcúntes : sed & cétera fidélium turba aulæ perpétuæ régiam intrábit, qui sinceritátem fidei inconcússis præceptórum cæléstium disciplínis unita pace observavérunt.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur: * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptista. ℣. Hic est Prophéta, & plus quàm Prophéta, de quo Salvátor ait. Nullus.

Léctio v.

ERgo ágite nunc fratres, aggrediámur iter vitæ, revertámur ad civitátem cæléstem, in qua scripti sumus, & cives decréti. Non sumus hóspites, sed cives sanctórum & doméstici Dei étiam, illius herédes, coherédes autem Christi. Hujus nobis urbis jánuas apériet fortitúdo : & fidúcia latum præbébit ingréssum. Considerémus ergo inclytam urbis illius felicitátem, in quantum considerâre possíbile est : ùt enim veré est, comprehéndere nullus sermo sufficiet.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, & amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Cálicem.

Léctio vj.

DIcitur de ea in quodam loco sic : Quòd aufúgiet ibi dolor, & tristítia, & gémitus. Quid hac vita beátius, ubi non est paupertátis metus, non ægritúdinis imbecíllitas? Nemo lædétur, irascétur nemo : nemo invidet, cupíditas nulla exardéscit : nullum ibi desidérium honóris pulsat, aut potestátis ambítio. Nullus ibi diáboli metus, insídiæ dæmonum nullæ, terror gehénnæ procul : mors neque córporis neque ánimæ erit; sed immortalitátis múnere vita jucúnda.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedicti Patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 5.*

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, & cùm sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homilía S. Augustíni Episcopi.

*Ex lib. 1. de Sermône Dómini in monte, cap. 1. & 2.*

NEc aliunde omninò incípere opórtuit beatitúdinem, quàm à paupertáte spíritus, siquidem perventúra est ad summam sapiéntiam. Inítium autem sapiéntiæ, timor Dómini : quóniam & è contrário, inítium omnis peccáti supérbia scribitur. Supérbi autem áppetunt & díligunt regna terrárum. Beáti mites : quóniam ipsi hereditáte possidébunt terram. Illam credo terram, de qua in Psalmo dícitur : Spes mea es tu, pórtio mea in terra vivéntium. Signíficat enim quamdam soliditátem & stabilitátem hereditátis perpétuæ, ubi ánima per bonum afféctum, tamquam loco suo requiéscit, sicut corpus in terra : & inde cibo suo álitur, sicut corpus ex terra : ipsa est réquies, & vita sanctórum. Mites autem sunt, qui cedunt improbitátibus, & non resístunt malo, sed vincunt in bono malum.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos.

Léctio viij.

BEáti lugéntes : quóniam ipsi consolabúntur. Luctus est tristítia de amissióne charórum : convérsi autem ad Deum, ea, quæ in hoc mundo chara amplectebántur, amittunt. Non enim gaudent his rebus, quibus antè gaudébant : & donec fiat in illis amor æternórum, nonnúlla mœstítia sauciántur. Consolabúntur ergo Spíritu sancto, qui máximè proptéreà Paráclitus nominátur, id est, consolátor : ut temporália amitténtes, ætérna lætítia perfruántur.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce sponsus.

Léctio ix.

BEáti qui esúriunt & sitiunt justítiam : quóniam ipsi saturabúntur. Jam istos amatóres dicit veri & incon-

concússi boni. Illo ergo cibo saturabúntur, de quo ipse Dóminus dicit: Meus cibus est, ut fáciam voluntátem Patris mei, quod est justítia: & illa aqua, de qua quisquis bíberit, ùt idem dicit, fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam. Beáti misericórdes: quóniam ipsórum miserébitur Deus. Beátos esse dicit, qui subvéniunt míseris: quod eis ita rependitur, ut de miséria liberéntur.

Te Deum laudámus, 17.

Post Laudes dicto Benedicámus Dómino, absolutè incipit Matutinum Defunctórum ab Invitat. cum Psalmo Venite, & in singulis Nocturnis, in quibus duplicantur Antíphonæ, dicitur ix. ℟. Líbera me Dómine de morte ætérna. Ad Laudes similiter duplicantur Añæ, & in fine Laudum non dicitur Psalmus De profúndis, sed dicto Pater noster, dicuntur Preces & Orátio, Fidélium, tantum, ut supra in Vesperis.

## DIE III. NOVEMBRIS.

Tertia die infra Octavam ómnium Sanctórum.

In secundo Nocturno.

De Sermóne venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Ex Serm. 18. de Sanctis.*

Lectio iv.

Nulla erit tunc usquam discórdia, sed cuncta cónsona, cuncta conveniéntia: quia ómnium erit Sanctórum una concórdia, pax cuncta & lætítia cóntinet. Tranquílla sunt ómnia & quiéta, jugis splendor, non iste qui nunc est; sed tantò clárior, quantò felícior: quia cívitas, ùt légitur, illa non egébit lúmine solis, sed Dóminus omnípotens illuminábit eam, & lucerna ejus est Agnus. Ibi sancti fulgébunt ut stellæ in perpétuas æternitátes, & sicut splendor firmaménti, qui erúdiunt multos.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur: * Nullus major inter natos mulierum Joanne Baptista. ℣. Hic est Prophéta, & plus quàm Prophéta, de quo Salvátor ait. Nullus major.

Lectio v.

Quaprópter nox ibi nulla, nullæ ténebræ, concúrsus núbium nullus, nec frigoris aut ardóris aspéritas ulla; sed talis quædam erit rerum tempéries, qualem nec óculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hóminis ascéndit, nisi illórum, qui ea pérfrui digni inveniúntur, quorum nómina scripta sunt in libro vitæ, qui & lavérunt stolas suas in sánguine Agni, & sunt ante sedem Dei, serviúntque ei die ac nocte. Non est senéctus ibi, nec senectútis miséria, dum omnes occúrrunt in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.



℟. Isti sunt, qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, & amici Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Cálicem Dómini.

Lectio vj.

Verùm super hæc ómnia est consociári Angelórum & Archangelórum cœtibus: Thronis étiam & Dominatiónibus, Principátibus & Potestátibus, omniúmque cæléstium supernárum virtútum contubérniis pérfrui, & intuéri ágmina Sanctórum splendidiùs sidéribus micántia, Patriarchárum fide fulgéntia, Prophetárum spe lætántia, Apostolórum in duódecim tríbubus Israel orbem judicántia, Mártyrum purpúreis victóriæ corónis lucéntia, Vírginum quoque choros candéntia serta gestántes inspícere.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis, * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedicti Patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 5.*

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, & cùm sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homilía S. Augustíni Epíscopi.

*Lib. 1. de Sermóne Dómini in monte, cap. 2. & 3.*

Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Quàm ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quærunt, cùm corde videátur, sicut álibi scriptum est: Et in simplicitáte cordis quǽrite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodùm lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis: ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit illud, quo vidéri potest. Beáti pacífici: quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat: & ideò fílii Dei pacífici, quóniam nihil in his resístit Deo, & útique fílii similitúdinem patris habére debent.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gilâte ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester ventûrus sit. Et vos.

Lectio viij.

PAcifici autem in semetipsis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, & subjiciéntes ratióni, id est, menti & spirítui, carnalésque concupiscéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordináta ómnia, ut id quod est in hómine præcípuum & excéllens, hoc ímperet céteris non reluctántibus, quæ sunt nobis bestiísque commúnia: atque idípsum, quod excéllit in hómine, id est, mens & rátio, subjiciátur potióri, quod est ipsa véritas, unigénitus Fílius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superióri se ipse subjíciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra homínibus bonæ voluntátis: hæc vita consummáti perfectíque sapiéntis.

℟. Media nocte clámor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines apráte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce sponsus.

Lectio ix.

DE hujúsmodi regno pacatíssimo & ordinatíssimo missus est foras princeps hujus sæculi, qui pervérsis inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta, atque firmáta, quascúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forinsecùs concitáverit, auget glóriam, quæ secúndum Deum est; non aliquid in illo ædifício labefáctans, sed deficiéntibus máchinis suis innotéscere fáciens, quanta firmitas intùs extrúcta sit. Ideò séquitur, Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Te Deum laudámus. 17.

Vésperæ de S. Carolo, cum Commem. Octavæ & SS. Vitális & Agricolæ Mártyrum.

## DIE IV. NOVEMBRIS.

In festo sancti Caroli Epíscopi & Confessóris.

Duplex.

Omnia dicúntur de Commúni Confes. Pontíficis, iiij. præter ea, quæ hic habéntur própria.

Orátio.

ECclésiam tuam, Dómine, sancti Caroli Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi: ut sicut illum Pastorális solicitúdo gloriósum réddidit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dóminum.

Deindè fit Commemorátio Octávæ, Añ. O quàm gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orátio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris.

Pósteà fit Commemorátio SS. Mártyrum Vitális & Agricolæ, Antiphona. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orátio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus, ut qui sanctórum mártyrum tuórum Vitális & Agricolæ solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptura occurrénte.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CArolus, Mediolàni nóbili Borromæórum família natus, quanta futúrus esset sanctitáte conspícuus, divína lux super pariéntis matris cubículum nocte coruscans præsignávit. A pueritia clericáli milítiæ adscríptus, Abbatia póstmodùm insignítus, patrem admónuit, ne rédditus in rem familiárem converteréntur: quorum ipse nactus administratiónem, quidquid supérerat, expendébat in páuperes. Adoléscens liberálibus disciplínis Papiæ óperam dedit. Castitátem adeò cóluit, ut impudícas etiam mulíeres, ad labefactándam ejus pudicítiam plúries immissas, invícta constántia fugáverit. Vigésimum tértium ætátis annum agens, à Pio Quarto ejus avúnculo in sacrum Cardinálium Collégium cooptátus, insígni pietátis ac virtútum ómnium splendóre prælúxit. Mox ab eódem Mediolanénsis Archiepíscopus creátus, in eo plúrimam óperam adhibuit, ut juxta sacrosánctum Tridentínum Concílium, quod ejus potíssimum solicitúdine jam tum fúerat absolútum, Ecclésiam sibi commíssam compóneret: atque ut depravátos plebis suæ mores reformáret, præter iterátam sæpiùs synodórum celebratiónem, seipsum exímiæ sanctitátis præbuit exémplar. In profligándis hæréticis è pártibus Rhætórum & Helvetiórum, quorum plúrimos ad Christiánam fidem convértit, máximè laborávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Hujus viri cháritas præcipuè enituit, cùm Uritáno Principátu vèndito, prétium universum ad quadraginta aureórum míllia, una die in páuperes erogávit. Nec minóre pietáte viginti míllia, quæ sibi fúerant legáta, distribuit. Ecclesiásticos provéntus, quibus ab avúnculo copiósè fúerat cumulátos, dimísit, nonnúllis retèntis, quibus ad próprios usus, & egenórum necessitátes utebátur. Quo tèmpore pestis Mediolàni grassabátur, doméstícam supelléctilem, ne relicto sibi léctulo, in eósdem aléndos cóntulit, super nuda in pósterum tábula decúmbens: eóque morbo laborántes sédulò invísens, patérno reficiébat affectu: & Ecclésiæ Sacraménta própriis ipse mánibus administrans, mirum in modum solabátur: humíllimis ínterim précibus reconciliátor accédens, públicà supplicatióne indicta, fune sibi ad collum alligáto, nudis pédibus étiam offendículo cruentátis, crucem bájulans, semetipsum pro peccátis pópuli hóstiam offerens, divinam indignatiónem avértere satagébat. Ecclesiásticæ libertátis fuit acérrimus propugnátor. Disciplínæ verò restituéndæ sollícitus, à seditiósis, dum oratióni insísteret, torménti béllici laxáta rota, ígneo glóbulo percússus, divina virtúte servátur illæsus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vj.

Abstinéntia fuit admirábili: Jejunábat sæpíssimè, pane tantùm & aqua, solis quandóque lupínis contèntus. Noctúrnis vigíliis, aspérrimo cilício, assíduis flagéllis corpus domábat. Humilitátis ac mansuetúdinis studiosíssimus fuit. Oratiónem, ac verbi Dei prædicatiònem, gravíssimis licèt curis occupátus, numquam intermísit. Multas Ecclésias, Monastéria, Collégia ædificávit. Plura scripsit, ad Episcopórum præsértim instructiónem utilíssima: cujus étiam ópera Parochórum Catechísmus pródiit. Demùm in solitúdinem Varálli montis, ubi sculptis imagínibus Domínicæ passiònis mystéria ad vivum repræsentántur, secéssit; ibíque diébus áliquot voluntária castigatióne ásperam, sed Christi dolórum meditatiónibus suávem vitam ducens, in febrim incídit. Mediolánum revérsus, ingravescénte morbo, cínere ac cilício coopértus, & óculis in Crucifíxi imáginem defíxis, migrávit in cælum, ætátis anno quadragésimo séptimo, Dómini verò millésimo quingentésimo octogésimo quarto, tértio Nonas Novémbris. Quem miráculis clarum Paulus Quintus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrina ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tértio Noctúrno Homília S. Gregórii Papæ in Evangelium Homo péregrè proficíscens, ut in Commúni Confessóris Pontíficis. lxij.

Pro SS. Martyribus Vitale & Agricola.

Lectio ix.

Vitális, & Agrícola ejus dóminus, in persecutióne Diocletiáni & Maximiáni Bonóniæ ob Jesu Christi prædicatiónem comprehénsi sunt: cùmque Vitális quò magis précibus & minis tentarétur ut senténtiam mutáret, eò magis se Christi cultórem ac servum profiterétur: vário tormentórum génere cruciátus, constánter ómnia pérferens, in oratióne spíritum Deo réddidit. Agrícola verò, cùm ejus supplícium dilátum esset, si fortè torméntis servi permótus, Christo vellet renuntiáre, ejus exémplo magis confirmátus est. Itaque cruci affíxus, Vitáli servo consors & sócius fuit nóbilis martyrii. Eórum córpora ad Judæórum sepúlchra cùm essent humáta, à sancto Ambrósio invénta, in sacrum celebrémque locum transláta sunt.

Te Deum laudámus. 17.

In Láudibus fit Commemorátio Octávæ. Antiphona.

Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis númerus, te Mártyrum candidátus laudat exércitus, te omnes Sancti & elécti voce confiténtur unánimes, Beáta Trínitas unus Deus. ℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orátio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam multiplicátis intercessóribus largiáris.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Postea fit Commem. SS. Vitalis & Agricolæ martyrum, Antiph. Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timêre: multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætitia. Orátio. Præsta quæsumus, ut supra. 505.

In secúndis Vésperis fit Commem. Octávæ. 501.

## DIE V. NOVEMBRIS.

Quinta die infra Octávam ómnium Sanctórum.

In secúndo Noctúrno.

De Sermône venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Ex Serm. 18. de Sanctis.*

Léctio iv.

AD hanc igitur óperum salutárium delectet nos pervenire palmam. Libénter ac prompté certêmus omnes in agône justitiæ, Deo & Christo spectánte currámus: & qui sæculo & mundo majóres esse jam cœpimus, cursum nostrum nulla sæculi cupiditáte tardêmus. Si expedítos, si céleres in óperis agône curréntes dies nos últimus invénerit, nusquam Dóminus méritis nostris déerit remunerátor.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur: * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptista. ℣. Hic est Prophêta, & plus quàm Prophêta, de quo Salvátor ait. Nullus.

Léctio v.

QUi corònam in persecutióne purpúream pro passióne donábit, ipse in pace vincéntibus pro justitiæ méritis dabit & cándidam. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob occísi sunt; & tamen fidei & justitiæ méritis honoráti inter Patriárchas primi esse meruérunt: ad quorum congregátur convívium quisquis fidélis & justus & laudábilis invenítur. Memores esse debêmus, voluntátem non nostram, sed Dei fácere debêre: quia qui fécerit ejus voluntátem, manet in ætérnum, quómodò & ille manet in ætérnum.

℟. Isti sunt, qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, & amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Cálicem.

Léctio vj.

QUaprópter, charíssimi, mente íntegra, fide firma, virtúte robústa, charitáte perfécta, paráti ad omnem voluntátem Dei simus, conservántes fórtiter Domínica mandáta, in simplicitáte innocéntiam, in charitáte concórdiam, modéstiam in humilitáte, diligéntiam in administratióne, vigilántiam in adjuvándis laborántibus, misericórdiam in fovéndis paupéribus, in defendénda veritáte constántiam, in disciplínæ severitáte censúram, ne aliquid ad exémplum bonórum factórum desit in nobis. Hæc sunt enim vestígia, quæ nobis sancti quique reverténtes in pátriam reliquérunt, ut illórum sémitis inhæréntes sequerêmur & gáudia.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis: * Mercêdem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercêdem. Glória Patri. Mercêdem.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 5.*

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, & cùm sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Episcopi.

*Lib. 1. de Serm. Dòmini in monte, cap. 3. & 4.*

ITaque in hoc tértio gradu, in quo sciéntia est, lugétur amíssio summi boni, quia inhærêtur extrémis. In quarto autem gradu labor est: ubi veheménter incúmbitur, ut sese ánimus avéllat ab eis, quibus pestífera dulcédine innéxus est. Hic ergo esúritur & sititur justítia, & multùm necessária est fortitúdo: quia non relínquitur sine dolóre, quod cum delectatióne retinêtur. Quinto autem gradu perseverántibus in labóre datur evadéndi consílium: quia nisi quisque adjuvêtur à superióre, nullo modo sibi est idóneus, ut sese tantis miseriárum implicaméntis expédiat. Est autem justum consílium, ut qui se à potentióri adjuvári vult, ádjuvet & infirmiórem, in quo est ipse poténtior. Itaque beáti misericórdes: quia ipsórum miserébitur Deus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos.

Léctio viij.

SExto gradu est cordis mundítia de bona consciéntia bonórum óperum, valens ad contemplándum summum illud bonum, quod solo puro & seréno intelléctu cerni potest. Postrémo est séptima ipsa sapiéntia, id est, contemplátio veritátis, pacíficans totum hóminem, & suscípiens similitúdinem Dei: quæ ità conclúditur: Beáti pacífici: quóniam ipsi filii Dei vo-

vocabúntur. Octáva tamquam ad caput redit : quia consummatum perfectúmque ostendit & probat. Itaque in prima & in octáva nominatum est regnum cælórum : Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cælórum : &, Beáti qui persecutionem patiúntur propter justitiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum.

℟. Media nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíre óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix.

CUm jam dícitur : Quis nos separábit à charitáte Christi ? Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius ? Septem sunt ergo quæ perfíciunt : nam octáva clarificat, & quod perfectum est, demónstrat, ut per hos gradus perficiántur & céteri, tamquam à cápite sursùm exórdiens. Vidétur ergo mihi étiam septifórmis operátio Spíritus sancti, de qua Isaías lóquitur, his grádibus sententiísque congrúere. Sed interest órdinis : nam ibi enumerátio ab excellentióribus cœpit, hic verò ab inferióribus. Ibi namque íncipit à sapiéntia Dei, & désinit ad timórem Dei : sed inítium sapiéntiæ timor Dómini est.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE VI. NOVEMBRIS.

Sexta die infra Octávam ómnium Sanctórum.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

*Sermóne 2. de Festo ómnium Sanctórum.*

Lectio iv.

QUia Sanctórum ómnium festivam hódiè, dilectíssimi, omníque digníssimam devotióne memóriam celebrámus, óperæ prétium puto, de commúni eórum felicitáte, in qua beáta jam réquie perfruúntur, & futúra quam præstolántur consummatióne, adjuvánte Spíritu sancto, sermónem fácere charitáti vestræ. Fidélis quippè sermo, & omni acceptióne dignus : ut quos solémni veneratióne proséquimur, étiam símili conversatióne sequámur : quos beatíssimos prædicámus, ad eórum beatitúdinem tota aviditáte currámus : quorum delectámur præcóniis, sublevémur eórum patrocíniis.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur, * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptísta. ℣. Hic est Prophéta, & plus quam Prophéta, de quo Salvátor ait. Nullus.

Ser-



*Sermóne 5. de eódem Festo circa médium.*

Lectio v.

AD quid ergo sanctis laus nostra? ad quid glorificátio nostra ? ad quid nostra hæc ipsa solémnitas ? Quò eis terrénos honóres, quos juxta verácem Fílii promissiónem honoríficat Pater cæléstis ? Quò eis præcónia nostra ? Pleni sunt. Prorsùs ita est, dilectíssimi : bonórum nostrórum sancti non egent, nec quidquam eis nostra devotióne præstátur. Planè, quòd eórum memóriam venerámur, nostra interest, non ipsórum. Vultis scire quantum intérest nostra? Ego in me (fáteor) ex hac recordatióne séntio desidérium veheméns inflammári, & desidérium tríplex.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, & amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Cálicem.

Lectio vi.

VUlgò dícitur : Quod non videt óculus, cor non dolet. Oculus meus, memória mea : & cogitáre de Sanctis, quodámmodò eos vidére est. Sic nempe pórtio nostra in terra vivéntium, nec módica sanè pórtio, si tamen, ut decet, memóriam afféctio comitétur : sic, inquam, conversátio nostra in cælis est. Verúmtamen non sic nostra, sicut illórum. Ipsórum enim substántia ibi est, nostra autem desidéria : ipsi per præséntiam, nos per memóriam ibi sumus.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis, * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 5.*

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, & cùm sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

*Lib. 1. de Sermóne Dómini in monte, cap. 4.*

QUaprópter, si gradátim tamquam ascendéntes numerémus, primus ibi est timor Dei, secúnda píetas, tértia sciéntia, quarta fortitúdo, quintum consílium, sextus intelléctus, séptima sapiéntia. Timor Dei cóngruit humílibus, de quibus hic dícitur, Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cælórum : id est,



non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

non infláti, non supérbi, de quibus Apóstolus dicit: Noli altum sápere, sed time: id est, noli extólli. Píetas cóngruit mítibus. Qui enim pie quærit, honórat sanctam Scriptúram, & non reprehéndit quod nondum intélligit, & proptéreà non resístit: quod est mitem esse. Unde hic dícitur: Beáti mites, quóniam ipsi hereditáte possidébunt terram.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos.

Lectio viij.

SCiéntia cóngruit lugéntibus, qui jam cognovérunt in Scriptúris, quibus malis vincti teneántur, quæ tamquam bona & utília ignorántes appetiérunt; de quibus hic dícitur: Beáti, qui lugent nunc. Fortitúdo cóngruit esuriéntibus & sitiéntibus. Labórant enim desiderántes gáudium de veris bonis, & amórem à terrénis & corporálibus avértere cupiéntes; de quibus hic dícitur: Beáti qui esúriunt & sítiunt justítiam. Consílium cóngruit misericórdibus: hoc enim unum remédium est de tantis malis evadéndi, ut dimittámus, sicut nobis dimítti vólumus: & adjuvémus, in quo póssumus, álios, sicut & nos, in quo non póssumus, cúpimus adjuvári; de quibus hic dícitur: Beáti misericórdes, quóniam ipsórum miserébitur Deus.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix.

INtelléctus cóngruit mundis corde, tamquam purgáto óculo, quo cerni possit, quod corpóreus óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit; de quibus hic dícitur: Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Sapiéntia cóngruit pacíficis, in quibus jam ordináta sunt ómnia, nullúsque motus advérsus ratiónem rebéllis est, sed cuncta obtémperant spirítui hóminis, cum & ipse obtémperet Deo; de quibus hic dícitur: Beáti pacífici. Unum autem præmium, quod est regnum cælórum, pro his grádibus várie nominátum est.

Te Deum laudámus. 17.





## DIE VII. NOVEMBRIS,

Séptima die infra Octávam ómnium Sanctórum.

In secúndo Noctúrno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Serm. de Martyribus, quod aut imitándi sunt, aut non laudándi, tom. 3.*

Lectio iv.

QUi Sanctórum mérita religiósa charitáte mirátur, quique justórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores sanctos atque justítiam imitétur: quóniam quem deléctat sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa cultum Dei obséquium. Quare aut imitári debet, si laudat: aut laudáre non debet, si imitári detréctat: ut qui álium laudat, laudábilem se reddat: & qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipsæ vitæ sanctitáte reddátur. Nam si proptéreà justos fidelésque dilígimus, quod in ipsis justítiam fidémque suspícimus: póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi quod fáciunt.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur: * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptísta. ℣. Hic est prophéta, & plus quam Prophéta, de quo Salvátor ait. Nullus.

Lectio v.

NEque enim diffícile nobis est, quod ab ipsis géritur, imitári, cùm sine præcedénti exémplo ab antíquis tália gesta conspícimus: ut non ipsi aliórum æmuli redderéntur, sed æmulándæ virtútis seipsos nobis præbérent exémplum: ut dum nos ex ipsis, & ex nobis álii profíciunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclésia sancta laudétur. Unde ab orígine mundi ínnocens Abel occíditur, Enoch Deo placens transfértur, justus Noë invenítur, Abraham fidélis probátur, Móyses mansuétus dignóscitur, Jesus castus, David lenis, Elías accéptus, Daniel sanctus, tres púeri victóres reddúntur.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, & amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Cálicem.

Lectio vj.

APóstoli discípuli Christi, credéntium magístri habéntur, è quibus erudíti Confessóres fortíssimi pugnant, Mártyres perfécti triúmphant, & Christiáni semper exércitus diábolum Deo armáti debéllant. In istis semper pares virtútes, dissímiles pugnæ, gloriósæ victóriæ.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Unde tu Christiâne delicâtus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certâmine triumphâre. Exere vires, fórtiter dimica, atrociter in prælio isto concérta. Considera pactum, conditiônem attende, milítiam nosce: pactum quod spopondisti, conditiônem qua accessisti, milítiam cui nomen dedisti.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certâmen habuistis, * Mercêdem labôris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercêdem. Glória Patri. Mercêdem.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 5.*

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, & cum sedisset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homilía S. Augustíni Episcopi.

*Ex lib. 1. de Sermône Dómini in monte, cap. 4.*

IN primo gradu, sicut oportêbat, pósitum est regnum cælórum, quod est perfectæ summæque sapiéntiæ ánimæ rationâlis. Sic itaque dictum est: Beâti páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cælórum: tamquam dicerêtur, Inítium sapiéntiæ timor Dómini. Mítibus hæréditas data est, tamquam testaméntum patris cum pietâte quæréntibus. Beâti mites: quóniam ipsi hereditâte possidêbunt terram. Lugéntibus consolâtio, tamquam sciéntibus quid amíserint, & quibus mersi sunt. Beâti qui lugent nunc: quóniam ipsi consolabúntur. Esuriéntibus & sitiéntibus satúritas, tamquam reféctio laborántibus, fortitérque certántibus ad salûtem. Beâti qui esúriunt & sitiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigilâte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos.

Léctio viij.

MIsericórdibus misericórdia tamquam vero & óptimo consílio uténtibus: ut hoc eis exhibeâtur à potentióre, quod invalidióribus ipsi exhibent. Beâti misericórdes: quóniam ipsórum miserêbitur Deus. Mundis corde facúltas est vidéndi Deum, tamquam purum óculum ad intelligénda ætérna geréntibus. Beâti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidêbunt. Pacíficis Dei similitúdo est, tamquam perfécté sapiéntibus: formatísque ad imáginem Dei per regeneratiônem renovâti hóminis. Beâti pacífici: quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. Et ista quidem in hac vita possunt compléri, sicut compléta esse in Apóstolis crédimus. Nam illa omnímoda & in Angélicam formam mutâtio, quæ post hanc vitam promíttitur, nullis verbis exponi potest.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptâte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.



Léctio ix.

BEâti ergo, qui persecutiônem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Hæc octâva senténtia, quæ ad caput redit, perfectúmque hóminem declârat, significâtur fortâsse & circumcisiône octâvo die in véteri Testaménto, & Dómini resurrectiône post sábbatum, qui est útique octâvus, idémque primus dies; & celebratiône octavârum feriârum, quas in regeneratiône novi hóminis celebrâmus, & número ipso Pentecóstes: nam septenário número sépties multiplicâto, quo fiunt quadragínta novem, quasi octâvus additur, ut quinquagínta compleântur. Et tamquam redeâtur ad caput, quo die missus est Spíritus sanctus, eò in regnum cælórum dúcimur, & hereditâtem accípimus, & consolâmur, & páscimur, & misericórdiam consêquimur, & mundâmur, & pacificâmur. Atque ità perfécti, omnes extrinsecùs illâtas moléstias pro veritâte & justítia sustinêmus.

Te Deum laudâmus. 17.

Ad Vésperas, Duplex, & ómnia dicúntur sicut in primis Vésperis Festi, 487. cum Commemoratiône Sanctórum Mártyrum Quatuor Coronatórum. Antiph. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad prǽmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Exultâbunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orâtio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus, ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessiône cognóvimus, pios apud te in nostra intercessiône sentiâmus. Per Dóminum nostrum.

DIE VIII. NOVEMBRIS.

In Octâva ómnium Sanctórum. Duplex.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrénte.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

### In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Cypriani Episcopi & Martyris, de Mortalitate.

**Lectio iv.** *In fine.*

COnsiderandum est, fratres dilectissimi, & identidem cogitandum, renuntiasse nos mundo, & tanquam hospites & peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos, & laqueis sæcularibus exsolutos, paradiso restituit, & regno cælesti. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti?

℟. Præcursor Domini venit, de quo ipse testatur, * Nullus major inter natos mulierum Joanne Baptista. ℣. Hic est Propheta, & plus quam Propheta, de quo Salvator ait. Nullus.

**Lectio v.**

PAtriam nostram Paradisum computamus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus: quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute solicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? Qualis illic cælestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi? Quam summa & perpetua felicitas!

℟. Isti sunt, qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: * Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Calicem.

**Lectio vi.**

ILlic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis, & passionis victoriam coronatus. Triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis, continentiæ robore subegerunt. Remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum, justitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta servantes, ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus, & cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus.

℟. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis, * Mercedem laboris ego reddam vobis. ℣. Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria Patri. Mercedem.



### In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

**Lectio vij.** *Cap. 5.*

IN illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

De Homilia sancti Augustini Episcopi.

*Ex lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 5.*

BEati eritis, inquit, cum vobis maledicent: & persequentur vos, & dicent omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis. Animadvertat, quisquis delicias hujus sæculi, & facultates rerum temporalium quærit in nomine Christiano, intrinsecus esse beatitudinem nostram, sicut de anima ecclesiastica ore prophetico dicitur: Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Nam extrinsecus maledicta, & persecutiones, & detractiones promittuntur: de quibus tamen magna merces est in cælis, quæ sentitur in corde patientium, eorum qui jam possunt dicere: Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum: quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et.

**Lectio viij.**

NOn enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solum æquo animo, sed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur; sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantum, Beati qui persecutionem patiuntur; sed additum est, Propter justitiam. Ubi autem sana fides non est, non potest esse justitia: quia justus ex fide vivit. Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant: quia similiter, ubi charitas non est, non potest esse justitia. Dilectio enim proximi malum non operatur: quam

quam si habérent, non dilaniárent corpus Christi, quod est Ecclésia.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lampades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Pro sanctis Martyribus Quatuor Coronatis.

Lectio ix.

SEvérus, Severiánus, Carpóphorus, & Victorínus fratres, in persecutióne Diocletiáni deórum cultum líbere detestántes, plumbátis cæsi, in verbéribus vitam pro Christi nómine profudérunt. Quorum córpora cánibus objécta, cum ab illis intácta diu fuissent, subláta a Christiánis, via Lavicána, tértio ab Urbe lápide, in arenária sepeliúntur prope sepúlchrum sanctórum mártyrum Claudii, Nicóstrati, Symphoriáni, Castórii, & Simplícii: qui eódem Imperatóre passi erant, quod, cum essent summi sculptóres, nullo modo addúci potúerant, ut idolórum státuas fácerent: & ad Solis simulácrum ducti ut illud venerarentur, numquam commissúros se dixérunt, ut adorárent ópera mánuum hóminum. Quamóbrem in cárcerem conjécti, cùm ibi multos dies in eódem propósito perstitissent, primùm scorpiónibus cæsi, deindè vivi plúmbeis lóculis inclúsi, in flumen dejiciúntur. Extat in Urbe Ecclésia sub nómine Sanctórum Quátuor Coronatórum, quorum diu ignóta nómina, divínitus póstea patefácta sunt: ubi non solùm illórum quátuor, sed étiam horum quinque Mártyrum córpora honorífice sepúlta sunt: & eórum festívitas sexto Idus Novémbris celebrátur.

Te Deum laudámus. 17.

Pro Commem. Sanctórum Mártyrum Quátuor Coronatórum, Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orátio. Præsta quæsumus, ut supra. 515.

## DIE IX. NOVEMBRIS.

Dedicatio Basilicæ Salvatóris. Duplex.

Ad Vésperas, a Capitulo ómnia ut in Commúni Dedicatiónis Ecclésiæ, cxxj. præter sequentia.

Et fit Commem. ómnium Sanctórum, Aña. O quàm gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orátio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris.

Deinde S. Theodóri mart. Antiphona. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, & à verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Orátio.

DEus, qui nos beáti Theodóri mártyris tui confessióne gloriósa circúmdas & prótegis: præsta nobis, ex ejus imitatióne profícere, & oratióne fulcíri. Per Dóminum.

Ad Matutinum ómnia de Commúni Dedicatiónis Ecclésiæ, cxxij. exceptis Lectiónibus, quæ leguntur ut infra.

In primo Nocturno.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. *Cap.* 21. c

ET venit unus de septem Angelis habéntibus phíalas plenas septem plagis novíssimis, & locútus est mecum, dicens: Veni, & osténdam tibi sponsam, uxórem Agni. Et sustulit me in spíritu in montem magnum, & altum, & osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendéntem de cælo à Deo, habéntem claritátem Dei: & lumen ejus símile lápidi pretióso tamquam lápidi jáspidis, sicut crystállum.

℟. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem: * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. ℣. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, & vénient ad eam omnes gentes. Et in ore.

Lectio ij.

ET habébat murum magnum & altum, habéntem portas duódecim: & in portis Angelos duódecim, & nómina inscripta, quæ sunt nómina duódecim tribuum filiórum Israel. Ab Oriénte portæ tres: & ab Aquilóne portæ tres: & ab Austro portæ tres: & ab Occásu portæ tres. Et murus civitátis habens fundaménta duódecim, & in ipsis duódecim nómina duódecim Apostolórum Agni. Et qui loquebátur mecum, habébat mensúram arundíneam áuream, ut metirétur civitátem, & portas ejus, & murum.

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, & exaltáta est super omnes colles: * Et vénient ad eam omnes Gentes, & di-

dicent: Glória tibi Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manipulos suos. Et vénient.

Léctio iij.

ET cívitas in quadro pósita est, & longitúdo ejus tanta est, quanta & latitúdo: & mensus est civitátem de arúndine áurea per stádia duódecim míllia: & longitúdo, & altitúdo, & latitúdo ejus æquália sunt. Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitórum, mensúra hóminis, quæ est Angeli. Et erat structúra muri ejus ex lápide jáspide: ipsa vero cívitas aurum mundum símile vitro mundo.

℟. Benedic, Dómine, domum istam, quam ædificávi nómini tuo, veniéntium in loco isto: * Exaudi præces in excelso sólio glóriæ tuæ. ℣. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, & oráverit ad sanctuárium tuum. Exaudi. Glória Patri. Exaudi.

In ij. Noctúrno. Léctio iv.

RItus, quos in consecrándis Ecclésiis & altáribus Romána servat Ecclésia, beátus Silvéster Papa Primus instituit. Nam etsi jam ab Apostolórum témpore loca fúerunt Deo dicáta, quæ a quibúsdam Oratória, ab áliis Ecclésiæ dicebántur, ubi collectæ fiébant per unam sábbati, & Christiánus pópulus oráre, Dei verbum audíre, & Eucharístiam súmere sólitus erat: non tamen illa adeò solémni ritu consecrabántur, nec in eis adhuc in títulum eréctum erat altáre, quod chrísmate delibútum, Dómini nostri JesuChristi, qui altáre, hóstia, & sacérdos noster est, figúram exprímeret.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimitte peccáta pópuli tui Deus, & osténde eis viam bonam, per quam ambulent, & da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israel inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. Dimitte.

Léctio v.

SEd ubi Constantínus Imperátor per Baptísmi sacraméntum sanitátem, salutémque consecútus est, tum primum lege ab eo lata concéssum est toto orbe terrárum, Christiáni ut Ecclésias ædificárent: quos ille non solùm edícto, sed étiam exémplo ad sacram ædificatiónem est cohortátus. Nam & in suo Lateranénsi palátio Ecclésiam Salvatóri dedicávit, & ei continéntem Basílicam nómine sancti Joánnis Baptístæ cóndidit, eo loco quo ipse baptizátus à sancto Silvéstro, à lepra mundátus est: quam idem Póntifex consecrávit quinto Idus Novémbris: cujus consecratiónis me-



mória celebrátur hodiérno die, quo primùm Romæ públice Ecclésia consecráta est, & imágo Salvatóris in pariete depicta pópulo Romano appáruit.

℟. O quam metuéndus est locus iste! * Verè non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cœli. ℣. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, benè fundáta est supra firmam petram. Verè.

Léctio ij.

QUód si beátus Silvéster póstea in consecratióne altáris Príncipis Apostolórum decrévit, ut deinceps nisi ex lápide altária non ædificaréntur: tamen Basílicæ Lateranénsis altáre fuit è ligno eréctum: quod mirum non est. Nam cùm à sancto Petro usque ad Silvéstrum, propter persecutiónes, Pontífices certo loco consístere non possent: quocúmque eos necéssitas compulisset, sive in cryptas, sive in cœmetéria, sive in ædes piórum, super illo altári lígneo ad arcæ similitúdinem cóncavo, sacra faciébant. Quo altári sanctus Silvéster, réddita Ecclésiæ pace, honóris cáusa Príncipis Apostolórum, qui in illo sacrificásse dícitur, & reliquórum Pontíficum, qui usque ad id tempus ad mystéria conficiénda eo usi fúerant, in Lateranénsi prima Ecclésia collocáto, sancívit, ne quisquam in eo, præter Románum Pontíficem, Missam deinceps celebráret. Eamdem Ecclésiam incéndiis, vastatiónibus, terræ insuper mótibus disjéctam, eversámque, ac sédula Summórum Pontíficum cura reparátam, nova póstmodùm molitióne restitútam, Benedíctus Décimus Tértius Póntifex Máximus, Ordinis Prædicatórum, die vigésima octáva Aprílis anni millésimi septingentésimi vigésimi sexti ritu solémni consecrávit, ejúsque celebritátis memóriam hac die recoléndam státuit.

℟. Manè surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino: * Verè locus iste sanctus est, & ego nesciébam. ℣. Cùmque evigilásset Jacob de somno, ait. Verè. Glória Patri. Verè.

In tertio Noctúrno Homilía sancti Ambrósii Epíscopi in Evangélium Ingréssus Jesus, ut in Commúni Dedicatiónis Ecclésiæ. cxxx.

Pro S. Theodóro Mártyre.

Léctio ix.

THeodórus miles Christiánus, Maximiáno Imperatóre, quòd idolórum fanum incendisset, comprehénsus, cum à Præfécto legiónis pœna ei remitterétur, si pœnitens facti Christiánam fidem execrarétur, constánter in fidei con-

confessióne persevérans, missus est in cárcerem: ubi úngulis excarnificátus, dum costæ nudarentur, lætus canébat: Benedicam Dóminum in omni témpore. Quarè in ardéntem rogum injéctus, in oratióne & divinis láudibus ánimam Christo réddidit quinto Idus Novembris: cujus corpus Eusébia matróna, síndone involútum, sepelivit in suo prædio.

Te Deum laudámus. 17.

In Láudibus fit Commem. sancti Theodóri mártyris. Antiphona. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orátio. Deus, qui nos beáti Theodóri, ut supra 519.

In ij. Vésperis, Commemorátio sequéntis, & SS. Tryphónis, &c.

## DIE X. NOVEMBRIS.

In festo S. Andréæ Avellíni Cléríci Reguláris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontíficis, lxxiij. præter sequéntia.

Orátio.

Deus, qui in corde beáti Andréæ Confessóris tui, per árduum quotídiè in virtútibus proficiendi votum admirábiles ad te ascensiónes disposuísti: concéde nobis ipsíus méritis & intercessióne ita ejúsdem grátiæ partícipes fieri, ut perfectióra semper exequéntes, ad glóriæ tuæ fastígium felíciter perducámur. Per Dóminum.

Fit Commemor. SS. Mártyrum Tryphónis, Respícii, & Nymphæ Vírginis, Antiphona. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orátio.

Fac nos, quǽsumus Dómine, sanctórum mártyrum tuórum Tryphónis, Respícii, & Nymphæ semper festa sectári: quorum suffrágiis, protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptura occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

Andréas Avellínus, dictus ánteà Lancellótus, apud Castrum Novum Lucániæ pagum natus, inter ipsa infántiæ primórdia futúræ sanctitátis non obscúra præbuit indícia. Adoléscens ad lítteras addiscéndas patérna è domo egréssus, lúbricam illíus ætátis semitam inter bonárum ártium stúdia ita perégit, ut sapiéntiæ inítium, quod est timor Dómini, ob óculos potissimùm habére numquam prætermíserit. Cum egrégia perindè forma exímium castitátis stúdium conjúnxit, quo impudícas sæpè mulíerum insídias elúsit, intérdum étiam apértam vim propulsávit. Clericáli milítiæ jamprídem adscríptus, Neápolim se cóntulit, ut legálibus disciplínis vacáret: ibíque Jurisprudéntiæ láuream adéptus, atque intéreà ad sacerdotálem dignitátem evéctus, causárum patrocínia in foro dumtáxat Ecclesiástico, proque privátis quibúsdam persónis juxta sacrórum Canónum sanctiónes ágere cœpit. Verùm cùm aliquándo inter causam agéndam leve ei mendácium excidísset, mox verò fortúita sacrárum Scripturárum lectióne in illa verba incidísset: Os quod mentítur, occídit ánimam; tanto ejus culpæ dolóre ac pœniténtia corréptus est, ut statim ab ejúsmodi vitæ institúto sibi recedéndum esse dúxerit. Itaque abdicátis forénsibus curis se totum divíno cúltui, sacrísque ministériis mancipávit; cùmque Ecclesiásticæ virtútis exémplis eminéret, sanctimoniálium regímini à tunc exsisténte Archiepíscopo Neapolitáno Præféctus fuit. Quo in múnere cùm pravórum hóminum ódia subiísset, primò quidem intentátæ sibi necis perículum declinávit, mox verò per sicárium tribus in fácie accéptis vulnéribus, injúriæ atrocitátem æquo ánimo pértulit. Tunc perfectióris vitæ desidério flagrans, ut inter Cléricos Reguláres adscriberétur, supplíciter postulávit: votíque compos factus, ob ingéntem, quo æstuábat Crucis amórem, ut sibi Andréæ nomen imponerétur précibus impetrávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Arctióris ítaque vitæ curriculum álacri stúdio ingréssus, in eas máximè virtútis exercitatiónes incúbuit, ad quas sese árduis étiam emíssis votis obstrinxit, áltero scílicet suæ ipsíus voluntáti júgiter obsisténdi, áltero verò in via christiánæ perfectiónis semper ultériùs progrediéndi. Reguláris disciplínæ cultor assíduus, & in ea promovénda, cùm áliis præésset, studiosíssimus fuit. Quidquid ab institúti sui Offícii, & Régulæ præscrípto supérerat témporis, oratióni, & animárum salúti tribuébat. In confessiónibus ex-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS

excipiendis mira ejus pietas, & prudentia enituit, vicos & oppida Neapoli finitima Evangelicis ministeriis, magno cum animarum lucro frequens lustrabat. Quam ardentem erga proximos sancti viri charitatem signis etiam Dominus illustravit. Cum enim intempesta nocte ab audita ægri confessione domum rediret, ac pluviæ ventorumque vis prælucentem facem extinxisset, non solum ipse cum sociis inter effusissimos imbres nihil madefactus est, verum etiam inusitato splendore, è suo corpore mirabiliter emicante, sociis inter densissimas tenebras iter monstravit. Abstinentia, & patientia, necnon abjectione, atque odio sui summopere præstitit. Necem fratris filio illatam imperturbato animo tulit, ac suos ab omni ulciscendi cupiditate compescuit, immo etiam pro interfectoribus opem, & misericordiam Judicum imploravit.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et.

Lectio vj.

Pluribus in locis Clericorum Regularium Ordinem propagavit, eorumque domicilia Mediolani, & Placentiæ instituit. Illius operam sanctus Carolus Borromæus, & Paulus de Aretio Clericus Regularis, Cardinales, quibus erat acceptissimus, in Pastoralis muneris curis adhibuerunt. Deiparam Virginem singulari amore & cultu prosequebatur. Angelorum colloquio perfrui meruit, quos, cum divinas laudes persolveret, è regione concinentes se audisse testatus est. Denique post heroica virtutum exempla, Prophetiæ quoque dono illustris, quo & secreta cordium, & absentia, & futura prospexit, annis gravis, & laboribus fractus, ad Aram celebraturus, in verbis illis tertiò repetitis, Introibo ad Altare Dei, repentino apoplexiæ morbo correptus est: mox Sacramentis ritè munitus, placidissimè inter suos animam efflavit. Ejus corpus Neapoli in Ecclesia sancti Pauli ad hæc usque tempora eo frequentissimo populi concursu colitur, quo fuit clarum. Illum denique insignibus in vita, & post mortem miraculis clarum Clemens Undecimus Pontifex Maximus solemni ritu Sanctorum catalogo adscripsit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.



In tertio Nocturno Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium Sint lumbi vestri, ut in Communi Confessoris non Pontificis. lxxxij.

Pro SS. Tryphone, Respicio & Nympha Martyribus.

Lectio ix.

Tryphon, Decio Imperatore, cum Jesu Christi fidem prædicans omnes ad ejus cultum perducere conaretur, à Decii satellitibus comprehensus, primum equuleo torquetur, & ungulis ferreis excarnificatur: deinde sublimibus pedibus candentibus clavis confixus, fustibus cæditur, & admotis facibus ardentibus aduritur. Quæ cum omnia fortiter ferentem vidisset Respicius Tribunus, ad Christi Domini fidem conversus, statim se Christianum esse, palam professus est. Qui variè cruciatus una cum Tryphone rapitur ad Jovis simulacrum: quæ statua Tryphone orante concidit. Quare plumbatis crudelissimè contusi, nobilissimum martyrium consecuti sunt, quarto Idus Novembris. Eodem die virgo quædam, cui nomen Nympha, cum Jesum Christum verum esse Deum clara voce testaretur, martyrii palmam ad virginitatis coronam adjunxit.

Te Deum laudamus. 17.

In Laudibus fit Commemoratio SS. Tryphonis, &c. Martyrum, Antiphona. Vestri capilli. ℣. Exultabunt. Oratio. Fac nos, ut supra. 522.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

## DIE XI. NOVEMBRIS.

In festo sancti Martini Episc. & Confessoris. Duplex.

Ad Vesperas Antiphona. Dixerunt discipuli, cum reliquis de Laudibus, 530. Psal. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, 135. & loco ultimi, Psalm. Laudate Dominum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *Eccli. 44. c*

Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus: & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

Hymnus. Iste Confessor, ut in Communi Confessoris Pontificis. lxxiij.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat, Antiphona. O beatum virum, cujus anima paradisum possidet: unde exultant Angeli, lætantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat, Mane nobiscum in æternum.

Ora-

Orátio.

DEus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsistimus: concéde propítius, ut intercessióne beáti Martini Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Et fit Commemorátio S. Andréæ Avellíni, Antiph. Hic vir. ℣. Justum dedúxit. ℟. Et osténdit illi. Orátio ut supra 522.

Deinde Comm. S. Mennæ mart. Aña. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, & à verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Orátio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus, ut qui beáti Mennæ mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatór. Laudémus Deum nostrum, * In confessióne beáti Martíni. Psalm. Veníte, exultémus. 2. Hymnus. Iste Conféssor, ut supra. liij.

In primo Nocturno, Aña. Martínus adhuc catechúmenus hac me veste contéxit. Psal. Beátus vir, cum réliquis de Commúni Confessóris Pontíficis. liv. Antiph. Sanctæ Trinitátis fidem Martínus conféssus est, & baptísmi grátiam percépit. Psalmus. Quare fremuérunt. liv. Antiphona. Ego signo crucis, non clýpeo protéctus, aut gálea, hóstium cúneos penetrábo secúrus. Psalmus. Dómine, quid multiplicáti. lv. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Lectiónes de Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum Fidélis sermo, ut in Commúni Confessóris Pontíficis. lv.

℟. i. Hic est Martínus eléctus Dei Póntifex, cui Dóminus post Apóstolos tantam grátiam conférre dignátus est, * Ut in virtúte Trinitátis Deíficæ mererétur fieri trium mortuórum suscitátor magníficus. ℣. Sanctæ Trinitátis fidem Martínus conféssus est. Ut in virtúte.

℟. ij. Dómine si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso subíre propter eos labórem, * Fiat volúntas tua. ℣. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. Fiat.

℟. iij. O beátum virum Martínum Antístitem, * Qui nec mori tímuit, nec vívere recusávit. ℣. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem, fiat volúntas tua. Qui nec. Glória Patri. Qui nec.

In secundo Nocturno, Aña. Confído in Dómino, quòd fília mea précibus tuis reddénda sit sanitáti. Psalmus. Cùm invocárem. lxij. Antiphona. Terrádius cógnita Dei virtúte, ad baptísmi grátiam pervénit. Psalmus. Verba mea. lvij. Antiph. O ineffábilem virum, per quem nobis tanta mirácula coruscant. Psalmus. Dómine Dóminus noster, lviij. ℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Lectio iv.

MArtínus, Sabáriæ in Pannóniæ natus, cùm décimum attigísset annum, invítis paréntibus ad Ecclésiam confúgiens, in catechumenórum númerum adscríbi vóluit. Quíndecim annos natus in milítiam proféctus, primùm in Constántii, deìndè Juliáni exércitu militávit. Qui cùm nihil habéret præter arma, & vestiméntum quo tegebátur, Ambiáni, páuperi ac nudo ab eo peténti, ut Christi nómine sibi eleemósynam tribúeret, partem chlámydis dedit. Cui sequénti nocte Christus dimidiáta illa veste indútus appáruit, hanc mittens vocem: Martínus catechúmenus hac me veste contéxit.

℟. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. ℣. Dum Sacraménta offérret beátus Martínus, globus ígneus appáruit super caput ejus. Invíctum.

Lectio v.

DEcem & octo annos cùm habéret, baptizátus est. Quare relícta militári vita, ad Hilárium Pictaviénsem Epíscopum se cóntulit, à quo in Acolythórum númerum redáctus est. Post factus Epíscopus Turonénsis, monastérium ædificávit, ubi cum octogínta Mónachis sanctíssimè aliquamdiu vixit. Qui cùm póstea ad Candacénsem vicum suæ Diœcésis in gravem febrim incidísset, assídua Deum oratióne precabátur, ut se ex illo mortáli cárcere liberáret. Quem audiéntes discípuli, sic rogábant: Cur nos pater déseris? cui nos míseros derelínquis? Quorum voce commótus Martínus ita Deum orábat: Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem.

℟. Beátus Martínus óbitum suum longè antè præscívit, dixítque frátribus, * Dissolutiónem sui córporis imminére: quia judicábat se jam resólvi. ℣. Víribus córporis cœpit repentè destítui, convocatísque discípulis dixit. Dissolutiónem.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS

Léctio vj.

SEd cùm eum in illa veheménti febre supinum orántem vidérent discípuli, suppliciter ab eo petiérunt, ut converso córpore, tantisper dum remitteret morbi vis, pronus conquiésceret. Quibus Martinus, Sinite me, inquit, cælum pótiùs quàm terram aspicere, ut suo jam itinere itúrus ad Dóminum spíritus dirigátur. Instánte jam morte, viso humáni géneris hoste, Quid, inquit, astas cruénta béstia? nihil in me funéste repéries. Ea in voce unum & octoginta annos natus, ánimam Deo réddidit: quam Angelórum chorus excépit, eósque divinas canéntes laudes multi, in primísque sanctus Severinus Coloniensis Episcopus, audiérunt. ℟. Dixérunt discípuli ad beátum Martinum: Cur nos pater déseris, aut cui nos desolátos relinquis? * Invádent enim gregem tuum lupi rapáces. ℣. Scimus quidem desideráre te Christum, sed salva sunt tibi tua prǽmia, nostri pótiùs miserére, quos déseris. Invádent. Glória Patri. Invádent.

In tértio Noctúrno, Antiph. Dóminus Jesus Christus non purpurátum, aut diadémate renidéntem se ventúrum esse prædixit. Psalm. In Dómino confído, ut in Commúni unius Mártyris. xxix. Antiphona. Sacérdos Dei Martíne, apérti sunt tibi cæli, & regnum Patris mei. Psalmus. Dómine, quis habitábit. xxix. Antiphona. Sacérdos Dei Martíne, pastor egrégie, ora pro nobis Deum. Psalmus. Dómine in virtúte tua. xxx. ℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndùm órdinem Melchísedech.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Léctio vij. Cap. 11. c

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit, & in abscóndito ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. 7. Comment. in Lucam in cap. 11. post initium.*

QUia in superióribus Ecclésiam synagógæ prætulit, hortátur nos, ut fidem pótiùs nostram ad Ecclésiam transferámus. Lucérna enim fides est, juxta quod scriptum est: Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine. Verbum enim Dei fides nostra est: verbum Dei lux est. Lucérna est fides. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Lucérna autem lucére non potest, nisi aliúnde lumen accéperit.

℟. O beátum virum, in cujus tránsitu Sanctórum canit númerus, Angelórum exúltat chorus, * Omniúmque cæléstium Virtútum occúrrit psalléntium exércitus. ℣. Ecclésia virtúte roborátur, sacerdótes Dei revelatióne glorificántur, quem Michaël assúmpsit cum Angelis. Omniúmque.



Léctio viij.

HÆc est lucérna quæ accénditur, virtus scilicet nostræ mentis & sensus, ut drachma illa possit, quæ períerat, reperíri. Nemo ergo fidem sub lege constituat. Lex enim intra mensúram est, ultra mensúram grátia: lex obúmbrat, grátia clarificat. Et ideò nemo fidem suam intra mensúram legis inclúdat, sed ad Ecclésiam cónferat, in qua septifórmis Spíritus relúcet grátia, quam princeps ille sacerdótum fulgóris supérnæ divinitátis illúminat, ne eam legis umbra restínguat. Dénique lucérna illa, quam matutínis vespertinísque tempóribus, ritu véteri, Judæórum princeps sacerdótum solébat accéndere, velut sub módio sita legis evánuit: & cívitas illa Jerúsalem, quæ in terris est, quæ occídit Prophétas, quasi in conválle fletus pósita, delitéscit: illa autem Jerúsalem, quæ in cælo est, in qua mílitat fides nostra, *in illo altíssimo ómnium locáta monte, hoc est Christo,* non potest ténebris & ruínis hujus mundi abscóndi, sed fulgens candóre solis ætérni, luce nos grátiæ spirituális illúminat.

℟. Martinus Abrahæ sinu lætus excípitur: Martinus hic pauper & módicus, * Cælum dives ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur. ℣. Martinus Episcopus migrávit à sæculo: vivit in Christo gemma sacerdótum. Cælum dives. Glória Patri. Cælum dives.

Pro sancto Menna mártyre.

Léctio ix.

MEnnas Egyptius, Christiánus miles, in persecutióne Diocletiáni & Maximiáni Imperatórum, cùm pœniténtiæ causa in solitúdinem secessísset: natáli die Imperatórum, quo pópulus célebri spectáculo tenebátur, in theátrum prosíliens, líbera voce Gentílium superstitiónem insectabátur. Quamobrem comprehénsus, & Pyrrho Prǽside, in Metrópoli Cotiénsium Phrygiæ vinctus, loris crudéliter cæditur: deinde equúleo tortus, lampádibus ardéntibus ad corpus admótis, plagísque cilício confricátis, tum per tríbulos & virgas férreas mánibus ac pédibus colligátis tractus, plumbátis étiam con-

tìsus, demùm gládio interficitur, in ignémque injicitur. Corpus indè à Christiánis eréptum, sepúltum est, ac póstea Constantinópolim translátum.

Te Deum laudámus. 17.

## AD LAUDES,

& per Horas, Aña.

Dixérunt discípuli ad beátum Martínum: Cur nos pater déseris, aut cui nos desolátos relínquis? invádent enim gregem tuum lupi rapáces. Psalmus. Dóminus regnávit, cum réliqui 18. Antiphona. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem, fiat volúntas tua. Aña. O virum ineffábilem, nec labóre victum, nec morte vincéndum, qui nec mori tímuit, nec vívere recusávit. Aña. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat, allelúja. Aña. Martínus Abrahæ sinu lætus excípitur: Martínus hic pauper & módicus, cælum dives ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur.

Capítulum. *Eccli. 44. c*

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, & invéntus est justus: & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus. Jesu Redémptor, ut infra. lxiij.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Benedíctus, Antiphona.

O beátum virum, cujus ánima paradísum póssidet: undè exúltant Angeli, lætántur Archángeli, chorus sanctórum proclámat, turba Vírginum invítat, mane nobíscum in ætérnum.

Orátio.

Deus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius, ut intercessióne beáti Martíni Confessóris tui, atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. S. Mennæ martyris, Antiph. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orátio. Præsta quæsumus, ut supra. 526.

Ad Tertiam. Aña. Dómine si adhuc. Capítulum. Ecce sacérdos, ut supra.

℟. br. Amávit eum Dóminus. Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stólam glóriæ induit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit eum. ℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Ad Sextam, Antiphona.

O virum ineffábilem.

Capítulum. *Eccli. 44. c*

Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excelsi: ideò jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

℟. br. Elégit eum Dóminus, * Sacerdótem sibi. Elégit. ℣. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis. Sacerdótem. Glória Patri. Elégit. ℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndùm órdinem Melchísedech.

Ad Nonam, Antiphona.

Martínus Abrahæ sinu.

Capítulum. *Eccli. 45. c*

Fungi sacerdótio, & habére laudem in nómine ipsius, & offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

℟. breve. Tu es sacérdos, * In ætérnum. Tu es. ℣. Secúndùm órdinem Melchísedech. In ætérnum. Glória Patri. Tu es. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Vésperas, Antiphona.

Dixérunt discípuli, cum réliquis de Laudibus. 530. Psal. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 133. & loco últimi, Psalm. Meménto Dómine. 144. Capítulum. Ecce sacérdos magnus. Hymnus. Iste Conféssor. liij. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magníficat, Antiphona.

O beátum Pontíficem, qui totis viscéribus diligébat Christum regem, & non formidábat impérii principátum: ò sanctíssima ánima, quam etsi gládius persecutóris non ábstulit, palmam tamen martyrii non amísit.

Deindè fit Commemorátio S. Martíni Papæ & Mártyris, Antiphona. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, & à verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Orátio.

Deus, qui nos beáti Martíni mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

## DIE XII. NOVEMBRIS.

In festo S. Martíni Papæ & mártyris.

Semidúplex.

Omnia de Commúni unius Mártyris, xxij. præter sequéntia.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptura occurrénte.

 In

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MArtinus, Tuderti in Umbria natus, initio Pontificatus & litteris, & legationibus missis óperam dedit, ut Paulum Constantinopolitânum Patriârcham à nefaria hæresi ad Cathólicæ fidei veritâtem revocâret. Qui Constante Imperatóre hærético fretus, cò améntiæ progressus fúerat, ut Sedis ApostólicæLegâtos váriè in ínsulas relegâret. Quo ejus scélere commótus Póntifex, coacto Romæ Concilio centum quinque Episcopórum, eum condemnâvit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam: & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Lectio v.

QUæ causa fuit Constánti mitténdi in Itáliam Olympium Exárchum, ut Martinum Pontíficem interficiéndum, aut ad se perducéndum curâret. Igitur Olympius Romam véniens lictóri mandat, ut Pontíficem, dum in Basílica sanctæ Maríæ ad Præsépe Missárum solémnia celebrâret, occíderet. Quod ubi lictor aggréditur, cæcus repente factus est.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntâte labiórum ejus non fraudâsti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióso. Et.

Lectio vj.

COnstánti autem Imperatóri ex eo témpore multæ calamitâtes incidérunt: quibus nihilo mélior factus, Theodórum Calliopam ad Urbem mittens imperat, ut Pontífici manus injíciat. A quo per fraudem captus Martinus, & Constantinópolim perdúctus, deindè in Chersonêsum relegâtus, ibi ob Cathólicam fidem ærúmnis conféctus, pridiè Idus Novémbris cessit è vita clarus miráculis: cujus corpus Romam póstea translâtum, in Ecclésia cónditum est, quæ sanctórum Silvéstri & Martini nómine dedicâta erat. Præfuit Ecclésiæ annos sex, mensem unum, dies viginti sex. Hábuit Ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creâvit Presbyteros úndecim, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca triginta tres.

℟. Stola jucunditâtis induit eum Dóminus, * Et corônam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibâvit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutâris potâvit illum. Et corônam. Glória Patri. Et.



In tértio Noctúrno Homilía S. Gregorii Papæ in Evangelium Si quis venit ad me, ut in Commúni unius Mártyris. xxxj.

℟. viij. Dómine prævenísti. xxxij.

In secúndis Vésperis à Capitulo de sequenti, Commemorátio præcedentis.

## DIE XIII. NOVEMB.

In festo S. Didaci Confes. Semiduplex.

Omnia dicúntur de Commúni Confessóris non Pontíficis, lxxiij. præter ea, quæ hic habéntur própria.

In Hymno Iste Conféssor, mutatur tertius ℣. Orátio.

OMnipotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius humilitáti nostræ, ut piis beáti Didaci Confessóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam sublimári mereâmur. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptura occurrente.

In ij. Noctúrno. Lectio iv.

DIdacus Hispânus ex óppido Sancti Nicolái de Portu Diœcêsis Hispalénsis, ab ineunte ætâte, pii sub Sacerdótis disciplina sanctióris vitæ, solitária in Ecclésia tyrocinium exércuit. Deindè ut fírmiùs Deo se conjúngeret, in Convéntu de Arizzáfa fratrum Minórum (quos Observántes vocant) sancti Francisci Regulam in statu laicâli proféssus est. Magna ibi alacritâte húmilis obediéntiæ, & reguláris observántiæ jugum subiens, contemplatióni in primis déditus, mira Dei luce perfundebâtur, adeò ut de rebus cœléstibus, litterárum expers, mirándum in modum & planè divinitùs loquerêtur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

CAnáriis in Insulis, ubi Frátribus sui Ordinis præfuit, multa perpéssus, martyrii æstuans desidério, plures infidéles verbo & exémplo ad Christi fidem convértit. Romam véniens anno Jubilæi, Nicoláo Quinto Pontífice, ægrotórum curæ in Convéntu Aræ Cæli destinâtus, eo charitâtis afféctu munus hoc exércuit, ut Urbe annónæ inópia laboránte, ægrótis tamen, quorum aliquándo úlcera étiam lambéndo abstergêbat, nihil pénitùs necessárii defécerit. Exímia quoque fi-

fides, & grátia curatiónum in eo elúxit, cùm lámpadis, quæ collucébat ante imáginem beatissimæ Dei Genitrícis, quam summa devotióne colébat, óleo ægros inúngens, signo Crucis impresso, multórum morbos mirabíliter sanáverit.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stólam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et.

Lectio vj.

DEmum Complúti finem sibi vitæ adesse intélligens, lácera & obsoléta indútus túnica, conjéctis in Crucem óculis, singulari devotióne illis verbis ex sacro hymno pronuntiátis, Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera, quæ fuisti digna portáre Regem cælórum, & Dóminum: ánimam Deo réddidit prídiè Idus Novémbris, anno Dómini supra millésimum quadringentésimo sexagésimo tértio. Ejus corpus, cùm menses non paucos (ut pio confluéntium desidério fieret satis) insepúltum mansisset, quasi jam incorruptiónem indúerit, odórem suavíssimum afflávit. Illum multis & illústribus mirácúlis clarum Sixtus Quintus Póntifex Máximus Sanctórum número adscripsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tértio Nocturno Homilia venerábilis Bedæ Presbyteri in Evangelium. Nolite timére pusillus grex, de Commúni Confessóris non Pontíficis. lxxxviij.

## DIE XV. NOVEMBRIS.

In festo S. Gertrúdis Virginis, & Abbatissæ Ordinis S. Benedicti. Duplex.

Omnia de Commúni Virginum, xc. præter sequéntia.

Orátio.

DEus, qui in corde beátæ Gertrúdis vírginis, jucúndam tibi mansiónem præparásti: ipsius méritis & intercessióne cordis nostri máculas cleménter abstérge, & ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptúra occurrénte. In ij. Nocturno. Lectio iv.

GErtrúdis Islébii in Saxónia nobili génere nata, quinquénnis in monastério Rodardénsi Ordinis sancti Benedicti, virginitátem suam, ac seipsam Jesu Christo óbtulit. Quo ex témpore à mundánis rebus prorsùs aliéna, virtutíque sédulò inténta, cæléstis vitæ genus instituit. Ad humaniórum litterárum notítiam, rerum divinárum cognitiónem adjúnxit: quarum meditatióne vehementiùs ad virtútem incénsa, brevi christiánam perfectiónem adépta est. De Christo ejúsque vitæ mystériis sæpenúmerò pio cum ánimi sensu loquebátur: unámque Dei glóriam cógitans, ad illam vota sua ómnia, & actiónes referébat. Quamvis autem multis exímiis natúræ & grátiæ donis à Deo aucta esset, ita tamen sibi ipsa vilescébat, ut inter præcípua divínæ bonitátis mirácula hoc item memoráret, quòd se indigníssimam misericórditer sustinéret.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

TRigésimum ætátis annum agens, primùm Rodardénsis monastérii, ubi Religiósam vitam est proféssa, deindè Elpediáni præses elécta, quadraginta annórum spátio, ea charitáte, prudéntia, & reguláris disciplínæ stúdio munus obívit, ut cænóbium religiósæ perfectiónis domicílium viderétur. Utrobíque verò licèt esset ómnium mater & magistra, ómnium tamen mínima habéri volébat, ac demissióne pari ministram se exhibébat. Quò libériùs Deo vacáret, vigíliis, abstinéntia, aliísque cruciátibus corpus afflíxit, sempérque sui símilis, morum innocéntiam, mansuetúdinem, ac patiéntiam prætulit singulárem. Proximórum salúti omni ope stúduit, piæque curæ copiósum fructum rétulit. Divíni amóris vi frequéntes patiebátur extáses, altissimǽque contemplatiónis, & divínæ uniónis donum obtínuit.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà.

Lectio vj.

UT méritum acceptíssimæ sibi sponsæ Christus osténderet, in corde Gertrúdis jucúndam sibi esse mansiónem testátus est. Deíparam Vírginem vélluti matrem, & curatrícem à Jesu accéptam pietáte præcípua prosequebátur, ab eáque multa accépit benefícia: erga divinissimum Eucharistiæ Sacra-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

merítum, & passiónem Dómini tantò amóre, cum grati ánimi sensu afficiebátur, ut intérdum uberióribus lácrymis perfunderétur. Justórum ánimas piaculáribus flammis addíctas quotidiánis subsídiis & précibus juvábat. Multa ad confovéndam pietátem scripsit. Divinárum étiam revelatiónum, & prophetíæ dono claruit. Dénique flagrantíssimo Dei amóre pótius quam morbo languéscens, anno Dómini millésimo ducentésimo nonagésimo secúndo, vita decéssit. Miráculis vivens, & post mortem à Deo illustráta est.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In tertio Noctúrno Homilía sancti Gregórii Papæ in Evangélium Simile erit regnum cælórum, de eódem Commúni. ciij.

## DIE XVII. NOVEMB.

### In festo sancti Gregórii Thaumatúrgi Episcopi & Confessóris.

Semidúplex.

Omnia de Commúni Confessóris Pontíficis, liij. præter sequéntia.

Orátio.

DA quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Gregórii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, & devotiónem nobis áugeat & salútem. Per Dóminum nostrum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Léctio iv.

GRegórius, Neocæsaréæ Ponti Episcopus, sanctitáte doctrináque illústris, signis verò ac miráculis multò illústrior, (quorum multitúdine atque præstántia Thaumatúrgus appellátus est, & sancti Basílii testimónio cum Móyse, Prophétis, & Apóstolis comparátus) montem, qui Ecclésiæ ædificatiónem impediébat, oratióne alio tránstulit. Item palúdem, inter fratres causam discordiárum, exsiccávit. Lycum flúvium perniciósè agros inundántem, defixo ad ripam, quo sustentabátur, báculo, qui statim viréntem crevit in árborem, coërcuit, ut póstea ultra eum términum non efflúxerit.

℟. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Léc-



Léctio v.

SÆpíssimè dæmones ex idolórum simulácris, atque ex hóminum corpóribus ejécit: multáque ália mirabíliter effécit, quibus innumerábiles hómines traxit ad Jesu Christi fidem, cùm étiam prophético spíritu futúra prædíceret. Qui migratúrus è vita, cùm quæsísset, quot in civitáte Neocæsariénsi relíqui essent infidéles, responsúmque esset, tantùm esse septémdecim: Deo grátias agens, Tótidem, inquit, erant fidéles, cùm cœpi Episcopátum. Plura scripsit, quibus étiam, non solùm miráculis, Dei Ecclésiam illustrávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

*Ex Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusebio.*

Léctio vj.

BEáti Patris Gregórii mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, & plenam cæléstibus divítiis & ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi unus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Léctio vij. *Cap. 11. c*

IN illo témpore: Respóndens Jesus discípulis suis, ait illis: Habéte fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicúmque díxerit huic monti: Tóllere, & míttere in mare, & non hæsitáverit in corde suo, sed credíderit, quia quodcúmque díxerit, fiat, fiet ei. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 3. Comment. in Marc. Cap. 11.*

SOlent Gentíles, qui contra Ecclésiam maledícta scripsére, improperáre nostris, quòd non habúerint plenam fidem Dei, quia numquam montes transférre po-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fuerint. Quibus respondéndum est, non ómnia scripta esse, quæ in Ecclésia sunt gesta, sicut étiam de factis ipsius Christi & Dómini nostri Scriptúra testátur. Undè & hoc quoque fieri potuisset, ut mons ablâtus de terra, mitterêtur in mare, si necéssitas id fieri poposcisset. Quómodò légimus factum précibus beâti Patris Gregórii Neocæsaréæ Ponti Antistitis, viri méritis & virtútibus eximii, ut mons in terra tantum loco céderet, quantum incolæ civitâtis opus habêbant.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio viij.

CUm enim volens ædificâre Ecclésiam in loco apto, vidêret eum angustiórem esse quàm res exigêbat, eò quòd ex una parte rupe maris, ex ália monte próximo coarctarêtur: venit nocte ad locum, & génibus flexis admónuit Dóminum promissiónis suæ, ut montem longiùs juxta fidem petêntis ágeret. Et manè facto revérsus, invênit montem tantum spátii reliquisse structóribus Ecclésiæ, quantum opus habúerant. Póterat ergo hic, póterat álius quis ejúsdem mériti vir, si opportúnitas exegisset, impetrâre à Dómino mérito fidei, ut étiam mons tollerêtur, & mitterêtur in mare.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum, quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigilâte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

VErùm quia montis nómine nonnúmquam diábolus significâtur, vidélicèt propter supérbiam, qua se contra Deum érigit, & esse vult símilis Altíssimo; mons ad præcéptum eórum, qui fortes fide sunt, tóllitur de terra, & in mare projícitur, cùm prædicántibus verbum doctóribus sanctis, immúndus spíritus ab eórum corde repéllitur, qui ad vitam sunt præordináti, & in turbuléntis amarisque infidélium méntibus vesániam suæ tyránnidis exercêre permíttitur.

Te Deum laudâmus. 17.

Vesperæ de sequenti Festo Dedicatiónis, cum Commemoratióne sancti Gregórii, Antiphona. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, stolam glóriæ induit eum, & ad portas paradisi coronâvit eum. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Orátio. Da quæsumus omnípotens Deus, ut suprà. 536.

## DIE XVIII. NOVEMB.

### In Dedicatióne Basilicárum sanctórum Apostolórum Petri & Pauli.

Duplex.

Omnia de Commúni Dedicatiónis Ecclésiæ, cxx. præter ea, quæ sequúntur.

In primo Nocturno.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. *Cap. 21. c*

ET erat structúra muri ejus ex lápide jáspide: ipsa verò cívitas, aurum mundum símile vitro mundo. Et fundaménta muri civitâtis omni lápide pretióso ornâta. Fundaméntum primum, jaspis: secúndum, sapphírus: tértium, chalcedónius: quartum, smarágdus: quintum, sárdonix: sextum, sárdius: séptimum, chrysólithus: octávum, berýllus: nonum, topátius: décimum, chrysóprasus: undécimum, hyacínthus: duodécimum, améthystus.

℟. In dedicatióne templi decantâbat pópulus laudem: * Et in ore eórum dulcis resonâbat sonus. ℣. Fundâta est domus Dómini supra vérticem móntium, & vénient ad eam omnes gentes. Et in ore.

Lectio ij.

ET duódecim portæ, duódecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margarítis: & platéa civitâtis aurum mundum, tamquam vitrum perlúcidum. Et templum non vidi in ea. Dóminus enim Deus omnípotens templum illius est, & Agnus. Et cívitas non eget sole, neque luna, ut lúceant in ea. Nam cláritas Dei illuminâvit eam, & lucérna ejus est Agnus.

℟. Fundâta est domus Dómini supra vérticem móntium, & exaltâta est super omnes colles: * Et vénient ad eam omnes Gentes, & dicent: Glória tibi Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos. Et vénient.

Lectio iij.

ET ambulábunt Gentes in lúmine ejus: & reges terræ áfferent glóriam suam & honórem in illam. Et portæ ejus non claudéntur per diem: nox enim non erit illic. Et áfferent glóriam & honórem géntium in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinâtum, aut abominatiónem fáciens, & mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℟. Benedic, Domine, domum istam, quam ædificavi nomini tuo, venientium in loco isto: * Exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ. ℣. Domine, si conversus fuerit populus tuus, & oraverit ad sanctuarium tuum. Exaudi. Gloria Patri. Exaudi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex locis sacris, quæ olim apud Christianos venerationem habuerunt, illa celeberrima & frequentissima fuerunt, in quibus condita Sanctorum corpora, vel aliquod Martyrum vestigium aut monumentum esset. In quorum numero sanctorum locorum, in primis semper fuit insignis ea Vaticani pars, quam sancti Petri Confessionem appellabant. Nam eo Christiani ex omnibus orbis terræ partibus tamquam ad fidei petram, & Ecclesiæ fundamentum convenientes, locum Principis Apostolorum sepulchro consecratum, summa religione ac pietate venerabantur.

℟. Orantibus in loco isto, * Dimitte peccata populi tui Deus, & ostende eis viam bonam, per quam ambulent, & da gloriam in loco isto. ℣. Qui regis Israel intende qui deducis velut ovem Joseph, qui sedes super Cherubim. Dimitte.

Lectio v.

Illuc Constantinus Magnus Imperator octavo die post susceptum baptismum venit, depositoque diademate, & humi jacens, vim lacrymarum profudit: mox sumpto ligone ac bidente, terram eruit; indeque duodecim terræ cophinis, honoris causa duodecim Apostolorum, ablatis, ac loco Basilicæ Principis Apostolorum designato, Ecclesiam ædificavit. Quam sanctus Silvester Papa decimo quarto Kalendas Decembris, eo modo, quo Lateranensem Ecclesiam quinto Idus Novembris consecraverat, dedicavit: & in ea altare lapideum chrismate delibutum erexit; atque ex eo tempore sancivit, ne deinceps altaria nisi ex lapide fierent. Eamdem Basilicam vetustate jam pridem collabentem, ac propterea multorum Pontificum pietate latius ac magnificentius a fundamentis erectam, Urbanus octavus eadem die recurrente anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti solemni ritu consecravit.

℟. O quam metuendus est locus iste! * Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. ℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram. Vere.

Lectio vi.

Idem beatus Silvester Basilicam sancti Pauli Apostoli via Ostiensi ab eodem Constantino Imperatore magnificentissime ædificatam dedicavit. Quas Basilicas Imperator multis prædiis attributis locupletavit, ac muneribus amplissimis exornavit. Cujus Imperatoris tantus fuit ardor religionis, ut, deletis idolorum templis, multas ubique terrarum extruxerit Ecclesias, & præcipue Romæ: in quibus fuerunt Basilica sanctæ Crucis ad Jerusalem in agro Sessoriano, sancti Laurentii extra muros in agro Verano, sanctorum Petri & Marcellini via Lavicana, aliæque permultæ.

℟. Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino: * Vere locus iste sanctus est, & ego nesciebam. ℣. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait. Vere. Gloria Patri. Vere locus.

In tertio Nocturno Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Ingressus Jesus, quæ habetur quarta die infra Octavam Dedicationis Ecclesiæ. cxxxviij.

Vesperæ a Capitulo de S. Elisabeth, cum Commemor. Dedicationis, & sancti Pontiani Papæ & martyr.



## DIE XIX. NOVEMB.

In festo S. Elisabeth Viduæ. Duplex.

Omnia de Communi Sanctarum nec Virginum nec Martyrum, ex. præter ea, quæ hic habentur.

Oratio.

Tuorum corda fidelium Deus miserator illustra: & beatæ Elisabeth precibus gloriosis fac nos prospera mundi despicere, & cælesti semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemor. Dedicationis, ut in Communi Dedicationis Ecclesiæ.

Postea S. Pontiani Papæ & martyris, Antiphona. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram. ℣. Gloria & honore coronasti eum Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oratio.

Infirmitatem nostram respice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Pontiani Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

ELisabeth, Andréæ Regis Hungáriæ filia, ab infántia Deum timére cœpit, & crescens ætáte, crevit étiam pietáte. Ludovíco Lantgrávio Hássiæ & Thuringiæ in cónjugem copuláta, non minóri cura quæ Dei, quàm quæ viri sui erant exequebátur. Surgens enim noctúrno témpore, oratióni diu incumbébat: ac váriis misericórdiæ officiis dédita, víduis, pupíllis, ægrótis, egéntibus sédulo inserviébat: gravíque fame urgénte, domus suæ fruménta liberáliter erogábat. Leprósos hospítio suscípiens: manus eórum & pedes osculabátur. Curándis autem & aléndis paupéribus insígne xenodóchium construxit.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et.

Lectio v.

DEfúncto cónjuge, ut Deo libérius servíret, depósitis ómnibus sæculáris glóriæ induméntis, vili túnica indúta est, atque Ordinem Pœniténtium sancti Francísci ingréssa, patiéntiæ & humilitátis virtúte máximè enítuit. Nam bonis ómnibus exúta, à própriis ædibus ejécta, ab ómnibus derelícta, contumélias, irrisiónes, obtrectatiónes invícto ánimo tolerávit; adeò ut summópere gaudéret, se tália pro Deo pati. Ad ínfima quæque ministéria erga páuperes & ægrótos se abjíciens, eis necessária procurábat, solis oléribus & legumínibus pro suo victu conténta.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà.

Lectio vj.

CUm verò in his, aliísque plúribus sanctis opéribus vitam religiosíssimè transegísset, finis tandem suæ peregrinatiónis advénit, quem doméstícis suis antè prædíxit. Cúmque defíxis in cælum óculis divínæ contemplatióni vacáret, à Deo mirabíliter recreáta, & Sacraméntis refécta, obdormívit in Dómino. Statímque plúrima ad ejus túmulum mirácula patráta sunt. Quibus audítis, & ritè probátis, Gregórius Nonus Sanctórum número eam adscrípsit.

℟. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In



In tértio Noctúrno Homilía S. Gregórii Papæ in Evangélium. Símile est regnum cælórum thesáuro, ut in Commúni non Vírginum. cxvj.

Pro sancto Pontiáno.

Lectio ix.

POntiánus Románus præfuit Ecclésiæ Alexándro Imperatóre: qui sanctum Pontíficem, propter Christiánæ fídei confessiónem, in Sardíniam ínsulam cum Hippólyto Presbytero relegávit. Ubi is pro Christi fide multis calamitátibus afflíctus, décimo tértio Kaléndas Decémbris è vita migrávit. Ejus corpus, Fabiáno Pontífice, cum clero Romam delátum, in cœmetério Callísti via Áppia sepélitur. Sedit annos quátuor, menses quátuor, dies vigintiquínque. Fecit Ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros sex, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca sex.

Te Deum laudámus. 17.

In Láudibus fit Commemorátio sancti Pontiáni Papæ & Mártyris, Antíphona. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orátio. Infirmitátem nostram, ut supra. 541.

Vésperæ à Capítulo de sequénti, & Commemorátio præcedéntis.

## DIE XX. NOVEMBRIS.

In festo S. Felícis de Valois Confessóris.

Duplex.

Omnia de Commúni Confessóris non Pontif. lxxiij. excéptis his quæ hic sunt própria.

In Hymno. Iste Conféssor, dicátur: Hac die lætus méruit suprémos Laudis honóres.

Orátio.

DEus, qui beátum Felícem Confessórem tuum ex erémo ad munus rediméndi captívos cælitùs vocáre dignátus es: præsta quæsumus, ut per grátiam tuam à peccatórum nostrórum captivitáte, ejus intercessióne liberáti, ad cæléstem pátriam perducámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemorátio S. Elísabeth víduæ.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

FElix, Hugo ántea dictus, ex regáli Valesiórum família ortus in Gállia, ab ineúnte ætáte non lévia dedit futúræ sanctitátis indícia, præsértim misericórdiæ erga páuperes: nam adhuc infántulus manu própria, ac si grándior esset, & judícii maturitáte pollére, nummos egé-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

egénis distribuit. Jam grandiúsculus, solêbat ex appósitis in mensa dapibus ad ipsôs mittere, & fermè eo, quod sapidius erat, obsónio paupérculos púeros recreâbat. Adoléscens non semel véstibus se expoliâvit, ut inopes cooperíret. Ab avúnculo Theobaldo, Xanphanæ & Blesii Cómite, vitam reo mortis impetrâvit, prædicens hunc infamem, hactenus sicárium, mox sanctissimis præditum móribus evasûrum: verídicum testimónium monstrâvit evéntus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

POst exáctam laudabíliter adolescéntiam, cœpit ex cæléstis contemplatiónis stúdio solitúdinem cogitâre; priùs tamen vóluit sacris initiári, ut omnem regni, cujus successióne jure Legis Sálicæ non longè distâbat, spem sibi præcíderet. Sacérdos factus, & prima Missa devotíssime celebrâta, non multò post in erémum secéssit, ubi summa abstinéntia victitans, cæléstium charismatum abundántia pascebâtur. Ibi cum sancto Joánne de Matha Parisiénsi Doctôre, à quo ex divina inspiratióne quæsitus, & invéntus, per áliquot annos sanctíssime vixit; donec ambo per Angelum à Deo admóniti Romam petiérunt, speciálem a Summo Pontífice vivéndi régulam impetratûri. Facta igitur Innocéntio Papæ Tértio inter Missârum solémnia revelatióne Religiônis & Institúti de rediméndis captivis, ab ipso Pontífice, simul cum sócio cándidis véstibus, bicolóri cruce signátis, indúitur, ad eam formam qua Angelus indútus appáruit: & insuper vóluit Póntifex ut nova Religio juxta tríplicem colôrem, quo hábitus constat, Sanctíssimæ Trinitâtis título decorarêtur.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronâvit eum. ℣. Índuit eum Dóminus lorícam fídei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

REgula própria ex Summi Pontíficis Innocéntii confirmatióne accépta, in Diœcési Meldénsi apud locum, qui Cervus Frígidus dícitur, primum Ordinis paulò antè à se & sócio extrúctum cœnóbium ampliâvit, ubi Religiósam observántiam, & redemptiónis Institútum mirífice cocóluit, ac indè per alúmnos in álias provincias diligentíssimè propagâvit. Illústrem hic à beâta Vírgine matre favôrem accêpit, dormiéntibus siquidem cunctis frátribus, & ad Matutínas preces in pervigílio Nativitâtis Deíparæ média nocte recitándas, Deo sic disponénte, non surgéntibus, Felix de more vígilans, & horas prævéniens, chorum ingréssus, réperit beâtam Vírginem in médio chori hábitu cruce Ordinis insignito indûtam, ac Cælítibus simíliter indútis sociâtam: quibus permixtus Felix, præcinénte Deípara, laudes divínas concínuit, ritêque persólvit. Et quasi jam à terréstri ad cæléstem chorum evocarêtur, instántis mortis ab Angelo cértior factus, fílios ad charitâtem erga páuperes & captívos adhórtans, ánimam Deo réddidit, ætáte ac méritis consummâtus, anno post Christum natum ducentésimo duodécimo supra millésimum, sub eódem Pontífice Innocéntio Tértio.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervênit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.



In tértio Noctúrno Homília venerábilis Bedæ Presbyteri in Evangélium Nolíte timére pusíllus grex, de Commúni Confessóris non Pontíficis. lxxxviij.

Vésperæ de sequénti, cum Commemor. præcedéntis.

## DIE XXI. NOVEMB.

In festo Præsentatiónis beâtæ Maríæ Vírginis.

Duplex.

Ad Vésperas, Antíphona.

Dum esset Rex, cum réliquis Antíphonis & Psalmis ut in Offício parvo B. Maríæ. cliij.

Capítulum. *Eccli. 24. b*

AB inítio, & ante sǽcula creâta sum, & usque ad futûrum sǽculum non désinam, & in habitatióne sancta coram ipso ministrâvi. ℟. Deo grátias.

Hymnus. Ave maris. clv.

℣. Dignâre me laudâre te, Virgo sacrâta. ℟. Da mihi virtûtem contra hostes tuos.

Ad Magníficat, Antíphona.

Beâta Dei génitrix María, virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo, allelúia.

Orátio

DEus, qui beâtam Maríam semper Vírginem, Spíritus sancti habitáculum, hodiérna die in templo præsentári voluísti: præsta quǽsumus, ut ejus

ejus intercessióne in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem Spíritus.

Deinde fit Commemorátio S. Felicis de Valois Confess.

Ad Matutinum, invitatór. Sancta Maria Dei génitrix virgo, * Intercéde pro nobis. Psalmus, Venite, exultémus. 2. Hymnus, Quem terra. Antiphonæ, Psalmi, & V. Nocturnorum, ut in Officio parvo. clvij.

In primo Nocturno.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *Cap. 8. b & 9.*

EGo sapientia hábito in consilio, & erudítis intersum cogitationibus. Timor Dómini odit malum, arrogántiam, & supérbiam, & viam pravam, & os bilingue detéstor. Meum est consilium & æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, & legum conditóres justa decérnunt. Per me Principes imperant, & potentes decérnunt justitiam. Ego diligéntes me diligo, & qui mane vigilant ad me, invénient me.

℟. Sancta & immaculáta virgínitas, quibus te láudibus efferam néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulisti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quia.

Lectio ij.

MEcum sunt divítiæ, & glória, opes supérbæ, & justítia. Mélior est enim fructus meus auro, & lápide pretióso, & genímina mea argento elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, & thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret à princípio. Ab ætérno ordináta sum, & ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, & ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant, ante colles ego parturiébar.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dóminum, quia cùm essem párvula, plácui altíssimo: * Et de meis viscéribus génui Deum & hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancillam húmilem respéxit Deus. Et de.

Lectio iij.

BEátus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídiè, & obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, & háuriet salútem à Dómino: qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt,



runt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, & propósuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocárent ad arcem, & ad mœnia civitátis. Si quis párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est: Veníte, coméditè panem meum, & bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Beáta es virgo María, quæ Dóminum portásti Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, & in ætérnum pérmanes virgo. ℣. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Joánnis Damascéni de fide orthodóxa.

*Lib. 4. Cap. 15.*

Lectio iv.

JOachim lectíssimam illam, ac summis láudibus dignam mulíerem Annam matrimónio sibi copulávit. Verùm, quemádmodùm prisca illa Anna, cùm sterilitátis morbo laboráret, per oratiónem ac promissiónem Samuélem procreávit: eódem modo hæc étiam per obsecratiónem & promissiónem Dei genitrícem à Deo accépit, ut ne hic quoque cuiquam ex illústribus matrónis céderet. Itaque grátia (nam hoc sonat Annæ vocábulum) Dóminam parit: (id enim Maríæ nómine significátur:) Verè étenim rerum ómnium conditárum Dómina facta est, cùm Creatóris mater éxtitit. In lucem autem éditur in domo probáticæ Jóachim, atque ad templum addúcitur, ac deinde in domo Dei plantáta, atque per Spíritum sagináta, instar olívæ frugíferæ virtútum ómnium domicílium efficitur: ut quæ vidélicet ab omni hujúsce vitæ & carnis concupiscéntia mentem abstraxísset, atque ità vírginem unà cum córpore ánimam conservásset, ut eam decébat, quæ Deum sinu suo exceptúra erat.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, & sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum, & bálsamum aromatízans. Dedi.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi de Virgínibus.

*Lib. 2. post initium.*

Lectio v.

TAlis fuit María, ut ejus uníus vita ómnium sit disciplína. Si ígitur auctor non dísplicet, opus probémus: ut quæcúmque sibi ejus exóptat præmium, imitémur exémplum. Quantæ in una vírgine spécies virtútum émicant!

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

cant! Secrétum verecúndiæ, vexillum fidei, devotiónis obsequium: virgo intra domum, comes ad ministérium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occúrret! quantas compléxa ad Dóminum trahet, dicens: Hæc torum Filii mei, hæc thálamos nuptiáles, immaculáto servávit pudóre!

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, & formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filiæ Sion, & beátam dixérunt, & reginæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, & lilia convállium. Vidérunt.

Léctio vj.

QUid ego éxequar cibórum parsimoniam, officiórum redundántiam: álterum ultra natúram superfuisse, álterum pene ipsi natúræ defuisse? Illic nulla intermissa témpora, hic congeminátos jejúnio dies. Et si quando reficiéndi successisset volúntas, cibus plerúmque óbvius, qui mortem arcéret, non delicias ministráret. Dormíre non priùs cupíditas, quàm necéssitas fuit; & tamen cùm quiésceret corpus, vigiláret ánimus: qui frequénter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrúpta contínuat, aut dispósita gerit, aut gerénda prænúntiat.

℟. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupivit: * Et vidéntes eam filiæ Sion beatíssimam prædicavérunt, dicentes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit Regína à dextris tuis in vestitu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In tértio Noctúrno Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri in Evangélium. Loquénte Jesu ad turbas, ut in festo beatíssimæ Virginis Maríæ de Mercéde, xxiv. Septémbris. 412.

℟. vij. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Præsentatiónem. Quia.

℟. viij. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit. Glória Patri. Quia.

Ad Laudes, & per Horas, Antiphona. Dum esset Rex, cum réliquis ut infra in Officio sanctæ Maríæ in Sabbato. cxlix. Capitulum. Ab initio. Hymnus. O gloriósa Virginum. cxlix.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis ℟. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Antiphona. Beáta es María, quæ credidisti: perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi à Dómino, allelúia.

Orátio.

DEus, qui beátam Maríam semper vírginem, Spíritus sancti habitáculum, hodiérna die in templo præsentári voluisti: præsta quæsumus, ut ejus intercessióne in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per Dóminum nostrum. In unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus.

Ad Horas, Antiphonæ, Capitula, & ℟. brevia ut in Officio beatæ Maríæ in Sabbato. cl.

In secúndis Vésperis ómnia ut in primis. 541.

Et fit Commemorátio sanctæ Cecíliæ, Antiphona. Est secrétum Valeriáne, quod tibi volo dícere: Angelum Dei hábeo amatórem, qui nimio zelo custódit corpus meum. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, & regna.

Orátio.

DEus, qui nos ánnua beátæ Cecíliæ vírginis & mártyris tuæ solemnitáte lætíficas: da, ut quam venerámur officio, étiam piæ conversatiónis sequámur exemplo. Per Dóminum nostrum.



## DIE XXII. NOVEMB.

In festo sanctæ Cecíliæ Virginis & Mártyris.

Duplex.

Omnia de Commúni Virginum & Mártyrum, xc. exceptis his quæ hic sunt própria.

Ad Matutinum, Invitatór. Regem Virginum Dóminum, * Veníte adorémus. Psalmus. Veníte exultémus. 2.

Hymnus. Virginis proles, ut in Commúni Virginum. xciij.

In primo Noctúrno, Antiph. Cæcilia virgo Almáchium superábat, Tibúrtium & Valeriánum ad corónas vocábat. Psalmus. Dómine Dóminus noster. xciv. Antiph. Expánsis mánibus orábat ad Dóminum, ut eam eríperet de inimícis. Psalmus. Cæli enárrant. xcv. Antiphona. Cilício Cæcilia membra domábat, Deum gemítibus exorábat. Psalmus. Dómini est terra. xcv. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, & regna. Pater noster.

Lectiónes de Epistola prima beati Pauli Apóstoli ad Corínthios. De virgínibus; ut in Commúni Virginum. xcvj.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

℟. j. Cantántibus órganis Cæcilia virgo in corde suo soli Dómino decantábat, dicens: * Fiat Dómine cor meum & corpus meum immaculâtum, ut non confúndar. ℣. Biduânis & triduánis jejúniis orans, commendábat Dómino quod timêbat. Fiat Dómine.

℟. ij. O beâta Cæcilia, quæ duos fratres convertisti, Almáchium júdicem superásti: * Urbánum Episcopum in vultu Angélico demonstrásti. ℣. Quasi apis argumentósa Dómino deservisti. Urbánum.

℟. iij. Virgo gloriósa semper Evangélium Christi gerêbat in péctore, & non diêbus neque nóctibus vacábat, * A collóquiis divinis & oratióne. ℣. Expánsis mánibus orábat ad Dóminum, & cor ejus igne cæléstì ardêbat. A collóquiis. Glória Patri. A collóquiis.

In secundo Nocturno, Ant. Dómine Jesu Christe, seminâtor casti consilii, súscipe séminum fructus, quos in Cæcilia seminásti. Psalmus. Eructâvit. xcvij. Antiph. Beâta Cæcilia dixit ad Tibúrtium: Hódie te fateor meum cognâtum, quia amor Dei te fecit esse contemptórem idolórum. Psalm. Deus noster refúgium. xcviij. Antiphona. Fiat Dómine cor meum & corpus meum immaculâtum, ut non confúndar. Psalmus. Magnus Dóminus. xcix. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur. Pater noster.

Lectio iv.

CÆcilia virgo Romána nóbili génere nata, à prima ætáte Christiánæ fidei præcéptis institûta, virginitátem suam Deo vovit. Sed cùm pósteà contra suam voluntátem data esset in matrimónium Valeriáno, prima nuptiárum nocte hunc cum eo sermónem hábuit: Ego, Valeriáne, in Angeli tutéla sum, qui virginitátem meam custódit: quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitétur. Quibus verbis commótus Valeriânus, illam attingere non est ausus; quin étiam áddidit, se in Christum creditûrum, si eum Angelum vidêret. Cui Cæcilia, cum sine Baptismo negáret id fieri posse, incénsus cupiditâte videndi Angelum, se baptizári velle respóndit. Quare hortâtu virginis ad Urbânum Papam, qui propter persecutiónem in Martyrum sepúlchris via Appia latêbat, véniens, ab eo baptizâtur.

℟. Cilício Cæcília membra domâbat, Deum gemitibus exorâbat: * Tibúrtium & Valeriânum ad corónas vocábat. ℣. Hæc est virgo sápiens, & una de número prudéntum. Tibúrtium.

Lectio v.

INdè ad Cæcíliam revérsus, orántem, & cum ea Angelum divino splendóre fulgéntem invênit. Quo aspéctu obstupefáctus, ut primùm ex timóre confirmâtus est, Tibúrtium fratrem suum accérsit, qui à Cæcilia Christi fide imbûtus, & ab eódem Urbáno baptizâtus, ipse étiam ejúsdem Angeli, quem frater ejus víderat, aspéctu dignâtus est. Utérque autem paulò post Almáchio Præfécto constánter martyrium súbiit. Qui mox Cæcíliam comprehéndi imperat, ab eâque primùm, ubi Tibúrtii & Valeriáni facultátes sint, exquírit.

℟. Cæcíliam intra cubículum orántem invênit, & juxta eam stantem Angelum Dómini: * Quem videns Valeriânus: nimio terróre corréptus est. ℣. Angelus Dómini descéndit de cælo, & lumen refúlsit in habitáculo. Quem.

Lectio vj.

QUi cùm Virgo ómnia illórum paupéribus distribûta esse respondisset, eo furóre concitâtus est, ut eam in ipsius ædes redúctam, in bálneo combúri jússerit. Quo in loco cùm diem noctémque ita fuisset, ut ne flamma quidem illam attíngeret; eò ammissus est cárnifex, qui ter secúri ictam, cùm caput abscindere non potuisset, semivívam relíquit. Illa tríduo post, décimo Kaléndas Decembris, Alexándro Imperatóre, dúplici virginitâtis & martyrii palma decorâta evolávit in cælum: cujus corpus ab ipso Urbáno Papa in Callisti cœmetério sepúltum, est in ejus ædibus Ecclésia ipsius Cæcíliæ nómine consecráta. Ejus, & Urbáni ac Lúcii Pontíficum, Tibúrtii, Valeriáni & Máximi córpora à Paschâli Primo Pontífice inde transláta in Urbem, in eádem sanctæ Cæcíliæ Ecclésia cóndita sunt.

℟. Dómine Jesu Christe, pastor bone, seminâtor casti consílii, súscipe séminum fructus, quos in Cæcília seminásti: * Cæcília fámula tua quasi apis tibi argumentôsa deservit. ℣. Nam sponsum, quem quasi leónem ferócem accêpit, ad te quasi agnum mansuetíssimum destinávit. Cæcília. Glória Patri. Cæcília.

In tertio Nocturno, Antiph. Crédimus Christum Fílium Dei verum Deum esse, qui sibi talem elêgit fámulam. Psalmus. Cantâte. j. cj. Antiphona. Nos sciéntes sanctum nomen ejus, omninò negáre non póssumus. Psal. Dóminus regnávit. cij. Antiphona. Tunc Valeriânus perréxit, & signo quod ac-

accéperat, invênit sanctum Urbánum. Psalmus. Cantáte ij. cij. ℣. Elégit eam Deus, & prælégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Pater noster.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 25.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Homilía 79. in Matthæum, post initium.*

QUam ob causam in persóna vírginum hanc parábolam profert, nec qualemcúmque persónam sine discrímine súbjicit? Magna quædam de virginitáte disserúerat, dicens: Sunt Eunúchi, qui seipsos castravérunt propter regnum cælórum: &, Qui potest cápere, cápiat. Nec ignorábat, de virginitáte magnam esse vulgò existimatiónem, quippe cùm sit eæres natúra sublímis: quod indè patet, quia neque in véteri Testaménto à priscis illis sanctísque viris culta fuit, & in novo nulla legis necessitáte jubétur: non enim id imperávit, sed fidélium voluntáti permísit. Undè & Paulus ait: De virgínibus autem præcéptum Dómini non hábeo: & laudo quidem eum, qui hoc sectátur institútum, noléntem autem non cogo, neque eam rem præcéptum fácio.

℟. Beáta Cæcília dixit Tibúrtio: Hódie te fáteor meum esse cognátum: quia amor Dei te fecit esse, * Contemptórem idolórum. ℣. Sicut enim amor Dei mihi tuum fratrem cónjugem fecit, ità te mihi cognátum fecit esse. Contemptórem.

Léctio viij.

QUóniam ígitur & magna res erat, ac de ea apud multos magna erat existimátio: ne quis ea perfécta se totum perfecísse putáret, ac cétera neglígeret, hanc parábolam pósuit; ut osténderet virginitátem, quamvis cétera hábeat, si misericórdiæ bonis carúerit, cum fornicatóribus éjici. Ac méritò quidem inhumánum ac misericórdia caréntem cum illis cóllocat. Fornicátor enim córporum, istæ verò pecuniárum cupiditáte vincúntur. Non est autem córporum & pecúniæ par cupíditas; sed ácrior multò, atque veheméntior illa córporum est. Quantò ígitur cum imbecillióre luctántur, tantò minùs vénia dignæ sunt, si vincántur. Idcírco étiam fátuas appellávit: quóniam majóri certámine superáto, in facilióri totum perdidérunt.

℟. Cæcília me misit ad vos, ut ostendátis mihi sanctum Antístitem: * Quia ad ipsum hábeo secréta, quæ pérferam. ℣. Tunc Valeriánus perréxit, & signo quod accéperat, invênit sanctum Urbánum. Quia. Glória Patri. Quia.

Léctio ix.

LAmpades autem hoc loco illud ipsum virginitátis donum appéllat, & sanctimóniæ puritátem: óleum verò benignitátem, eleemósynam, impénsum indigéntibus auxílium. Tardánte autem sponso, dormitavérunt omnes, & dormiérunt. Non parvum témporis rursùs spátium interjéctum osténdit, ut discípulos regnum ipsíus mox futúrum expectántes, ab ea opinióne dedúceret: id enim illi sperábant: quaproptèr crebrò ab hujúsmodi eos spe révocat. Ad hoc, illud quoque índicat, somnum quemdam esse mortem. Dormiérunt, inquit; média autem nocte clamor factus est: vel, ut in eádem parábola persístat: vel rursùs osténdit in nocte futúram esse resurrectiónem. Clamórem étiam Paulus commémorat, dicens: In jussu, in voce Archángeli, in novíssima tuba descéndet de cælo. Te Deum laudámus. 17.



## AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

CAntántibus órganis, Cæcília Dómino decantábat, dicens: Fiat cor meum immaculátum, ut non confúndar. Psalmus. Dóminus regnávit cum reliq. 18. Antiphona. Valeriánus in cubículo Cæcíliam cum Angelo orántem invênit. Antiph. Cæcília fámula tua, Dómine, quasi apis tibi argumentósa deservit. Antiphona. Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Fílium tuum ignis extínctus est à látere meo. Aña. Triduánas à Dómino popósci indúcias, ut domum meam Ecclésiam consecrárem.

Capitulum. 2. *Cor. 10. d*

FRatres, Qui gloriátur, in Dómino gloriétur: non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est, sed quem Deus comméndat.

Hymnus. Jesu, coróna Vírginum. xcij ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Antiphona. Dum auróra finem daret, Cæcília exclamávit, dicens: Eja mílites Christi, abjícite ópera tenebrárum, & indúimini arma lucis.

Oratio.

DEus, qui nos annua beatæ Cæciliæ virginis & martyris tuæ solemnitate lætificas: da, ut quam venerámur officio, etiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Aña. Valeriánus. Capitulum. Fratres, Qui gloriátur, ut sup. 553. ℟. breve. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, & regna. Et. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam, Antiphona. Cæcilia fámula tua.

Capitulum. 2. *Cor.* 11.

ÆMulor enim vos Dei æmulatióne: despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. breve. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona. Triduánas.

Capitulum. *Eccli.* 51. *b*

DOmine Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, & pro morte defluénte deprecáta sum: invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, & in témpore superbórum sine adjutório.

℟. breve. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. ℣. Elégit. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Vésperas, Antiphona. Cantántibus órganis, cum reliquis de Laudibus. 553. Psalmi de Virginibus. xc.

Capitulum. Fratres, Qui gloriátur. Hymnus. Jesu coróna vírginum, ut infrà. xcij. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magníficat, Antiphona. Virgo gloriósa semper Evangélium Christi gerébat in péctore suo, & non diébus neque nóctibus à collóquiis divínis & oratióne cessábat.

Oratio. Deus, qui nos ánnua, ut supra.

Et fit Commemoratio S. Clementis, ut infra.

## DIE XXIII. NOVEMB.

In Festo S. Clementis Papæ & martyris. Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mártyris, xxij. præter ea, quæ sequuntur.

Aña. Orémus omnes ad Dóminum Jesum Christum, ut Confessóribus suis fontis venam apériat. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera manuum tuárum.

Oratio.

DEus, qui nos ánnua beáti Cleméntis mártyris tui atque Pontíficis solemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Postea fit Commem. S. Felicitatis martyris, Aña. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæréntì bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, & comparávit eam. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, & regna.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus, ut beatæ Felicitátis mártyris tuæ solémnia recenséntes, méritis ipsius protegámur, & précibus. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum ómnia de Communi Mártyris, xxxiij. præter sequentia.

In primo Nocturno Lectiones de Actibus Apostolor. A Miléto, ut in Communi unius Mártyris. xxv.



℟. j. Oránte sancto Cleménte, appáruit ei Agnus Dei: * De sub cujus pede fons vivus emánat, flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei. ℣. Vidi supra montem Agnum stantem. De sub.

℟. ij. Omnes una voce dixérunt: Ora pro nobis sancte Clemens, * Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. ℣. Non meis méritis ad vos me misit Dóminus, vestris corónis partícipem fieri. Ut.

℟. iij. Dedísti Dómine habitáculum mártyri tuo Cleménti in mari, in modum templi marmórei Angélicis mánibus præparátum: * Iter præbens pópulo terræ: ut enárrent mirabília tua. ℣. Dedísti Dómine sanctis tuis viam in mari, & in flumínibus sémitam. Iter præbens. Glória Patri. Iter præbens.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CLemens Románus, Faustíni fílius, de regióne Cælii montis, discípulus beáti Petri, cujus méminit Paulus scribens ad Philippénses: Etiam rogo & te germáne compar, ádjuva illas quæ mecum laboravérunt in Evangélio, cum Cleménte, & céteris adjutóribus meis, quorum nómina sunt in libro vitæ. Hic septem Urbis regiónes divísit septem

Notáriis, singulas singulis attribuens, qui passiónes Mártyrum, & res ab eis gestas diligentíssime conquisitas, litteris mandárent. Multa scripsit & ipse accuráte, & salutáriter, quibus Christiánam religiónem illustrávit.

℟. Honestum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam, & in vínculis non dereliquit eum. Et dedit illi.

Lectio v.

Cum autem doctrina ac vitæ sanctitáte multos ad Christi fidem convérteret, à Trajano Imperatóre relegátus est trans mare Ponticum in solitúdine urbis Chersónæ, in qua duo millia Christianórum repérit, qui ab eodem Trajano condemnáti fúerant. Qui cùm in eruéndis & secándis marmóribus aquæ penúria laborárent, Clemens facta oratióne, in vicinum collem ascendit, in cujus jugo vidit agnum dextro pede fontem aquæ dulcis, qui indè scatébat, attingéntem, ubi omnes sitim explevérunt: eòque miráculo multi infidéles ad Christi fidem conversi, Cleméntis étiam sanctitátem venerári cœpérunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuisti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Léctio vj.

Quibus concitátus Trajánus, misit illuc, qui Cleméntem, alligáta ad ejus collum anchora, in profúndum dejicerent. Quod cùm factum esset, Christiánis ad littus orántibus, mare ad tria milliária recessit: eòque illi accedéntes, ædículam marmóream in templi formam, & intùs arcam lapídeam, ubi Mártyris corpus cónditum erat, & juxta illud anchoram, qua mersus fúerat, invenérunt. Quo miráculo incolæ permóti, Christi fidem suscepérunt. Ejus corpus póstea Romam, Nicoláo Primo Pontífice, translátum, in Ecclésia ipsius sancti Cleméntis cónditum est. Ecclésia étiam in eo insulæ loco, undè divinitùs fons manárat, ejúsdem nómine dedicáta est. Vixit in Pontificátu annos novem, menses sex, dies sex. Fecit Ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros decem, Diáconos duos, Episcopos per diversa loca quindecim.

℟. Stola jucunditátis induit



eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In tértio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 24. d*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte: quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Episcopi.

*Comm. in Matt. can. 26. in fine.*

Ut ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse sciremus, vigiláre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, & oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse osténdit zábolum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, & córporum nostrórum dómibus insidiántem: ut ea incuriósis nobis & somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos igitur esse nos cónvenit: quia diéi ignorátio inténtam solicitúdinem suspénsæ expectatiónis exágitet.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Léctio viij. *Can. 27.*

Quisnam est fidélis servus & prudens, quem constituit Dóminus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indeféssam vigilántiæ curam adhortétur: speciálem tamen pópuli princípibus, id est, Episcopis, in expectatióne adventúque suo solicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, præpósitum famíliæ signíficat, cómmoda atque utilitátes commissi sibi pópuli curántem. Qui si dicto audiens, & præceptis obédiens erit: id est, si doctrínæ opportunitáte & veritáte infirma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat, & verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens, hisque immorans deprehendátur: glóriam à Dómino tamquam dispensátor fidélis, & víllicus útilis consequétur, & super ómnia bona constituétur: id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultrà, quod mélius sit.

℟. Hic est verè martyr, qui

 pro

pro Christi nómine sánguinem suum fudit: ℟. Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsivit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Pro S. Felicitáte mártyre.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

*Homilia 3. in Evangelia.*

Lectio ix.

BEáta Felícitas, cujus hódie natalítia celebrámus, septem fílios sic post se tímuit vivos in carne relínquere, sicut carnáles paréntes solent metúere, ne mórtuos præmittant. In persecutiónis enim labóre deprehénsa, filiórum corda in amóre supérnæ pátriæ prædicándo roborávit, & parturívit spíritu, quos carne pepérerat, ut prædicatióne páreret Deo, quos carne pepérerat mundo. Numquid ergo hanc féminam mártyrem díxerim? Sed plus quàm mártyrem: quæ septem pignóribus ad regnum præmissis, tot ante se mórtuos transmísit. Ad pœnam prima venit, sed pervénit octáva.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

ORánte sancto Clemènte, appáruit ei Agnus Dei. Psalm. Dóminus regnávit, cum réliq. 18. Aña. Non meis méritis ad vos me misit Dóminus, vestris corónis partícipem fíeri. Aña. Vidi supra montem Agnum stantem, de sub cujus pede fons vivus emánat. Aña. De sub cujus pede fons vivus emánat, flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei. Aña. Omnes gentes per gyrum credidérunt Christo Dómino.

Capitulum. *Jacóbi 1. b*

BEátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus. Invícte. xxxiij.

℣. Justus ùt palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cùm iter ad mare cœpisset, pópulus voce magna clamábat: Dómine Jesu Christe, salva illum; & Clemens cum lácrymis dicébat: Súscipe Pater spíritum meum.

Orátio. Deus, qui nos ánnua, ut supra. 555.

Deinde fit Commemor. S. Felicitátis, Aña. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Orátio. Præsta quæsumus, ut supra. 555.

Ad Tertiam, Aña. Non meis



meis méritis. Capitulum. Beatus vir, ut supra.

℟. breve. Glória & honóre, * Coronásti eum Dómine. Glória & honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória & honóre. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Sextam, Antiphona.

Vidi supra montem.

Capitulum. *Eccli. 15.*

CIbávit illum pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum Dóminus Deus noster.

℟. breve. Posuísti Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Ad Nonam, Antiphona.

Omnes gentes.

Capitulum. *Eccli. 39.*

JUstus cor suum tradidit ad vigilándum dilúculò ad Dóminum, qui fecit illum, & in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. breve. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna est. ℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória Patri. Magna est. ℣. Justus ùt palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Vesperæ in Hispan. de sequenti, Commemor. præcedentis, & S. Chrysógoni, ut infra.

Si verò transferátur, ad Vésperas, Antiphona. Oránte sancto Clemènte, cum réliquis de Láudibus, 558. Psal. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 135. & loco último, Psalm. Credidi, ut supra. 137.

Capitul. Beátus vir, Hymnus. Deus tuórum, de Commúni unius Mártyris xxij.

℣. Justus ùt palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magníficat, Antiphona.

Dedísti Dómine habitáculum mártyri tuo Clementi in mari, in modum templi marmórei, Angélicis mánibus præparátum, iter præbens pópulo terræ, ut enárrent mirabília tua.

Orátio. Deus, qui nos ánnua, ut supra. 555.

DIE XXIV. NOVEMB.

In festo S. Joannis à Cruce Confessoris.

Semiduplex.

Sed in Hispania. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxiij. præter ea, quæ sequuntur.

In Hymno Iste Conféssor, mutatur tertius Versus.

Orátio.

DEus, qui sanctum Joánnem Confessórem tuum perféctæ sui abnegatiónis,

& Crucis amatórem exímium effecísti: concéde, ut ejus imitatióni júgiter inhæréntes, glóriam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

Et fit Commemorátio sancti Chrysógoni mártyris.

Antiphona. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, & à verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Orátio.

Adésto Dómine supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Chrysógoni Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes à Cruce Fontíberi in Hispánia piis paréntibus natus, à primis annis certò innótuit, quàm Deiparæ Vírgini futúrus esset accéptus: nam quinquénnis in púteum lapsus, ejúsdem Deiparæ manu sublátus, incólumis evásit; tanto autem patiéndi desidério flagrávit, ut novénnis, spreto mollióri lecto, super sarméntis cubáre consuéverit. Adoléscens Hospítio páuperum ægrotántium Methynæ Campi fámulum sese addíxit, quibus magno charitátis ardóre, vilíssima quæque compléctens offícia, præsto áderat: cujus exémplo excitáti céteri eadem charitátis múnera ardéntius obíbant. Verùm ad altióra vocátus, beátæ Maríæ vírginis de Monte Carmélo Institútum ampléxus est: ubi Sacérdos ex obediéntia factus, severióris disciplínæ & arctióris vitæ cupidíssimus, primitívam Ordinis Régulam ex Superióris licéntia ita proféssus est, ut, ob jugem Domínicæ Passiónis memóriam, bello in se, tamquam in infensíssimum hostem, indícto, vigíliis, jejúniis, férreis flagéllis, omníque pœnárum génere, brevi carnem cum vítiis & concupiscéntiis suis crucifíxerit; dignus planè, qui à sancta Terésia inter purióres sanctiorésque ánimas Ecclésiam Dei id témporis illustrántes recenserétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.



Lectio v.

Singulári vitæ austeritáte, & ómnium virtútum præsídio munítus, præ assídua rerum divinárum contemplatióne diutúrnas & mirábiles extases frequénter patiebátur: tantóque in Deum æstuábat amóre, ut cùm divínus ignis sese intrò diútiùs continére non posset, foràs erúmpere, ejúsque vultum irradiáre visus sit. Proximórum salúti summópere inténtus, tum in verbi Dei prædicatióne, tum in Sacramentórum administratióne fuit assíduus. Hinc tot méritis auctus, strictiorísque disciplínæ promovéndæ ardóre vehementer accénsus, sanctæ Terésiæ comes divínitùs datus est; ut, quam ipsa inter Soróres primævam Carméli Ordinis observántiam instauráverat, eámdem & inter Fratres, Joánne adjutóre, restitúeret. Innúmeros itaque unà cùm Dei fámula in divíno ópere promovéndo perpéssus labóres, Cœnóbia, quæ ejúsdem sanctæ Vírginis cura per totam Hispániam erécta fúerant, nullis vitæ incómmodis, & perículis térritus, síngula perlustrávit: in quibus, alíisque quamplúrimis ejus óperâ eréctis, restaurátam observántiam propagándo, verbo, & exémplo firmávit, ut méritò primus post sanctam Terésiam Carmelitárum Excalceatórum Ordinis Proféssor, & Parens habeátur.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et.

Lectio vj.

Virginitátem perpétuò cóluit, impudentésque mulíeres ejus pudicítiæ insidiári conántes, non modò répulit, sed étiam Christo lucrifécit. In divínis explicándis arcánis æquè ac sancta Terésia, Apostólicæ Sedis judício, divínitùs instrúctus, libros de mystica Theología cœlésti sapiéntia refértos conscrípsit. Semel interrogátus à Christo, quid præmii pro tot labóribus pósceret, respóndit: Dómine, pati, & contémni pro te. Império in dæmones, quos è corpóribus sæpè fugábat, discretióne spirítuum, prophétiæ dono, miraculórum glória celebérrimus, ea semper fuit humilitáte, ut sæpiùs à Dómino flagitáverit eo loco mori, ubi ómnibus esset ignótus. Voti compos factus, Ubédæ diro morbo, & in crure quinque plagis sanie manántibus, ad implendum patiéndi desidérium, constan-

tissimè toleràtis, Ecclésiæ Sacraméntis piè sanctéque suscéptis in Christi Crucifixi ampléxu, quem semper in corde, atque ore habúerat, post illa verba: In manus tuas comméndo spíritum meum, obdormivit in Dómino, die, & hora à se prædíctis, anno salútis millésimo primo, ætatis quadragésimo nono. Migrántem ejus ánimam splendidíssimus ígnitus globus excépit: corpus verò suavíssimum odórem spirávit, quod étiamnùm incorrúptum Segóviæ honorificè cólitur. Eum plúrimis ante, & post óbitum fulgentem signis Benedíctus Décimus Tértius Póntifex Máximus in Sanctòrum númerum rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium. Sint lumbi vestri, de Communi Conf. non Pontif.

Pro S. Chrysogono Mart.

Lectio ix.

CHrysógonus, Diocletiáno Imperatóre Romæ inclúsus in cárcere ibi biénnium sanctæ Anastásiæ facultátibus vixit: quam étiam afflíctam propter Christum à viro suo Públio, proptereàque à suis oratiónibus per lítteras auxílium postulántem, mútuis epístolis est consolátus. Sed cum Imperátor Romam scripsísset, ut, réliquis Christiánis, qui in vínculis essent, interféctis, Chrysógonus Aquiléjam ad se mitterétur, eò perdúctus est. Cui Imperator: Accersívi, inquit, te, Chrysógone, ut honóribus áugeam, si modò indúxeris ánimum deos cólere. At ille: Ego eum, qui verè est Deus, mente & oratióne véneror: deos autem qui nihil sunt nisi dæmonum simulacra, odi, & exécror. Quo respónso excandescens Imperator, ad aquas Gradátas eum secúri pércuti jubet, octavo Kalendas Decembris: cujus corpus projéctum in mare, paulò post in líttore invéntum, Zóilus Présbyter in suis ædibus sepelívit.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commem. S. Chrysogoni Martyris. Vesperæ à Cap. de sequenti, Commem. præcedentis.

## DIE XXV. NOVEMB.

In festo S. Catharinæ Virginis & Martyris Duplex. Omnia de Communi Virginum & Martyrum, exceptis his, quæ hic habentur propria.

Orátio.

DEus, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sinai, & in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis & mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta quǽsumus, ut ejus méritis & intercessióne, ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus. Qui tecum vivit & regnat.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CAtharína nóbilis virgo Alexandrína, à prima ætáte stúdia liberálium ártium cum fídei ardóre conjúngens, brevi ad eam sanctitátis & doctrínæ perfectiónem pervénit, ut decem & octo annos nata eruditíssimum quemque superáret. Quæ cùm Maximíni jussu multos propter Christiánæ religiónis professiónem várie torméntis cruciátos, ad supplícium rapi vidéret: non dubitánter ipsum ádiit Maximínum, eíque nefáriam immanitátem objíciens, sapientíssimis ratiónibus Christi fidem ad salútem necessáriam esse affirmávit.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Et.

Lectio v.

CUjus prudéntiam Maximínus admirátus, retinéri eam jubet, accersítis úndique doctíssimis homínibus, magnísque propósitis prǽmiis, qui convíctam Catharínam à Christi fide ad idolórum cultum perduxíssent. Quod contrà áccidit. Nam plures Philósophi, qui ad eam coarguéndam convénerant, vi ac subtilitáte ejus disputatiónis tanto Jesu Christi amóre sunt incénsi, ut pro illo mori non dubitáverint. Quamóbrem Maximínus blandítiis ac promíssis Catharínam de senténtia dedúcere ággreditur: verùm id frustrà fieri intélligens, verbéribus affectam, plumbatísque contúsam, dies úndecim sine cibo ac potu inclúsam tenet in cárcere.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea.

Lectio vj.

QUo témpore Maximíni uxor, & Porphýrius belli dux, viséndæ vírginis causa, cárcerem ingréssi, & ejúsdem prædicatióne in Jesum Christum credéntes, póstea martýrio coronáti sunt. Interim Catharína edú-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

citur è custódia: & rota expeditur crebris & acútis præfixa gládiis, ut virginis corpus crudelissime dilacerarétur. Quæ máchina brevi Catharínæ oratióne confrácta est, eóque miráculo multi Christi fidem suscepérunt. Ipse Maximínus in impietâte & crudelitâte obstinátior, Catharínam secúri pércuti imperat: quæ fórtiter dato cápite, ad duplicátum virginitátis & martyrii prǽmium evolávit, séptimo Kaléndas Decémbris: cujus corpus ab Angelis in Sina Arábiæ monte mirabíliter collocátum est.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur.

In tértio Noctúrno Homilía S. Gregórii Papæ in Evangélium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, de Commúni Vírginum. ciij.

In secúndis Vésperis fit Commemorátio sancti Petri Epíscopi & mártyris.

## DIE XXVI. NOVEMB.

S. Petri Epíscopi & mart.

Añ. Iste sanctus. ℣. Glória & honóre. Orátio. Infirmitátem, de Commúni unius Mártyris. xxiij.

Léctio iij.

PEtrus Epíscopus Alexandríæ, post Theônam virum sanctíssimum, sanctitátis & doctrínæ splendóre non solùm illustrávit Ægyptum, sed toti luxit Ecclésiæ Dei. Qui in persecutióne Maximiáni Galérii illam témporum acerbitâtem ita pertulit, ut multi admirábilem ejus patiéntiam intuéntes, plúrimùm in Christiána virtúte proficerent. Is primus Aríum Diáconum Alexandrínum, propter schisma Melétianum, cui favébat, à fidélium communióne sejúnxit. Ad eum cápitis ab eódem Maximiáno damnâtum in cárcere, cùm Achíllas & Alexánder Presbyteri deprecatóres Arii venissent, respóndit: Noctu apparuisse sibi Jesum veste discíssa, causámque rei sciscitánti dixisse: Aríus vestem meam, quæ est Ecclésia, dilacerávit. Quibus étiam prædícens fore, ut sibi in Episcopátu succéderent, præcépit, ne umquam Aríum in communiónem recíperent, quem Deo mórtuum esse sciret. Et hanc divínam prænotiónem veram fuisse, non diu pòst rei probávit evéntus. Denique duodécimo sui Episcopátus anno, sexto Kaléndas Decémbris abscísso cápite, ad martyrii corónam evolávit.

Te Deum laudâmus. 17.

DIE



## DIE XXIX. NOVEMB.

Sancti Saturníni mártyris Commemorátio.

Ad Vésperas, Antíphona.

Iste sanctus. ℣. Glória & honóre, de Commúni unius Mart. xxiij.

Orátio

DEus, qui nos beáti Saturníni mártyris tui concédis natalítio pérfrui: ejus nos tríbue méritis adjuvári. Per Dóminum.

### IN VIGILIA

Sancti Andréæ Apóstoli.

Offícium fit de Féria, ut dictum est in Rubrícis generálibus, cum Homilía & Oratióne de Vigília, ut infrà.

Si Festum S. Andréæ vénerit Féria ij. de Vigília fit Offícium in Sábbato præcedénti, & Commemorátio S. Saturníni in Domínica.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Léctio j. *Cap. 1. c*

IN illo témpore: Stabat Joánnes, & ex discípulis ejus duo, & respíciens Jesum ambulántem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

*Tractátu 7. in Joánnem post initium.*

QUia talis erat Joánnes amícus sponsi, non quærébat glóriam suam, sed testimónium perhibébat veritáti: numquid vóluit apud se remanére discípulos suos, ut non sequeréntur Dóminum? Magis ipse osténdit discípulis suis quem sequeréntur: habébant enim illum tamquam agnum. Et ille: Quid me atténditis? Ego non sum Agnus. Ecce Agnus Dei. De quo & supérius dixerat: Ecce Agnus Dei. Et quid nobis prodest Agnus Dei? Ecce, ait, qui tollit peccátum mundi. Secúti sunt illum, hoc audíto, duo qui erant cum Joánne.

Resp. de Féria occurrénte.

Léctio ij.

VIdeâmus sequéntia. Ecce Agnus Dei. Hoc Joánnes. Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem, & secúti sunt Jesum. Non sic illum sequebántur, quasi jam ut inhærérent illi: nam manifestum est, quando illi inhæsérunt, quia de navi eos vocávit. In his enim duóbus erat Andréas, sicut modò audístis. Andréas autem frater Petri erat. Et nóvimus in Evangélio quòd Petrum & Andréam Dóminus de navi vocávit, dicens: Veníte post me, & fáciam vos piscatóres hóminum. Et ex illo jam inhæsérunt illi, ut non recéderent.

Léctio iij.

MOdò ergo quòd illum sequúntur isti duo, non quasi non recessúri sequúntur, sed vidére voluérunt ubi habitáret, & fácere

quod

quod scriptum est: Limen ostiórum ejus exterat pes tuus: surge ad illum venire assiduè, & erudire præceptis ejus. Ostendit eis ille ubi manéret: venerunt & fuérunt cum illo. Quam beátum diem duxérunt, quàm beátam noctem! Quis est, qui nobis dicat, quæ audierint illi à Dómino? Ædificémus & nosmetipsi in corde nostro, & faciámus domum quò véniat ille, & dóceat nos, & colloquatur nobis.

Ad Laudes, ut in Psaltério. Et dicuntur Preces feriales Flexis génibus ut supra. 62.

Orátio.

Quæsumus omnipotens Deus, ut beátus Andréas Apóstolus, cujus prævenímus festivitátem, tuum pro nobis implóret auxilium: ut à nostris reátibus absolúti, à cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum nostrum.

Deinde pro Commemoratióne S. Saturnini, Aña. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orátio. Deus, qui nos, ut supra. 564.

DIE XXX. NOVEMB.

IN FESTO

S. ANDREÆ APOST.

Duplex.

Ad Vésperas, Antiphona. Salve crux pretiósa, cum reliquis de Láudibus. 571. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Domínica. 131. & loco ultimi, Psalm. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capítulum. *Rom. 10. b*

Fratres, Corde enim créditur ad justítiam: ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis, qui credit in illum, non confundétur.

Hymnus. Exúltet orbis gáudiis, ut in Commúni. ij.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magníficat, Antiphona. Unus ex duóbus, qui secúti sunt Dóminum, erat Andréas frater Simónis Petri, allelúia.

Orátio.

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxstitit prædicátor & rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ad Matutinum, Invitatór. Regem Apostolórum Dóminum, * Venite adorémus. Psalmus. Venite, exultémus. 2. Hymnus. Ætérna Christi múnera, ut in Commúni Apostolórum.

In



In primo Nocturno, Aña. Vidit Dóminus Petrum & Andréam, & vocávit eos. Psalm. Cæli enárrant, ut in Commúni Apostolórum. iij. Antiphona. Veníte post me, dicit Dóminus, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. Psalmus. Benedícam Dóminum. iv. Aña. Relíctis rétibus suis, secúti sunt Dóminum Redemptórem. Psalmus. Eructávit cor meum, v.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Pater noster. Absolutio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne. Benedictio. Benedictióne perpétua.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. *Cap. 10.*

Finis legis, Christus, ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam, quæ ex lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justítia, sic dicit: Ne díxeris in corde tuo: Quis ascéndet in cælum? id est, Christum dedúcere: aut quis descéndet in abyssum? hoc est, Christum à mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fídei, quod prædicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, & in corde tuo credíderis, quòd Deus illum suscitávit à mórtuis, salvus eris.

℟. Cùm perambuláret Dóminus juxta mare Galilææ, vidit Petrum & Andréam rétia mitténtes in mare, & vocávit eos, dicens: * Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. ℣. Erant enim piscatóres, & ait illis. Veníte. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ij.

Corde enim créditur ad justítiam: ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium dives in omnes, qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodò ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodò credent ei, quem non audiérunt? Quómodò autem áudient sine prædicánte? Quómodò verò prædicábunt, nisi mittántur? sicut scriptum est: Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona!

℟. Mox ut vocem Dómini prædicántis audívit beátus Andréas, relíctis rétibus, quorum usu actúque vivébat, * Ætérnæ vitæ secútus est præ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

prǽmia largiéntem. ℣. Hic est qui pro amóre Christi pepéndit in cruce, & pro lege ejus sustinuit passiónem. Ætérnæ. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Léctio iij.

SEd non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico: Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit: Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem: in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isaías autem audet, & dicit: Invéntus sum à non quæréntibus me: palàm appárui iis, qui me non interrogábant. Ad Israel autem dicit: Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem, & contradicéntem.

℟. Doctor bonus, & amícus Dei Andréas dúcitur ad crucem: quam à longè aspíciens dixit: Salve crux, * Súscipe discípulum ejus, qui pepéndit in te, magister meus Christus. ℣. Salve crux, quæ in córpore Christi dedicáta es: & ex membris ejus tamquam margarítis ornáta. Súscipe. Glória Patri. Súscipe.

In secúndo Noctúrno, Aña. Dignum sibi Dóminus comparávit mártyrem, quem vocávit Apóstolum, dum esse in mari, allelúia. Psalm. Omnes Gentes. vij. Aña. Diléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis. Psalm. Exáudi Deus deprecatiónem meam. vij. Aña. Biduò vivens pendébat in cruce beátus Andréas pro Christi nómine, & docébat pópulum. Psalm. Exáudi Deus oratiónem meam. viij. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Pater noster. Absolútio. Ipsius piétas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Léctio iv.

ANdréas Apóstolus, Bethsáidæ natus, qui est Galilææ vicus, frater Petri, discípulus Joánnis Baptístæ, cùm eum de Christo dicéntem audísset, Ecce Agnus Dei: secútus Jesum, fratrem quoque suum ad eúmdem perdúxit: cùm póstea una cum fratre piscarétur in mari Galilææ, ambo à prætereúnte Christo Dómino ante álios Apóstolos vocáti illis verbis: Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum; nullam interponéntes moram, & relictis rétibus, secúti sunt eum. Post cujus passiónem & resurrectiónem Andréas, cùm in Scythiam Európæ, quæ ei província ad Christi fidem disseminándam obtígerat, venísset, deindè Epírum ac Thráciam peragrásset, doctrína & miráculis innumerábiles hómines ad Christum convértit. Post Patras Acháiæ proféctus, & in ea urbe plúrimis ad veritátem Evangélicam perdúctis, Ægéam Proconsulem, prædicatióni Evangélicæ resisténtem, libérrimè increpávit, quòd qui judex hóminum habéri vellet, Christum Deum ómnium júdicem à dæmónibus elúsus non agnósceret.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum: pópulus autem clamábat voce magna, dicens: * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur. ℣. Cùmque dúcerent eum ut crucifigerétur, factus est concúrsus populórum clamántium, & dicéntium. Innocens. Benedíctio. Christus perpétuæ.

Léctio v.

TUm Ægéas irátus, Désine, inquit, Christum jactáre, cui simília verba nihil profuérunt, quò minùs à Judǽis crucifigerétur. Andréam verò de Christo nihilóminùs líberè prædicántem, quòd pro salúte humáni géneris se crucifigéndum obtulísset, ímpia oratióne interpéllat, ac demùm hortátur ut sibi consulens diis velit immoláre. Cui Andréas: Ego omnipoténti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidiè, non taurórum carnes, nec hircórum sánguinem, sed immaculátum Agnum in altári, cujus carnem posteàquam omnis pópulus credéntium manducáverit, Agnus qui sacrificátus est, íntegerperséverat & vivus. Quamóbrem ira accénsus Ægéas, jubet eum in cárcerem detrúdi: undè pópulus Andréam fácilè liberásset, nisi ipse sedásset multitúdinem, vehementiùs rogans, ne se ad optatíssimam martyrii corónam properántem impedírent.

℟. O bona crux, quæ decórem & pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus, & redde me magístro meo: * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℣. Beátus Andréas expánsis mánibus ad cælum orábat, dicens: Salva me bona crux. Ut per. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Léctio vj.

IGitur paulò post in tribúnal prodúctum, cùm Ægéas crucis extolléntem mystéria, sibíque suam impietátem exprobrántem, diútiùs ferre non posset, in crucem tolli, & Christi mortem imitári jussit. Addúctus Andréas



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dréas ad locum martyrii, cùm crucem vidisset, longè exclamâre cœpit: O bona crux, quæ decôrem ex membris Dómini suscepisti, diu desideráta, sollicitè amáta, sine intermissiône quæsita, & aliquándo cupiénti ánimo præparáta: áccipe me ab homínibus, & redde me magistro meo, ut per te me recípiat, qui per te me redêmit. Itaque cruci affixus est: in qua bíduum vivus pendens, & Christi fidem prædicâre numquam intermittens, ad eum migrâvit, cujus mortis similitúdinem concupíerat. Quæ ómnia Presbyteri, & Diaconi Achajæ, qui ejus passiônem scripsêrunt, se ità ut commemoráta sunt, audisse & vidisse testántur. Ejus ossa primùm Constantino Imperatôre Constantinópolim, deindè Amálphim translâta sunt. Caput, Pio Secúndo Pontífice, Romam allâtum, in Basílica sancti Petri collocâtum est.

℟. Expándi manus meas tota die in cruce ad pópulum non credéntem, sed contradicéntem mihi: * Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccâta sua. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líberè egit: exaltâre qui júdicas terram, redde retributiônem supérbis. Qui ámbulant. Glória Patri. Qui.

In tértio Noctúrno. Aña. Non me permíttas, Dómine, fámulum tuum a te separári: tempus est ut commendêtur terræ corpus meum, & me ad te venire júbeas. Psal. Confitébimur. x. Aña. Andréas verò rogâbat pópulum, ut non impedíret passiônem ipsíus. Psalm. Dóminus regnávit. x. Aña. Accipe me ab homínibus, & redde me magistro meo: ut per te me recípiat, qui per te me redêmit, allelúja. Psalm. Dóminus regnávit, irascántur. xj.

℣. Nimis honoráti sunt amici tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principâtus eórum. Pater noster. Absolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 4. c*

IN illo témpore: Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duo fratres, Simônem, qui vocâtur Petrus, & Andrêam fratrem ejus, mitténtes rete in mare. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilía 5. in Evangélia.*

AUdístis, fratres charíssimi, quia ad unius jussiônis vocem Petrus & Andréas relíctis rétibus secúti sunt Redemptôrem. Nulla verò hunc fácere adhuc



miràcula víderant: nihil ab eo de prǽmio ætérnæ retributiônis audíerant; & tamen ad unum Dómini præcéptum, hoc quod possidêre videbántur, obliti sunt. Quanta nos ejus miràcula vidêmus, quot flagéllis afflígimur, quantis minárum asperitátibus deterrêmur, & tamen vocántem sequi contémnimus!

℟. Orávit sanctus Andréas, dum respíceret in cælum, & voce magna clamâvit, & dixit: Tu es Deus meus, quem vidi: ne me patiâris ab ímpio júdice depôni: * Quia virtútem sanctæ crucis agnóvi. ℣. Tu es magister meus Christus, quem diléxi, quem cognóvi, quem conféssus sum: tantúmmodò in ista voce exáudi me. Quia. Benedíctio. Cujus festum cólimus.

Léctio viij.

IN cælo jam sedet, qui de conversiône nos admonet: jam jugo fídei colla Géntium subdídit, jam mundi glóriam stravit: jam ruínis ejus crebrescéntibus, districti sui judícii diem propinquántem denúntiat: & tamen supérba mens nostra adhuc non vult hoc sponte desérere, quod quotídiè perdit invíta. Quid ergo, fratres charíssimi, quid in ejus judício dictúri sumus, qui ab amôre præséntis sǽculi nec præcéptis fléctimur, nec verbéribus emendámur?

℟. Videns crucem Andréas exclamâvit dicens: O crux admirábilis, ò crux desiderábilis, ò crux quæ per totum mundum rútilas: * Súscipe discípulum Christi, ac per te me recípiat, qui per te móriens me redêmit. ℣. O bona crux, quæ decôrem & pulchritúdinem de membris Dómini suscepisti. Súscipe. Glória Patri. Súscipe. Benedíctio. Ad societátem.

Léctio ix.

SEd fortassè áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat: ad vocem Domínicam utérque iste piscátor quid, aut quantum dimísit, qui penè nihil hábuit? Sed hac in re, fratres charíssimi, afféctum debêmus pótiùs pensâre, quàm censum. Multum relíquit, qui sibi nihil retínuit: multum relíquit, qui quantúmlibet parum, totum desêruit. Certè nos & hábita cum amôre possidêmus, & ea quæ minimè habêmus, ex desidério quǽrimus. Multum ergo Petrus & Andréas dimísit, quando utérque étiam desidéria habéndi derelíquit.

Te Deum laudâmus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

SAlve crux pretiôsa, súscipe discípulum ejus, qui pepéndit in te magister meus Christus. Psalm. Dóminus regnávit, cum réliquis. 18.

An-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Antiphona. Beâtus Andréas orâbat, dicens: Dómine Rex ætérnæ glóriæ, súscipe me pendéntem in patíbulo. Antiphona. Andréas Christi fámulus dignus Dei Apóstolus, germánus Petri, & in passióne sócius. Antiphona. Maximilla Christo amábilis, tulit corpus Apóstoli: óptimo loco cum aromátibus sepelivit. Antiphona. Qui persequebántur justum, demersisti eos Dómine in inférno, & in ligno crucis dux justi fuisti.

Capitulum. *Rom. 10. b*

FRatres, Corde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salûtem. Dicit enim Scriptûra: Omnis qui credit in illum, non confundêtur.

Hymnus. Exúltet orbis gáudiis, de Communi Apostolórum. xiij.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus, Antiphona. Concêde nobis hóminem justum, redde nobis hóminem sanctum, ne interfícias hóminem Deo charum, justum, mansuétum, & pium.

Orâtio.

MAjestâtem tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut sicut Ecclésiæ tuæ beâtus Andréas Apóstolus éxtitit prædicâtor & rector: ità apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ad Tértiam, Antiphona. Beâtus Andréas. Capitulum. Fratres, Corde enim, ut suprà.

℟. breve. In omnem terram, * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exivit. Glória Patri. In omnem. ℣. Constitues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Ad Sextam, Antiphona. Andréas Christi fámulus.

Capitulum. *Rom. 10.*

NOn enim est distínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. breve. Constitues eos príncipes, * Super omnem terram. Constitues. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super. Glória Patri. Constitues. ℣. Nimis honoráti sunt amici tui Deus. ℟. Nimis confortâtus es principâtus eórum.

Ad Nonam, Antiphona. Qui persequebántur justum.

Capitulum. *Rom. 10. c*

ISaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum.

℟. breve. Nimis honoráti sunt, * Amici tui Deus. Nimis. ℣. Nimis confortâtus est principâtus eórum. Amici. Glória Patri. Nimis. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vésperas, Antiphona. Salve crux pretiósa, cum réliquis de Láudibus. 571. Psalmus. Dixit Dóminus. cum reliq. in ij. Vésperis de Comm. Apostolórum. xiv. Capitulum. Fratres, Corde enim, ut suprà. 562. Hymnus. Exúltet orbis gáudiis. xiij. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magníficat, Antiphona. Cùm pervenísset beâtus Andréas ad locum, ubi crux paráta erat, exclamávit, & dixit: O bona crux, diu desideráta, & jam concupiscénti ánimo præparáta! secûrus & gaudens vénio ad te, ità & tu exúltans suscípias me discípulum ejus, qui pepéndit in te. Orátio. Majestâtem tuam, ut suprà. 572.

## EESTA DECEMBRIS.

Ante Advéntum prima die non impedita dicitur Officium Defunctórum. clxxij.



## DIE II. DECEMBRIS.

In festo S. Bibiánæ virginis & martyris.

Semidúplex.

Omnia de Commúni Vírginum, &c. exceptis his quæ hic sunt própria.

Orâtio.

DEus ómnium largítor bonôrum, qui in fámula tua Bibiána cum virginitâtis flore martyrii palmam conjunxisti: mentes nostras ejus intercessiône tibi charitâte conjúnge; ut, amótis perículis, præmia consequámur ætérna. Per Dominum

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrente.

In ij. Noctúrno. Léctio iv.

BIbiána virgo Romána, nóbili génere nata, Christiána fide nobílior fuit. Ejus enim pater Flaviánus sub Juliáno apóstata impiíssimo tyránno Expræféctus, servilibúsque notis compúnctus, ad aquas Taurínas deportâtus, martyr occúbuit. Mater Dafrósa, & fíliæ primùm conclúsæ domi, ut inédia conficeréntur; mox relegáta mater extra Urbem cápite plexa est. Mórtuis autem piis paréntibus, Bibiána cum soróre sua Deméttia bonis ómnibus expoliátur: Aproniánus Urbis Prætor, pecúniis inhians, soróres pérsequitur, quas humána prorsùs ope destitútas, Deo mirabíliter, qui dat

Antiphona. Beâtus Andréas orâbat, dicens: Dómine Rex ætérnæ glóriæ, súscipe me pendéntem in patíbulo. Antiphona. Andréas Christi fámulus dignus Dei Apóstolus, germánus Petri, & in passióne sócius. Antiphona. Maximilla Christo amábilis, tulit corpus Apóstoli: óptimo loco cum aromátibus sepelivit. Antiphona. Qui persequebántur justum, demersísti eos Dómine in inférno, & in ligno crucis dux justi fuísti.

Capitulum. *Rom. 10. b*

FRatres, Corde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salûtem. Dicit enim Scriptûra: Omnis qui credit in illum, non confundêtur.

Hymnus. Exúltet orbis gáudiis, de Communi Apostolórum. xiij.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus, Antiphona. Concêde nobis hóminem justum, redde nobis hóminem sanctum, ne interfícias hóminem Deo charum, justum, mansuêtum, & pium.

Oratio.

MAjestâtem tuam, Dómine, supplíciter exorâmus: ut sicut Ecclésiæ tuæ beâtus Andréas Apóstolus éxtitit prædicâtor & rector: ità apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ad Tertiam, Antiphona. Beâtus Andréas. Capitulum. Fratres, Corde enim, ut suprà.

℟. breve. In omnem terram, * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exivit. Glória Patri. In omnem. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Ad Sextam, Antiphona. Andréas Christi fámulus.

Capitulum. *Rom. 10.*

NOn enim est distínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. breve. Constítues eos príncipes, * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super. Glória Patri. Constítues. ℣. Nimis honoráti sunt amici tui Deus. ℟. Nimis confortâtus est principâtus eórum.

Ad Nonam, Antiphona. Qui persequebántur justum.

Capitulum. *Rom. 10. c*

ISaias enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum.

℟. breve. Nimis honoráti sunt, * Amici tui Deus. Nimis. ℣. Nimis confortâtus est principâtus eórum. Amici. Glória Patri. Nimis. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesperas, Antiphona. Salve crux pretiósa, cum réliquis de Láudibus. 571. Psalmus. Dixit Dóminus. cum reliq. in ij. Vesperis de Comm. Apostolórum. xiv. Capitulum. Fratres, Corde enim, ut suprà. 562. Hymnus. Exúltet orbis gáudiis. xiij. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magnificat, Antiphona. Cùm pervenísset beâtus Andréas ad locum, ubi crux paráta erat, exclamávit, & dixit: O bona crux, diu desideráta, & jam concupiscénti ánimo præparáta! secûrus & gaudens vénio ad te, ità & tu exúltans suscípias me discípulum ejus, qui pepéndit in te. Oratio. Majestâtem tuam, ut suprà. 572.

## EESTA DECEMBRIS.

Ante Adventum prima die non impedita dicitur Officium Defunctórum. clxxij.



## DIE II. DECEMBRIS.

In festo S. Bibiánæ virginis & martyris.

Semidúplex.

Omnia de Commúni Vírginum, ℟. exceptis his quæ hic sunt própria.

Oratio.

DEus ómnium largítor bonórum, qui in fámula tua Bibiána cum virginitátis flore martyrii palmam conjunxísti: mentes nostras ejus intercessióne tibi charitáte conjúnge; ut, amótis perículis, præmia consequámur ætérna. Per Dóminum

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptúra occurrente.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

BIbiána virgo Romána, nóbili génere nata, Christiána fide nobílior fuit. Ejus enim pater Flaviánus sub Juliáno apóstata impiíssimo tyránno Expræféctus, servilibúsque notis compúnctus, ad aquas Taurínas deportátus, martyr occúbuit. Mater Dafrósa, & fíliæ primùm conclúsæ domi, ut inédia conficeréntur; mox relegáta mater extra Urbem cápite plexa est. Mórtuis autem piis paréntibus, Bibiána cum soróre sua Deméria bonis ómnibus expoliátur: Aproniánus Urbis Prætor, pecúniis inhians, soróres persequitur, quas humána prorsùs ope destitútas, Deo mirabíliter, qui dat

dat escam esuriéntibus, enutriénte, cùm vivacióres vegetiorésque conspexisset, vehementer est admirâtus.

℟. Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & justitiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et.

Lectio v.

SUader nihilóminùs Aproniânus, ut venerentur deos Géntium, amissas ideò opes, Imperatôris grátiam, præclaríssimas núptias consecutúræ. Si secùs fécerint, minitur cárceres, virgas, secúres. At illæ neque blandítiis, neque minis à recta fide declinántes, parátæ pótius mori, quam fœdári móribus Ethnicórum, Prætôris impietâtem constantíssimè detestántur. Quare Demétria ob óculos Bibiánæ repéntè córruens, óbiit in Dómino. Bibiána Rufínæ mulíeri vaferrimæ seducénda tráditur: quæ ab incunábulis edócta, Christiánas leges, & illibâtum servâre virginitâtis florem, se ipsa fórtior, féminæ superávit insídias, & Prætôris austus delúsit.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitâtem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea.

Lectio vj.

NIhil autem proficiénte Rufína, quæ, præter dolósa verba, illam quotídie verbéribus affligébat, ut de sancto propósito dimovéret; spe sua frustrátus Prætor, accénsus ira, quod in Bibiána perdidísset óperam, à lictóribus eam denudári, vinctísque mánibus colúmnæ alligári, eámque plumbátis cædi jubet, donec efflâret ánimam. Cujus sacrum corpus objéctum cánibus bíduo jácuit in foro Tauri, illæsum tamen, & divínitùs servâtum: quod deínde Joánnes Presbyter sepelívit noctu juxta sepúlcrum soróris & matris ad palátium Liciniánum, ubi usque in præsens extat Ecclésia Deo, sanctæ Bibiánæ nómine dicâta, quam Urbánus Octávus instaurávit, sanctárum Bibiánæ, Demétriæ, & Dafrósæ corpóribus in ea repértis, & sub ara máxima collocátis.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno Homília S. Gregórii Papæ in Evangélium. Símile est regnum cælórum thesáuro abscón-



dito, de Commúni non Vírginum. cxvj.

℟. vij. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit exíte óbviam ei. Et.

℟. viij. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce sponsus venit.

COM-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# COMMUNE
# SANCTORUM.
## *PARS AUTUMNALIS.*

### IN VIGILIIS APOSTOLORUM.

Officium fit de Fériâ, ut dictum est in Rúbricis generálibus, exceptis Lectiónibus, & oratióne, quæ in própriis locis notántur. Ubi verò non sunt própriæ Lectiónes, légitur Evangélium cum Homilía sequénti.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio j. *Cap. 15. b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilia 27. in Evangelia.*

CUm cuncta sacra elóquia Domínicis plena sint præcéptis, quid est, quod de dilectióne, quasi de singulari mandáto, Dóminus dicit: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, nisi quia omne mandátum de sola dilectióne est: & ómnia unum præcéptum sunt: quia quidquid præcípitur, in sola charitáte solidátur. Ut enim multi árboris rami ex una radíce pródeunt: sic multæ virtútes ex una charitáte generántur. Nec habet aliquid viriditátis ramus boni óperis, si non manet in radíce charitátis.

Responsória de Fériâ pro témpore.

Lectio ij.

PRæcépta ergo Domínica & multa sunt, & unum: multa per diversitátem óperis, unum in radíce dilectiónis. Qualiter autem ista diléctio tenénda sit, ipse insínuat, qui in plerísque Scriptúræ suæ senténtiis, & amícos jubet diligi in se, & inimícos propter se. Ille enim veráciter charitátem habet, qui & amícum díligit in Deo, & inimícum díligit propter Deum. Nam sunt nonnúlli, qui díligunt próximos, sed per affectum cognatiónis & carnis: quibus tamen in hac dilec-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

tione sacra eloquia non contradicunt: sed aliud est quod spontè impénditur natúræ, aliud quod præcéptis Dominicis ex charitate debétur obediéntiæ.

Lectio iij.

HI nimírum & próximum díligunt, & tamen illa sublímia dilectiónis præmia non assequúntur: quia amórem suum non spirituáliter, sed carnáliter impéndunt. Proinde cùm Dóminus díceret: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem: prótinus áddidit, Sicut diléxi vos: ac si apertè dicat: Ad hoc amáte, ad quod amávi vos. Qua in re, fratres charíssimi, solérter intuéndum est, quod antíquus hostis, dum mentem nostram ad rerum temporálium dilectiónem trahit, infirmiórem contra nos próximum éxcitat, qui ea ipsa, quæ dilígimus, auférre moliátur.

## COMMUNE Apostolórum & Evangelistárum.

Ad Vésperas, Antíphona.

Hoc est præcéptum meum, cum réliquis de Láudibus. xiij. Psalmus. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 135. & loco ultimi, Psalmus. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 139.

Capitulum. *Ephes. 2. d*

FRatres, Jam non estis hóspites, & ádvenæ: sed estis cives sanctórum, & doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℞. Deo grátias.

Hymnus.

EXúltet orbis gáudiis,
Cælum resúltet láudibus:
Apostolórum glóriam
Tellus & astra cóncinunt.
Vos sæculórum júdices,
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium:
Audíte voces súpplicum.
Qui templa cæli cláuditis,
Serásque verbo sólvitis,
Nos à reatu nóxios
Solvi jubéte quæsumus.
Præcépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt,
Sanáte mentes lánguidas:
Augéte nos virtútibus:
Ut, cùm redíbit Arbiter
In fine Christus sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.
Patri, simúlque Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℞. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magníficat, Antíphona.

Tradent enim vos in concíliis, & in synagógis suis flagellábunt vos, & ante reges & præsides ducémini propter me in testimónium illis & Géntibus.



Orátio própria.

Ad Matutínum, Invitatórium.

Regem Apostolórum Dóminum, * Veníte adorémus.

Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

ÆTerna Christi múnera,
Apostolórum glóriam,
Palmas, & hymnos débitos
Lætis canámus méntibus.
Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles Duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.
Devóta Sanctórum Fides,
Invícta Spes credéntium,
Perfécta Christi Cháritas
Mundi tyránnum cónterit.
In his Patérna glória,
In his triúmphat Fílius,
In his volúntas Spíritus,
Cælum replétur gáudio.
Patri, simúlque Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

In primo Nocturno, Aña.

In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum.

Psalmus 18.

CÆli enárrant glóriam Dei, * & ópera manuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum: * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúl-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

occúltis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * & redémptor meus.

Antiphona. In omnem terram exívit sonus eôrum, & in fines orbis terræ verba eórum.

Antiphona. Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos.

Psalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini: * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte, quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes qui sperant in eo.

Antiphona. Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos.

Antiphona. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui Dómine.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua & pulchritúdine tua: * inténde, prósperè procéde, & regna,

Propter veritátem, & mansuetúdinem & justítiam: * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent: * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi fília, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur: omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui: * in omni generatióne & generatiónem.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum: * & in sæculum sæculi.

Antiphona. Constitues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui Dómine. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum. Pater noster. Absolútio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

Lectiónes de Scriptura pósitæ in Commúni Sanctórum legúntur, quando innotéscitur in Próprio Sanctórum per annum, & quando contíngit fíeri Offícium de aliquo Sancto illis diébus, in quibus in Offício Fériæ non ponúntur Lectiónes de Scriptura, sed tantùm de Homília, & quando áliquod Festum solémniter celebrátur in própria Ecclésia.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. *Cap. 4.*

SIc nos exístimet homo ut minístros Christi, & dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quǽritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die: sed neque meípsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum: sed non in hoc justificátus sum: qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus: qui & illuminábit abscóndita tenebrárum, & manifestábit consília córdium: & tunc laus erit unicuíque à Deo.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. Estóte. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ij.

HÆc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo propter vos: ut in nobis discátis, ne suprà quam scriptum est, unus advérsus álterum inflétur pro ália. Quis enim te discérnit? Quid autem habes, quod non accepísti? Si autem accepísti, quid gloriáris quasi non accéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis: sine nobis regnátis: & útinam regnétis, ut & nos vobíscum regnémus. Puto enim quòd Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinátos: quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, & díscite à me, quia mitis sum & húmilis corde: * Jugum enim meum suáve est, & onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iij.

NOs stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo; nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam & esurímus, & sitímus, & nudi sumus, & cólaphis cædímur, & instábiles sumus, & laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, & benedícimus: persecutiónem pátimur, & sustinémus: blasphemámur, & obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo. Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo; sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

℟. Dum stetéritis ante reges & præsides, nolíte cogitáre quómodò, aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini: sed Spíritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Dábitur. Glória Patri. Dábitur.



In secúndo Noctúrno, Antiphona. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.

Psalmus 46.

OMnes Gentes pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis: * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis: * & Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam: * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo: * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite: * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham: * quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti sunt.

Antiphona. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.

Antiphona. Dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum Dómine.

Psalmus 60.

EXáudi Deus deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamá-

mavi: * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula: * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu Deus meus exaudísti oratiónem meam: * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies: * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

Permanet in ætérnum in conspéctu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi: * ut reddam vota mea de die in diem.

Añ. Dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum Dñe.

Añ. Annuntiavérunt ópera Dei, & facta ejus intellexérunt.

Psalmus 63.

EXaudi Deus oratiónem meam cum déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me à convéntu malignántium: * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, & non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: * & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei: * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo, * & laudabúntur omnes recti corde.

Antíphona. Annuntiavérunt ópera Dei, & facta ejus intellexérunt. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Pater noster. Absolútio. Ipsíus píetas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Gregórii Papæ.

*Homil. 30. in Evang. post med.*

Lectio iv.

SCriptum est: Spíritus Dómini ornávit cælos. Ornaménta enim cælórum sunt virtútes prædicántium. Quæ vidélicet ornaménta Paulus enúmerat, dicens: Alii datur per Spíritum sermo sapiéntiæ, alii sermo sciéntiæ secúndum eúmdem Spíritum, álteri fides in eódem Spíritu, alii grátia sanitátum in uno Spíritu, alii operátio virtútum, álii prophetía, alii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes splendídas vestes, & Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem, & dicéntem. Isti sunt. Benedíctio. Christus perpétuæ.

Lectio v.

QUot ergo sunt bona prædicántium, tot sunt ornaménta cælórum. Hinc rursus scriptum est: Verbo Dómini cæli firmáti sunt. Verbum enim Dómini Fílius est Patris. Sed eósdem cælos, vidélicet sanctos Apóstolos, ut tota simul sancta Trínitas ostendátur operáta, repénte de sancti Spíritus divinitáte adjúngitur: Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Cælórum ergo virtus de Spíritu sumpta est: quia mundi hujus potestátibus contraíre non præsúmerent, nisi eos sancti Spíritus fortitúdo solidásset. Quales namque doctóres sanctæ Ecclésiæ ante advéntum hujus Spíritus fúerint, scimus: & post advéntum illíus, cujus fortitúdinis facti sint, conspícimus.

℟. Beáti estis cùm maledíxerint vobis hómines, & persecúti vos fúerint, & díxerint omne malum advérsum vos mentiéntes, propter me. * Gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cùm vos óderint hómines, & cùm separáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte & exultáte. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vj.

CErte iste ipse pastor Ecclésiæ, ad cujus sacratíssimum corpus sedémus, quantæ debilitátis, quantǽque formídinis ante advéntum Spíritus fúerit, ancílla ostiária requisíta dicat. Una enim mulíeris voce percússus, dum mori tímuit, vitam negávit. Et pensándum, quia cum comprehénsum Petrus negávit in terra, quem suspénsum latro conféssus est in cruce. Sed vir iste tantæ formídinis, qualis post advéntum Spíritus exístat, audiámus. Fit convéntus magis-

 tra-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

trátus atque seniórum, cæsis denuntiátur Apóstolis, ne in nómine Jesu loqui débeant: Petrus magna auctoritáte respóndet: Obedíre opórtet Deo magis quam homínibus.

℟. Isti sunt triumphatóres, & amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna: * Modò coronántur, & accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Modò coronántur. Glória Patri. Modò coronántur.

In tertio Nocturno, Antiph. Exaltabúntur córnua justi, allelúia. Psalmus 74.

Confitébimur tibi Deus: * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrabimus mirabília tua: * cùm accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, & omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere: * & delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu:

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsùs Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque à desértis móntibus: * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, & hunc exáltat: * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: verúmtamen fæx ejus non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sǽculum: * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam: * & exaltabúntur córnua justi.

Antiphona. Exaltabúntur córnua justi, allelúia.

Antiphona. Lux orta est justo, allel. rectis corde lætítia, allel. Psalmus 96.

Dóminus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, & calígo in circúitu ejus: * justítia, & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet: * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * & qui gloriántur in simulácris suis.

Ado-



Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine:

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Antiphona. Lux orta est justo, allelúia: rectis corde lætítia, allelúia.

Antiphona. Custodiébant testimónia ejus, & præcépta ejus, allelúia. Psalmus 98.

Dóminus regnávit, irascántur pópuli: * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus: * & excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno: quóniam terríbile, & sanctum est: * & honor regis judícium dilígit.

Tu parásti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte scabéllum pedum ejus: * quóniam sanctum est.

Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus: * & Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos: * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus: * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos: * Deus tu propítius fuísti eis, & ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus, * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Antiphona. Custodiébant testimónia ejus, & præcépta ejus, allelúia. ℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum. Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedictio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 19. d*

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

 Ho-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 3. in Matth. cap. 19.*

GRandis fidúcia: Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu & arte quærébat: & tamen lóquitur confidénter, Relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantùm relínquere, jungit quod perféctum est: Et secúti sumus te. Fécimus quod jussísti: quid ígitur nobis dabis præmii? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit, Qui reliquístis ómnia: hoc enim & Crates fecit philósophus, & multi álii divítias contempsérunt: sed, Qui secúti estis me: quod propriè Apostolórum est, atque credéntium.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, & amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Cálicem. Benedíctio. Cujus. ℟. Quorum festum cólimus.

Lectio viij.

IN regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ (quando & mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti) sedébitis & vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israël: quia vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur: Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem à patre suo, & matrem à fília, & nurum à socru: & inimíci hóminis domèstici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, & prædicatiónem Evangélii, omnes afféctus contempserint, atque divítias & sǽculi voluptátes: isti céntuplum recípient, & vitam ætérnam possidébunt.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, & dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. Quorum. Glória Patri. Quorum. Benedíctio. Ad societátem.



Lectio ix.

EX occasióne hujus senténtiæ quidam introdúcunt mille annos post resurrectiónem, dicéntes, tunc nobis céntuplum ómnium rerum, quas dimísimus, & vitam ætérnam esse reddéndam: non intelligéntes, quòd, si in céteris digna sit repromíssio, in uxóribus appáreat turpitúdo: ut qui unam pro Dómino dimíserit, centum recípiat in futúro. Sensus ergo iste est: Qui carnália pro salvatóre dimíserit, spirituália recípiet: quæ comparatióne & mérito sui ità erunt, quasi si parvo número centenárius númerus comparétur.

Deinde dicitur Hymnus.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

HOc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18. Antiphona. Majórem charitátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Antiphona. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ præcípio vobis dicit Dóminus. Antiphona. Beáti pacífici, beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Antiphona. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Capitulum. *Ephes. 2. d*

FRatres, Jam non estis hóspites, & ádvenæ: sed estis cives sanctórum, & doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum, & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℟. Deo grátias.

Hymnus.

EXúltet orbis gáudiis:
Cælum resúltet láudibus:
Apostolórum glóriam
Tellus, & astra cóncinunt.
Vos sæculórum júdices,
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium:
Audíte voces súpplicum.
Qui templa cæli cláuditis,
Serásque verbo sólvitis,
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quæsumus.
Præcépta quorum prótinùs
Languor, salúsque séntiunt,
Sanáte mentes lánguidas,
Augéte nos virtútibus.
Ut, cum redíbit Arbiter
In fine Christus sǽculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.
Patri simúlque Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad Benedíctus, Antiphona.
Vos qui reliquístis ómnia, & secúti estis me, céntuplum accipiétis, & vitam ætérnam possidébitis.

Ad Tértiam, Antiphona.
Majórem charitátem. Capítulum. Fratres, Jam non. xiij.
℟. breve. In omnem terram, * Exívit sonus eorum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit. Glória. In omnem.
℣. Constítues eos príncipes super omnem terram.
℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Ad Sextam, Antiphona.
Vos amíci mei estis.

Capítulum. *Act. 5. b*
PEr manus autem Apostolórum fiébant signa & prodígia multa in plebe.
℟. br. Constítues eos príncipes, * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super. Glória Patri. Constítues. ℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus.
℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad Nonam, Antiphona.
In patiéntia vestra.

Capítulum. *Act. 5. g*
IBant Apóstoli gaudéntes à conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.
℟. br. Nimis honoráti sunt, * Amíci tui Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória Patri. Nimis. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei.
℟. Et facta ejus intellexérunt.

## IN II. VESPERIS.

Antiphona.
Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum.

Psalmus 109.
DIxit Dóminus Dómino meo: * sede à dextris meis:
Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.
Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.
Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.
Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.
Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.
Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.
De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.
Antiph. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum.
Aña. Cóllocet eum Dóminus cum princípibus pópuli sui.

Psalmus 112.
LAudáte púeri Dóminum: * laudáte nomen Dómini.
Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.
A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.
Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * & super cælos glória ejus.
Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cælo & in terra?
Súscitans à terra inopem: * & de stércore érigens páuperem:
Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.
Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.
Antiphona. Cóllocet eum Dóminus cum princípibus pópuli sui.
Antiphona. Dirupísti Dómine víncula mea, tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Psalmus 115.
CRédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.
Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.
Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
Cálicem salutáris accípiam: * & nomen Dómini invocábo.
Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.
O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, & fílius ancíllæ tuæ.
Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.
Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.
Antiphona. Dirupísti Dómine víncula mea, tibi sacrificábo hóstiam laudis.
Antiphona. Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina sua.

Psalmus 125.
IN converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut consoláti:
Tunc replétum est gáudio os nostrum: * & lingua nostra exultatióne.
Tunc dicent inter Gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.
Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.
Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.
Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Eúntes ibant & flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Antiphona. Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina sua.

Antiphona. Confortátus est principátus eórum, & honoráti sunt amíci tui Deus.

Psalmus 138.

DOmine probásti me, & cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meam, & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe: * sémitam meam, & funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti: * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia novíssima, & antíqua: * tu formásti me, & posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo: * & quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es: * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris,

Etenim illuc manus tua dedúcet me: * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me: * & nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur à te, & nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecísti in occúlto: * & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, & in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabúntur: * exurréxi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres: * viri sánguinum declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te Dómine, óderam? * & super inimícos tuos tabescébam?

Per-



Perfécto ódio óderam illos: * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum: * intérroga me, & cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est: * & deduc me in via ætérna.

Antiphona. Confortátus est principátus eórum, & honoráti sunt amíci tui Deus.

Capitulum. *Ephes. 2. d.*

FRatres, Jam non estis hóspites, & ádvenæ: sed estis cives sanctórum, & doméstici Dei: superædificáti super fundaméntum Apostolórum, & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu. ℟. Deo grátias.

Hymnus. Exúltet orbis, ut supra. xiij.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magnificat, Antiphona. Estóte fortes in bello, & pugnáte cum antíquo serpénte: & accipiétis regnum ætérnum, allelúia.

Aliæ Lectiónes pro Apóstol. In secúndo Noctúrno.

De Expositióne S. Augustíni Episcopi super Psalmum octogésimum sextum.

*Ante médium.*

Lectio iv.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion. Quare sunt fundaménta Apóstoli, & Prophétæ? Quia eórum auctóritas portat infirmitátem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intrámus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis: & cùm per ipsos intrámus, per Christum intrámus. Ipse est enim jánua. Et cùm dicántur duódecim portæ Jerúsalem, & una porta Christus, & duódecim portæ Christus, quia in duódecim portis Christus: & ideò duodenárius númerus Apostolórum. Sacraméntum magnum hujus duodenárii significátio est número. Sedébitis, inquit, super duódecim sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, & Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem volántem per médium cælum, voce magna clamántem, & dicéntem. Isti sunt viri.

Lectio v.

SI duódecim sellæ ibi sunt, non est ubi sédeat tertiusdécimus Paulus Apóstolus, & non erit quómodo júdicet: & ipse se judicatúrum dixit, non hómines tantùm, sed & ángelos. Quos ángelos, nisi apóstatas ángelos? Nescitis, inquit, quia ángelos judicábimus? Respondéret ergo turba: Quid te jactas ju-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

judicatúrum? Ubi sedébis? Duódecim sedes dixit Dóminus duódecim Apóstolos: unus cécidit Judas, in locum ipsíus sanctus Mathias ordinatus est; implétus est duodenárius númerus sedium. Primò locum inveni, ubi sedeas, & sic te mínare judicatúrum. Duódecim ergo sedes quid sibi velint, videámus. Sacraméntum est cujúsdam universitátis, quia per totum orbem terrárum futúra erat Ecclésia: unde vocátur hoc ædifícium ad Christi compágem.

℟. Beáti estis cùm maledíxerint vobis hómines, & persecúti vos fúerint, & díxerint omne malum advérsùm vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cùm vos óderint hómines, & cùm separáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hóminis. Gaudéte.

Lectio vj.

ET ideò quia úndique venítur ad judicandum, duódecim sedes sunt: sicut quia úndique intrátur in illam civitátem, duódecim portæ sunt. Non solùm ergo illi duódecim, & Apóstolus Paulus, sed quotquot judicatúri sunt, propter significatiónem universitátis ad sedes duódecim pértinent: quemádmodùm quotquot intrábunt, ad duódecim portas pertinent. Partes enim mundi quátuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo, & Merídies. Istæ quátuor partes assíduè nominantur in Scriptúris. Ab istis quátuor ventis, sicut dicit Dóminus in Evangélio, à quátuor ventis se collectúrum eléctos suos ab ómnibus ergo istis quátuor ventis vocátur Ecclésia. Quómodò vocátur? Undique in Trinitáte vocátur. Non vocatur nisi per baptísmum in nómine Patris, & Filii, & Spíritus sancti. Quátuor ergo ter ducta, duódecim inveniúntur.

℟. Isti sunt triumphatóres, & amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna: * Modò coronántur, & accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Modò coronántur. Glória Patri. Modò.

## PRO EVANGELISTIS

Lectiones

In primo Nocturno.

Incipit liber Ezequiélis Prophétæ.

Lectio j. *Cap. 1.*

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in medio captivórum



rum juxta flúvium Chobar, apérti sunt cæli, & vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachin, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem fílium Buzi sacerdótem in terra Chaldæórum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, & ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne, & nubes magna, & ignis invólvens, & splendor in circúitu ejus: & de médio ejus quasi spécies eléctri, id est, de médio ignis.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus, * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. Estóte.

Lectio ij.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium: & hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, & planta pedis eórum quasi planta pedis vítuli, & scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus: & fácies & pennas per quátuor partes habébant: junctæque erant pennæ eórum altérius ad álterum. Non revertebántur cùm incéderent: sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, & díscite à me, quia mitis sum, & húmilis corde: * Jugum enim meum suáve est, & onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum.

Lectio iij.

SImilitúdo autem vultus eórum, fácies hóminis, & fácies leónis à dextris ipsórum quátuor: fácies autem bovis à sinistris ipsórum quátuor, & fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, & pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungebántur, & duæ tegébant córpora eórum: & unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cùm ambulárent.

℟. Dum stetéritis ante reges & prǽsides, nolíte cogitáre quómodò, aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini: sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

judicatūrum? Ubi sedébis? Duódecim sedes dixit Dóminus duódecim Apóstolos: unus cecidit Judas, in locum ipsius sanctus Mathias ordinatus est; implétus est duodenárius númerus sedium. Primò locum inveni, ubi sedeas, & sic te minare judicatūrum. Duódecim ergo sedes quid sibi velint, videámus. Sacraméntum est cujúsdam universitátis, quia per totum orbem terrárum futúra erat Ecclésia: unde vocátur hoc ædifícium ad Christi compágem.

℟. Beáti estis cùm maledíxerint vobis hómines, & persecúti vos fúerint, & díxerint omne malum advérsùm vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cùm vos óderint hómines, & cùm separáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte.

Lectio vj.

ET ideò quia úndique venítur ad judicandum, duódecim sedes sunt: sicut quia úndique intrátur in illam civitátem, duódecim portæ sunt. Non solùm ergo illi duódecim, & Apóstolus Paulus, sed quotquot judicatúri sunt, propter significatiónem universitátis ad sedes duódecim pértinent: quemádmodùm quotquot intrábunt, ad duódecim portas pertinent. Partes enim mundi quátuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo, & Merídies. Istæ quátuor partes assíduè nominántur in Scriptúris. Ab istis quátuor ventis, sicut dicit Dóminus in Evangélio, à quátuor ventis se collectúrum eléctos suos ab ómnibus ergo istis quátuor ventis vocátur Ecclésia. Quómodò vocátur? Undique in Trinitáte vocátur. Non vocátur nisi per baptismum in nómine Patris, & Filii, & Spíritus sancti. Quátuor ergo ter ducta, duódecim inveniúntur.

℟. Isti sunt triumphatóres, & amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna: * Modò coronántur, & accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Modò coronántur. Glória Patri. Modò.

## PRO EVANGELISTIS

### Lectiones

In primo Nocturno.

Incipit liber Ezequiélis Prophétæ.

Lectio j. *Cap. 1.*

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in medio captivó-

rum



rum juxta flúvium Chobar, apérti sunt cæli, & vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachin, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem filium Buzi sacerdótem in terra Chaldæórum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, & ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne, & nubes magna, & ignis invólvens, & splendor in circúitu ejus: & de médio ejus quasi spécies electri, id est, de médio ignis.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus, * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut filii lucis sitis. Estóte.

Lectio ij.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium: & hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, & planta pedis eórum quasi planta pedis vítuli, & scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus: & fácies & pennas per quátuor partes habébant: junctæque erant pennæ eórum altérius ad álterum. Non revertebántur cùm incéderent: sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, & díscite à me, quia mitis sum, & húmilis corde: * Jugum enim meum suáve est, & onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum.

Lectio iij.

SImilitúdo autem vultus eórum, fácies hóminis, & fácies leónis à dextris ipsórum quátuor: fácies autem bovis à sinistris ipsórum quátuor, & fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, & pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungebántur, & duæ tegébant córpora eórum: & unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cùm ambulárent.

℟. Dum stetéritis ante reges & prǽsides, nolíte cogitáre quómodò, aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini: sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In secúndo Noctúrno.

De Expositióne sancti Gregórii Papæ super Ezechiélem Prophétam.

*Homil. 3. lib. 1.*

Lectio iv.

SAncta quátuor animália, quæ prophetiæ spíritu futúra prævidéntur, subtili narratióne describúntur, cùm dícitur: Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni. Quid per fáciem, nisi notítia, & quid per pennas, nisi volátus exprímitur? Per fáciem quippe unusquísque cognóscitur: per pennas verò in altum ávium córpora sublevántur. Fácies ítaque ad fidem pértinet, penna ad contemplatiónem. Per fidem námque ab omnipoténti Deo cognóscimur, sicut ipse de suis óvibus dicit: Ego sum pastor bonus, & cognósco oves meas, & cognóscunt me meæ. Qui rursus ait: Ego scio quos elégerim. Per contemplatiónem verò, qua super nosmetipsos tóllimur, quasi in áëra levámur.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes splendidas vestes, & Angelus Dómini locútus est ad me dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem, & dicéntem. Isti sunt.

Lectio v.

QUátuor ergo fácies uni sunt: quia si requíras quid Matthæus de incarnatióne Dómini séntiat: hoc nimírum sentit, quod Marcus, Lucas, & Joánnes. Si quæras quid Joánnes séntiat: hoc procul dúbio, quod Lucas, Marcus, & Matthæus. Si quæras quid Marcus; hoc quod Matthæus, Joánnes, & Lucas. Si quæras quid Lucas; hoc quod Joánnes, Matthæus, & Marcus sentit. Quátuor ergo fácies uni sunt: quia notítia fídei, qua cognoscúntur à Deo, ipsa est in uno, quæ est simul in quátuor. Quidquid enim in uno invéneris, hoc in ómnibus simul quátuor cognósces.

℟. Beáti estis cùm maledíxerint vobis hómines, & persecúti vos fúerint, & díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cùm vos óderint hómines, & cùm separáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte.

Lectio vj.

ET quátuor pennæ uni, quia Dei omnipoténtis Fílium Dóminum nostrum Jesum Christum simul omnes concórditer prædicant: & ad divinitátem ejus mentis óculos levántes, penna contemplatiónis volant. Evangelistárum ergo fácies ad humanitátem Dómini pértinet, penna ad divinitátem: quia in eum, quem corpóreum aspíciunt, quasi fácies inténdunt: sed dum hunc esse incircumscríptum atque incorpóreum ex divinitáte annúntiant, per contemplatiónis pennam quasi in áëra levántur. Quia ítaque una est fides incarnatiónis ejus in ómnibus, & par contemplátio divinitátis ejus in síngulis, rectè nunc dícitur: Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni.

℟. Isti sunt triumphatóres, & amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna: * Modò coronántur, & accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Modò coronántur. Glória Patri. Modò coronántur.



In tértio Noctúrno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap. 10.*

IN illo témpore: Designávit Dóminus & álios septuagínta duos: & misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem & locum, quò erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilia 17. in Evangélia.*

DOminus & Salvátor noster, fratres charíssimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo verò opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus, præcépta sunt: quia dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus innotéscit. Ecce enim binos in prædicatiónem discípulos mittit: quia duo sunt præcépta charitátis, Dei vidélicet amor, & próximi: & minùs quam inter duos, cháritas habéri non potest. Nemo enim própriè ad semetípsum habére charitátem dícitur: sed diléctio in álterum tendit, ut cháritas esse possit.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, & amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Cálicem Dómini.

Lectio viij.

ECce enim binos ad prædicándum discípulos Dóminus mittit: quaténus hoc nobis tácitus innuat, quia qui charitátem erga álterum non habet, prædicatió-

tiónis officium suscipere nullátenus debet. Bene autem dicitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem & locum, quò erat ipse ventúrus. Prædicatóres enim suos Dóminus séquitur: quia prædicatio prævenit, & tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcurrunt: atque per hoc véritas in mente suscípitur.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, & dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrina fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix.

Hinc namque eísdem prædicatóribus Isaias dicit: Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri. Hinc filiis Psalmista ait: Iter fácite ei, qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit: quia undè in passióne occúbuit, indè majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit: quia mortem, quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo, qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos ejus glóriam vestris méntibus prædicámus, ut eas & ipse post véniens, per amóris sui præséntiam illústret.

Te Deum laudámus. 17.

## COMMUNE.

### Unius Mártyris.

Ad Vésperas, Antiphona.

Qui me conféssus, cum reliquis de Láudibus. xxxiij.

Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 133. & loco ultimi, Psalmus. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 157.

Capitulum. *Jacobi 1. b*

Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

Deus tuórum mílitum
Sors, & coróna, præmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe mundi gáudia,
Et blanda fraudum pábula
Imbúta felle députans,
Pervénit ad cœléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter,
Et sústulit viríliter,
Fundénsque pro te sánguinem,
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime,
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.





Laus & perénnis glória
Patri sit atque Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magníficat, Antiphona.

Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, & à verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

Pro Mártyre & Pontífice.

Orátio.

Infirmitátem nostram réspice omnípotens Deus: & quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Alia Orátio.

Deus, qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Pro Mártyre tantùm.

Orátio.

Præsta quǽsumus omnípotens Deus: ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Alia Orátio.

Præsta quǽsumus omnípotens Deus: ut intercedénte beáto N. Mártyre tuo, & à cunctis adversitátibus liberémur in córpore, & à pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatór.

Regem Mártyrum Dóminum, * Venite adorémus.

Psalm. Venite, exultémus. 2.

Hymnus. Deus tuórum mílitum. xxij.

In primo Nocturno, Aña.

In lege Dómini fuit volúntas ejus die ac nocte.

Psalmus 1.

Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit: * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem projícit ventus à fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício: * neque peccatóres in concílio justórum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Quoniam novit Dominus viam justórum: * & iter impiórum peribit.

Ant. In lege Dómini fuit volúntas ejus die ac nocte.

Antiphona. Prædicans præceptum Dómini, constitutus est in monte sancto ejus.

Psalmus 2.

QUare fremuerunt Gentes, * & pópuli meditati sunt inánia?

Astiterunt reges terræ, & principes convenérunt in unum: * adversus Dóminum, & advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridebit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tanquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc reges intelligite, * erudímini qui judicatis terram.

Servite Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequando irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiphona. Prædicans præceptum Dómini, constitutus est in monte sancto ejus.

Antiphona. Voce mea ad Dóminum clamávi, & exaudivit me de monte sancto suo.

Psalmus 3.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporátus sum: * & exurrexi, quia Dóminus suscepit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exurge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivisti.

Dó-



Dómini est salus: * & super pópulum tuum benedictio tua.

Antiphona. Voce mea ad Dóminum clamavi: & exaudivit me de monte sancto suo. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum. Pater noster. Absolútio. Exaudi Dómine. ℣. Jube domne. Benedictio. Benedictióne perpétua.

Lectiónes sequéntes primi Nocturni leguntur in Festo Martyris & Pontificis.

In Festo autem Mártyris non Pontificis leguntur quæ inferius positæ sunt in Commune plurimorum Martyrum. xl.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. *Cap. 20. d*

A Miléto Paulus mittens Ephesum, vocávit Majóres natu Ecclésiæ. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die, qua ingréssus sum in Asiam, quáliter vobiscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, & lácrymis, & tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insidiis Judæórum: quómodò nihil subtráxerim utilium, quò minùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè, & per domos, testificans Judæis atque Gentílibus in Deum pœniténtiam, & fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerúsalem, quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans: nisi quòd Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestátur, dicens: quóniam vincula, & tribulatiónes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum véreor: nec fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dúmmodò consúmmem cursum meum, & ministérium verbi, quod accépi a Dómino Jesu, testificari Evangélium grátiæ Dei.

℟. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, & à verbis impiórum non tímuit: * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Fundátus. Benedictio. Unigénitus Dei Filius.

Lectio ij.

ET nunc, ecce ego scio quia ampliùs non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quaprópter contéstor vos hodiérna die, quia mundus sum à sánguine ómnium. Non enim subterfúgi, quóminùs annuntiárem omne consilium Dei vobis. Atténdite vobis, & univérso gregi, in

in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos régere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquéntes pervérsa, ut abdúcant discípulos post se. Propter quod vigiláte memória retinéntes: quóniam per triénnium nocte & die non cessávi, cum lácrymis monens unumquemque vestrûm.

℟. Justus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et florébit. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iij.

Et nunc comméndo vos Deo, & verbo grátiæ ipsius, qui potens est ædificáre, & dare hereditátem in sanctificátis ómnibus. Argéntum & aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis: quóniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes, opórtet suscípere infírmos, ac meminísse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit: Beátius est magis dare, quam accípere. Et cum hæc dixísset, pósitis génibus suis orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium: & procumbéntes super collum Pauli, osculabántur eum, doléntes máximè in verbo quod díxerat, quóniam ámplius fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem.

℟. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília magna, & exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Et invéntus. Glória Patri. Et.

In secundo Nocturno,

Antiphona. Filii hóminum scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * & exáudi oratiónem meam.

Filii hóminum úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quǽritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sa-



Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino: * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui: * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum: * dórmiam & requiéscam:

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Antiphona. Filii hóminum scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

Aña. Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum Dómine.

Psalmus 5.

Verba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi & vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt: & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Antiphona. Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum Dómine.

Aña. In univérsa terra glória & honóre coronásti eum.

Psalmus 8.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter

ter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glória & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas: ínsuper & pécora campi.

Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Añ. In univérsa terra glória & honóre coronásti eum. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso. Pater noster. Absolútio. Ipsius píetas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

*Sermóne 44. de Sanctis.*

Lectio iv.

TRiumphális beáti Mártyris N. dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit: cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, & conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípuè considerànda sunt: indurâta vidélicet tortòris sævítia, & Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur: patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam advérsùs malítiam increpántem: Noli æmulári in malignántibus: quóniam tamquam fœnum velóciter arescent. Quòd autem advérsùs malignantes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem: Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam: & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit. Benedíct. Christus perpétuæ.

Lectio v.

COronâta itaque est beáti Mártyris patiéntia, mancipáta est ætérnis cruciátibus tortòris incorrécta malítia. Hoc atténdens in agóne suo gloriósus Christi athléta, non exhórruit cárcerem. Ad imitatiónem cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit: & quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo biberat, altè retinébat: Quia non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Et quia momentáneum hoc & leve nostræ tribulatiónis, ætérnum glóriæ pondus operátur in cælis. Hujus promissiónis amóre à terrénis suspénsus, & prægustáta supérnæ suavitátis dulcédine ineffabíliter afféctus, dicébat cum Psalmísta: Quid mihi est in cælo, & à te quid vólui super terram? defécit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine: * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte. Benedíctio. Ignem sui amòris.

Lectio vj.

COntemplabátur enim quantum in ænígmate infírmitas humána óculum mentis in æternitáte fígere potest, quanta sint supérnæ civitátis gáudia: & ea enarráre non súfficiens, admirándo clamábat: Quid mihi est in cælo? Quasi díceret: Excédit vires meas, excédit facultátem eloquéntiæ meæ, transcéndit capacitátem intelligéntiæ meæ illud decus, illa glória, illa celsitúdo, qua nobis à conturbatióne hóminum remótis, in abscóndito faciéi suæ Jesus Christus Dóminus noster refórmavit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. Hujus perféctæ libertátis contemplatióne nullum vitábat perículum, nullum horrébat supplícium: & si míllies posset mori, non putábat se hanc dignè posse áliqua ratióne promeréri.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tértio Noctúrno, Añ. Justus Dóminus, & justítiam diléxit: æquitátem vidit vultus ejus.

Psalmus 10.

IN Dómino confído: quómodò dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres in-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretra, * ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecisti destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus:

Oculi ejus in páuperem respiciunt: * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur, & spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus & justítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.

Antiphona. Justus Dóminus, & justítiam diléxit: æquitátem vidit vultus ejus.

Antiphona. Habitábit in tabernáculo tuo, requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

Dómine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: * timéntes autem Dóminum gloríficat:

Qui jurat próximo suo, & non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocéntem non accépit:

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Antiphona. Habitábit in tabernáculo tuo, requiéscet in monte sancto tuo.

Antiphona. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus 20.

Dómine in virtúte tua lætábitur rex: * & super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te: * & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum.



Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * & semen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala, * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Antiphona. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. Pater noster. Absolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Léctio vij. *Cap. 14. c*

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxórem, & fílios, & fratres, & soróres, adhuc autem & ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*Homilia 37. in Evangelia.*

SI considerémus, fratres charíssimi, quæ & quanta sunt, quæ nobis promittúntur in cælis, viléscunt ánimo ómnia quæ habéntur in terris. Terréna namque substántia supérnæ felicitáti comparáta, pondus est, non subsídium. Temporális vita ætérnæ vitæ comparáta, mors est pótius dicénda, quam vita. Ipse enim quotidiánus deféctus corruptiónis quid est áliud, quam quædam prolíxitas mortis? Quæ autem lingua dícere, vel quis intelléctus cápere súfficit, illa supérnæ civitátis quanta sint gáudia? Angelórum choris interésse, cum beatíssimis spirítibus glóriæ conditóris assístere, præséntem Dei vultum cérnere, incircumscríptum lumen vidére, nullo mortis metu affíci, incorruptiónis perpétuæ múnere lætári?

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.
Benedictio. Cujus festum cólimus.

Lectio viij.

SEd ad hæc audíta inardéscit ánimus: jamque illic cupit assístere, ubi se sperat sine fine gaudére. Sed ad magna præmia perveníri non potest, nisi per magnos labóres. Unde & Paulus egrégius prædicátor dicit: Non coronábitur, nisi qui legítime certáverit. Delectat ergo mentem magnitúdo præmiórum, sed non detérreat certámen labórum. Unde ad se veniéntibus Véritas dicit: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxórem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & ánimam suam, non potest meus esse discípulus.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsivit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.
Benedictio. Ad societátem.

Lectio ix.

SEd percontári libet, quómodo paréntes, & carnáliter propínquos præcípimur odísse, qui jubémur & inimícos dilígere? Et certè Véritas de uxóre dicit: Quod Deus conjúnxit, homo non séparet. Et Paulus ait: Viri, dilígite uxóres vestras, sicut & Christus Ecclésiam. Ecce, discípulus uxórem diligéndam prædicat, cùm magíster dicat: Qui uxórem non odit, non potest meus esse discípulus. Numquid áliud judex núntiat, áliud præco clamat? An simul & odísse póssumus, & dilígere? Sed si vim præcépti perpéndimus, utrúmque ágere per discretiónem valémus: ut uxórem, & eos, qui nobis carnis cognatióne conjúncti sunt, & quos próximos nóvimus, diligámus, & quos adversários in via Dei pátimur, odiéndo & fugiéndo nesciámus.

Te Deum laudámus. 18.

Sequens responsórium dicitur último loco in Festis sex sanctórum Mártyrum Pontíficum Marcelli, Joánnis, Silvérii, Martini, Pontiáni, & Eusébii.

℟. Dómine prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi. Posuísti in cápite. Glória Patri. Posuísti in cápite.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

QUi me conféssus fúerit coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo. Psalmus Dóminus regnávit, cum reliquis. 18. Antiphona. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus. Antiphona. Qui mihi minístrat, me sequátur: & ubi ego sum, illic sit & miníster meus. Antiphona. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus, qui est in cælis, dicit Dóminus. Antiphona. Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & miníster meus.

Capitulum. Jacobi 1. b

BEátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

INvícte Martyr, únicum
Patris secútus Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens Cæléstibus.
Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tǽdium.
Solúta sunt jam víncula
Tui sacráti córporis:
Nos solve vínclis sæculi,
Dono supérni Núminis.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣. Justus ut palma florébit.
℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Benedictus, Antiphona. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Pro Martyre & Pontifice.

Oratio.

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus: & quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEus, qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Pro Martyre tantum.

Oratio.

PRæsta quǽsumus omnípotens Deus: ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

 Alia

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Alia Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: ut intercedénte beáto N. Mártyre tuo, & a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, & à pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Antiphona. Qui séquitur me. Capitulum. Beátus vir. xxxiij.

R. breve. Glória & honóre. * Coronásti eum Dómine. Glória & honóre. V. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória & honóre. V. Posuísti Dómine super caput ejus. R. Corónam de lápide pretióso.

Ad Sextam, Antiphona. Qui mihi ministrat.

Capitulum. *Eccli. 15.*

CIbávit illum pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum Dóminus Deus noster.

R. breve. Posuísti Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. V. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti. V. Magna est glória ejus in salutári tuo. R. Glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Ad Nonam, Antiphona. Volo Pater.

Capitulum. *Eccl. 39.*

JUstus cor suum tradidit ad vigilándum dilúculò ad Dóminum, qui fecit illum, & in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

R. br. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna est. V. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória Patri. Magna est. V. Justus ut palma florébit. R. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Vesperas, Antiphona. Qui me conféssus, ut supra, cum reliquis de Laud. xxxiij. Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 133. & loco ultimi, Psalmus Crédidi. 137. Capitulum Beátus vir. Hymnus Deus tuórum mílitum. xxij.

V. Justus ut palma florébit. R. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnificat, Antiphona. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequátur me.

Aliæ Lectiones pro alio Martyre.

In secundo Nocturno.

De Expositióne S. Ambrósii Episcopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Lectio iv. *Serm. 21.*

PRíncipes persecúti sunt me gratis: & a verbis tuis trepidávit cor meum. Benè hoc Martyr dicit, quòd injústè persecutiónum torménta sustíneat, qui nihil rapúerit, nullum violéntus oppresserit, nullius sánguinem fúderit, nullius torum putáverit esse violándum: qui nihil légibus débeat, & gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia: qui loquátur justè, & non audiátur: qui loquátur plena salútis, & impugnétur: ut possit dícere, Cùm loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine, impugnátur ut nóxius, cùm sit in tali confessióne laudábilis: impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cùm píetas virtútum ómnium fundaméntum sit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. V. Descenditque cum illo in fóveam: & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Lectio v.

VEre frustrà impugnátur, qui apud ímpios & infídos impietátis arcessítur, cùm fídei sit magíster. Verùm qui gratis impugnátur, fortis debet esse & constans. Quómodò ergo subtéxuit: Et à verbis tuis trepidávit cor meum? Trepidáre infirmitátis est, timóris atque formídinis. Sed est étiam infírmitas ad salútem, est étiam timor sanctórum. Timéte Dóminum omnes sancti ejus: &, Beátus vir, qui timet Dóminum. Qua ratióne beátus? Quia in mandátis ejus cupit nimis.

R. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. V. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vj.

POne ergo Mártyrem inter perícula constitútum, cùm indè immánitas bestiárum ad incutiéndum terrórem infrémat, aliúndè stridor candéntium laminárum, & flamma fornácis ardéntis exæstuet, ex parte ália persónent tractus grávium catenárum, hinc cárnifex cruéntus assístat: pone, inquam, circumspectántem ómnia plena supplíciis, deinde cogitántem mandáta divína, illum ignem perpétuum, illud sine fine incéndium perfidórum, illam pœnæ recrudescéntis ærúmnam: trepidáre corde, ne dum præséntibus cedat, perpétuis se dedat exítiis: perturbári ánimo, dum futúri judícii rhomphǽam illam terríbilem quadam conspéctus spécie contuétur. Nonne ad





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

hanc trepidatiònem fidúciæ viri constántis, æquális in eúndem concúrrit effectum confidéntia cupiéntis ætérna, & divina trepidántis?

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 16. d*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilía 32. in Evangélia.*

QUia Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum, nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri in vítiis enutritæ contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset: concupíscere, si non posset? Sed cæléstis médicus singúlis quibúsque vítiis obviántia adhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínæ cálida frígidis, frígida cálidis curántur: ita Dóminus noster contrária oppósuit medicamenta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viij.

CErtè cùm se sequéntibus nova mandáta propóneret, dixit: nisi quis renuntiáverit ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. Ac si apertè dicat: Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis, per novæ conversatiónis stúdium & vestra largímini. Quid verò in hac lectióne dicat, audiámus. Qui vult post me veníre, ábneget semetipsum. Ibi dícitur, ut abnegémus nostra: hic dícitur, ut abnegémus nos. Et fortássè laboriósum non est hómini relínquere sua: sed valdè laboriósum est relínquere semetipsum. Minus quippè est abnegáre quod habet: valdè autem multum est, abnegáre quod est.

℟. Hic est verè martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrenæ dignitátis glóriam quæsivit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

AD se autem nobis veniéntibus Dóminus præcépit, ut renuntiémus nostris: quia quicúmque ad fídei agónem venímus, luctámen contra malígnos spíritus súmimus. Nihil autem malígni spíritus in hoc mundo próprium possident: nudi ergo cum nudis luctári debémus. Nam si vestítus quísque cum nudo luctátur, cítiùs ad terram dejícitur, quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia, nisi quædam córporis induménta? Qui ergo contra diábolum ad certámen próperat, vestiménta abjíciat, ne succúmbat.

Te Deum laudámus. 17.

COMMUNE

Plurimórum Mártyrum

Ad Vésperas, Antíphona.

Omnes sancti, cum réliquis de Láudibus. xlviij. Psalm. Dixit Dóminus. cum réliquis de Dominica, 133. & loco ultimi, Psalmus Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.



Capitulum. *Sap. 3.*

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Hymnus.

SAnctórum méritis ínclyta gaudia
Pangámus socii, géstaque fórtia:
Gliscens fert ánimus prómere cántibus.
Victórum genus óptimum.

HI sunt, quos fátuè mundus abhórruit,
Hunc fructu vácuum, flóribus áridum
Contempsére tui nóminis ásseclæ
Jesu Rex bone Cælitum.

HI pro te fúrias, atque minas truces
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera;
His cessit lácerans fortiter úngula,
Nec carpsit penetrália.

CÆdúntur gládiis more bidéntium;
Non murmur résonat, non querimónia;
Sed corde impávido mens benè cónscia
Consérvat patiéntiam.

QUæ vox, quæ póterit lingua retéxere,

Quæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hanc trepidatiònem fidúciæ viri constántis, æquális in eúndem concúrrit effectum confidéntia cupiéntis ætérna, & divina trepidántis?

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intellectus: & aqua sapientiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

## In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

### Lectio vij. *Cap. 16. d*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilía 32. in Evangélia.*

QUia Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum, nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri in vitiis enutritæ contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset: concupíscere, si non posset? Sed cæléstis médicus síngulis quibúsque vítiis obviántia adhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínæ cálida frigidis, frígida cálidis curántur: ità Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

### Lectio viij.

CErtè cùm se sequéntibus nova mandáta propóneret, dixit: nisi quis renuntiáverit ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. Ac si apertè dicat: Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis, per novæ conversatiónis stúdium & vestra largímini. Quid verò in hac lectióne dicat, audiámus. Qui vult post me veníre, ábneget semetipsum. Ibi dícitur, ut abnegémus nostra: hic dícitur, ut abnegémus nos. Et fortássè laboriósum non est hómini relínquere sua: sed valdè laboriósum est relínquere semetipsum. Minus quippè est abnegáre quod habet: valdè autem multum est, abnegáre quod est.



℟. Hic est verè martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrenæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

### Lectio ix.

AD se autem nobis veniéntibus Dóminus præcépit, ut renuntiémus nostris: quia quicúmque ad fídei agónem vénimus, luctámen contra malígnos spíritus súmimus. Nihil autem malígni spíritus in hoc mundo próprium possídent: nudi ergo cum nudis luctári debémus. Nam si vestítus quísque cum nudo luctátur, cítiùs ad terram dejícitur, quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia, nisi quædam córporis induménta? Qui ergo contra diábolum ad certámen próperat, vestiménta abjíciat, ne succúmbat.

Te Deum laudámus. 17.

## COMMUNE

## Plurimórum Mártyrum

Ad Vésperas, Antíphona.

Omnes sancti, cum réliquis de Láudibus, xlviij. Psalm. Dixit Dóminus. cum réliquis de Domínica, 133. & loco último, Psalmus Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capítulum. *Sap. 3.*

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

### Hymnus.

SAnctórum méritis inclyta gáudia
Pangámus sócii, gestáque fórtia:
Gliscens fert ánimus prómere cántibus.
Victórum genus óptimum.
Hi sunt, quos fátuè mundus abhórruit,
Hunc fructu vácuum, flóribus áridum
Contempsére tui nóminis asseclæ
Jesu Rex bone Cælitum.
Hi pro te fúrias, atque minas truces
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera;
His cessit lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.
Cædúntur gládiis more bidéntium;
Non murmur résonat, non querimónia;
Sed corde impávido mens benè cónscia
Consérvat patiéntiam.
Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere,

Quæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Quæ tu Martyribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sanguine fúlgidis
Cingunt témpora láureis.
Te summa ò Déitas, unáque póscimus,
Ut culpas abigas, nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis, ut tibi glóriam,
Annórum in seriem cánant. Amen.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat, Antiphona. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad prǽmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Pro pluribus Martyribus Pontificibus.

Oratio.

BEatórum Mártyrum, paritérque Pontíficum N. & N. nos quǽsumus Dómine festa tueántur, & eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

Si non fuerint Pontifices.

Oratio.

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. & N. natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Alia Oratio.

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. & N. solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte adorémus. Psalmus, Veníte, exultémus, 2.

Hymnus.

CHristo profúsum sánguinem,
Et mártyrum victórias,
Dignámque cælo láuream
Lætis sequámur vócibus.
Terróre victo sǽculi,
Pœnísque sprétis córporis,
Mortis sacræ compéndio
Vitam beátam póssident.
Tradúntur igni Mártyres,
Et bestiárum déntibus:
Armáta sævit úngulis
Tortóris insáni manus.
Nudáta pendent víscera,
Sanguis sacrátus fúnditur:
Sed pérmanent immóbiles
Vitæ perénnis grátia.
Te nunc Redémptor quǽsumus,
Ut Mártyrum consórtio
Jungas precántes sérvulos
In sempitérna sǽcula.
Amen.

In primo Nocturno, Antiphona. Secus decúrsus aquárum plantávit víneam justórum, & in lege Dómini fuit volúntas eórum.

Psalmus 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit, * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit:
Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.
Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:
Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.
Non sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus à fácie terræ.
Ideò non resúrgent ímpii in judício: * neque peccatóres in concílio justórum.
Quóniam novit Dóminus viam justórum: * & iter impiórum períbit.

Antiphona. Secus decúrsus aquárum plantávit víneam justórum, & in lege Dómini fuit volúntas eórum.

Antiphona. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusta accépit eos in ætérnum.

Psalmus 2.

QUare fremuérunt Gentes: * & pópuli meditáti sunt inánia?
Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsus Dóminum, & advérsus Christum ejus.
Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.
Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.
Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.
Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prǽdicans præcéptum ejus.
Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.
Póstula a me, & dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.
Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confringes eos.
Et nunc reges intellígite, * erudímini qui judicátis terram.
Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.
Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.
Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Antiphona. Tamquam aurum in fornáce probávit eléc-

eléctos Dóminus : & quasi holocáusta accépit eos in ætérnum.

Antiphona. Si coram homínibus torménta passi sunt, spes electórum est immortális in ætérnum.

Psalmus 1.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea : & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum : * & exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Antiphona. Si coram homínibus torménta passi sunt, spes electórum est immortális in ætérnum. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde. Pater noster.

Absolutio. Exaudi Dómine.

℣. Jube domne. Benedictio. Benedictióne perpétua.

De Epistola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. *Cap.* 8. c

FRatres, Debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini : si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis iterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus : Abba (Pater.) Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quód sumus filii Dei. Si autem filii, & herédes : herédes quidem Dei, coherédes autem Christi : si tamen compátimur, ut & conglorificémur. Existimo enim quód non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei expéctat.

℟. Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis sanctórum : & jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient, neque sitient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. Quóniam prióra. Benedictio. Unigénitus Dei Filius.

Lectio ij.

SCimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, & prædestinávit confórmes fieri imáginis Filii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit : & quos vocávit, hos & justificávit : quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Filio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum : quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsus eléctos Dei? Deus qui justíficat, quis est qui condémnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, immò qui & resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam intérpellat pro nobis.

℟. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua : * Et ideò corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus, & una fides erat in eis. Et ideò. Benedictio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iij.

QUis ergo nos separábit à charitáte Christi? tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius? (sicut scriptum est : Quia propter te mortificámur tota die : æstimáti sumus sicut oves occisiónis.) Sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre à charitáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia, * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Et meruérunt. Glória Patri. Et meruérunt.

In secundo Nocturno, Antiph. Dabo sanctis meis locum nominátum in regno Pa-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Patris mei, dicit Dóminus.

Psalmus 14.

DOmine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justitiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum: * & oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad nihilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: * timentes autem Dóminum glorificat:

Qui jurat próximo suo, & non décipit: * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocentem non accépit:

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Antiphona. Dabo sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Añ. Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Psalmus 15.

COnsérva me Dómine, quóniam sperávi in te: * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea accelerávérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, & cálicis mei: * tu es, qui restitues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedicam Dóminum, qui tribuit mihi intelléctum: * insuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea: * insuper & caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in dextera tua usque in finem.

Añ. Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Anti-



Antiphona. Sancti, qui sperant in Dómino, habébunt fortitúdinem, assúment pennas ùt áquilæ, volábunt, & non defícient.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & intoíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Antiphona. Sancti, qui sperant in Dómino, habébunt fortitúdinem, assúment pennas ùt áquilæ, volábunt, & non defícient. ℣. Exultent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Pater noster. Absolútio. Ipsíus piétas. ℣. Jube domne. Benedictio. Deus Pater omnipotens.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

*Sermóne 47. de Sanctis.*

Léctio iv.

QUotiescúmque, fratres charíssimi, sanctórum Mártyrum solémnia celebrámus, ità, ipsis intercedéntibus, expectémus à Dómino cónsequi temporália benefícia, ut ipsos Mártyres imitándo, accípere mereámur ætérna. Ab ipsis enim sanctórum Mártyrum in veritáte festivitátum gáudia celebrántur, qui ipsórum Mártyrum exémpla sequúntur. Solemnitátes enim Mártyrum, exhortatiónes sunt martyriórum: ut imitári non pígeat, quod celebráre deléctat.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida: & in mari Rubro via sine impediménto: ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ,

&

& torréntes inundavérunt. Terra. Benedíctio. Christus perpétuæ.

### Léctio v.

SEd nos vólumus gaudére cum Sanctis: & tribulatiónem mundi nólumus sustinére cum ipsis. Qui enim sanctos Mártyres, in quantum potúerit, imitári nolúerit, ad eórum beatitúdinem non póterit perveníre. Sed & Paulus Apóstolus prædicat, dicens: Si fuérimus sócii passiónum, érimus & consolatiónum. Et Dóminus in Evangélio: Si mundus vos odit: scitóte, quia me priórem vobis ódio hábuit. Recúsat esse in córpore, qui ódium non vult sustinére cum cápite.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes. Benedíct. Ignem sui amóris.

### Léctio vj.

SEd dicet áliquis: Et quis est, qui possit beatórum Mártyrum vestígia sequi? Huic ego respóndeo, quia non solùm Mártyres, sed étiam ipsum Dóminum cum ipsíus adjutório, si vólumus, póssumus imitári. Audi non me, sed ipsum Dóminum géneri humáno clamántem: Díscite à me, quia mitis sum, & húmilis corde. Audi & Petrum Apóstolum admonéntem: Christus passus est pro nobis, relínquens nobis exémplum, ut sequámur vestígia ejus.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam donum.

### In tértio Noctúrno, Antiph.

Justi autem in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum.

### Psalmus 32.

EXultáte justi in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * benè psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judícium: * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt: * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.



Cóngregans sicut in utre aquas maris: * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandávit, & creáta sunt.

Dóminus díssipat consília Géntium: * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet: * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem & generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus: * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus: * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo: * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit sigillátim corda eórum: * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem: * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem: * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum: * & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat à morte ánimas eórum: * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum: * quóniam adjútor & protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum: * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos: * quemádmodum sperávimus in te.

Antiphona. Justi autem in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum.

Antiph. Tradidérunt córpora sua in mortem, ne servírent idólis: ídeò coronáti possídent palmam.

### Psalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum, * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini: * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * &

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

& de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte, quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam á malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte á malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes qui sperant in eo.

Antiphona. Tradidérunt córpora sua in mortem, ne servírent idólis: ideò coronáti possídent palmam.

Antiphona. Ecce merces sanctórum copiósa est apud Deum: ipsi verò mórtui sunt pro Christo, & vivent in ætérnum.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium, & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus, in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculò.

Con-



Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Antiphona. Ecce merces sanctórum copiósa est apud Deum: ipsi verò mórtui sunt pro Christo, & vivent in ætérnum. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum. Pater noster. Absolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Léctio vij. Cap. 21. c

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia & seditiónes, nolíte terréri: opórtet primùm hæc fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilía 35. in Evangélia.*

DOminus ac Redémptor noster perituri mundi præcurréntia mala denúntiat, ut eo mínus pertúrbent veniéntia, quò fúerint præscita. Minùs enim jácula fériunt quæ prævidéntur: & nos tolerabílius mundi mala suscípimus, si contra hæc per præsciéntiæ clýpeum munímur. Ecce enim dicit: Cum audiéritis prælia & seditiónes, nolíte terréri: opórtet enim primùm hæc fíeri, sed nondum statim finis. Pensánda sunt verba Redemptóris nostri, per quæ nos áliud intérius, áliud extérius passúros esse denúntiat. Bella quippè ad hostes pértinent, seditiónes ad cives. Ut ergo nos índicet intérius exteriúsque turbári, áliud nos fatétur ab hóstibus, áliud a frátribus pérpeti.

℟. Propter testaméntum Dómini, & leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quam bonum, & quam jucúndum habitáre fratres in unum. Quia unus. Benedíctio. Quorum festum cólimus.

Léc-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio viij.

SEd his malis præveniéntibus, quia non statim finis sequátur, adjúngit: Surget gens contra gentem, & regnum advérsus regnum: & terræmótus magni erunt per loca, & pestiléntiæ, & fames, terrorésque de cælo, & signa magna erunt. Ultima tribulátio multis tribulatiónibus prævenitur: & per crebra mala, quæ prævéniunt, indicántur mala perpétua, quæ subsequéntur. Et ideo post bella & seditiónes non statim finis: quia multa debent mala præcúrrere, ut malum váleant sine fine nuntiáre.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis: * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Venite benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem. Benedíctio. Ad societátem.

Lectio ix.

SEd cum tot signa perturbatiónis dicta sint, opórtet, ut eórum consideratiónem bréviter per singula perstringámus: quia necésse est, ut ália è cælo, ália è terra, ália ab eleméntis, ália ab homínibus patiámur. Ait enim: Surget gens contra gentem, ecce perturbátio hóminum: erunt terræmótus magni per loca, ecce respectus iræ désuper: erunt pestiléntiæ, ecce inæquálitas córporum: erit fames, ecce sterílitas terræ: terrorésque de cælo & tempestátes, ecce inæquálitas áëris. Quia ergo ómnia consummánda sunt, ante consummatiónem ómnia perturbántur: & qui in cunctis delíquimus, in cunctis ferímur: ut impleátur quod dícitur, Et pugnábit pro eo orbis terrárum contra insensátos.

Te Deum laudámus. 17.

Sequens Responsórium dícitur post octávam vel secúndam Lectiónem in Festo plurimórum Mártyrum fratrum.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine: qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum: * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cæléstia. ℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum habitáre fratres in unum. Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

OMnes sancti, quanta passi sunt torménta, ut secúri pervenírent ad palmam martýrii. Psalmus Dóminus regnávit, cum réliquis. 18. Antiphona. Cum palma ad regna pervenérunt sancti, corónas decóris meruérunt de manu Dei. Antiphona. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt: & vivent nómina eórum in ætérnum. Antiphona. Mártyres Dómini Dóminum benedícite in ætérnum. Aña. Mártyrum chorus laudáte Dóminum de cælis, allelúia.



Capitulum. *Sap. 3.*

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Hymnus.

REx gloriòse Mártyrum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cœléstia.
Auream benígnam prótinus
Inténde nostris vócibus:
Trophæa sacra pángimus:
Ignósce quod delíquimus.
Tu vincis inter Mártyres,
Parcisque Conféssóribus,
Tu vince nostra crímina,
Largitor indulgéntiæ.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Pro plúribus Martyribus Pontificibus, Oratio.

BEatórum Mártyrum, paritérque Pontíficum N. & N. nos quæsumus Dómine festa tueántur, & eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

Si non fúerint Pontífices.

Oratio.

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. & N. natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Alia Orátio.

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. & N. solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona.

Cum palma. Capitulum. Justórum ánimæ, ut supra.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exultáte justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Lætámini. ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Ad Sextam, Antiphona.

Córpora sanctórum.

Capitulum. *Sap. 10. d*

REddidit Deus mercédem labórum sanctórum suórum, & dedúxit il-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

illos in via mirábili : & fuit illis in velaménto diei, & in luce stellárum nocte.

℟. breve. Exúltent justi, * In conspéctu Dei. Exúltent justi. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Ad Nonam, Antiphona. Mártyrum chorus.

Capitulum. *Sap. 3.*

FUlgébunt justi, & tamquam scintíllæ in arundinéto discurrent. Judicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis, & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. br. Justi autem, * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

## AD VESPERAS,

Antiphona.

ISti sunt sancti, qui pro testaménto Dei sua córpora tradidérunt, & in sánguine Agni lavérunt stolas suas. Psalmus Dixit Dóminus. 133. Antiphona. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes. Psalmus Confitébor. 133. Antiphona. Sanctórum velut áquilæ juvéntus renovábitur : florébunt sicut lílium in civitáte Dómini. Psalmus Beátus vir. 134. Antiphona. Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis sanctórum : & jam non erit ampliùs neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : quóniam prióra transiérunt. Psalmus Laudáte púeri. 134. Antiphona. In cæléstibus regnis sanctórum habitátio est, & in ætérnum réquies eórum. Psalmus Crédidi. 137.

Capitulum & Hymnus, ut in primis Vesperis, xxxviij.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnificat, Antiphona. Gaudent in cælis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : & quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ideò cum Christo exúltant sine fine.

Aliæ Lectiones pro pluribus Martyribus.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Serm. 1. de Martyrib. tom. 3.*

Lectio iv.

NEmo est qui nésciat, Mártyrum glórias ad hoc divíno consílio à Dei pópulis frequentári, ut & illis débitus honor dicétur, & nobis virtútis exémpla, favénte Christo, monstréntur : ut dum hæc ità celebrári perspícimus, cognoscámus quanta eos glória máneat in cælis, quorum natalítia táliter celebrántur in terris, quo possímus étiam ipsi tálibus provocári exémplis, virtúte pari, devotióne consímili ac fide : ut Christo præstánte, dimicáre & víncere hostem possímus : ut parta victória, cum iísdem sanctis in regnis cæléstibus triumphémus.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : & in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

QUis est enim, qui eórum volens mérito copulári : nisi priùs constántiam eórum téneat, sectétur fidem, imitétur virtútem passiónis, eórum glóriam páribus vitæ lineaméntis aut invéniat, aut exquírat? Qui etsi martýrio par esse non possit, tamen múneris tanti dignitáte se quisque bonis áctibus dignum præbeat. Adest enim cleméntissimus Deus, qui desiderántibus suis aut martýrium præbeat, aut sine martýrio cum sanctis præmia divína retríbuat.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vj.

UT enim infirmátur peccátor advérsis, ita justus tentatiónibus roborátur. Sic dimicárunt advérsùs peccátum Sancti : sic & laborándo fortióres, & moriéndo victóres effécti sunt. Nullus athlétes sine certámine fórtior dici, nullus sine victória póterit coronári. Nemo miles sine prælio hostem subjécit : nemo sine bello imperatórem proméruit. Habes Christiáne competéntia arma, quibus hostem expúgnes : habes fortíssima tela, quibus inimícum debélles.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos : & in témpore erit respéctus illórum. * Quóniam donum & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam donum.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Léctio vij. *Cap. 6. c*

IN illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. 5. in Luc. cap. 6. post init.*

ADvérte ómnia diligénter, quómodò & cum Apóstolis ascéndat, & descéndat ad turbas. Quómodò enim turba nisi in húmili Christum vidéret? Non séquitur ad excélsa, non ascéndit ad sublímia. Dénique ubi descéndit, invénit infírmos: in excélsis enim infírmi esse non possunt. Hinc étiam Matthǽus docet in inferióribus débiles esse sanátos. Prius enim unusquísque sanándus est, ut paulátim virtútibus procedéntibus ascéndere possit ad montem. Et ideò quemque in inferióribus sanat, hoc est, à libídine revocat, injúriam cæcitátis avértit. Ad vúlnera nostra descéndit: ut usu quodam & cópia suæ natúræ, compartícipes nos fáciat esse regni cæléstis.

℟. Propter testaméntum Dómini, & leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quam bonum & quam jucúndum habitáre fratres in unum. Quia unus.

Léctio viij.

BEáti páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Quátuor tantùm beatitúdines sanctus Lucas Domínicas pósuit, octo verò sanctus Matthǽus: sed in illis octo istæ quátuor sunt, & in quátuor istis illæ octo. Hic enim quátuor velut virtútes ampléxus est cardináles: ille in illis octo mýsticum númerum reserávit. Pro octáva enim multi inscribúntur Psalmi: & mandátum áccipis octo illis partem dare, fortásse benedictiónibus. Sicut enim spei nostræ octáva perféctio est, ita octáva summa virtútum est.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis: * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem labóris. Glória Patri. Mercédem labóris.

Léctio ix.

SEd prius quæ sunt amplióra videámus. Beáti, inquit, páuperes, quóniam vestrum est regnum Dei. Primam benedictiónem hanc utérque Evangelísta pósuit. Ordine enim prima est, & parens quædam generatióque virtútum: quia qui contempserit sæculária, ipse merébitur sempitérna: nec potest quisquam méritum regni cæléstis adipísci, qui mundi cupiditáte pressus, emergéndi non habet facultátem.



Te Deum laudámus. 17.

COMMUNE.

Confessóris Pontíficis.

Ad Vésperas, Antíphona. Ecce sacérdos magnus, cum réliquis de Láudibus. lxiij. Psalmus Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 133. & loco último, Psalmus Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capítulum. *Eccli. 44. c*

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, & invéntus est justus: & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

ISte Conféssor Dómini, coléntes
Quem piè laudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit beátas
Scándere sedes.

Si non est dies óbitus, dicátur:

Hac die lætus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus artus.

Cujus ob præstans méritum frequénter,
Ægra quæ passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi Chorus obsequéntem
Cóncinit laudem, celebrésque palmas;
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cæli sólio coruscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus & unus.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magníficat, Antíphona. Sacérdos & Póntifex, & virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Pro Doctóribus in utrísque Vésperis.

Ad Magníficat, Antíphona. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte N.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Léctio vij. *Cap. 6. c*

IN illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib. 5. in Luc. cap. 6. post init.*

ADvérte ómnia diligénter, quómodò & cum Apóstolis ascéndat, & descéndat ad turbas. Quómodò enim turba nisi in húmili Christum vidéret ? Non séquitur ad excélsa, non ascéndit ad sublímia. Denique ubi descéndit, invénit infírmos : in excélsis enim infírmi esse non possunt. Hinc étiam Matthæus docet in inferióribus débiles esse sanátos. Prius enim unusquísque sanándus est, ut paulátim virtútibus procedéntibus ascéndere possit ad montem. Et ideò quemque in inferióribus sanat, hoc est, à libídine révocat, injúriam cæcitátis avértit. Ad vúlnera nostra descéndit : ut usu quodam & cópia suæ natúræ, compartícipes nos fáciat esse regni cæléstis.

℟. Propter testaméntum Dómini, & leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quam bonum & quam jucúndum habitáre fratres in unum. Quia unus.

Léctio viij.

BEáti páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Quátuor tantùm beatitúdines sanctus Lucas Domínicas pósuit, octo verò sanctus Matthæus : sed in illis octo istæ quátuor sunt, & in quátuor istis illæ octo. Hic enim quátuor velut virtútes ampléxus est cardinales : ille in illis octo mysticum númerum reservávit. Pro octáva enim multi inscribúntur Psalmi : & mandátum áccipis octo illis partem dare, fortásse benedictiónibus. Sicut enim spei nostræ octáva perféctio est, ita octáva summa virtútum est.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem labóris. Glória Patri. Mercédem labóris.

Léctio ix.

SEd prius quæ sunt amplióra videámus. Beáti, inquit, páuperes, quóniam vestrum est regnum Dei. Pri-



mam benedictiónem hanc utérque Evangelísta pósuit. Ordine enim prima est, & parens quædam generatióque virtútum : quia qui contémpserit sæculária, ipse merébitur sempitérna : nec potest quisquam méritum regni cæléstis adipísci, qui mundi cupiditáte pressus, emergéndi non habet facultátem.

Te Deum laudámus. 17.

COMMUNE.

Confessóris Pontíficis.

Ad Vésperas, Antíphona. Ecce sacérdos magnus, cum réliquis de Láudibus. lxiij. Psalmus Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 133. & loco último, Psalmus Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capítulum. *Eccli. 44. c*

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, & invéntus est justus : & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

ISte Conféssor Dómini, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit beátas
Scándere sedes.

Si non est dies óbitus, dicátur :

Hac die lætus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus artus.

Cujus ob præstans méritum frequénter,
Ægra quæ passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi Chorus obsequéntem
Cóncinit laudem, celebrésque palmas;
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cæli sólio coruscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus & unus.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magníficat, Antíphona. Sacérdos & Póntifex, & virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Pro Doctóribus in utrísque Véspeis.

Ad Magníficat, Antíphona. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte N.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Divinæ legis amátor deprecáre pro nobis Filium Dei.

Orátio.

DA quæsumus omnipotens Deus: ut beati N. Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, & devotiónem nobis augeat & salútem. Per Dóminum nostrum.

Alia Orátio.

EXáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beati N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: & qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitator. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte adorémus. Psal. Veníte, exultémus. 2. Hymnus Iste Confessor, ut supra. liij.

In primo Nocturno, Aña. Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur: volúntas ejus pérmanet die ac nocte, & ómnia quæcúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Psalmus 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit, * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic impii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem projícit ventus à fácie terræ.

Ideò non resúrgent impii in judício: * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * & iter impiórum períbit.

Aña. Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur: volúntas ejus pérmanet die ac nocte, & ómnia quæcúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Antiphona. Beátus iste sanctus, qui confísus est in Dómino, prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus 2.

QUare fremuérunt Gentes: * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, & advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.



Tunc loquétur ad eos in ira sua: * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea: * & tamquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Antiph. Beátus iste sanctus, qui confísus est in Dómino, prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Aña. Tu es glória mea, tu es suscéptor meus Dómine: tu exáltans caput meum, & exaudísti me de monte sancto tuo.

Psalmus 3.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum: * & exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Antiphona. Tu es glória mea, tu es suscéptor meus Dómine, tu exáltans caput meum, & exaudísti me de monte sancto tuo. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum. Pater noster. Absolutio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne benedícere. Benedictio. Benedictióne perpétua.

De Epístola prima beati Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio i. Cap. 3.

FIdélis sermo: Si quis Episcopátum desiderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epis-

copum irreprehenſibilem eſſe, unius uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hoſpitálem, doctórem, non vinoléntum, non percuſſórem, ſed modéſtum, non litigióſum, non cupídum; ſed ſuæ dómui bene præpóſitum, fílios habéntem súbditos cum omni caſtitáte. Si quis autem dómui ſuæ præéſſe neſcit, quómodò Eccléſiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum: ne in ſupérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum & teſtimónium habére bonum ab iis qui foris ſunt, ut non in oppróbrium íncidat, & in láqueum diáboli.

℟. Euge ſerve bone & fidélis, quia in pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidíſti mihi, ecce ália quinque ſuperlucrátus ſum. Intra in gáudium. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

De Epiſtola ad Titum.

Lectio ii. *Cap. 1. b*

OPórtet enim Epiſcopum ſine crímine eſſe, ſicut Dei diſpenſatórem, non ſupérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percuſſórem, non turpis lucri cúpidum: ſed hoſpitálem, benígnum, sóbrium, juſtum, ſanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui ſecúndum doctrínam eſt, fidélem ſermónem: ut potens ſit exhortári in doctrína ſana, & eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui, & ſeductóres: máxime qui de circumciſióne ſunt: quos opórtet redárgui: qui univérſas domos ſubvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. Ecce ſacérdos magnus, qui in diébus ſuis plácuit Deo: * Ideò jurejurándo fecit illum Dóminus créſcere in plebem ſuam. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, & teſtaméntum ſuum confirmávit ſuper caput ejus. Ideò jurejurándo. Benedíctio. Spíritus ſancti grátia.

Lectio iii. *Cap. 2.*

TU autem lóquere quæ decent ſanam doctrínam: Senes, ut sóbrii ſint, pudíci, prudéntes, ſani in fide, in dilectióne, in patiéntia: Anus simíliter in hábitu ſancto, non criminatríces, non multo vino ſerviéntes, bene docéntes: ut prudéntiam dóceant adoleſcéntulas, ut viros ſuos ament, fílios ſuos díligant, prudéntes, caſtas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris ſuis, ut non blaſphemétur verbum Dei: Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii ſint. In ómnibus teípſum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum ſanum irreprehenſíbile, ut is, qui ex advérſo eſt, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es ſacérdos in ætérnum ſecúndum órdinem Melchíſedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, Sede à dextris meis. Tu es ſacérdos. Glória Patri. Tu es ſacérdos.

In ſecundo Nocturno, Antiphona. Invocántem exaudívit Dóminus ſanctum ſuum, Dóminus exaudívit eum, & conſtítuit eum in pace.

Pſalmus 4.

CUm invocárem, exaudívit me Deus juſtítiæ meæ: * in tribulatióne dilataſti mihi.

Miſerére mei, * & exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úſquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et ſcitóte quóniam mirificávit Dóminus ſanctum ſuum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Iraſcímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus veſtris, in cubílibus veſtris compungímini.

Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, & ſperáte in Dómino: * Multi dicunt: Quis oſténdit nobis bona?

Signátum eſt ſuper nos lumen vultus tui Dómine: * dediſti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei ſui: * multiplicáti ſunt.

In pace in idípſum * dórmiam, & requieſcam;

Quóniam tu Dómine singuláriter in ſpe * conſtituíſti me.

Antiphona. Invocántem exaudívit Dóminus ſanctum ſuum, Dóminus exaudívit eum, & conſtítuit eum in pace.

Antiphona. Læténtur omnes, qui ſperant in te Dómine: quóniam tu benedixíſti juſto, ſcuto bonæ voluntátis tuæ coronáſti eum.

Pſalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, manè exáudies vocem meam.

Manè aſtábo tibi & vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te ma-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

malignus : * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt : & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Antiphona. Læténtur omnes qui sperant in te Dómine : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Antiphona. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! quia glória & honóre coronásti sanctum tuum, & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus 8.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minus ab Angelis, glória & honóre coronásti eum : * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas : ínsuper & pécora campi.

Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómi-



Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Antiphona. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! quia glória & honóre coronásti Sanctum tuum, & constituísti eum super ópera mánuum tuárum. ℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis. Pater noster. Absolútio. Ipsíus píetas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

*Homilia 59. quæ est 2. de S. Eusebio Vercelensi.*

Lectio iv.

AD sancti ac beatíssimi Patris nostri N. cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est : siquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cùm enim dicat Scriptúra : Glória patris est fílius sápiens : quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia & devotióne lætátur? in Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim. Benedíctio. Christus perpétuæ.

Lectio v.

QUidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis & grátiæ, de hoc quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat prædítus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit afféctum : quia Pontifícii administratióne fulgébat, plures è discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vj.

BEnè & cóngruè in hac die, quam nobis beáti Patris nostri N. ad paradísum tránsitus exultábilem reddit, præséntis Psalmi versículum decantávimus : in memória ætérna erit justus. Dignè enim in memóriam vértitur hómi-

 num,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

num, qui ad gáudium tránsiit Angelórum. Dicit sermo divinus: Ne laudes hóminem in vita sua: tamquam si diceret: Lauda post vitam, magnífica post consummatiónem. Dúplici enim ex causa utílius est hóminum magis memóriæ laudem dare, quam vitæ: ut illo potíssimum témpore mérita sanctitátis extóllas, quando nec laudántem adulátio movet, nec laudátum tentet elátio.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Noctúrno, Antiphona. Dómine, iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

DOmine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: * timéntes autem Dóminum gloríficat:

Qui jurat próximo suo, & non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocéntem non accépit:

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Antiphona. Dómine, iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Antiphona. Vitam pétiit à te, & tribuísti ei, Dómine: glóriam & magnum decórem imposuísti super eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus 20.

DOmine in virtúte tua lætábitur rex: * & super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te: * & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Mag-



Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * & semen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala, * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Antiphona. Vitam pétiit à te, & tribuísti ei, Dómine: glóriam & magnum decórem imposuísti super eum: Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Antiphona. Hic accípiet benedictiónem à Dómino, & misericórdiam à Deo salutári suo: quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Antiphona. Hic accípiet be-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

benedictiónem à Dómino, & misericórdiam à Deo salutári suo, quia hæc est generátio quæréntium Dóminum. ℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedec. Pater noster. Absolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíct. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 25.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregrè proficíscens, vocávit servos suos, & trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilía 9. in Evangélia.*

LEctio sancti Evangélii, fratres charíssimi, sollícitè consideráre nos ádmonet, ne nos, qui plus céteris in hoc mundo accepísse áliquid cérnimur, ab auctóre mundi grávius indè judicémur. Cum enim augéntur dona, rationes étiam créscunt donórum. Tantò ergo esse humílior, atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quanto se obligatiórem esse conspicit in reddénda ratióne. Ecce homo, qui peregre proficíscitur, servos suos vocat, eisque ad negótium talénta partítur. Post multum verò témporis posítùrus ratiónem revértitur. Benè operántes pro apportáto lucro remúnerat, servum verò à bono ópere torpéntem damnat.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas. Benedíctio. Cujus festum cólimus.

Léctio viij.

QUis itaque iste homo est, qui peregre profíciscitur, nisi Redémptor noster, qui in ea carne quam assúmpserat, ábiit in cælum? Carnis enim locus próprius terra est, quæ quasi ad peregrína dúcitur, dum per Redemptórem nostrum in cælo collocátur. Sed homo iste peregre profíciscens, servis suis bona sua trádidit, quia fidélibus suis spirituália dona concéssit. Et uni quidem quinque talénta, alii duo, alii verò commísit unum. Quinque étenim sunt córporis sensus: vidélicet, visus, audítus, gustus, odorátus, & tactus. Quinque ergo taléntis, donum quinque sénsuum, id est exteriórum sciéntia exprímitur. Duóbus verò, intelléctus & operátio designátur. Unius autem talénti nómine, intel-



léctus tantúmmodò designátur.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles. Benedíctio. Ad societátem. Léctio ix.

SEd is, qui quinque talénta accéperat, ália quinque lucrátus est: quia sunt nonnúlli, qui etsi interna ac mýstica penetráre nésciunt, pro intentióne tamen supérnæ pátriæ docent recta quos possunt, de ipsis exterióribus, quæ accepérunt, duplum taléntum portant: dumque se à carnis petulántia, & à terrenárum rerum ámbitu, atque à visibílium voluptáte custódiunt, ab his étiam álios admonéndo compéscunt. Et sunt nonnúlli, qui quasi duóbus taléntis ditáti, intelléctum atque operatiónem percípiunt, subtília de intérnis intélligunt, mira in exterióribus operántur. Cùmque & intelligéndo & operándo áliis prædicant, quasi duplicátum de negótio lucrum reportant.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, & invéntus est justus. Psalmus Dóminus regnávit, cum réliquis. 18. Antiphona. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Antiphona. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Antiphona. Sacerdótes Dei benedícite Dóminum: servi Dómini hymnum dícite Deo, allelúia. Antiphona. Serve bone & fidélis, intra in gáudium dómini tui.

Capitulum. *Eccli. 44. c*

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, & invéntus est justus: & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

JEsu Redémptor ómnium,
Perpes coróna Præsulum,
In hac die cleméntiùs
Indúlgeas precántibus:
Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit:
Hujus celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.
Qui ritè mundi gáudia
Hujus cadúca réspuens,
Æternitátis præmio
Potitur inter Angelos.
Hujus benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia:

Hu-

Hujus precatu servulis
Dimitte noxam criminis.
Sit Christe Rex piissime,
Tibi, Patrique glória,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Benedictus, Antiphona. Euge serve bone & fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

Oratio.

DA quæsumus, omnipotens Deus: ut beati N. Confessóris tui atque Pontíficis veneranda solémnitas, & devotiónem nobis augeat, & salútem. Per Dóminum nostrum.

Alia Oratio.

EXaudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beati N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitate deferimus: & qui tibi digne méruit famulari, ejus intercedentibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Antiphona. Non est invéntus. Capitulum. Ecce sacerdos magnus, ut supra. lxiij.

℟. breve Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Ad Sextam, Antiphona. Ideò jurejurándo.

Capitulum. *Eccli.* 44. c

NOn est inventus símilis illi, qui conserváret legem Excelsi: ideò jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

℟. br. Elégit eum Dóminus, * Sacerdótem sibi. Elégit eum. ℣. Ad sacrificandum ei hóstiam laudis. Sacerdótem. Glória Patri. Elégit.

℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchisedech.

Ad Nonam, Antiphona. Serve bone.

Capitulum. *Eccli.* 45. c

FUngi sacerdótio, & habére laudem in nómine ipsius, & offerre illi incensum dignum in odórem suavitátis.

℟. breve. Tu es sacérdos, * In ætérnum. Tu es. ℣. Secúndum órdinem Melchisedech. In ætérnum. Glória Patri. Tu es. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Vésperas, Antiphona. Ecce sacérdos magnus, cum reliquis de Laudibus. lxiij. Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 133. & loco ultimi, Psalmus Meménto Dómine David. 144. Capitulum, & Hymnus, ut supra in primis Vésperis. liij.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Magnificat, Antiphona. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum, & ad portas paradisi coronávit eum.

Sequens Antiphona dicitur ad Magnificat in secundis Vesperis pro solis Summis Pontificibus, Antiphona. Dum esset Summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad cælestia regna gloriósus migrávit.

Si occúrrat celebrári Festum plurimórum Pontíficum & Confessórum, Officium fit ut supra: sed in Oratióne & Sermóne, quæ ponuntur in singulari, dicántur in plurali, & in primo Noctúrno leguntur sequéntes Lectiónes de Scriptura.

De libro Ecclesiástici

Lectio j. *Cap.* 44.

LAudémus viros gloriósos, & paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua à sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte & prudéntia sua prædíti, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, & imperántes in præsénti pópulo, & virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, & narrántes cármina scripturárum.

℟. Euge serve bone & fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constituam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra.

Lectio ij.

HOmines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes: pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, & in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum: & sunt quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint: & nati sunt, quasi non nati, & filii ipsórum cum ipsis.

℟. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo: * Ideò jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. ℣. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi, & testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Ideò jurejurándo.

Léc-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Lectio iij.

SEd illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum permanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, & in testaméntis stetit semen eórum, & fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum & glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, & laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, Sede à dextris meis. Tu es sacérdos. Glória Patri. Tu es sacérdos.

Aliæ Lectiónes pro Pontífice & Confessóre.

In secúndo Noctúrno.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

*Ex Homilia 59. quæ est 2. de sancto Eusebio.*

Lectio iv.

BEáti Patris N. mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus, qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquíllâ jam in statióne compósuit, & plenam cæléstibus divítiis, & ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei tamdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

QUantis hic cæcis à via veritátis errántibus, & de summa jam in profúndum rupe pendéntibus, amíssum réddidit visum, & illum, quo Christus viderétur, reparávit intúitum? Quantórum áuribus surdis, & infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem cæléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum, ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam? Quantos intrínsecùs vulnerátos, Angélici oris arte & oratiónum, ab infirmitáte curávit?

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vj.

QUantos per longam incúriam peccáti labe resolútos, & quadam lepræ contagióne perfúsos, castigatiónibus & exhortatiónibus expiándo, Deo in se operánte mundávit? Quantórum ánimas vivéntes in córpore jam defúnctas, & delictórum mole óbrutas ac sepúltas, ad emendatiónem tamquam ad lucem vocándo, Deo resuscitávit; ut Dómini sui admirándus imitátor, jam mórtuas Deo, è contrário mortíficet vitáli morte peccáto?

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthǽum.

Lectio vij. *Cap. 24. d*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

*Comment. in Matth. can. 26. in fine.*

UT ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, & oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse osténdit zábulum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, & córporum nostrórum dómibus insidiántem: ut ea incuriósis nobis, & somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos ígitur esse nos convénit: quia diéi ignorátio inténtam solicitúdinem suspénsæ expectatiónis exígitet.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio viij. *Can. 27.*

QUisnam est fidélis servus & prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indeféssam vigilántiæ curam adhortétur; speciálem tamen

men pópuli princípibus, id est, Epíscopis, in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, præpósitum famíliæ significat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens, & præcéptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte & veritáte infírma confírmet, disrúpta consólidet, depravâta convértat, & verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens, hisque immórans deprehendátur, glóriam à Dómino tamquam dispensátor fidélis, & víllicus útilis consequétur, & super ómnia bona constituétur; id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultrà, quod mélius sit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio iv.

QUod si cóntuens longam Dei patiéntiam, quæ in proféctum humánæ salútis exténditur, advérsùm consérvos insoléscet, & sǽculi malis vitiísque se tradet, præséntium tantùm curam in cultu ventris exércens: desperáta die Dóminus advéniet, cúmque à bonis, quæ spopónderat, dívidet, portionémque ejus cum hypócritis in pœnæ æternitáte constítuet: quia advéntum desperáverit, quia mandátis non obtemperáverit, quia præséntibus studúerit, quia vita Géntium víxerit, quia desperatióne judícii commíssam sibi famíliam fame, siti, cæde vexáverit.

Te Deum laudámus, 17.

## PRO DOCTORIBUS.

Ad Magníficat, in utrísque Vésperis, Antíphona.

O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte N. divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Lectiónes sequéntes leguntur in Festis Doctórum, Offícium autem in illis fit de Confessóribus Pontifícibus, vel non Pontifícibus, pro qualitáte Festi.

In primo Noctúrno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 39.

SApiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, & in prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, & in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, & in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, & in conspéctu præsídis apparébit. In terram alienigenárum Géntium pertransíbit: bona enim & mala in homínibus tentábit.

℟. Euge serve bone & fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra. Benedictio Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ij.

COr suum tradet ad vigilándum dilúculò ad Dóminum, qui fecit illum, & in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, & pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum: & ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, & in oratióne confitébitur Dómino: & ipse díriget consílium ejus, & disciplínam, & in abscónditis suis consiliábitur.

Pro Doctóre Pontífice.

℟. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo: * Ideò jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.



℣. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi, & testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Ideò. Benedictio. Spíritus sancti grátia.

Pro Doctóre non Pontífice.

℟. Justus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et florébit. Benedictio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iij.

IPse palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, & in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, & usque in sǽculum non delébitur. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Pro Doctóre Pontífice.

℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, Sede à dextris meis. Tu es sacérdos. Glória Patri. Tu es sacérdos.

Pro Doctóre non Pontífice.

℟. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília magna, & exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ro sanctórum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Léctio iv. *Lib. 9. cap. 6.*

QUi post Orionis Hyadum nómine, nisi Doctóres sanctæ Ecclésiæ designántur? Qui subdúctis Martyribus, eo jam témpore ad mundi notítiam venérunt, quo fides clárius elúcet: & représsa infidelitátis hieme, áltius per corda fidélium sol veritátis calet. Qui remóta tempestáte persecutiónis, explétis longis nóctibus infidelitátis, tunc sanctæ Ecclésiæ orti sunt, cùm ei jam per credulitátis vernum lucídior annus aperítur.

Pro Doctóre Pontífice.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim. Benedíctio. Christus perpétuæ.

Pro Doctóre non Pontífice.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit. Benedíctio. Christus perpétuæ.

Léctio v.

NEc immérito Doctóres sancti Hyadum nuncupatióne signántur. Græco quippe elóquio hyetos plúvia vocátur, & Hyades nomen à plúviis accepérunt: quia ortæ procuIdúbio imbres ferunt. Benè ergo Hyadum appellatióne expréssi sunt, qui ad statum universális Ecclésiæ, quasi in cæli fáciem dedúcti, super aréntem terram humáni péctoris sanctæ prædicatiónis imbres fudérunt. Si enim prædicatiónis sermo plúvia non esset, Móyses minimè dixisset: Expectétur sicut plúvia elóquium meum: & nequáquam per Isaiam Véritas díceret: Mandábo núbibus meis, ne pluant super eam imbrem: atque hoc, quod paulò ante protúlimus: Quamóbrem prohibítæ sunt stellæ pluviárum.

Pro Doctóre Pontífice.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Pro



Pro Doctóre non Pontífice.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Léctio vi.

DUm ergo Hyades cum plúviis véniunt, ad cæli spátia altióra sol dúcitur: quia apparénte Doctórum sciéntia, dum mens nostra imbre prædicatiónis infúnditur, fídei calor augétur. Et perfúsa terra ad fructum próficit, cum lumen ætheris ignéscit: quia ubérius frugem boni óperis réddimus, dum per sacræ eruditiónis flammam in corde clárius ardémus. Dumque per eos diébus síngulis magis magísque sciéntia cæléstis osténditur, quasi intérni nobis lúminis vernum tempus aperítur: ut novus sol nostris méntibus rútilet, & eórum verbis nobis cógnitus, seípso quotídie clárior micet. Urgénte étenim mundi fine, supérna sciéntia próficit, & lárgiùs cum témpore excréscit.

Pro Doctóre Pontífice.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

Pro Doctóre non Pontífice.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vii. *Cap. 5. b.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Episcopi.

*Lib. 1. de Sermóne Dómini in monte cap. 6. tom. 4.*

OSténdit Dóminus, fátuos esse judicándos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectántes, vel inópiam metuéntes, amittunt ætérna, quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auférri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? id est, si vos, per

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per quos condiéndi sunt quodámmodò pópuli, metu persecutiónum temporálium amiseritis regna cælórum; qui erunt hómines, per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus, per quos errórem áuferat ceterórum?

Pro Doctóre Pontífice.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornavit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas. Benedíctio. Cujus festum cólimus.

Pro Doctóre non Pontífice.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat. Benedíctio. Cujus festum cólimus.

Lectio viij.

Ergo ad nihílum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foràs, & calcétur ab homínibus. Non itaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem: sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári enim non potest, nisi inférior: sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cælo est.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ & intelléctus. ℣. Jucunditátem & exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit. Glória Patri. Et. Benedict. Ad societátem.

Lectio ix.

Vos estis lumen mundi. Quómodò dixit supérius sal terræ, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque supérius ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus: sed hómines, qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis, & extinguéndis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit. Et hic mundum, non cælum & terram, sed hómines, qui sunt in mundo, vel díligunt mundum, opórtet intélligi, quibus illuminándis Apóstoli missi sunt. Non potest cívitas abscóndi super montem pósita: id est, fundáta super insígnem magnámque justítiam, quam significat étiam ipse mons, in quo dispútat Dóminus. Te Deum laudámus. 17.

COM-



## COMMUNE
Confessóris non Pontíficis.

Ad Vésperas, Antiphona.

Dómine quinque taléntа, ut infra ad Laudes. lxxxiij. Psalmus Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 135. & loco últimi, Psalmus Laudáte Dóminum omnes Gentes. 136.

Capitulum. *Eccli.* 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúniæ thesáuris. Quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

Iste Conféssor Dómini, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit beátas
Scándere sedes.

Si non est dies óbitus, dicátur:

Hac die lætus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus actus.

Cujus ob præstans méritum frequénter,
Ægra, quæ passim jacuére, membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi Chorus obsequéntem
Cóncinit laudem, celebrésque palmas;
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cæli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus, & unus.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magníficat, Antiphona.

Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio.

Deus, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

Adesto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus: ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

per quos condiéndi sunt quodámmodò pópuli, metu persecutiónum temporálium amiseritis regna cælórum; qui erunt hómines, per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus, per quos errórem áuferat cæterórum?

Pro Doctóre Pontífice.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas. Benedíctio. Cujus festum cólimus.

Pro Doctóre non Pontífice.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat. Benedíctio. Cujus festum cólimus.

Lectio viij.

ERgo ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foràs, & calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem: sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári enim non potest, nisi inférior: sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cælo est.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ & intelléctus. ℣. Jucunditátem & exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit. Glória Patri. Et. Benedíct. Ad societátem.

Lectio ix.

VOs estis lumen mundi. Quómodò dixit supérius sal terræ, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque supérius ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus: sed hómines, qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis, & extinguéndis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit. Et hic mundum, non cælum & terram, sed hómines, qui sunt in mundo, vel díligunt mundum, opórtet intélligi, quibus illuminándis Apóstoli missi sunt. Non potest cívitas abscóndi super montem pósita: id est, fundáta super insígnem magnámque justítiam, quam signíficat étiam ipse mons, in quo dispútat Dóminus. Te Deum laudámus. 17.





COMMUNE

Confessóris non Pontíficis.

Ad Vésperas, Antiphona.

Dómine quinque talénta, ut infra ad Laudes. lxxxiij. Psalmus Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 135. & loco último, Psalmus Laudáte Dóminum omnes Gentes. 136.

Capitulum. *Eccli.* 31.

BEátus vir, qui invéntus est sine mácula: & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúniæ thesáuris. Quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

ISte Conféssor Dómini, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit beátas
Scándere sedes.

Si non est dies óbitus, dicátur:

Hac die lætus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus artus.

Cujus ob præstans méritum frequénter,
Ægra, quæ passim jacuére, membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi Chorus obsequéntem
Cóncinit laudem, celebrésque palmas;
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cæli sólio coruscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus, & unus.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magníficat, Antiphona.

Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio.

DEus, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus: ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Si fuerit Abbas.

Oratio.

INtercéssio nos, quæsumus Dómine, beati N. Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valémus, ejus patrocinio assequámur. Per Dominum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Confessorum Dóminum, * Venite adorémus. Psalm. Venite, exultémus. 2. Hymnus. Iste Confessor, ut supra, lxxiij.

In primo Nocturno, Antiphona. Beátus vir, qui in lege Dómini meditatur: volúntas ejus pérmanet die ac nocte, & ómnia quæcúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Psalmus 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consilio impiórum, & in via peccatórum non stetit: * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic impii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem projícit ventus à fácie terræ.

Ideo non resúrgent impii in judicio: * neque peccatóres in concilio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * & iter impiórum períbit.

Antiphona. Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur: volúntas ejus pérmanet die ac nocte, & ómnia quæcúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Antiphona. Beátus iste sanctus, qui confisus est in Dómino, prædicavit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus 2.

QUare fremuérunt Gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & principes convenérunt in unum: * adversus Dóminum, & adversus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu: ego hódie génui te.

P ostu-



Póstula à me, & dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudímini qui judicátis terram.

Servite Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Antiphona. Beátus iste sanctus, qui confisus est in Dómino, prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Antiphona. Tu es glória mea, tu es susceptor meus Dómine: tu exáltans caput meum, & exaudisti me de monte sancto tuo.

Psalmus 3.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamavi: * & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporátus sum: * & exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exurge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivisti.

Dómini est salus: * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Antiphona. Tu es glória mea, tu es suscéptor meus Dómine: tu exáltans caput meum, & exaudisti me de monte sancto tuo. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum. Pater noster. Absolutio. Exaudi Dómine. ℣. Jube domne benedícere. Benedictio. Benedictióne perpétua.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 4. b & 5.

JUstus si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est, non diutúrna, neque annórum número computáta: cani autem sunt sensus hóminis, & ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, & vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne ma-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, & inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

℟. Euge serve bone & fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra in gáudium. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ij.

Pópuli autem vidéntes, & non intelligéntes, nec ponéntes in præcórdiis tália: quóniam grátia Dei, & misericórdia est in sanctos ejus, & respéctus in eléctos illíus. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, & juvéntus celérius consummáta longam vitam injústi. Vidébunt enim finem sapiéntis, & non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, & quare muníerit illum Dóminus. Vidébunt, & contémnent eum: illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidéntes sine honóre, & in contumélia inter mórtuos in perpétuum: quóniam disrúmpet illos inflátos sine voce, & commovébit illos a fundaméntis, & usque ad suprémum desolabúntur.

℟. Justus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et florébit. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iij.

Et erunt geméntes, & memória illórum períbit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi, & tradúcent illos ex advérso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, & qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre hórribili, & mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, & præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, & in similitúdinem impropérii. Nos insensáti, vitam illórum æstimabámus insániam, & finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, & inter sanctos sors illórum est.





℟. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília magna, & exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Et invéntus. Glória Patri. Et.

In secúndo Noctúrno, Antíphona. Invocántem exaudívit Dóminus sanctum suum, Dóminus exaudívit eum, & constítuit eum in pace.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * & exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quǽritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino: * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui: * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum: * dórmiam & requiéscam:

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Antíphona. Invocántem exaudívit Dóminus sanctum suum, Dóminus exaudívit eum & constítuit eum in pace.

Antíphona. Læténtur omnes, qui sperant in te Dómine: quóniam tu benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Psalmus 5.

Verba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi & vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia

tia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis, secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt : & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Antíphona. Læténtur omnes, qui sperant in te Dómine : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Antíphona. Dómine Dóminus noster, quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra ! quia glória & honóre coronásti sanctum tuum, & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus 8.

Domine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus ? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum ?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glória & honóre coronásti eum : * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas : insuper & pécora campi.

Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Aña. Dómine Dóminus noster, quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra ! quia glória & honóre coronásti sanctum tuum, & constituísti eum super ópera mánuum tuárum. ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium. Pater noster. Absolútio. Ipsíus píetas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Ser-



Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

*In Orat. de S. Philogónio, tom. 13.*

Lectio iv.

Beati N. dies, cujus festivitátem celebrámus, ad ipsíus rectè factórum enarratiónem linguam nostram evocávit : síquidem hódie beátus iste ad tranquíllam, omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit : eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem, aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni moléstia ánimi, cùm Paulus homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens, dicat : Semper gaudéte, sine intermissióne oráte ?

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et. Benedíctio. Christus perpétuæ.

Lectio v.

Quòd si hic, ubi morbi, ubi insectatiónes, ubi prǽmaturæ mortes, ubi calúmniæ, ubi invídiæ, ubi perturbatiónes, ubi iræ, ubi cupiditátes, ubi innumerábiles insídiæ, ubi quotidiánæ sollicitúdines, ubi perpétua sibíque succedéntia mala sunt, innúmeros ex omni parte dolóres afferéntia, Paulus dixit fíeri posse, ut semper gaudeámus, si quis paulúlum ex rerum mundanárum flúctibus eréxerit caput, vitámque suam rectè composúerit : multò magis, postquam hinc demigravérimus, fácilè cómpotes érimus ejus boni, cùm hæc ómnia subláta fúerint, advérsa valetúdo, morbi, peccándi matéria, ubi non est meum ac tuum, frígidum illud verbum, & quidquid est malórum in vitam nostram invehens, innumeráque gignens bella.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vj.

Quamóbrem maximópere grátulor hujus Sancti felicitáti, quòd quamquam translátus est, atque hanc, quæ apud nos est, civitátem relíquit, tamen in álteram adscríptus est civitátem, nempe Dei, & digréssus ab hac Ecclésia, ad illam pervénit, quæ est primogenitórum descriptórum

 in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in cælis; ac relíctis hisce festis, tránsiit ad celebritátem Angelôrum. Etenim quód & cívitas sursùm sit, & Ecclésia, & celébritas, audi Paulum dicéntem: Accessístis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cæléstem, & Ecclésiam primitivôrum, qui conscripti sunt in cælis, & ad multôrum míllium Angelôrum frequéntiam.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus.
℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

## In tertio Nocturno.

Antiphona. Dómine, iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

### Psalmus 14.

Dómine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?
Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam:
Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:
Nec fecit próximo suo malum: * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos suos.
Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: * timéntes autem Dóminum glorífìcat:
Qui jurat próximo suo, & non décipit: * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocéntem non accépit:
Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Antiphona. Dómine, iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Antiphona. Vitam pétiit à te, & tribuísti ei, Dómine: glóriam & magnum decôrem imposuísti super eum: posuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióso.

### Psalmus 20.

Dómine in virtúte tua lætábitur rex: * & super salutáre tuum exultábit veheménter.
Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * & voluntáte labiôrum ejus non fraudásti eum.
Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióso.
Vitam pétiit à te: * & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.
Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decôrem impónes super eum.
Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.
Quóniam rex sperat in Dómino: * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.
Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.
Pones eos ùt clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.
Fructum eôrum de terra perdes: * & semen eôrum a fíliis hóminum.
Quóniam declinavérunt in te mala, * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.
Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eôrum.
Exaltáre Dómine in virtúte tua: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Antiphona. Vitam pétiit à te, & tribuísti ei, Dómine: glóriam & magnum decôrem imposuísti super eum: posuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióso.



Antiphona. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, & misericórdiam a Deo salutári suo: quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

### Psalmus 23.

Dómini est terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.
Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.
Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?
Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.
Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.
Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.
Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.
Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.
Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.
Quis est iste rex glóriæ? * Dó-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Antiphona. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, & misericórdiam a Deo salutári suo: quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus. Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedictio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12. *c*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Homilia* 13. *in Evangélia.*

SAncti Evangélii, fratres charíssimi, apérta vobis est léctio recitáta. Sed ne alíquibus ipsa ejus planíties alta fortásse videátur, eam sub brevitáte transcúrrimus, quaténus ejus expositio ita nesciéntibus fiat cógnita, ut tamen sciéntibus non sit onerósa. Dóminus dicit: Sint lumbi vestri præcíncti. Lumbos enim præcíngimus, cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est, mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat & bonis opéribus insudáre: prótinùs ádditur: & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Lucérnas quippe ardéntes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera próximis nostris lucis exémpla monstrámus. De quibus profécto operibus Dóminus dicit: Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum, * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & permanens in innocéntia sua. Ipse intercédat. Benedictio. Cujus festum cólimus.

Lectio viij.

DUo autem sunt, quæ jubéntur, & lumbos restríngere, & lucérnas tenére, ut & munditia sit castitátis in córpore, & lumen veritátis in operatióne. Redemptóri etenim nostro unum sine áltero placére nequáquam potest: si aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinaménta non déserit: aut is, qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exércet. Nec cástitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquod sine castitáte. Sed & si utrúmque ágitur, restat, ut quisquis ille est, spe ad supérnam pátriam tendat, & nequáquam se a vítiis pro mundi hujus honestáte contíneat.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos. Benedictio. Ad societátem.

Lectio ix.

ET vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit, & pulsáverit, conféstim apériant ei. Venit quippe Dóminus, cùm ad judícium próperat: pulsat verò, cùm jam per ægritúdinis moléstias esse mortem vicínam desígnat. Cui conféstim aperímus, si hunc cum amóre suscípimus. Aperíre enim júdici pulsánti non vult, qui exíre de córpore trépidat; & vidére eum, quem contempsísse se méminit, júdicem formídat. Qui autem de sua spe & operatióne secúrus est, pulsánti conféstim áperit quia lætus júdicem sústinet; & cum tempus propínquæ mortis advénerit, de glória retributiónis hilaréscit.

Te Deum laudámus. 17.

## AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

DOmine, quinque taléntа tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum. Psalmus Dóminus regnávit, cum reliquis. 18. Antiphona. Euge serve bone, in módico fidélis, intra in gáudium Dómini tui. Antiphona. Fidélis servus & prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam. Antiphona. Beátus ille servus, quem cùm vénerit dóminus ejus, & pulsáverit jánuam, invénerit vigilántem. Antiphona. Serve bone & fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum. *Eccli.* 31.

BEátus vir, qui invéntus est sine mácula: & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúniæ thesáuris. Quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

JEsu coróna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne prǽmium:
Da supplicánti cœtui,
Hujus rogátu, nóxii



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Remissiònem criminis,
Rumpendo nexum vinculi.
Anni revèrso tempore,
Dies refulsit lùmine,
Quo sanctus hic de còrpore
Migràvit inter sidera.
Hic vana terræ gaudia,
Et luculènta prædia
Pollùta sorde dèputans,
Ovans tenet cælestia.
Te Christe Rex piissime,
Hic confitèndo jùgiter
Calcàvit artes dæmonum,
Sævùmque avèrni prìncipem.
Virtùte clarus, & fide,
Confessiòne sèdulus,
Jejùna membra dèferens,
Dapes supèrnas òbtinet.
Proindè te piissime
Precàmur omnes supplices,
Nobis ut hujus gràtia
Pœnas remittas dèbitas.
Patri perènnis glòria,
Natòque Patris ùnico,
Sanctòque sit Paràclito
Per omne semper sæculum.
Amen.

℣. Justum deduxit Dòminus per vias rectas. ℟. Et ostèndit illi regnum Dei.

Ad Benedictus, Antiphona.

Euge serve bone, & fidèlis, quia in pauca fuisti fidèlis, supra multa te constituam, intra in gaudium Dòmini tui.

Oràtio.

DEus, qui nos beàti N. Confessòris tui ànnua solemnitàte lætificas: concède propitius; ut cujus natalitia còlimus, ètiam actiònes imitèmur. Per Dòminum.

Alia Oràtio.

ADèsto Dòmine supplicatiònibus nostris, quas in beàti N. Confessòris tui solemnitàte defèrimus: ut qui nostræ justitiæ fidùciam non habèmus, ejus, qui tibi plàcuit, prècibus adjuvèmur. Per Dòminum.

Si fuerit Abbas.

Oràtio.

INtercèssio nos, quæsumus Dòmine, beàti N. Abbàtis commèndet: ut quod nostris mèritis non valèmus, ejus patrocinio assequàmur. Per Dòminum.

Ad Tertiam, Antiphona.

Euge serve bone. Capitulum. Beatus vir, qui invèntus est, ut sup. lxxxiij.

℟. breve. Amàvit eum Dòminus, * Et ornàvit eum. Amàvit. ℣. Stolam glòriæ induit eum. Et ornàvit. Glòria Patri. Amàvit eum.

℣. Os justi meditàbitur sapièntiam. ℟. Et lingua ejus loquètur judicium.

Ad Sextam, Antiphona.

Fidèlis servus.

Capitulum. *Eccli.* 39.

JUstus cor suum tradidit ad vigilàndum dilùculo ad Dòminum, qui fecit illum, & in conspèctu Altissimi deprecàbitur.

℟. breve. Os justi, * Meditàbitur sapièntiam. Os justi. ℣. Et lingua ejus loquètur judicium. Meditàbitur. Glòria Patri. Os justi. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non supplantabùntur gressus ejus.

Ad Nonam, Antiphona.

Serve bone.

Capitulum. *Sap.* 10. *b*

JUstum dedùxit Dòminus per vias rectas, & ostèndit illi regnum Dei, & dedit illi sciéntiam sanctòrum: honestàvit illum in labòribus, & complèvit labòres illius.

℟. breve. Lex Dei ejus, * In corde ipsius. Lex Dei. ℣. Et non supplantabùntur gressus ejus. In corde. Glòria Patri. Lex Dei. ℣. Justum dedùxit Dòminus per vias rectas. ℟. Et ostèndit illi regnum Dei.

Ad Vesperas, Antiphona.

Dòmine, quinque talènta, cum reliquis de Laudibus. lxxxiij. Psalmi, Capitulum & Hymnus, ut in primis Vesperis. lxxxiij.

℣. Justum dedùxit Dòminus per vias rectas. ℟. Et ostèndit illi regnum Dei.

Ad Magnificat, Antiphona.

Hic vir despiciens mundum & terrèna triùmphans, Divitias cælo còndidit ore, manu.

Si occùrrat celebràri Festum plurimòrum Confessòrum non Pontificum, Officium fit ut supra: sed in Oratione & Sermòne, quæ habèntur in singulàri, dicàntur in plurali.

Aliæ Lectiones pro Confessòre non Pontifice.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiàstici.

Lectio j. *Cap.* 31.

BEàtus vir, qui invèntus est sine màcula: & qui post aurum non àbiit, nec speràvit in pecùnia & thesàuris. Quis est hic, & laudàbimus eum? fecit enim mirabìlia in vita sua. Qui probàtus est in illo, & perfèctus est, erit illi glòria ætèrna: qui pòtuit trànsgredi, & non est transgrèssus: fàcere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Dòmino, & eleemòsynas illius enarràbit omnis Ecclèsia sanctòrum.

℟. Euge serve bone & fidèlis, quia in pauca fuisti fidèlis, supra multa te constituam: * Intra in gàudium Dòmini tui. ℣. Dòmine quinque talènta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucràtus sum. Intra.

Lectio ij. *Cap.* 32. *&* 31.

QUi timet Dòminum, excipiet doctrìnam ejus: & qui vigilàverint ad illum, invènient benedictiònem. Qui quærit legem, replèbitur ab ea: & qui insidiòsè agit, scandalizàbitur in ea. Qui timent Dòminum, invènient ju-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

judicium justum, & justitias quasi lumen accéndent. Qui credit Deo, atténdit mandátis, & qui confídit in illo, non minorábitur. Timénti Dóminum non occúrrent mala, sed in tentatióne Deus illum conservábit, & liberábit a malis. Sápiens non odit mandáta & justítias, & non illidétur quasi in procélla navis. Homo sensátus credit legi Dei, & lex illi fidélis.

℟. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et florébit.

Lectio iij. *Cap. 34. b*

SPíritus timéntium Deum quærítur, & in respéctu illíus benedicétur. Spes enim illórum in salvántem illos, & óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, & non pavébit: quóniam ipse est spes ejus. Timéntis Dóminum, beáta est ánima ejus. Ad quem réspicit, & quis est fortitúdo ejus? Oculi Dómini super timéntes eum, protéctor poténtiæ, firmaméntum virtútis, tegimen ardóris, & umbráculum merídiani, deprecátio offensiónis, & adjutórium casus, exáltans ánimam, & illúminans óculos, dans sanitátem, & vitam, & benedictiónem.

℟. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília magna, & exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

*Lib. 10. cap. 16. in cap. 12. Job.*

Lectio iv.

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere, quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu à juvénibus scitur, hæc à púeris prétio díscitur: hanc qui sciunt, céteros despiciéndo supérbiunt: hanc qui nésciunt, subjécti & tímidi in áliis mirántur: quia ab eis hæc eádem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis perversítas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quǽrere, adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplíciùs réddere: cùm vires suppetunt, nullis resisténtibus cédere; cum virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

AT contra, sapiéntia justórum est, nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntiùs toleráre, quam fácere, nullam injúriæ ultiónem quǽrere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur; quia ab hujus mundi sapiéntibus, puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis procul dúbio stultum putátur, & quidquid in ópere véritas approbat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quàm mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quǽrere, possessa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxíllam præbére?

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

*Cap. 17. per initium.*

LAmpas contémpta apud cogitatiónes divítum. Sæpè contíngit, ut eléctus quisque, qui ad ætérnam felicitátem dúcitur, contínua hic adversitáte deprimátur: non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem osténdat, nulla ei obsequéntium frequéntia suppétat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat: a cunctis vero despicábilis cérnitur, & hujus mundi grátia indígnus æstimátur: sed tamen ante occúlti júdicis óculos virtútibus éminet, vitæ méritis coruscat: honorári métuit, despici non réfugit: corpus continéntia áfficit, sola in ánimo dilectióne pinguéscit: mentem semper ad patiéntiam præparat, & eréctus pro justítia, de percéptis contuméliis exúltat, afflíctis ex corde compatítur, de bonórum prosperitá-

tátibus quasi de própriis lætátur, sacri verbi pábula in mente solícitus rúminat, & inquisítus quódlibet elóqui dupliciter ignórat.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap. 12. d*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 4. cap. 54. in Luc. 12.*

PUsillum gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris número reproborum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat: quia vidélicet Ecclésiam suam quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, & ad promíssum regnum humilitáte perveníre. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei tantùm quærere præcipit, eidem regnum à Patre dandum complácita benignitáte promíttit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinens se ab omni ópere malo, & permanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viij.

VEndite quæ possidétis, & date eleemósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus hujus vitæ necessária desint: quin etiam possessa propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis, semel pro Dómino suis ómnibus spretis, nihilóminus post hæc labóre mánuum, unde & victum transígere, & eleemósynam dare queat, operátur. Unde gloriátur Apóstolus, dicens: Argéntum aut aurum, aut vestem nullíus concupívi: ipsi scitis, quóniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscípere infírmos.

℟. Sint



℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucernæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

FAcite vobis sácculos, qui non veteráscunt: eleemósynas vidélicet operándo, quarum merces in ætérnum máneat. Ubi non hoc præcéptum esse putándum est, ut nil pecúniæ reservétur à Sanctis, vel suis scílicet, vel páuperum úsibus suggeréndæ: cum & ipse Dóminus, cui ministrábant Angeli, tamen ad informándam Ecclésiam suam lóculos habuísse legátur, & à fidélibus obláta consérvans, & suórum necessitátibus alíisque indigéntibus tribuens: sed ne Deo propter ista serviátur, & ob inópiæ timórem justítia deserátur.

Te Deum laudámus. 17.

PRO ABBATIBUS.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 19. d*

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te, quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 3. in Matth. cap. 19.*

GRandis fidúcia: Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu & arte quærébat, & tamen lóquitur confidénter, Relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantùm relínquere, jungit quod perféctum est: Et secúti sumus te. Fécimus quod jussísti: quid ígitur nobis dabis præmii? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit, Qui relíquistis ómnia: hoc enim & Crates fecit philósophus, & multi alii divítias contempsérunt: sed, Qui secúti estis me, quod própriè Apostolórum est, atque credéntium.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lec-

Lectio viij.

IN regeneratióne, cum séderit Filius hóminis in sede majestátis suæ (quando & mórtui de corruptióne resurgent incorrupti) sedébitis & vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israel, quia vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur: Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem à patre suo, & matrem à fília, & nurum à socru: & inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, & prædicatiónem Evangélii, omnes afféctus contémpserint, atque divítias & sæculi voluptátes: isti céntuplum recípient, & vitam ætérnam possidébunt.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

EX occasióne hujus senténtiæ quidam introdúcunt mille annos post resurrectiónem, dicéntes, tunc nobis céntuplum ómnium rerum quas dimísimus, & vitam ætérnam esse reddéndam: non intelligéntes, quod, si in céteris digna sit repromíssio, in uxóribus appáreat turpitúdo, ut qui unam pro Dómino dimíserit, centum recípiat in futúro. Sensus ergo iste est: Qui carnália pro Salvatóre dimíserit, spirituália recípiet: quæ comparatióne & mérito sui ita erunt, quasi si parvo número centenárius númerus comparétur.

Te Deum laudámus. 17.

# COMMUNE
## Virginum.

Ad Vésperas, Antíphona. Hæc est virgo sápiens, & una de número prudéntum.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * sede à dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * dominàre in médio inimicórum tuórum.

Tecum



Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Antíphona. Hæc est virgo sápiens, & una de número prudéntum.

Antíphona. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * & super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cælo & in terra?

Súscitans à terra ínopem: * & de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Antíphona. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit.

Antíphona. Hæc est quæ nescívit torum in delícto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te:

Fiat pax in virtúte tua: * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini

Dei

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dei nostri, * quæsivi bona tibi.

Antiphona. Hæc est quæ nescivit torum in delicto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Antiphona. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum, allelúia.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum: * ecce heréditas Dómini fílii: merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu poténtis: * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Antiphona. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum, allelúia.

Antiphona. Ista est speciósa inter filias Jerúsalem.

Psalmus 147.

LAuda Jerúsalem Dóminum: * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob: * justítias & judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: & judícia sua non manifestávit eis.

Antiphona. Ista est speciósa inter filias Jerúsalem.

Capitulum. 2. Cor. 10. d

FRatres, Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est, sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

JEsu, coróna Vírginum,
Quem mater illa cóncipit,
Quæ sola virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.
Qui pergis inter lília,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens præmia.
Quocúmque tendis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.
Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus
Nescíre prorsùs ómnia
Corruptiónis vúlnera.
Virtus, honor, laus, glória,
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Ad Magnificat, Antiphona. Veni sponsa Christi, áccipe corónam quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Orátio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ N. vírginis & mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Alia Orátio.

INdulgéntiam nobis, quæsumus Dómine, beáta N. virgo & martyr implóret: quæ tibi grata semper éxtitit & mérito castitátis, & tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Pro Vírgine non Mártyre.

Orátio.

EXáudi nos Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ N. vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Si fúerint plures, in utrisque Vésperis ad Magníficat, & in Láudibus ad Benedíctus, Antiphona. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Orátio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum vírginum & mártyrum N. & N. palmas incessábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatór. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte adorémus. Psalmus Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

VIrginis Proles, Opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque virgo:
Vírginis partos cánimus decóra
Morte triúmphos.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hæc enim palmæ duplicis beata
Sorte, dum gestit frágilem domáre
Córporis sexum, dómuit cruéntum
Cæde tyránnum.

Unde nec mortem, nec amica mortis
Mille pœnárum génera expavéscens,
Sánguine effúso méruit seténum
Scándere cælum.

Hujus orátu, Deus alme, nobis
Débitas pœnas scélerum remitte;
Ut tibi puro resonêmus almum
Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque Virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

Si Sancta fuerit Virgo tantum, & non Martyr, dicitur Hymnus ut sequitur.

Virginis Proles, Opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo,
Vírginis festum cánimus beatæ:
Accipe votum.

Hujus orátu, Deus alme, nobis
Débitas pœnas scélerum remitte;
Ut tibi puro resonêmus almum
Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque Virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

In primo Nocturno. Antiphona. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte!

Psalmus 8.

Domine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glória & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas: insuper & pécora campi.



Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte!

Ant. Ante torum hujus vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica dramatis.

Psalmus 18.

Cæli enárrant glóriam Dei, & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * a summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum: * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * & emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * & redémptor meus.

Antiphona. Ante torum hujus vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica dramatis.

Antiphona. Revértere, revértere Sunamítis: revértere, revértere, ut intueámur te.

Psalmus 23.

Domini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Antiphona. Revértere, revértere Sunamítis; revértere, revértere, ut intueámur te.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Pater noster. Absolutio. Exáudi. ℣. Jube domne. Benedict. Benedictióne perpétua.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. *Cap. 7. c*

DE virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut & qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudéntes: & qui emunt, tamquam non possidéntes: & qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: prætérit enim figúra hujus mundi.

℟. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum: pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti: * Et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. Et cum Angelis.

Si non fúerit Martyr, dicitur sequens ℟. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum: * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Quia. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ij.

VOlo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodò pláceat uxóri, & divísus est. Et múlier innúpta, & virgo, cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico, non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honéstum est, & quod facultátem præbeat sine impediménto Dóminum obsecrándi.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Proptérea. Benedictio. Spíritus sancti grátia.





Lectio iij.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quòd sit superadúlta, & ita opórtet fíeri: quod vult fáciat: non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, & hoc judicávit in corde suo, serváre vírginem suam, benè facit. Igitur & qui matrimónio jungit vírginem suam, benè facit: & qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit. Quòd si dormíerit vir ejus, liberáta est: cui vult nubat, tantùm in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit secúndùm meum consílium: puto autem quòd & ego Spíritum Dei hábeam.

℟. Spécie tua, & pulchritúdine tua, * Inténde, prósperè procéde, & regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. Inténde. Glória Patri. Inténde.

In secundo Nocturno, Aña. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua & pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem & justítiam: * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent: * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi fília, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi:

Afferéntur in lætítia & exultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum: * & in sæculum sæculi.

Antiphona. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna.

Antiphona. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium, & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.



Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma: * & scuta combúret igni:

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur.

Antiphona. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis: * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Antiphona. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur. Pater noster. Absolutio. Ipsius píetas. ℣. Jube domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. 1. de Virginibus, circa initium.*

Lectio iv.

Quóniam hódie natális est Vírginis, invitat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus: ne velúti tránsitu quodam perstricta videátur, quæ principális est virtus. Non enim ideo laudábilis virgínitas, quia in martyribus reperítur: sed quia ipsa mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? aut quis naturáli voce compléctí, quod supra usum natúræ sit? E cælo accersívit, quod imitarétur in terris. Nec immérito vivéndi sibi usum quæsívit è cælo, quæ sponsum sibi invénit in cælo.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet. Benedictio. Christus perpétuæ.

Lectio v.

Hæc nubes, áëra, Angelos, sideráque transgrédiens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invénit, & toto hausit péctore. Nam quis tantum, cùm invénerit, relinquat boni? Unguéntum enim exinanítum est nomen tuum: proptéreà adolescéntulæ dilexérunt te, & attraxérunt te. Postrémò, non meum est illud, quóniam quæ non nubunt, neque nubéntur, erunt sicut Angeli Dei in cælo. Nemo ergo mirétur, si Angelis comparéntur, quæ Angelórum Dómino copulántur.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea. Benedictio. Ignem sui amóris.

Lectio vj.

Quis ígitur neget hanc vitam fluxísse de cælo, quam non fácile invenímus in terris, nisi postquam



quam Deus in hæc terréni córporis membra descéndit? Tunc in útero virgo concépit, & Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus. Dicet áliquis: Sed étiam Elias nullius corpórei cóitus fuisse permixtus cupiditátibus invenítur. Ideò ergo curru raptus ad cælum, ideò cum Dómino appáret in glória, ideò Domínici ventúrus est præcúrsor advéntus.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno, Antiphona. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem: ideò diléxit me Rex, & introdúxit me in cubículum suum.

Psalmus 95.

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium, afférte Dómino glóriam & honórem, * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, & exúltet terra: commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

Antiphona. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem: ideò diléxit me Rex, & intro-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

troduxit me in cubículum suum.

Antiphona. Trahe me post te, in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus, * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet : * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini : * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Antiphona. Trahe me post te, in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

Antiphona. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ : * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi : * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dó-



mini : * moveátur mare, & plenitúdo ejus : orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

Antiphona. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. ℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedictio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 25.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

*Homilia 12. in Evangelia.*

SÆpe vos, fratres charíssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre : sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere, ut & bona quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis : ne per hoc, quod à vobis rectum géritur, favor aut grátia humána requirátur, ne appetítus laudis subrépat, & quod foris osténditur, intus à mercéde vacuétur. Ecce enim Redemptóris voce decem vírgines, & omnes dicúntur vírgines, & tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes sunt recéptæ : quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et veniénte. Benedictio. Cujus, vel Quarum festum cólimus.

Lectio viij.

SEd prius quæréndum nobis est, quid sit regnum cælórum, aut cur decem virgínibus comparétur, quæ étiam vírgines prudéntes & fátuæ dicántur. Dum enim cælórum regnum constat, quia reproborum nullus ingréditur, étiam fátuis virgínibus cur símile esse perhibétur? Sed sciéndum nobis est, quod sæpe in sacro elo-

quio regnum cælórum præséntis témporis Ecclésia dícitur. De quo álio in loco Dóminus dicit: Mittet Fílius hóminis Angelos suos, & cólligent de regno ejus ómnia scándala. Neque enim in illo regno beatitúdinis, in quo pax summa est, inveníri scándala poterunt, quæ colligántur.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce. Benedíctio. Ad societátem.

Lectio ix.

IN quinque autem córporis sénsibus unusquisque subsistit. Geminátus autem quinárius denárium pérficit. Et quia ex utróque sexu fidélium multitúdo collígitur, sancta Ecclésia decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua, quia mali cum bonis, & réprobi cum eléctis admixti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus & fátuis esse perhibétur. Sunt namque plerique continéntes, qui ab appetítu se exterióri custódiunt, & spe ad interióra rapiúntur, carnem mácerant, & toto desidério ad supérnam pátriam anhélant, ætérna prǽmia éxpetunt, pro labóribus suis récipere laudes humánas nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra consciéntiam cóntegunt. Et sunt plerique, qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

Te Deum laudámus. 17.

## AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

HÆc est virgo sápiens, & una de número prudéntum. Psalmus Dóminus regnávit, cum réliquis. 18. Antiphona. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit. Antiphona. Hæc est quæ nescívit torum in delícto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum. Antiphona. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum, allelúia. Antiphona. Ista est speciósa inter fílias Jerúsalem.

Capitulum. 2. Cor. 10. d

FRatres, Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

JEsu coróna Vírginum,
Quem mater illa cóncipit,
Quæ sola Virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.

Qui pergis inter lília,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens prǽmia.





Quocúmque tendis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sǽcula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Antiphona. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæréntí bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, & comparávit eam.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ N. vírginis & mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

INdulgéntiam nobis, quǽsumus Dómine, beáta N. virgo & martyr implóret, quæ tibi grata semper éxstitit & mérito castitátis, & tuæ professióne virtútis. Per Dóminum nostrum.

Pro Virgine non Martyre.

Oratio.

EXáudi nos Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ N. Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Si fuerint plures, Antiph. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio.

DA nobis, quǽsumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum & Mártyrum N. & N. palmas incessábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium suum.

Ad Tertiam, Antiphona. Hæc est virgo sápiens.

Capitulum. Fratres, Qui gloriátur, ut supra. civ.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, prósperè procéde, & regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad Sextam, Antiphona.
Hæc est quæ nescivit.

Capitulum. 2. *Cor.* 11.

Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. breve. Adjuvábit eam, Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona.
Ista est speciósa.

Capitulum. *Eccli* 51. *b*

Dómine Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, & pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, & in témpore superbórum sine adjutório.

℟. breve. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Si fuerit Virgo, & non Martyr, dicitur sequens.

Capitulum. *Sap.* 4.

O Quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus: quóniam apud Deum nota est, & apud hómines.

℟. breve. Elégit, ut supra.

Ad Vesperas, Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, & Hymnus ut in primis Vesperis.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat, Antiphona.
Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Aliæ Lectiones pro Virginibus.

Pro Vírgine & Mártyre, & pro Mártyre tantum Lectiones primi Nocturni leguntur etiam ut infra.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 51.

Confitébor tibi Dómine Rex, & collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor & protéctor factus es mihi, & liberásti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, & à lábiis operántium mendácium, & in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui à rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me: à pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, & in médio ignis non sum æstuáta: de altitúdine ventris ínferi, & à lingua coinquináta, & à verbo mendácii, à rege iníquo, & à lingua injústa.

℟. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum: pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti: * Et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. Et cum Angelis.

Lectio ij.

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, & vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, & non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, & non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ Dómine, & operatiónis tuæ, quæ à sǽculo sunt. Quóniam éruis sustinéntes te Dómine, & líberas eos de mánibus géntium.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Proptérea.

Lectio iij.

Exaltásti super terram habitatiónem meam, & pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, & in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, & collaudábo illud in confessióne, & exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, & eripuísti me de témpore iníquo. Proptéreà confitébor, & laudem dicam tibi, & benedícam nómini Dómini.

℟. Spécie tua & pulchritúdine tua, * Inténde, prósperè procéde, & regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Inténde. Glória Patri. Inténde.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi & mártyris de disciplína & hábitu Vírginum.

Lectio iv. *Cap.* 2.

Nunc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quo sublímior glória est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornaméntum grátiæ spirituális, læta índoles, lau-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dis & honóris opus íntegrum atque incorrúptum, Dei imágo respóndens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriósa fœcúnditas: quantóque plus copiósa virgínitas número suo addit, tantò plus gáudium matris augéscit. Ad has lóquimur: has adhortámur affectióne pótius quam potestáte: non quod extrémi, & mínimi, & humilitátis nostræ ádmodum cónscii áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quòd ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

NEque inánis hæc cáutio est, & vana formído, quæ ad salútis viam cónsulit, quæ Domínica & vitália præcépta custódit: ut quæ se Christo dicáverint, & à carnáli concupiscéntia recedéntes, tam carne, quam mente se Deo vóverint, consúmment opus suum magno prǽmio destinátum: nec ornári jam, aut placére cuiquam, nisi Dómino suo, stúdeant, à quo & mercédem virginitátis expéctant, dicénte ipso: Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadónes, qui ex útero matris sic nati sunt: & sunt spadónes, qui coácti sunt ab homínibus: & sunt spadónes, qui seipsos castravérunt propter regnum cælórum.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea.

Lectio vj.

DEnuò quoque per hanc Angeli vocem continéntiæ munus osténditur, virgínitas prædicátur. Hi sunt, qui cum muliéribus se non coinquinavérunt: vírgines enim permansérunt: hi sunt qui sequúntur Agnum quocúmque íerit. Neque enim tantùm másculis continéntiæ grátiam Dóminus reprómittit, & féminas prǽterit: sed quóniam fémina viri pórtio est, & ex eo sumpta atque formáta est, in Scriptúris fere ómnibus ad protoplástum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, & in másculo simul significátur & fémina. Quod si Christum continéntia sequitur, & regno Dei virgínitas destinátur: quid est illis cum terréno cultu, & cum ornaméntis, quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offéndunt?

℟. Afferéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exsultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 19.*

IN illo témpore: Accessérunt ad Jesum Pharisǽi tentántes eum, & dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Et réliqua.

Homilía sancti Joannis Chrysóstomi.

*Homilia 63. in Matthæum, sub medium.*

DOminus noster, quia ad virginitátem hortári grave esse videbátur, à necessitáte legis de non solvéndo matrimónio, eos ad cupiditátem illíus tráhere studet. Deinde ut eam esse possíbilem osténdat, sic inquit: Sunt eunúchi, qui ex ventre matris ità nati sunt, & sunt qui ab homínibus eunúchi facti sunt, & sunt qui seipsos castravérunt propter regnum cælórum. Quibus verbis laténter eos ad eligéndam virginitátem indúcit, dum eam virtútem esse possíbilem ástruit.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et veniénte.

Lectio viij.

ID autem hoc ferè modo confírmat. Cógita tecum si aut à natúra talis esses, aut ab homínibus eam injúriam passus, quid fáceres, cùm & ejúsmodi voluptáte caréres, & nullam caréndo mercédem consequeréris? Grátias ígitur nunc Deo agas, quòd cum mercéde atque corónis idem sústines, quod illi sine corónis ac prǽmio tólerant: immò vero non idem, sed multò lévius, tum quia spe erígeris, & consciéntia recte facti; tum quia non ità ingéntibus concupiscéntiæ flúctibus jactáris.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ſe vestras lampades. Ecce.
Glória Patri. Ecce.

Lectio ix.

CUm ergo de illis eunúchis dixerit, qui niſi étiam ipsi mente se contíneant, frustra & inútiliter tales sunt, ac de illis, qui ut regnum cælórum consequántur, se contínent, subjúnxit rursus, dicens: Qui potest cápere, cápiat: ut alacrióres efficiat eo ipso, quod grave esse opus ostendit, & ineffábili benignitate sua nóluit eam rem intra necessitátem legis conclúdere: idque dicendo, adhuc magis possíbilem esse demónstrat, ut voluntáris stúdium plus augeátur.

Te Deum laudámus. 17.

## COMMUNE

Sanctæ Martyris tantum, & nec Vírginis nec Martyris.

Ad Vesperas, Antiphona.

Dum esset Rex, cum réliquis de Laudibus. cxvij. Psalmus Dixit Dóminus, cum réliquis de Virgínibus, ut supra. xc.

Pro Martyre tantum.

Capitulum. *Eccli. 51.*

COnfitébor tibi Dómine Rex, & collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor & protéctor factus es mihi, & liberásti corpus meum à perditióne.

Pro nec Vírgine nec Martyre.

Capitulum. *Prov. 31. b*

MUlierem fortem quis invéniet? procul, & de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit.

Hymnus.

FOrtem viríli péctore
Laudémus omnes féminam,
Quæ sanctitátis glória
Ubique fulget ínclyta.
Hæc sancto amóre saucia,
Dum mundi amórem nóxium
Horréscit, ad cæléstia
Iter perégit árduum.
Carnem domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Cæli potítur gáudiis.
Rex Christe virtus fórtium,
Qui magna solus éfficis,
Hujus precátu quæsumus,
Audi benígnus súpplices.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℞. Inténde, próspere procéde, & regna.

Ad Magnificat, Antiphona.

Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas marg.ritas; invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, & comparávit eam.

Pro-



Pro una Martyre tantum.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius: ut qui beátæ N. mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro pluribus Martyribus tantum. Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum mártyrum N. & N. palmas incessábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum nostrum.

Pro nec Vírgine nec Martyre. Oratio.

EXáudi nos Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitat.

Laudémus Deum nostrum, * In confessióne beátæ N. Psal. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

HUjus orátu, Deus alme, nobis
Débitas pœnas scélerum remítte,
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi comp.r utriúsque Virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

In primo Nocturno, Aña.

O quam pulchra est casta generátio cum claritáte!

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glória & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas: insuper & pécora campi.

Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Domine Dominus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Antiphona. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte!

Antiphona. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me.

Psalmus 18.

CÆli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * a summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi. * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum: * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * & emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus: * & redémptor meus.

Antiphona. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me.

Antiphona. Revértere, revértere Sunamítis; revértere, revértere, ut intueámur te.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.



Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens: Dóminus potens in prælio.

Attollite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Antiphona. Revértere, revértere Sunamítis: revértere, revértere, ut intueámur te.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Pater noster. Absolutio. Exaudi. ℣. Jube domne. Benedictio. Benedictióne perpétua.

Lectiones primi Nocturni pro Martyre tantùm legúntur ut supra. Confitébor tibi Dómine. cvj.

Pro nec Virgine nec Martyre ut sequuntur.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *Cap. 31. b*

MUlierem fortem quis invéniet? procul, & de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, deditque prædam doméstícis suis, & cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, & emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, & roborávit bráchium suum.

℟. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum: * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Quia concupívit. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ij.

GUstávit, & vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit inopi, & pal-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus & púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Sindonem fecit, & véndidit, & cíngulum trádidit Chananæo.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Proptérea. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

### Lectio iij.

FOrtitúdo & decor induméntum ejus, & ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, & panem otiósa non comédit. Surrexérunt filii ejus, & beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, & laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus.

℟. Spécie tua, & pulchritúdine tua, * Inténde, próspere procéde, & regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Inténde. Glória Patri. Inténde.

In secundo Nocturno, Ant. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Psalm. Eructávit cor, ut supra. xcvij.

Antiphona. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus, in médio ejus, non commovébitur. Psalmus Deus noster refúgium. xcviij. Antiphona. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere charitátem. Psal. Magnus Dóminus. xcix. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus, in médio ejus, non commovébitur. Pater noster. Absolútio. Ipsíus pietas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Ex libro sancti Ambrosii Episcopi de Viduis.

*Prope finem.*

### Lectio iv.

AGrum hunc Ecclésiæ fértilem cerno, nunc integritátis flore vernántem, nunc viduitátis gravitáte pollentem, nunc étiam conjúgii frúctibus redundántem. Nam etsi divérsi, unius tamen agri fructus sunt: nec tanta hortórum lília, quantæ arístæ ségetum, méssium spicæ: complurimúmque spátia campórum recipiéndis aptántur seminibus, quam rédditis nováles frúctibus feriántur. Bona ergo vidúitas, quæ tóties Apostólico judício prædicátur. Hæc enim magistra fidei, magistra est castitátis.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et dedúcet. Benedíctio. Christus perpétuæ.

### Lectio v.

UNde & illi qui deórum suórum adultéria & probra venerántur, cœlibátus & viduitátis statúere pœnas, ut æmuli críminum mulctárent stúdia virtútum, spécie quidem, qua fœcunditátem quærerent, sed stúdio, quo propósitum castitátis abolérent. Nam conféctis & miles stipéndiis arma depónit, & relícto offício quod gerébat, ad própria veterínus rura dimíttitur, ut & ipse exercítæ labóribus vitæ réquiem consequátur, & álios spes futúræ quiétis subeúndis fáciat opéribus promptióres. Agrícola quoque matúrior torquéndam áliis stivam commíttit, & juveníli gravátus ópere providéntiam curæ senílis explórat. Vitem fácilis tondére, quam prémere, ut juvenescéntem luxúriam réprimat, & adolescéntem lascíviam falce succídat, parcórum quamdam pártium castitátem docens étiam in vítibus expeténdam.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea. Benedíctio. Ignem sui amóris.

### Lectio vj.

SImilis huic vidua velut eméritis veteráni stipéndiis castitátis, & si conjúgii arma depónat, domus tamen totíus pacem gubérnat, & si vehéndis onéribus otiósa, maritándis tamen junióribus próvida, ubi cultus utílior, ubi fructusubérior sit, quarum cópulam aptiórem senili gravitáte dispónit. Itaque si matúrioribus quam junióribus commíttitur ager, cur putes utiliórem nuptam esse quam víduam? Quod si persecutóres fídei, persecutóres fuérunt étiam viduitátis; útique fidem sequéntibus vidúitas non pro supplício fugienda est, sed tenénda pro prǽmio.

℟. Fal-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℟. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tertio Noctúrno, Aña. Nigra sum sed formósa, fíliæ Jerúsalem: ideo diléxit me Rex, & introdúxit me in cubículum suum. Psalmus Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte. cij. Antiphona. Trahe me post te, in odórem currémus unguentórum tuórum: óleum effúsum nomen tuum. Psalmus Dóminus regnávit. cj. Antiphona. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. Psalmus Cantáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília. cij.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Pater noster. Absolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. Cap. 13. f

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii. Papæ.

*Homilía 11. in Evangélia.*

CÆlórum regnum, fratres charíssimi, idcircò terrénis rebus símile dícitur, ut ex his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, & per ea, quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc quod scit notum dilígere, discat & incógnita amáre. Ecce enim cælórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur: quem qui invénit homo abscóndit, & præ gáudio illíus vadit, & vendit univérsa quæ habet, & emit agrum illum.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus: considerávit sémitas domus suæ: * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit & vidit quia bona est negotiátio ejus, non extinguétur in nocte lucerna ejus. Et panem. Benedíctio. Cujus festum cólimus.

Léctio viij.

QUa in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur: quia stúdium cæléstis desidérii à malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Deprædári ergo desíderat, qui thesáurum públicè portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cùm scriptum sit: Vídeant ópera vestra bona, & gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est; sed ut per hoc quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem sit opus in público, quátenùs inténtio máneat in occúlto: ut & de bono ópere próximis præbeámus exémplum; & tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quærimus, semper optémus secrétum.

℟. Regnum mundi, & omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea Regi. Quem vidi. Glória Patri. Quem vidi. Benedíctio. Ad societátem.

Léctio ix.

THesáurus autem cæléste est desidérium: ager verò in quo thesáurus abscónditur, disciplína stúdii cæléstis. Quem profectò agrum vénditis ómnibus cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínæ cæléstis custódiam calcat: ut nihil jam, quod caro blandítur, líbeat; nihil, quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES, & per Horas, Antiphona.

DUm esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Psalmus Dóminus regnávit, cum réliquis. 18. Antiphona. In odórem unguentórum tuórum cúrrimus, adolescéntulæ dilexérunt te nimis. Antiphona. Jam hiems tránsiit, imber ábiit, & recéssit: surge amíca mea, & veni. Antiphona. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum, allelúja. Antiphona. Ista est speciósa inter filias Jerúsalem.

Pro Mártyre tantùm.

Capítulum. *Eccli. 51.*

COnfitébor tibi Dómine Rex, & collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor & protéctor factus es mihi, & liberásti corpus meum à perditióne.

Pro-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pro nec Virgine nec Martyre.

Capitulum. *Prov. 31. b*

MUlierem fortem quis invéniet? procul & de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit.

Hymnus.

FOrtem viríli péctore
Laudémus omnes féminam,
Quæ sanctitátis glória
Ubique fulget ínclyta.
Hæc sancto amóre sáucia,
Dum mundi amórem nóxium
Horréscit, ad Cæléstia
Iter perégit árduum.
Carnem dómans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Cœli potítur gáudiis.
Rex Christe virtus fórtium,
Qui magna solus éfficis,
Hujus precátu quǽsumus,
Audi benígnus súpplices.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sǽculum. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus.

Pro una Martyre tantum.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ N. mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro plúribus Martyribus tantum. Oratio.

DA nobis, quǽsumus Dómine Deus noster sanctárum mártyrum N. & N. palmas incessábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro nec Virgine nec Martyre. Oratio.

EXáudi nos Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona.

In odórem.

Pro Martyre tantum, Capitulum. Confitébor tibi, ut supra. cxvij.

Pro nec Virgine nec Martyre, Capitulum. Mulíerem fortem, ut supra.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, & regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Ad Sextam, Antiphona.

Jam hiems tránsiit.

Pro Martyre tantum.

Capitulum. *Eccli. 51.*

LIberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui à rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, & de multis tribulatiónibus quæ circumdedérunt me.

Pro nec Virgine nec Martyre.

Capitulum. *Prov. 31. b*

MAnum suam apéruit inopi, & palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis.

℟. breve. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit eam. ℣. Deus in médio ejus non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona.

Ista est speciósa.

Pro Martyre tantum

Capitulum. *Eccli. 51.*

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, & líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster.



Pro nec Virgine nec Martyre.

Capitulum. *Prov. 31. b*

MUltæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

℟. breve. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Vesperas, Antiphona.

Dum esset Rex. Et alia ut supra in primis Vesperis. cx.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Manum suam apéruit inopi, & palmas suas exténdit ad páuperem, & panem otiósa non comédit.

Si fuerint plures non Virg. idem fit Officium ut supr. cx.

Lectiones pro Martyre tantum.

In secúndo Noctúrno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Sermóne 67. de divérsis novi Testamenti locis.*

Lectio iv.

EGo máxime commemoratiónes diligo Mártyrum, díligo, & amplécter, atque omnes quidem, sed

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed tum præcipuè, cùm mulierum certámina proponúntur. Quantò enim infírmius est vas, tantò major est grátia, tantò illústrius est trophæum, tantò insignior est victória, non ob imbecillitátem sexus athletárum, sed quòd per ea, quibus vícerat inimicus, nunc etiam vincátur.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

PEr mulíerem vicit, per mulíerem superátus est. Hoc illius ántea telum erat, hoc illius nunc cædis factum est instruméntum, hoc vas appáruit insuperábile. Peccávit illa prior, & mórtua est; ista mórtua est, ne peccáret. Illa tum fútilis promíssi spe infláta, Dei leges violávit; hæc vitam præséntem contémpsit, ne fidem in suum benefactórem ejuráret. Quam ígitur deinceps speráre póterunt excusatiónem viri, si molles sint, & ignávi? quam verò véniam, cùm fórtiter ac viríliter se gerant mulíeres, cùm adeò se generóse ad certámina pietátis accíngant?

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea.

Lectio vj.

FUit illi corpus imbecíllum, & obnóxius sexus injúriæ; verùmtamen ómnium horum imbecillitátem advéniens grátia occultávit. Nihil enim est, nihil planè poténtius est eo, qui magno cum stúdio Dei timórem hábeat in mente defíxum, sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis béstias, quamvis áliud quidvis minéntur hostes, ómnia nullo negótio contémnit: quod útique beáta ista etiam fecit.

℟. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

## COMMUNE

### Dedicatiónis Ecclésiæ.

Ad Vésperas, Antiphona,

Domum tuam Dómine, cum réliquis de Laudibus. cxxxj. Psalmus Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica. 133. & loco ultimi, Psalmus Lauda Jerúsalem. 154.





Capitulum. *Apoc. 21.*

VIdi civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus.

CÆlestis Urbs Jerúsalem,
Beáta pacis vísio,
Quæ celsa de vivéntibus
Saxis ad astra tólleris,
Sponsǽque ritu cíngeris
Mille Angelórum míllibus.

O sorte nupta próspera,
Dotáta Patris glória,
Respérsa Sponsi grátia,
Regína formosíssima,
Christo jugáta Príncipi,
Cæli corúsca Cívitas.

Hic margarítis émicant,
Patentque cunctis óstia,
Virtúte namque prævia,
Mortális illuc dúcitur,
Amóre Christi pércitus
Torménta quisquis sústinet.

Scalpri salúbris íctibus,
Et tunsióne plúrima,
Fabri políta málleo
Hanc saxa molem cónstruunt,
Aptísque juncta néxibus
Locántur in fastígio.

Decus Parénti débitum
Sit usquequáque Altíssimo,
Natóque Patris Único,
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per sǽcula. Amen.

℣. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. ℟. Benè fundáta est supra firmam petram.

Ad Magnificat, Antiphona.

Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

In ipso die Dedicatiónis Ecclésiæ, & per Octávam, & quando varianda est Orátio ob concursum Dedicatiónis altérius Ecclésiæ.

Oratio.

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, & tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis, templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, & concéde: ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum.

In Anniversário Dedicatiónis Ecclésiæ, & per Octávam.

Oratio.

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, & sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, & præsta; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatór.

Domum Dei decet sanctitúdo: * Sponsum ejus Christum adorémus in ea. Psalmus Venite, exultémus. 2. Hymnus Cæléstis Urbs, ut supra. cxxj.

In primo Nocturno, Antiph. Tóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles.

Psalmus 23.

Domini est terra, & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Antiphona. Tóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles.

Antiphona. Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iste vocábitur domus Dei.

Psalmus 45.

Deus noster refúgium, & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane diluculò.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Venite, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma: * & scuta combúret igni:

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Antiphona. Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iste vocábitur domus Dei.

Antiphona. Ædificávit Moyses altáre Dómino Deo.

Psalmus 47.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, civitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.



Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, & compléctimini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distribúite domos ejus: ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Antiphona. Ædificávit Móyses altáre Dómino Deo.

℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum. Pater noster. Absolutio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne. Benedict. Benedictióne perpétua.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. *Cap. 7.*

Cum complésset Sálomon fundens preces, ignis descéndit de cælo, & devorávit holocáusta & víctimas: & majéstas Dómini implévit domum. Nec póterant sacerdótes ingre-

gredi templum Dómini, eò quod implésset majéstas Dómini templum Dómini. Sed & omnes filii Israel vidébant descendéntem ignem, & glóriam Dómini super domum: & corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt, & laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. Rex autem & omnis pópulus immolábant víctimas, coram Dómino. Mactávit igitur rex Sálomon hóstias, boum viginti duo míllia, aríetum centum viginti míllia: & dedicávit domum Dei rex, & univérsus pópulus.

℟. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem: * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. ℣. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, & vénient ad eam omnes Gentes. Et in. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ij.

SAcerdótes autem stabant in offíciis suis: & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum, Quóniam in ætérnum misericórdia ejus, hymnos David canéntes per manus suas: porrò sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctísque Israël stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini: obtúlerat enim ibi holocáusta & ádipes pacificórum: quia altáre æneum, quod fécerat, non póterat sustinére holocáusta & sacrifícia & ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus, & omnis Israël cum eo, Ecclésia magna valde, ab introítu Emath usque ad Torréntem Ægypti. Fecítque die octávo collectam, eò quòd dedicásset altáre septem diébus, & solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, & exaltáta est super omnes colles: * Et vénient ad eam omnes Gentes, & dicent, Glória tibi Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos. Et vénient. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iij.

COmplevítque Sálomon domum Dómini, & domum regis, & ómnia quæ disposúerat in corde suo, ut fáceret in domo Dómini, & in domo sua, & prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. Si



Si clausero cælum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locústæ, ut dévoret terram, & mísero pestiléntiam in pópulum meum: convérsus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquisíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis suis péssimis: & ego exáudiam de cælo, & propítius ero peccátis eórum, & sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco isto oráverit. Elégi enim & sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, & permáneant óculi mei & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. Bénedic Dómine domum istam, quam ædificávi nómini tuo, veniéntium in loco isto: * Exáudi preces in excélso sólio glóriæ tuæ. ℣. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, & oráverit ad sanctuárium tuum. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In secúndo Noctúrno, Ant. Non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cæli.

Psalmus 83.

QUàm dilécta tabernácula tua Dómine virtútum: * concupíscit, & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum: * Rex meus, & Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus: * & réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei: * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Añ. Non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cæli.

Antiphona. Vidit Jacob scalam, summitas ejus cælos tangébat, & descendentes Angelos, & dixit: Verè locus iste sanctus est.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea: * & ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, & príncipum: * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium: * habitátio est in te.

Antiphona. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus cælos tangébat, & descendéntes Angelos, & dixit: Verè locus iste sanctus est.

Antiphona. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper.

Psalmus 87.

DOmine Deus salútis meæ: * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta est malis ánima mea: * & vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber,

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámpliùs: * & ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri: * in tenebrósis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * & omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos à me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, & non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te Dómine tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, & confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua: * & justítia tua in terra obliviónis?





Et ego ad te Dómine clamávi: * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid Dómine repéllis oratiónem meam: * avértis fáciem tuam à me.

Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ: * & terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti à me amícum & próximum: * & notos meos à misériâ.

Antiphona. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper. ℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur. Pater noster. Absolútio. Ipsius píetas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

*Sermóne 252. de Témpore.*

Lectio iv.

QUotiescúnque, fratres charíssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus, si fidéliter ac diligénter atténdimus, & sanctè ac justè vívimus, quidquid in templis manufáctis ágitur, totum in nobis spiritáli ædificatióne complétur. Non enim mentítus est ille qui dixit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: & iterùm: Nescitis, quia córpora vestra templum sunt Spíritus sancti, qui in vobis est? Et ideò, fratres charíssimi, quia nullis præcedéntibus méritis per grátiam Dei merúimus fíeri templum Dei, quantum póssumus cum ipsíus adjutório laborémus, ne Dóminus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis invéniat quod óculos suæ majestátis offéndat.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui Deus, & osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, & da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israel inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. Dimítte. Benedíctio. Christus perpétuæ.

Lectio v.

SEd habitáculum cordis nostri evacuétur vítiis, & virtútibus repleátur: claudátur diábolo, & aperiátur Christo: & ita laborémus, ut nobis bonórum óperum clávibus jánuam regni cæléstis aperíre possímus. Sicut enim malis opéribus, quasi quibúsdam seris ac véctibus, vitæ nobis jánua cláuditur: ita absque dúbio bonis opéribus aperítur. Et ideò, fratres charíssimi, unusquísque consíderet consciéntiam



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suam, & quando se áliquo crímine vulnerátum esse cognóverit, priùs oratiónibus, jejúniis, vel eleemósynis studeat mundáre consciéntiam suam, & sic Eucharistiam præsúmat accípere.

℟. O quàm metuéndus est locus iste! * Verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. Verè. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vj.

SI enim agnóscens reátum suum ipse se à divíno altari subtráxerit, citò ad indulgéntiam divínæ misericórdiæ pervéniet. Quia sicut, qui se exáltat, humiliábitur: ita è contrario, qui se humíliat, exaltábitur. Qui enim, sicut dixi, agnóscens reátum suum, ipse se humíliter ab altari Ecclésiæ pro emendatióne vitæ removére volúerit, ab ætérno illo & cæléstí convívio excommunicári pénitùs non timébit.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino: * Verè locus iste sanctus est, & ego nesciébam. ℣. Cùmque evigilásset Jacob de somno, ait. Verè. Glória Patri. Verè.

In tertio Nocturno, Antiph. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur.

Quando hæc Antiphona dicitur integra, & illi non additur in fine Allelúia, tunc principium Psalmi est à secundo Versu, Dicet Dómino.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, & refúgium meum: * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium: * & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi: * & sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis à timóre noctúrno.

A sagitta volánte in die, à negótio perambulánte in ténebris: * ab incúrsu, & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis: * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es Dómine spes mea: * altíssimum posuísti refúgium tuum.





Non accédet ad te malum * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te: * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem & basilíscum ambulábis: * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exáudiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne, erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum: * & osténdam illi salutáre meum.

Antiphona. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur.

Antiphona. Templum Dómini sanctum est, Dei structúra est, Dei ædificátio est.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus: * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium, afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, & exúltet terra, commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

Antiphona. Templum Dómini sanctum est, Dei structúra est, Dei ædificátio est.

Antíphona. Benedícta glória Dómini de loco sancto suo, allelúia.

Psalmus 98.

DOminus regnávit, irascántur pópuli: * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus: * & excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno: quóniam terríbile & sanctum est, * & honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte scabéllum pedum ejus: * quóniam sanctum est.

Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus: * & Sámuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos: * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos: * Deus tu propítius fuísti eis, & ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus: * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Antíphona. Benedícta glória Dómini, de loco sancto suo, allelúia. ℣. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. ℟. Benè fundáta est supra firmam petram. Pater noster. Absolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Léctio vij. *Cap. 19.*

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: & hic princeps erat publicanórum, & ipse dives. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. 8. in Luc. prope finem.*

ZAchæus statúra pusíllus, hoc est, nulla nobilitátis ingénitæ dignitáte sublímis, exíguus méritis sicut pópulus natiónum, audíto Dómini Salvatóris advéntu, quem sui non recéperant, vidére cupiébat. Sed nemo fácilè Jesum videt: nemo potest Jesum vidére constitútus in terra. Et quia non Prophétas, non legem habébat, tamquam formæ grátiam naturális, ascéndit in sycómorum, vanitátem scílicet Judæórum vestígio suo prótereus, errata quoque córrigens superióris ætátis: & ídeò Jesum in interióris domus recépit hospítio.

℟. Domus mea, domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus; in ea omnis qui petit, áccipit: & qui quærit, invenit: * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, & accipiétis: quǽrite, & inveniétis. Et pulsánti. Benedíctio. Divínum auxílium.

Léctio viij.

ET benè ascéndit in árborem, ut arbor bona bonos fructus fáceret, ac naturáli excísus oleástro, & contra natúram insértus in bonam olívam, fructum posset legis afférre. Radix enim sancta, etsi rami inútiles: quorum infructuósam glóriam plebs Géntium fide resurrectiónis, quasi quadam córporis elevatióne transcéndit. Zachæus ergo in sycómoro, cæcus in via: quorum álterum Dóminus miseratúrus expéctat, álterum mansiónis suæ claritáte nobílitat: álterum sanatúrus intérrogat, apud álterum se non invitátus invítat. Sciébat enim úberem hospítii sui esse mercédem. Sed tamen, etsi nondum vocem invitántis audíerat, jam víderat afféctum.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui: * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. ℣. Portæ Jerúsalem ex sapphíro & smarágdo ædificabúntur, & ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus. Et turres. Glória Patri. Et turres. Benedíctio. Ad societátem.

Léctio ix.

VErùm ne cæcum illum tamquam fastidiósi páuperum citò reliquísse videámur, & transísse ad dívitem, expectémus eum, quia expectávit & Dóminus: interrogémus eum, quia interrogávit & Christus. Nos interrogémus, quia nescímus: ille, quia nóverat. Nos interrogémus, ut sciámus undè iste curátus sit: ille interrogávit, ut in uno plures discerémus, undè Dóminum vidére mereámur. Interrogávit enim, ut crederémus, néminem nisi confiténtem posse salvári.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antíphona.

DOmum tuam Dómine decet sanctitúdo, in longitúdinem diérum. Psalmus Dóminus regnávit, cum réliquis 18. Antíphona. Domus mea, domus oratiónis vocábitur. Antíphona. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, benè fundáta est supra firmam petram. Antíphona. Benè fundáta est domus Dómini supra firmam petram. Antíphona. Lápides pretiósi omnes muri tui, & turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Capitulum. *Apoc.* 21.

VIdi civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de cælo à Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus.

ALto ex Olympi vértice
Summi Paréntis Filius,
Ceu monte desectus lapis
Terras in imas décidens,
Domus supérnæ, & infimæ,
Utrúmque junxit ángulum.

Sed illa sedes Cælitum
Semper resúltat láudibus,
Deúmque Trinum & Unicum
Jugi canóre prædicat:
Illi canéntes júngimur
Almæ Siónis æmuli.

Hæc templa, Rex Cæléstium,
Imple benígno lúmine:
Huc ô rogátus ádveni,
Plebísque vota súscipe,
Et nostra corda júgiter
Perfúnde cæli grátia.

Hic impetrent Fidélium
Voces precésque súpplicum
Domus beátæ múnera,
Partísque donis gáudeant,
Donec solúti córpore,
Sedes beátas ímpleant.

Decus Paréntis débitum
Sit usquequáque altíssimo,
Natóque Patris Unico,
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per sæcula. Amen.

℣. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. ℟. Benè fundáta est supra firmam petram.

Ad Benedictus, Antiphona.

Zachæe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére: at ille festínans descéndit, & suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus à Deo facta est, allelúja.

In ipso die Dedicatiónis Ecclésiæ, & per Octávam, & quando varianda est Orátio ob concursum Dedicatiónis altérius Ecclésiæ.

Orátio.

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, & tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis: Templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, & concéde; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum nostrum.

In Anniversário Dedicatiónis Ecclésiæ, & per Octávam.

Orátio.

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, & sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, & præsta; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Ad



Ad Tertiam, Antiphona.

Domus mea. Capitulum Vidi civitátem, ut supr. cxxxij.

℟. breve. Domum tuam Dómine, * Decet sanctitúdo. Domum. ℣. In longitúdinem diérum. Decet. Glória Patri. Domum. ℣. Locus iste sanctus est, in quo orat sacérdos. ℟. Pro delíctis & peccátis pópuli.

Ad Sextam, Antiphona.

Hæc est Domus Dómini.

Capitulum. *Apoc.* 21.

ET audívi vocem magnam de throno dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. breve. Locus iste sanctus est, * In quo orat sacérdos. Locus. ℣. Pro delíctis & peccátis pópuli. In quo. Glória Patri. Locus. ℣. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. ℟. Benè fundáta est supra firmam petram.

Ad Nonam, Antiphona.

Lápides pretiósi.

Capitulum. *Apoc.* 21. *b*

ET abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno: Ecce nova fácio ómnia.

℟. breve. Hæc est domus Dómini, * Firmiter ædificáta. Hæc est. ℣. Benè fundáta est supra firmam petram. Firmiter ædificáta. Glória Patri. Hæc est. ℣. Benè fundáta est domus Dómini. ℟. Supra firmam petram.

In secúndis Véspcris, Antiphonæ, Psalmi, Capitulum & Hymnus ut in primis Vésperis. cxx.

℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magnificat, Antiphona.

O quam metuéndus est locus iste! verè non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cæli.

## SECUNDA DIE

Infra Octávam.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Tractátu sancti Augustíni Episcopi super Psalmos.

*In Psalm.* 121.

Lectio iv.

JErúsalem, quæ ædificátur ut cívitas. Fratres, quando dicébat ista David, perfécta erat illa cívitas, non ædificabátur. Néscio quam ergo civitátem dicit, quæ modò ædificátur, ad quam currunt in fide lápides vivi: de quibus dicit Petrus, Et vos tamquam lápides vivi coædificámini

in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Capitulum. *Apoc.* 21.

VIdi civitàtem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de cælo à Deo, parátam sicut sponsam ornàtam viro suo.

Hymnus.

ALto ex Olympi vértice
Summi Paréntis Filius,
Ceu monte desectus lapis
Terras in imas décidens,
Domus supérnæ, & infimæ,
Utrúmque junxit ángulum.
Sed illa sedes Cælitum
Semper resúltat láudibus,
Deúmque Trinum & Unicum
Jugi canóre prædicat:
Illi canéntes júngimur
Almæ Siónis æmuli.
Hæc templa, Rex Cæléstium,
Imple benígno lúmine:
Huc ò rogátus àdveni,
Plebísque vota súscipe,
Et nostra corda júgiter
Perfúnde cæli grátia.
Hic impetrent Fidélium
Voces precésque súpplicum
Domus beátæ múnera,
Partísque donis gáudeant,
Donec solúti córpore,
Sedes beátas impleant.
Decus Paréntì débitum
Sit usquequàque altíssimo,
Natóque Patris Unico,
Et inclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per sæcula. Amen.

℣. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. ℟. Benè fundàta est supra firmam petram.

Ad Benedictus, Antiphona.

Zachæe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manère: at ille festínans descéndit, & suscépit illum gaudens in domum suam. Hódiè huic dómui salus à Deo facta est, allelúja.

In ipso die Dedicatiònis Ecclésiæ, & per Octávam, & quando varianda est Orátio ob concursum Dedicatiònis altérius Ecclésiæ.

Orátio.

DEus, qui invisibiliter ómnia cóntines, & tamen pro salúte géneris humàni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis: Templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, & concéde; ut omnes, qui huc deprecatùri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiònis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum nostrum.

In Anniversário Dedicatiónis Ecclésiæ, & per Octávam.

Orátio.

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, & sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, & præsta; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Ad



Ad Tertiam, Antiphona.

Domus mea. Capitulum Vidi civitatem, ut supr. cxxxij.

℟. breve. Domum tuam Dómine, * Decet sanctitúdo. Domum. ℣. In longitúdinem diérum. Decet. Glória Patri. Domum. ℣. Locus iste sanctus est, in quo orat sacérdos. ℟. Pro delictis & peccátis pópuli.

Ad Sextam, Antiphona.

Hæc est Domus Dómini.

Capitulum. *Apoc.* 21.

ET audivi vocem magnam de throno dicéntem: Ecce tabernaculum Dei cum homínibus, & habitabit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eòrum Deus.

℟. breve. Locus iste sanctus est, * In quo orat sacerdos. Locus. ℣. Pro delictis & peccátis pópuli. In quo. Glória Patri. Locus. ℣. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. ℟. Benè fundàta est supra firmam petram.

Ad Nonam, Antiphona.

Lápides pretiósi.

Capitulum. *Apoc.* 21. *b*

ET abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eòrum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno: Ecce nova fácio ómnia.

℟. breve. Hæc est domus Dómini, * Firmiter ædificáta. Hæc est. ℣. Benè fundàta est supra firmam petram. Firmiter ædificata. Glória Patri. Hæc est. ℣. Benè fundàta est domus Dómini. ℟. Supra firmam petram.

In secúndis Vésperis, Antiphonæ, Psalmi, Capitulum & Hymnus ut in primis Vésperis. cxx.

℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magnificat, Antiphona.

O quàm metuéndus est locus iste! verè non est hic àliud, nisi domus Dei, & porta cæli.

## SECUNDA DIE

Infra Octávam.

In primo Nocturno leguntur Lectiónes de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Tractàtu sancti Augustini Episcopi super Psalmos.

*In Psalm.* 121.

*Lectio iv.*

JErúsalem, quæ ædificàtur ut civitas. Fratres, quando dicébat ista David, perfecta erat illa civitas, non ædificabàtur. Néscio quam ergo civitàtem dicit, quæ modò ædificàtur, ad quam currunt in fide lápides vivi: de quibus dicit Petrus, Et vos tamquam lápides vivi coædificámini

in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

in domum spiritâlem, id est, templum Dei sanctum. Quid est, Lápides vivi coædificámini? Vivis, si credis: si autem credis, efficéris templum Dei; quia dicit Apóstolus Paulus: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

℟. Orántibus. cxxvij.

Lectio v.

Ipsa ergo modò cívitas ædificátur. Præcidúntur de móntibus lápides per manus prædicántium veritátem, conquadrántur, ut intrent in structúram sempitérnam. Adhuc multi lápides in mánibus artíficis sunt: non cadant de mánibus artíficis, ut possint perfécti coædificári in structúram templi. Est ergo ista Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas, fundaméntum ipsius Christus est. Dicit Apóstolus Paulus: Fundaméntum áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus.

℟. O quàm. cxxviij.

Lectio vj.

Fundaméntum quando pónitur in terra, désuper ædificántur parietes, & pondus paríetum ad ima tendit, quia in imo pósitum est fundaméntum. Si autem fundaméntum nostrum in cælo est, ad cælum ædificémur. Córpora ædificavérunt istam structúram, quam vidétis amplam surrexisse hujus Basílicæ: & quia córpora ædificavérunt, fundaméntum in imo posuérunt. Quia verò spirituáliter ædificámur, fundaméntum nostrum in summo pósitum est. Illuc ergo currámus, ibi ædificémur; quia de ipsa Jerúsalem dictum est: Stantes erant pedes nostri in átriis tuis Jerúsalem.

℟. Manè surgens. cxxviij.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 19.

In illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: & hic princeps erat publicanórum, & ipse dives. Et réliqua.

De Homilía sancti Ambrósii Episcopi.

*Ex lib. 8. in Lucam, in fine.*

Et conféstim, inquit, vidit, & sequebátur illum, magníficans Dóminum. Aliter enim non vidéret, nisi sequerétur Christum, nisi Dóminum prædicáret, nisi sæculum præteríret. Cum divítibus quoque in grátiam revertámur. Nólumus enim offéndere dívites, qui vólumus, si fieri potest, sanáre omnes: ne in caméli comparatióne præstrícti, & in Zachæo cítius quàm opórtuit, derelícti, justæ hábeant commotiónis offénsam.



℟. Domus mea. cxxxj.

Lectio viij.

Discant dívites, non in facultátibus crimen hærére; sed in iis qui uti nésciant facultátibus. Nam divítiæ ut impediménta improbis, ita bonis sunt adjuménta virtútis. Dives certè Zachæus, & eléctus à Christo; sed dimídium bonórum suórum paupéribus largiéndo, reddéndo étiam in quádruplum, quæ fraude sustúlerat (álterum enim non sat est, nec habet grátiam liberálitas, si injúria persevérat, quia non spólia, sed dona quærúntur) uberiórem mercédem quàm conferébat, accépit.

℟. Lápides pretiósi. cxxxj.

Lectio ix.

Et benè princeps indúcitur publicanórum. Quis jam de se despéret, quando & iste, cui census ex fraude, ad salútem pervénit? Et ipse, inquit, dives. Ut scias non omnes dívites, avaros. Quia statúra pusillus erat. Quid sibi vult, quòd nullíus altérius statúram Scriptúra, nisi hujus expréssit? Vide ne fortè malítia pusillus, aut adhuc pusillus fide. Nondum enim réddere promíserat: Nondum víderat Christum: méritò adhuc pusillus. Joánnes autem magnus, quia & Christum vidit, & Spíritum sicut colúmbam super Christum manéntem, sicut ipse ait: Vidi Spíritum descendéntem sicut colúmbam, & manéntem super eum.

Te Deum laudámus. 17.

## TERTIA DIE

Infra Octávam.

Lectiónes primi Noctúrni de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

*Sermóne 256. de Témpore.*

Lectio iv.

Celébritas hujus congregatiónis, dedicátio est domus oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista, domus autem Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc sæculo ædificámur, ut in fine sæculi dedicémur. Ædifícium, immò ædificátio habet labórem: dedicátio exultatiónem. Quod hìc fiébat, quando ista surgébant, hoc fit modò, cùm congregántur credéntes in Christum. Credéndo enim, quasi de silvis & móntibus ligna & lápides præcidúntur: cùm verò catechizántur, baptizántur, formántur, tamquam inter manus fabrórum & opíficum dolántur, collineántur, compla-

planántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, nisi quando charitate compaginámur.

℟. Orántibus. cxxvij.

### Lectio v.

Ligna ista, & lápides si non sibi certo órdine cohærérent, si non se pacífice innécterent, si non se invicem, cohærendo sibi, quodámmodò amárent, nemo huc intráret. Denique quando vides in áliqua fábrica lápides, & ligna benè sibi cohærére, secúrus intras, ruinam non times. Volens ergo Dóminus Christus intráre, & in nobis habitáre, tamquam ædificándo dicébat: Mandátum novum do vobis: Ut vos invicem diligátis. Mandátum, inquit, novum do vobis. Véteres enim erátis, domum mihi nondum faciebátis, in vestra ruina jacebátis. Ergo ut erúamini à vestræ ruinæ vetustáte, vos invicem amáte.

℟. O quàm. cxxviij.

### Lectio vj.

Consideret ergo cháritas vestra, ædificári adhuc istam domum toto, sicut prædictum est & promissum, orbe terrárum. Cùm enim ædificátur domus post captivitátem, sicut habet álius Psalmus, dicitur: Cantáte Dómino cánticum novum, cantáte Dómino omnis terra. Quod ibi dixit, Cánticum novum: hoc Dóminus dixit, Mandátum novum. Quid enim habet cánticum novum, nisi amórem novum? Cantáre amantis est. Vox hujus cantóris, fervor est sancti amóris. Amémus, gratis amémus: Dóminum enim amámus, quo nihil mélius invenimus: ipsum amémus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum.

℟. Manè surgens. cxxviij.

### In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

### Lectio vij. *Cap. 19.*

In illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: & hic princeps erat publicanórum, & ipse dives. Et réliqua.

De Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

*Ex lib. 8. in Lucam prope finem.*

Quæ autem turba, nisi imperítæ confúsio multitúdinis, quæ vérticem nequit vidére sapiéntiæ? Ergo Zachæus quámdiu in turba est, non videt Christum: supra turbam ascéndit, & vidit: hoc est, plebis jam transgréssus inscítiam, méruit quem desiderábat, aspícere. Pulchrè autem áddidit, Quia illa parte erat transitúrus Dóminus: vel ubi sycomorus, vel ubi creditúrus: ut & mystérium serváret, & grátiam seminaret. Sic enim vénerat, ut per Judæos transíret ad Gentes.

℟. Domus mea. cxxxj.

### Lectio viij.

Vidit itaque Zachæum sursùm. Jam enim sublimitáte fidei inter fructus novórum óperum, velut fœcúndæ altitúdine árboris eminébat. Et quóniam de typo ad morália defléximus, inter tot credéntium voluptátes Domínica die relaxáre ánimum, festivitátem admiscére delécta. Zachæus in sycómoro, novum vidélicet novi témporis pomum, ut in hoc quoque compleréetur illud: Arbor fici prodúxit grossos suos.

℟. Lápides pretiosi. cxxxj.

### Lectio ix.

Ad hoc enim Christus advénit, ut ex lignis non poma, sed hómines nasceréntur. Légimus alibi: Cùm esses sub árbore fici, vidi te. Ergo Nathánael sub árbore, hoc est, supra radícem, quia justus. Radix enim sancta. Sub árbore tamen Nathánael, quia sub lege: Zachæus supra árborem, quia supra legem. Ille Dómini occúltus defénsor, hic públicus prædicátor. Ille adhuc Christum ex lege quærébat: iste jam supra legem relinquébat sua, & Dóminum sequebátur.

Te Deum laudámus. 17.

## QUARTA DIE

### Infra Octávam.

Lectiónes primi Nocturni de Scriptura occurrénte.

### In secundo Nocturno.

De Sermóne S Augustíni Episcopi.

*Ex Serm. 156. de Tempore.*

### Lectio iv.

Atténdite in Psalmo dedicatiónis, quem modò cantávimus ex ruina ædificiórum. Conscidisti saccum meum: hoc pertinet ad ruinam. Quid ergo ad ædificium? Et accinxisti me lætitia. Vox dedicatiónis: Ut cantet tibi glória mea, & non compungar. Quis est, qui lóquitur? In verbis ejus agnóscite. Si expóno, obscúrum est. Ergo verba ejus dicam, continuò agnoscétis loquéntem, ut amétis alloquéntem. Quis est, qui dic te pótuit: Eruisti Dómine ab inferis ánimam meam?

℟. Orántibus. cxxvij.

### Lectio v.

Cujus ánima jam ab inferis erúta est, nisi de qua dictum est álio loco: Non derelínques ánimam meam in inferno? Propónitur dedicatio, & cantatur li-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

liberátio, cánticum dedicatiónis domus, & dícitur: Exaltábo te Dómine, quóniam suscepísti me, & non jucundásti inimícos meos super me. Atténdite Judæos inimícos, qui se putábant occidísse Christum, vicísse tamquam inimícum, perdidísse quasi hóminem céteris símilem atque mortálem.

℟. O quam. cxxviij.

Lectio vj.

R</br>Esurréxit tértia die, & ejus vox est: Exaltábo te Dómine, quóniam suscepísti me. Atténdite Apóstolum dicéntem: Propter quod cum exaltávit. Et non jucundásti inimícos meos super me. Ipsi quidem in Christi morte jucundabántur, sed in ejus resurrectióne, ascensióne, prædicatióne áliqui compungebántur. In ejus ergo prædicatióne, & per Apostolórum constántiæ diffamatiónem áliqui compungebántur, & convertebántur: áliqui obdurabántur, & confundebántur; nulli tamen jucundabántur.

℟. Mane surgens. cxxviij.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap. 19.*

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: & hic princeps erat publicanórum, & ipse dives. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Lib. 27. Morálium cap. 27. post médium.*

SI veráciter sapiéntes esse, atque ipsam sapiéntiam contemplári appétimus, stultos nos humíliter cognoscámus. Relinquámus nóxiam sapiéntiam, discámus laudábilem fatuitátem. Hinc quippe scriptum est: Stulta mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes. Hinc rursum dícitur: Si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sápiens. Hinc Evangélicæ históriæ verba testántur: quia Zachæus cum vidére præ turba nihil posset, sycómori árborem ascéndit, ut transeúntem Dóminum cérneret. Sycómorus quippe ficus fátua dícitur.

℟. Domus mea. cxxxj.

Lectio viij.

PUsíllus itaque Zachæus sycómorum súbiit, & Dóminum vidit: quia qui mundi stultítiam humíliter éligunt, ipsi Dei sapiéntiam subtíliter contemplántur. Pusillitátem namque nostram ad vidéndum Dóminum turba præpédit: quia infirmitátem humánæ mentis, ne lucem veritátis inténdat, curárum sæculárium tumúltus premit. Sed prudénter sycómorum ascéndimus, si próvidè eam, quæ divínitùs præcípitur, stultítiam mente tenémus. Quid enim in hoc mundo stúltius, quam amíssa non quǽrere, possessa rapiéntibus relaxáre, nullam pro accéptis injúriis injúriam réddere, immò adjúnctis áliis patiéntiam præbére?

℟. Lápides pretiósi. cxxxj.

Lectio ix.

QUasi enim sycómorum nos ascéndere Dóminus præcipit, cum dicit: Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Et rursum: Si quis te percússerit in déxteram maxíllam, præbe illi & álteram. Per sycómorum Dóminus tránsiens cérnitur: quia per hanc sapiéntem stultítiam, etsi necdum, ut est, sólide, jam tamen per contemplatiónis lumen Dei sapiéntia quasi in tránsitu vidétur, quam vidére nequeunt qui sibi sapiéntes esse videntur: quia ad conspiciéndum Dóminum, in eláta cogitatiónum suárum turba deprehénsi, adhuc sycómori árborem non invenérunt.

Te Deum laudámus. 17.



# QUINTA DIE

Infra Octávam.

Lectiones primi Noctúrni de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

*Ex Sermóne 256. de Tempore.*

Lectio iv.

MOdò, quando implentur Ecclésiæ, putámus jucundári Judæos? Ecclésiæ ædificántur, dedicántur, implentur: quómodò illi jucundántur? Non solùm non jucundántur, sed étiam confundúntur, & implétur vox exultántis: Exaltábo te Dómine, quóniam suscepísti me: & non jucundásti inimícos meos super me. Non jucundásti super me: si mihi credant, jucundábis in me. Ne multa dicámus, ad illa quæ cantávimus, aliquándo veniámus. Quómodò dicit Christus: Conscidísti saccum meum, & accinxísti me lætítia? Saccus ejus erat similitúdo carnis peccáti.

℟. Orántibus. cxxvij.

Lectio v.

NOn tibi viléscat, quod ait, Saccum meum: ibi erat inclúsum prétium tuum. Conscidísti saccum meum. Evásimus ad saccum istum. Conscidísti saccum meum. In passióne conscis-

scissus est. Quómodò ergo Deo Patri dicitur, Conscidisti saccum meum? Quómodò Patri dicátur, vis audire, Conscidisti saccum meum? quia próprio Fílio non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum. Fecit enim per Judæos nesciéntes, unde redimeréntur sciéntes, & confunderéntur negántes. Nésciunt enim quid boni nobis operáti sunt malo suo. Suspénsus est saccus, & quasi lætátus est ímpius. Conscidit saccum láncea persecútor, & fudit prétium nostrum Redémptor.

℟. O quam. cxxviij.

Lectio vj.

CAntet Christus Redémptor, gemat Judas vénditor, erubéscat Judæus emptor. Ecce Judas véndidit, Judæus emit, malum negótium egérunt, ambo damnáti sunt, seipsos perdidérunt, vénditor & emptor. Dicat ergo caput nostrum, dicat pro córpore occíso, pro córpore dedicáto. Dicat, audiámus. Conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætítia: id est, Conscidisti mortalitátem meam, & accinxisti me immortalitáte & incorruptióne. Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar. Quid est, Non compúngar? Jam contra me non ferat lánceam persecútor. Ut non compúngar. Christus enim surgens à mórtuis, jam non móritur, & mors illi ultrà non dominábitur.

℟. Manè surgens. cxxviij.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: & hic princeps erat publicanórum, & ipse dives. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 5. cap. 77. in Luc. 19.*

QUæ impossibília sunt apud hómines, possibília sunt apud Deum. Ecce enim camêlus depósita gibbi sárcina per forámen acus transit, hoc est, dives & publicánus relícto ónere divitiárum, contémpto censu fraudum, angústam portam, arctámque viam, quæ ad vitam ducit, ascéndit. Qui mira devotióne fídei ad vidéndum Salvatórem, quod natúra minùs habúerat, ascénsu supplet árboris: atque ideò justè, quamvis ipse rogáre non áudeat, benedictiónem Domínicæ susceptiónis, quam desiderábat, accépit.

℟. Domus mea. cxxxj.

Lec-



Lectio viij.

MYsticè autem Zachæus, qui interpretátur justificátus, credéntem ex Géntibus pópulum signíficat. Qui quantò curis sæculáribus occupátior, tantò flagítiis depriméntibus erat factus humílior. Sed ablútus est, sed sanctificátus, sed justificátus in nómine Dómini nostri Jesu Christi, & in spíritu Dei nostri. Qui intrántem Jéricho Salvatórem vidére quærébat, sed præ turba non póterat: quia grátiæ fídei, quam mundo Salvátor áttulit, participáre cupiébat: sed inólita vitiórum consuetúdo, ne ad votum perveníret, obstíterat.

℟. Lapides pretiósi. cxxxj.

Lectio ix.

EAdem namque turba nóxiæ consuetúdinis, quæ suprà cæcum clamántem, ne lumen péteret, increpábat; étiam suspiciéntem publicánum, ne Jesum vídeat, tardat. Sed sicut cæcus turbárum voces magis ac magis clamándo devícit, ita pusíllus necésse est turbæ nocéntis obstáculum altióra peténdo transcéndat, terréna relínquat, árborem crucis ascéndat. Sycómorus namque (quæ est arbor fóliis moro símilis, sed altitúdine præstans, unde & à Latinis celsa nuncupátur) ficus fátua dícitur. Et eádem Domínica crux, quæ credéntes alit ut ficus, ab incrédulis irridétur ut fátua.

Te Deum laudámus. 17.

## SEXTA DIE

Infra Octávam.

Lectiónes primi Noctúrni de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

*Ex Serm. 256. de Tempore.*

Lectio iv.

ERgo, dum novam constructiónem sanctæ hujus Ecclésiæ libénter atténdimus, quam divíno nómini hódie dedicámus, invenímus à nobis debéri & Deo nostro máximam laudem, & sanctitáti vestræ congruum de divínæ domus ædificatióne sermónem. Tunc autem sermo noster cóngruus erit, si in se áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum vestrárum, Deo vos intérius ædificánte, profíciat. Quod hic factum corporáliter vidémus in parietibus, spirituáliter fiat in méntibus: & quod hic perféctum cérnimus in lapídibus & lignis, hoc, ædificánte grátia Dei, perficiátur in corpóribus vestris.

℟. Orántibus. cxxvij.

Lectio v.

PRincipáliter ergo grátias agámus Dómino Deo nostro, à quo est omne da-

datum óptimum, & omne donum perféctum: & ejus bonitâtem tota cordis alacritâte laudémus, quóniam ad construéndam istam domum oratiónis, fidélium suórum visitâvit ánimum, excitâvit afféctum, surrogâvit auxilium, inspirâvit necdum voléntibus ut vellent, adjûvit bonæ voluntâtis conâtus, ut fácerent: ac per hoc Deus, qui operâtur in suis & velle & perfícere pro bona voluntâte, hæc ómnia ipse cœpit, ipse perfécit.

℟. O quàm. cxxviij.

Léctio vj.

ET qui ópera bona in conspéctu suo numquam esse permíttit inánia, fidélibus suis, quibus operántibus præbuit virtûtis suæ favórem, tribuet condignam pro tanta operatióne mercédem. Adhuc ampliùs agendæ sunt grátiæ Deo nostro. Hanc enim Ecclésiam, quam fecit nómini suo cónstrui, fecit étiam sanctórum Mártyrum relíquiis ampliùs honorári.

℟. Mane surgens. cxxviij.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Léctio vij. *Cap. 19.*

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: & hic princeps erat publicanórum, & ipse dives. Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 5. cap. 77. in Luc. 19.*

ET cùm venísset ad locum, suspíciens Jesus vidit illum. Perámbulans Jéricho Salvâtor, venit ad locum, ubi præcúrrens Zachæus sycómorum conscénderat: quia missis per mundum sui verbi præcónibus, in quibus ipse nimirùm & loquebâtur & ibat, venit ad pópulum natiónum, qui passiónis ejus fide jam sublímis existens, étiam divinitâtis ejus ardêbat ágnita fácie beári. Suspíciens vidit illum, quia per grátiam fídei à terrénis cupiditâtibus elevâtum, turbísque infidélibus præeminéntem elégit. Vidêre enim Dei, elígere vel amâre est. Undè est illud: Oculi Dómini super justos. Nam & nos quæ amâmus, vidêre; ab his quæ execrâmur, intúitum festinâmus avértere.

℟. Domus mea. cxxxj.

Léctio viij.

VIdit ergo Jesus vidéntem se, quia elégit eligéntem se, & amâvit amántem. Hunc sanè órdinem proficiéndi, hoc est, per fidem Domínicæ incarnatiónis ad cognitiónem divinitâtis perveniéndi, quasi per sycómorum Jesu fáciem speculándi Doctor egrégius osténdit, cùm ait: Non enim judicávi scire me áliquid inter vos, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum. Itémque áliis exprobrans: Facti estis, inquit, quibus lacte opus sit, non sólido cibo. Lac infírma temporáriæ dispensatiónis, sólidum cibum árdua perpétuæ majestâtis appéllans.

℟. Lápides pretiósi. cxxxj.

Léctio ix.

ET dixit ad eum: Zachæe, festinans descénde, quia hódiè in domo tua opórtet me manêre. Et festinans descéndit, & excêpit illum gaudens. Manébat aliquándo Dóminus in domo príncipis Pharisæórum, hoc est, in Judæórum synagóga docêbat: sed quia non baptizâtum ante prándium, sábbato curántem, publicános & peccatóres recipiéntem, contra avarítiam disputántem, & cétera digna Deo geréntem, lingua venenáta carpébant: pertæsus eórum facínora, discéssit & aufúgit, dicens: Relinquétur vobis domus vestra desérta. Hódiè autem in domo pusílli Zachæi opórtet illum manêre: hoc est, novæ lucis grátia coruscánte, in humíli credéntium natiónum corde quiéscere.

Te Deum laudámus. 17.

## SEPTIMA DIE.

Infra Octávam.

Lectiónes primi Noctúrni de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Ex Homilía 33. in cap. 9. Matth.*

Léctio iv.

COmmûnis ómnium domus est Ecclésia, in quam, vobis priùs ingréssis, nos intrâmus, discipulórum formam retinéntes: ideóque commúniter ómnibus statim atque ingréssi fuérimus, ut illis datam legem sequámur, pacem offérimus. Nemo ígitur socórdia tórpeat: nemo sæculáribus rebus suspénsum ánimum hábeat: cùm jam ad prædicándum sacerdótes intráverint. Non enim parva huic rei ímminet pœna. Equídem míllies pótiùs malim in domum alicújus vestrûm ingréssus destitui, quam hic prædicans non audíri. Hoc mihi moléstius esset quam illud: quandóquidem magis própria hæc est, quam illa.

℟. Orántibus. cxxvij.

Léctio v.

NAm hic magnæ illæ nostræ opes pósitæ sunt, hic spes nostra omnis.

Quid

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quid enim hoc loco non magnum est & admirándum? Nam hæc mensa longè pretiósior est atque jucúndior: & lucérna hæc quam illa, ut norunt qui cum fide óleo perúncti, à morte liberáti sunt. Arca étiam hæc multò mélior, magísque necessária. Non enim vestes, sed misericórdiam inclúsam cóntinet: quamvis pauci sunt, qui eam possídeant. Hic & lectulus est valde illo præstántior, divinárum enim Scripturárum requies quovis lecto suávior est.

℟. O quam. cxxviij.

Lectio vj.

ET quidem si concórdia perfectè servarétur à nobis, nullam áliam domum præter hanc haberémus. Hoc autem quod dixi, non esse durum, testántur illa tria míllia, & quinque míllia hóminum, quibus & domus una, & mensa una, & ánima una erat. Multitúdinis enim credéntium, inquit, unum erat cor, & ánima una. Sed quia longè ab illórum virtúte ábsumus, & per domos disjúncti sumus, saltem quando huc convenímus, id omni stúdio faciámus. Nam etsi in áliis rebus páuperes & inopes sumus, hoc loco saltem, cùm huc ad vos intrámus, cum charitáte nos suscípite: cùmque, Pax vobis, dico: Et cum spíritu tuo, non voce solùm, sed ánimo quoque respondéte.

℟. Mane surgens. cxxviij.

In tértio Noctúrno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap. 19. d*

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: & hic princeps erat publicanórum, & ipse dives. Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Paulò post prædicta.*

ET cùm vidérent omnes, murmurábant dicéntes, quod ad hóminem peccatórem divertisset. Manifestum est, Judæos semper Géntium odisse salútem. Scriptum est enim: Sequénti verò Sabbato penè univérsa cívitas convénit audíre verbum Dómini. Vidéntes autem turbas Judæi, repléti sunt zelo, & contradicébant iis, quæ à Paulo dicebántur. Et álibi fidéles étiam fratres advérsus Apostolórum príncipem disceptábant, dicéntes: Quare introísti ad viros præpútium habéntes, & manducásti cum illis?

℟. Domus mea. cxxxj.

Lectio viij.

STans autem Zachæus dixit ad Dóminum: Ecce dimídium bonórum meórum Dómine do paupéribus: & si quid áliquem defraudávi, reddo quádruplum. Aliis cæteris manéntibus hóminem peccatórem, ipse Zachæus stans, id est, in ea quam cœperat fidei veritáte persístens, non solùm se ex peccatóre convérsum, sed étiam inter perféctos probat esse conversátum. Dicénte enim Dómino: Si vis perféctus esse, vade, vende ómnia quæ habes, & da paupéribus: quisquis ante conversiónem innocénter vixit, ómnia convérsus potest dare paupéribus.

℟. Lápides pretiósi. cxxxj.

Lectio ix.

AT qui áliqua fraude sústulit, primò hæc juxta legem réddere, deinde quod sibi remánserit, debet dare paupéribus. Ac sic & ipse, quia sibi nil rétinet, ómnia sua dispérgit, dat paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. Et hæc est sápiens illa stultítia, quam de sycómoro publicánus quasi fructum vitæ légerat: rapta vidélicet réddere, própria relínquere, visibília contémnere, pro invisibílibus étiam mori desideráre, seípsum abnegáre, & ejus qui necdum videátur, Dómini vestígia sequi concupíscere.

Te Deum laudámus. 17.

IN OCTAVA

Dedicatiónis Ecclésiæ.

Duplex.

Omnia ut in die, præter Lectiónes secúndi Noctúrni.

Ex Epístola prima sancti Felícis Papæ Quarti.

*De Consecrat. dist. 1. cap. 1.*

Lectio iv.

TAbernáculum Móysen, Dómino præcipiénte, fecisse & sacrásse, cum mensa & altári ejus, & céteris vasis, & utensílibus ad divínum cultum expléndum, légimus: & non solùm divínis précibus ea sacrásse, sed étiam sancti ólei unctióne, Dómino jubénte, perlinísse nóvimus. Qualiter autem hæc facta sint, & quómodò ipsa sacra non álii quàm sacerdótes sacra unctióne delibúti, Dominóque cum véstibus sanctis sacráti, & Levítæ tractábant, ferébant, erigébant, & deponébant: in ipsis institutiónibus, quæ jubénte Dómino, conscriptæ sunt per Móysen, in lege Dómini reperítur.

℟. Orántibus. cxxvij.

Lectio v.

QUáliter ergo David regum piíssimus amplificáverit cultum Dei, & templum Dómino ædificáre volúerit, sed propter mul-

tum sánguinem quem effúderat, prohibitus est, & ipse collégerat expénsas: Sálomon quoque fílius ejus, idipsum quod ipse fácere optáverat, jubénte & auxiliánte Deo perfécit, & templum cum altári, & réliqua ad divínum cultum peragéndum consecrávit, in libro Regum légitur. Fecit ergo Sálomon in témpore illo festivitátem célebrem, & omnis Israel cum eo, multitúdo magna ab intróitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Dómino Deo nostro septem diébus, & septem diébus, id est, quatuórdecim diébus, & in die octáva dimísit pópulos.

℟. O quam. cxxviij.

Lectio vj.

*De Consecrat. dist. 1. cap. 17.*

SOlemnitátes dedicatiónum Ecclesiárum & sacerdótum, per singulos annos solémniter sunt celebrándæ, ipso Dómino exémplum dante, qui ad festum dedicatiónis templi, ómnibus id faciéndi dans formam, cum réliquis pópulis eámdem festivitátem celebratúrus venit, sicut scriptum est: Facta sunt encænia in Jerosólymis, & hiems erat, & ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Quòd autem octo diébus encænia sint celebránda, in libro Regum peracta dedicatióne templi reperiétis.

℟. Mane surgens. cxxviij.

OF-



# OFFICIUM BEATÆ MARIÆ IN SABBATO,

OMnibus Sábbatis per annum, præterquam in Quatuor Tempóribus & Vigíliis, & nisi Offícium fíeri débeat de Féria, propter Offícium alicujus Domínicæ intra Hebdómadam ponéndum, ut dícitur in Rubríca de Domínicis; ac nisi Festum novem Lectiónum occúrrat, fit Offícium de sancta María modo infrascrípto.

In Vésperis Fériæ sextæ dicúntur Psalmi feriáles in Psaltério pósiti, nisi fúerit Festum novem Lectiónum; quia tunc de sancta María fit tantum Commemorátio in dictis Vésperis cum Ant. Versículo, & Oratióne ut infra.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

AB inítio, & ante sǽcula creáta sum, & usque ad futúrum sǽculum non désinam, & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve víncla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac & castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magníficat, Antíphona.

Beáta Mater, & intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

 Ora-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum sánguinem quem effúderat, prohibitus est, & ipse collégerat expénsas: Sálomon quoque fílius ejus, idipsum quod ipse fácere optáverat, jubénte & auxiliánte Deo perfécit, & templum cum altári, & réliqua ad divínum cultum peragéndum consecrávit, in libro Regum légitur. Fecit ergo Sálomon in témpore illo festivitátem célebrem, & omnis Israel cum eo, multitúdo magna ab intróitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Dómino Deo nostro septem diébus, & septem diébus, id est, quatuórdecim diébus, & in die octáva dimísit pópulos.
℟. O quam. cxxviij.

### Lectio vj.

*De Consecrat. dist. 1. cap. 17.*

Solemnitátes dedicatiónum Ecclesiárum & sacerdótum, per singulos annos solémniter sunt celebrándæ, ipso Dómino exémplum dante, qui ad festum dedicatiónis templi, ómnibus id faciéndi dans formam, cum réliquis pópulis eámdem festivitátem celebratúrus venit, sicut scriptum est: Facta sunt encænia in Jerosólymis, & hiems erat, & ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Quòd autem octo diébus encænia sint celebránda, in libro Regum peracta dedicatióne templi reperiétis.
℟. Mane surgens. cxxviij.

OF-



# OFFICIUM BEATÆ MARIÆ IN SABBATO,

Omnibus Sabbatis per annum, præterquam in Quatuor Tempóribus & Vigiliis, & nisi Officium fieri debeat de Féria, propter Officium alicujus Domínicæ intra Hebdómadam ponéndum, ut dicitur in Rubrica de Domínicis; ac nisi Festum novem Lectiónum occúrrat, fit Officium de sancta Maria modo infrascripto.

In Vésperis Fériæ sextæ dicúntur Psalmi feriáles in Psaltério pósiti, nisi fúerit Festum novem Lectiónum: quia tunc de sancta Maria fit tantum Commemorátio in dictis Vésperis cum Ant. Versículo, & Oratióne, ut infra.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

Ab initio, & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam, & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

Ave maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beáta Mater, & intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

g 2 Ora-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis sanitáte gaudére: & gloriósa beátæ Mariæ semper vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia, & ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

Post Orationem fiunt Commemorationes consuetæ de Apostolis, & de Pace, supra 255. Si autem occurrat Festum simplex, de eo fit Commemoratio ante ipsa Suffragia.

Completorium ut in Psalterio. Et in fine Hymni Te lucis ante términum, dicitur Jesu tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine, etiam si in Vesperis facta fuerit tantum Commemoratio de beata Maria, nisi Hymni illius Festi, quod Feria sexta celebratum est, aliter concludendi sint, ut in Transfiguratione Domini.

Ad Matutinum, Invitatór.

Ave María, grátia plena: * Dóminus tecum. Psalmus. Venite, exultémus. 2.

Hymnus.

QUem terra, pontus, sídera
Colunt, adórant, prædicant
Trinam regéntem máchinam,
Claustrum Maríæ bájulat.
Cui luna, sol, & ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cæli grátia,
Gestant puéllæ víscera.
Beáta Mater múnere,
Cujus, supérnus Ártifex
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.
Beáta cæli núntio,
Fœcúnda sancto Spíritu,
Desiderátus géntibus
Cujus per alvum fusus est.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

Nocturnum Sabbati, ut in Psalterio. 115. Et in fine.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Pater noster.

Absolutio.

PRécibus & méritis beátæ Maríæ semper vírginis, & ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dóminus ad regna cælórum. ℟. Amen. ℣. Jube domne benedícere.

Pro prima Lectione, Benedictio. Nos cum prole pia benedícat virgo María. ℟. Amen.

Primæ duæ Lectiones de Scriptura libri currentis: tertia, una ex infrascriptis posita per ordinem.

℟. j. Sancta & immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quia.

Pro secunda Lectione, Benedictio. Ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

℟. ij. Felix námque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Pro tertia Lectione, Benedictio. Per Vírginem matrem concédat nobis Dóminus salútem & pacem. ℟. Amen.

Post tertiam Lectionem dicitur Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

DUm esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Psalmus Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica, ut in Psalterio. 18. Antiphona. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Antiphona. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, ídeo diléxit me Rex, & introdúxit me in cubículum suum. Antiphona. Jam hiems tránsiit, imber ábiit, & recéssit: surge amíca mea, & veni. Antiphona. Speciósa facta es, & suávis in delíciis tuis sancta Dei génitrix.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

AB inítio, & ante sǽcula creáta sum, & usque ad futúrum sǽculum non désinam, & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

O Gloriósa Vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit párvulum
Lacténte nutris úbere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo gérmine;
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.
Tu regis alti jánua,
Et aula lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ plaúdite.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Benedictus, Antiphona. Beáta Dei génitrix María, virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo pla-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

placuísti Dómino nostro Jesu Christo: ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Orátio.

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis sanitáte gaudére, & gloriósa beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia, & ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Deínde fiunt Commemoratiónes ut supra. 155.

Ad Horas, Hymni, & Psalmi, ut in Psaltério: sed in fine Hymnórum dícitur, Jesu sibi sit glória, Qui natus es de Vírgine.

Ad Primam, Antiphona. Dum esset rex. Capitulum, Regi sæculórum.

In ℟. brevi ℣. Qui natus es de María vírgine. Alia ut in Psaltério. 28.

Ad Absolutiónem Capítuli. In platéis.

Ad Tertiam, Antiphona. Læva ejus. Capitulum. Ab inítio. cxlix.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, prósperè procéde, & regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam, Antiphona. Nigra sum.

Capitulum. Eccli. 24. b

Et sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, & in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei heréditas illíus, & in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit eam. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, & prælégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona. Speciósa.

Capitulum. Eccli. 24. b

In platéis sicut cinnamómum & bálsamum aromatizans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et prælégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et prælégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Vesperas, Antiphonæ & Psalmi feriales. Capitulum, & réliqua ómnia, si non occúrrat Festum Duplex, de Domínica. In fine Commemoratiónes consuétæ, ut in Psaltério. 155.

Lectiónes sequéntes dicúntur síngulis ménsibus in Officio B. Maríæ in Sábbato, órdine subscrípto.

MENSE SEPTEMBRI.

Ex Epístola sancti Leónis Papæ ad Pulchériam Augústam.

*Epist. 13. ante médium.*

Lectio iij.

Sacraméntum reconciliatiónis nostræ ante témpora ætérna dispósitum nullæ implébant figúræ: quia nondum supervénerat Spíritus sanctus in Vírginem, nec Virtus Altíssimi obumbráverat ei, ut & intra intemeráta víscera, ædificánte sibi sapiéntia domum, Verbum caro fíeret, & forma Dei ac forma servi in unam conveniénte persónam, creátor témporum nascerétur in témpore, & per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerétur. Nisi enim novus homo, factus in similitúdinem carnis peccáti, nostram suscíperet vetustátem; & consubstantiális Patri, consubstantiális esse dignarétur & matri: naturámque sibi nostram solus à peccáto liber uníret, sub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE OCTOBRI.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

*Ex Serm. in c. 12. Apocalyp. ante médium.*

Lectio iij.

Amplectámur Maríæ vestígia, fratres mei, & devotíssima supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis. Potens est enim. Nempè vellus est médium inter rorem & áream: múlier inter solem & lunam: María inter Christum & Ecclésiam constitúta. Sed fortè miráris, non tam vellus opértum rore, quam amíctam sole mulíerem. Magna síquidem familiáritas, sed mira omninò vicínitas solis & mulíeris. Quómodò enim in tam veheménti fervóre tam frágilis natúra subsístit? Méritò quidem admiráris Móyses sancte, & curiósius desíderas intuéri. Verúmtamen solve calceaménta de pédibus tuis, & involúcra pone carnálium cogitatiónum, si accédere concupíscis.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE NOVEMBRI.

De Expositióne sancti Basílii Epíscopi in Isaíam Prophétam.

*In cap. 8. post inítium.*

Lectio iij.

Accéssi, inquit, ad Prophetíssam, & in útero accépit, & péperit fílium.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quod Maria Prophetissa fúerit, ad quam próxime accéssit Isaias per prænotiónem spíritus, nemo contradixerit, qui sit memor verbórum Mariæ, quæ prophético afflata spíritu elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum: & exultávit spíritus meus in Deo salutári meo: quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quod si ánimum accommodáveris univérsis ejus verbis: non útique per dissídium negáveris eam fuísse Prophetissam, quòd Dómini spíritus in eam supervénerit, & virtus Altíssimi obumbráverit ei.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE DECEMBRI.

Ante Advéntum.

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Epíscopi.

Lectio iij. *Lib. 1. cap. 18.*

Bonus regéndæ castitátis pudor est comes, qui primus in ipso cognitiónis ingressu Dómini matrem comméndat legéntibus, & tamquam testis lócuples, dignam, quæ ad tale munus eligerétur, astruit: quòd in cubículo, quòd sola, quòd salutáta ab Angelo tacet, & mota est in intróitu ejus, quod ad viríles sexus spéciem peregrínam turbátur aspéctus Vírginis. Itaque quamvis esset húmilis, præ verecúndia tamen non resalutávit, nec ullum respónsum rétulit, nisi ubi de suscipiénda Dómini generatióne cognóvit: ut qualitátem effectus discere, non ut sermónem refélleret.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Laudes & per Horas, ómnia ut supra. clix.

## OFFICIUM PARVUM

B. Mariæ non dícitur, quando fit Officium novem Lectiónum, nec in Sábbatis, quando fit Officium de S. María. Quibus diébus omíttitur à primis Vésperis. Cum dícitur in Choro, in Matutínis & in Vésperis præpónitur Officio diei, in aliis Horis postpónitur. Prima dícitur post Benedicámus Dómino, antequam legátur Martyrológium. Extra Chorum potest dici pro témporis opportunitáte.

## OFFICIUM B. MARIÆ

Extra Advéntum.

Ad Vésperas, Ave María, secreto: quæ dícitur semper in princípio ómnium Horárum B. Mariæ, quando non conjungúntur cum Officio diei ℣.

Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat In fine Allelúia, ad omnes Horas.

An-



Antiphona. Dum esset Rex.

Psalmus 109.

Dixit Dóminus Dómino meo: * sede à dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Antiphona. Læva ejus.

Psalmus 112.

Laudáte púeri Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * & super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cælo & in terra?

Súscitans à terra ínopem: * & de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri.

Antiphona. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me.

Antiphona. Nigra sum.

Psalmus 121.

Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Dómini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te:

 Fiat

Quod Maria Prophetissa fúerit, ad quam próxime accésſit Isaias per prænotiónem spíritus, nemo contradixerit, qui sit memor verbórum Mariæ, quæ prophético affláta spíritu elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum: & exultávit spíritus meus in Deo salutári meo: quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quod si ánimum accommodáveris univérsis ejus verbis: non útique per dissídium negáveris eam fuisse Prophetissam, quod Dómini spíritus in eam supervénerit, & virtus Altíssimi obumbráverit ei.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE DECEMBRI.

Ante Advéntum.

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Epíscopi.

Lectio iij. *Lib. 1. cap. 18.*

BOnus regéndæ castitátis pudor est comes, qui primus in ipso cognitiónis ingressu Dómini matrem commendat legéntibus, & tamquam testis lócuples, dignam, quæ ad tale munus eligerétur, astruit: quod in cubículo, quod sola, quod salutáta ab Angelo tacet, & mota est in introítu ejus, quod ad viríliſ sexus spéciem peregrínam turbátur aspéctus Vírginis. Itaque quamvis esset húmilis, præ verecúndia tamen non resalutávit, nec ullum respónsum rétulit, nisi ubi de suscipiénda Dómini generatióne cognóvit: ut qualitátem effectus díscerct, non ut sermónem refélleret.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Laudes & per Horas, ómnia ut supra. clix.

OFFICIUM PARVUM B. Mariæ non dícitur, quando fit Officium novem Lectiónum, nec in Sábbatis, quando fit Officium de S. María. Quibus diébus omíttitur à primis Vésperis. Cum dícitur in Choro, in Matutínis & in Vésperis præpónitur Officio diei, in aliis Horis postpónitur. Prima dícitur post Benedicámus Dómino, antequam legátur Martyrológium. Extra Chorum potest dici pro témporis opportunitáte.

OFFICIUM B. MARIÆ

Extra Advéntum.

Ad Vésperas, Ave María, secreto: quæ dícitur semper in princípio ómnium Horárum B. Maríæ, quando non conjungúntur cum Officio diei v.

DEus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri, & Filio, & Spirítui sancto. Sicut erat. In fine Allelúia, ad omnes Horas.

An-



Antiphona. Dum esset Rex.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * sede à dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Antiphona. Læva ejus.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * & super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cælo & in terra?

Súscitans à terra ínopem: * & de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri.

Antiphona. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me.

Antiphona. Nigra sum.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te:



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Fiat pax in virtúte tua: * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Nigra sum, sed formósa, filiæ Jerúsalem: ideò diléxit me Rex, & introdúxit me in cubículum suum.

Aña. Jam hiems tránsiit.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum: * ecce heréditas Dómini filii: merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ità filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Jam hiems tránsiit, imber ábiit, & recéssit, surge amíca mea, & veni.

Antiphona. Speciósa facta es.

Psalmus 147.

LAuda Jerúsalem Dóminum: * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * & ádipe fruménti sáciat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob: * justítias & judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia sua non manifestávit eis.

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Speciósa facta es & suávis in delíciis tuis, sancta Dei génitrix.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

AB initio, & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam, & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

℟. Deo grátias.

Hym-



Hymnus.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve víncla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac & castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat, Antiphona. Beáta Mater, & intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis sanitáte gaudére: & gloriósa Beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia, & ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Sequens Commemor. pro Sanctis fit tantùm ad Vésperas & Laudes in Officio sanctæ Maríæ. Aña. Sancti Dei omnes intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

PRótege Dómine pópulum tuum, & Apostolórum tuórum Petri & Pauli, & aliórum Apostolórum patrocínio confidéntem, perpétua defensióne consérva.

OMnes Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque ádjuvent: ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus: & pacem tuam nostris concéde tempóribus, & ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam: iter, actus, & voluntátes nostras, & ómnium famulórum tuórum, in salútis tuæ prosperitáte dispóne: benefactóribus nostris sempi-

pitérna bona retríbue: & ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam concéde. Per Dóminum noſtrum.

## AD COMPLETORIUM.

Ave María. ut ſupra. ℣. Convérte nos Deus ſalutáris noſter. ℟. Et avérte iram tuam à nobis. ℣. Deus in adjutórium. Glória Patri. Allelúia.

Pſalmus 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſrael.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum: * confundántur & convertántur retrórſum omnes, qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum: * quod priúſquam evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum ſuam qui metit: * & ſinum ſuum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini ſuper vos: * benedíximus vobis in nómine Dómini. Glória Patri, & Fílio.

Pſalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſervàveris Dómine: * Dómine quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem: * ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia: * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſraël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus. Glória Patri, & Fílio.

Pſalmus 130.

DOmine non est exaltátum cor meum: * neque eláti ſunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis: * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam: * ſed exaltávi ánimam meam:

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Iſraël in Dómino, * ex hoc nunc, & uſque in ſæculum. Glória Patri.

Hymnus.

MEménto, rerum Cónditor,
Noſtri quòd olim córporis,
Sacráta ab alvo Vírginis
Naſcéndo, formam ſúmpſeris.





Maria mater grátiæ,
Dulcis parens cleméntiæ,
Tu nos ab hoſte prótege,
Et mortis hora ſúſcipe.
Jeſu, tibi ſit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſæcula. Amen.

Capitulum. *Eccli. 24. c*

EGo mater pulchræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis, & ſanctæ ſpei. ℟. Deo grátias.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Ad Nunc dimittis, Antiph. Sub tuum præſídium confúgimus, ſancta Dei génitrix, noſtras deprecatiónes ne deſpícias in neceſſitátibus: ſed à perículis cunctis líbera nos ſemper, Virgo glorióſa & benedícta. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eléiſon. ℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio.

BEátæ & glorióſæ ſemper Vírginis Maríæ, quæſumus Dómine, intercéſſio glorióſa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam. Per Dóminum noſtrum.

## AD MATUTINUM

De B. Maria.

Ave María, ut ſupra. ℣. Dómine lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. ℣. Deus in adjutórium. Glória Patri. Allelúia.

Invitatórium. Ave María, grátia plena: * Dóminus tecum. Pſalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

QUem terra, pontus, ſídera
Colunt, adórant, prædicant
Trinam regéntem máchinam,
Clauſtrum Maríæ bájulat.
Cui luna, ſol, & ómnia,
Deſérviunt per témpora,
Perfúſa cæli grátia
Geſtant puéllæ víſcera.
Beáta Mater múnere,
Cujus, ſupérnus Artifex
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris ſub arca clauſus eſt.
Beáta cæli núntio,
Fœcúnda ſancto Spíritu,
Desiderátus géntibus
Cujus per alvum fuſus eſt.
Jeſu tibi ſit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſæcula. Amen.

Quando fit Officium novem Lectiónum S. Maríæ, dicúntur tres ſequéntes Noctúrni, cum ſuis Pſalmis & Antíphonis, niſi aliæ Antíphonæ aſſignéntur: Abſolutiónes verò, & Benedictiónes ut in princípio Breviárii ante Pſaltérium.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## TRES PSALMI

Sequentes dicuntur Feria ij. & v. ad Nocturnum.

Antiphona. Benedicta tu.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam elevata est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut déstruas inimicum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: glória & honóre coronásti eum: * & constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas: insuper & pécora campi.

Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui.

Antiphona. Sicut myrrha.

Psalmus 18.

CÆli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti indicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exivit sonus eórum: * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ùt gigas ad curréndam viam: * à summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum: * & dulcióra super mel & favum.

Ete-



Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * & emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus: * & redémptor meus.

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Sicut myrrha elécta odórem dedisti suavitátis sancta Dei génitrix.

Antiphona. Ante torum.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accipiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles, * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Ante torum hujus Virginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum. Pater noster, cum Lectiónibus & réliquis, ut supra. clxiij.

Sed in Officio novem Lectiónum dicitur ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

## TRES PSALMI

Sequentes dicuntur Feria iij. & vj. ad Nocturnum.

Antiphona. Spécie tua.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ filiis hó-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua, & pulchritúdine tua * inténde, prósperè procéde & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent: * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Adstitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi fília, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intùs, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in sæculum sæculi.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna.

Antiphona. Adjuvábit eam.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium, & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculò.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma, * & scuta combúret igni:

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob. Glória Patri & Fílio.

Antiphona. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur.

Antiph. Sicut lætántium.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * diligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea: * & ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, & príncipum: * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium: * habitátio est in te.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Sicut lætántium ómnium nostrûm habitátio est in te, sancta Dei génitrix.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum. Pater noster, cum Lectiónibus & réliquis, ut infra. clxiij.

Sed in Officio novem Lectiónum dicitur ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

TRES PSALMI

Sequentes dicuntur Feria iv. & Sabbato ad Nocturnum.

Aña. Gaude María virgo.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quó-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis * : terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium, afférte Dómino glóriam & honórem, * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, & exúltet terra : commoveátur mare, & plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua. Glória Patri, & Fílio.

Aña. Gaude Maria virgo, cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Antiphona. Dignáre me.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus, * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet : * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini : * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Glória Patri, & Fílio.

Aña. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta, da mihi virtútem contra hostes tuos.

Antiphona. Post partum.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ : * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, & voce psalmi : * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : * moveátur mare, & plenitúdo ejus : orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Post partum virgo invioláta permansísti, Dei génitrix intercéde pro nobis.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Sed in Officio novem Lectiónum dicitur, ℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Pater noster, secréto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Absolútio.

PRécibus & méritis beátæ Mariæ semper Vírginis, & ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dóminus ad regna cælórum.

℟. Amen.

℣. Jube domne benedícere.

Benedíctio. Nos cum prole pia benedícat virgo María. ℟. Amen.

Lectio j. *Eccli. 24.*

IN ómnibus réquiem quæsívi, & in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, & dixit mihi Creátor ómnium : & qui creávit me requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi : In Jacob inhábita, & in Israël hereditáre, & in eléctis meis mitte radíces. Tu autem Dómine miserére nobis.

℟. Deo grátias.

℟. Sancta & immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio, Quia quem



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulisti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quia. ℣. Jube domne benedícere. Benedíctio. Ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

Lectio ij.

ET sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, & in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei heréditas illíus, & in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Tu autem Dómine.

℟. Beáta es virgo María, quæ Dóminum portásti Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, & in ætérnum pérmanes virgo. ℣. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. Genuísti ℣. Jube domne benedícere. Benedíctio. Per Vírginem matrem concédat nobis Dóminus salútem & pacem. ℟. Amen. Lectio iij.

QUasi cedrus exaltáta sum in Líbano, & quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, & quasi plantátio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciósa in campis, & quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans odórem dedi quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Tu autem Dómine.

℟. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

## AD LAUDES.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri. Allelúia.

Antiphona.

ASsúmpta est María in cælum, gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum. Psalmus Dóminus regnávit, cum reliq. de Domínica ut in Psaltério 8. Antiphona. María virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio. Antiph. In odórem unguentórum tuórum cúrrimus: adolescéntulæ dilexérunt te nimis. Antiphona. Benedícta fília tu à Dómino, quia per te fructum vitæ communicávimus. Antiphona. Pulchra es, & decóra fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Ca-



Capitulum. Cant. 6. 8.

VIdérunt eam fíliæ Sion, & beatíssimam prædicavérunt, & regínæ laudavérunt eam. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

O Gloriósa Vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit párvulum
Lacténte nutris úbere.
Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine;
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.
Tu regis alti jánua,
Et aula lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.
Jesu tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Benedictus, Antiphona.

Beáta Dei génitrix María, virgo perpétua, templum Dómini, Sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo: ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis: ut qui vere eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro Sanctis, Antiphona.

Sancti Dei omnes intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde. Oratio.

PRotege Dómine pópulum tuum, & Apostolórum tuórum Petri & Pauli, & aliórum Apostolórum patrocínio confidéntem, perpétua defensióne consérva.

OMnes Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque adjuvent: ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus: & pacem tuam nostris concéde tempóribus, & ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam: iter, actus, & voluntátes nostras, & ómnium famulórum tuórum, in salútis tuæ prosperitáte dispóne: benefactóribus nostris sempitérna bona retríbue: & ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam concéde. Per Dóminum.

AD

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

## AD PRIMAM.

Ave Maria, &c. ℣. Deus in adjutórium.

Hymnus.

MEménto, rerum Cónditor,
Nostri quòd olim córporis,
Sacráta ab alvo Virginis
Nascéndo, formam súmpseris.
Maria mater grátiæ,
Dulcis parens cleméntiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et mortis hora súscipe.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

Antiphona. Assúmpta est.

Psalmus 53.

DEus in nómine tuo salvum me fac: * & in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam alièni insurrexérunt advérsùm me, & fortes quæsièrunt ánimam meam: * & non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimicis meis: * & in veritáte tua dispérde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi, * & confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * & super inimícos meos despéxit óculus meus.

Glória Patri, & Filio.

Psalmus 84.

BEnedixisti Dómine terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster: * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus tu convérsus vivificábis nos: * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam: * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsius: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * & justítia de cælo prospéxit.



Etenim Dóminus dabit benignitátem: * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit: * & ponet in via gressus suos.

Glória Patri, & Filio.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes Gentes: * laudáte eum omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in ætérnum. Glória Patri.

Aña. Assúmpta est Maria in cælum, gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

Capitulum. *Cant. 6. c.*

QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens: pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℟. Deo grátias.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. ℣. Dóminus vobíscum.

Oratio.

DEus, qui virginálem aulam beátæ Mariæ, in qua habitáres, elígere dignátus es: da quæsumus, ut sua nos defensióne munítos, jucúndos fácias suæ interésse commemoratióni. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

## AD TERTIAM.

Ave Maria, &c. ℣. Deus in adjutórium.

Hymnus.

MEménto, rerum Cónditor,
Nostri quòd olim córporis,
Sacráta ab alvo Virginis
Nascéndo, formam súmpseris.
Maria Mater grátiæ,
Dulcis Parens cleméntiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et mortis hora súscipe.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Antiphona. Maria virgo.

Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi: * & exaudívit me.

Dómine libera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est, habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Glória Patri, & Filio.

Psalmus 120.

Levávi óculos meos in montes, * unde véniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Dómino, * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiònem pedem tuum: * neque dormitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab ómni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum, & éxitum tuum * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Glória Patri, & Filio.

Psalmus 121.

Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Dómini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificatur ut civitas: * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judicio, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te:

Fiat pax in virtúte tua: * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsivi bona tibi.

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Maria virgo assúmpta est ad æthereum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

Et sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta similiter requiévi, & in Jerúsalem potéstas mea.

℟. Deo grátias.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. ℣. Dóminus vobiscum.

Oratio.

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Mariæ Virginitáte fœcúnda, humáno géneri prǽmia præstitisti: tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscipere, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit.

AD



## AD SEXTAM.

Ave Maria, &c. ℣. Deus in adjutórium. Hymnus.

Meménto, rerum Cónditor,
Nostri quòd olim córporis,
Sacráta ab alvo Virginis
Nascéndo, formam súmpseris.
Maria Mater grátiæ,
Dulcis Parens cleméntiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et mortis hora súscipe.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

Antiphona. In odórem.

Psalmus 122.

Ad te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum,

Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ suæ: * ità óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri: * quia multum repléti sumus despectióne:

Quia multùm repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis. Glória Patri.

Psalmus 123.

Nisi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel: * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cum exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutissent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuisset nos.

Torréntem pertransivit ánima nostra: * fórsitan pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium.

Láqueus contritus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cælum & terram. Glória Patri.

Psalmus 124.

Qui confidunt in Dómino, sicut mons Sion: * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus: * & Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum: * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Benefac Dómine bonis, * & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israel.

Glória Patri, & Filio.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Antiphona. In odórem unguentórum tuórum cúrrimus, adoléscentulæ dilexérunt te nimis.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

ET radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei heréditas illius, & in plenitúdine sanctórum deténtio mea. ℟. Deo grátias. ℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. ℣. Dóminus vobiscum.

Oratio.

COncéde miséricors Deus fragilitáti nostræ præsidium, ut qui sanctæ Dei genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

## AD NONAM.

Ave María, &c. ℣. Deus in adjutórium.

Hymnus.

MEménto, rerum Cónditor,
Nostri quòd olim córporis,
Sacráta ab alvo Vírginis
Nascéndo, formam súmpseris.
María mater grátiæ,
Dulcis Parens cleméntiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et mortis hora súscipe.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

Antiphona. Pulchra es.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter Gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiscum: * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Glória Patri, & Filio.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem: * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum: * ecce heréditas Dómini Filii: merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ità filii excussórum.



Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Glória Patri, & Filio.

Psalmus 127.

BEáti omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Filii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas filios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Pulchra es, & decóra, filia Jerúsalem: terríbilis ùt castrórum ácies ordináta.

Capitulum. *Eccli. 24 b*

IN platéis sicut cinnamómum & bálsamum aromatizans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. Deo grátias.

℣. Post partum virgo invioláta permansísti. ℟. Dei génitrix intercéde pro nobis. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobiscum.

Oratio.

FAmulórum tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce: ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, genitrícis Filii tui Dómini nostri intercessióne salvémur. Qui tecum vivit, & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# OFFICIUM DEFUNCTORUM.

DIcitur extra tempus Paschale prima cujusque mensis die, non impedita Festo novem Lectiônum, aliòquin alia sequenti die similiter non impedita. In Choro dicitur post Officium diei: id est, Vesperæ post Vesperas, & Matutinum post Laudes diei, nisi aliud sit consuetûdo Ecclesiarum: extra Chorum verò pro opportunitâte témporis.

Ad Vesperas absolutè incipitur ab Antiphona. Placêbo Dómino.

Psalmus 114.

DIlexi quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiônis meæ.

Quia inclinâvit aurem suam mihi: * & in diêbus meis invocâbo.

Circumdedérunt me dolôres mortis: * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiônem & dolôrem invéni: * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine libera ánimam meam: * miséricors Dóminus, & justus, & Deus noster miserêtur.

Custódiens párvulos Dóminus: * humiliátus sum, & liberâvit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam: * quia Dóminus benefêcit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte: * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placêbo Dómino * in regiône vivôrum.

In fine ómnium Psalmórum dicitur:

Réquiem ætérnam * dona eis Dómine.

Et lux perpétua * lúceat eis.

Antiphona. Placêbo Dómino in regiône vivôrum.

Antiph. Hei mihi Dómine.

Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi; * & exaudívit me.

Dómine libera ánimam meam a lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolâtus meus prolongâtus est, habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum



Cum his, qui odérunt pacem eram pacíficus: * cum loquêbar illis, impugnábant me gratis.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Hei mihi Dómine, quia incolâtus meus prolongâtus est.

Aña. Dóminus custôdit te.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * undè véniet auxilium mihi:

Auxilium meum à Dómino, * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiônem pedem tuum: * neque dormîtet qui custôdit te.

Ecce non dormitâbit, neque dórmiet, * qui custôdit Israël.

Dóminus custôdit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custôdit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum, & éxitum tuum * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Dóminus custôdit te ab omni malo: custódiat ánimam tuam Dóminus.

Antiphona. Si iniquitâtes.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiônis meæ.

Si iniquitâtes observáveris Dómine: * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiâtio est: * & propter legem tuam sustinui te Dómine.

Sustinuit ánima mea in verbo ejus: * sperâvit ánima mea in Dómino.

A custódia matutina usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiôsa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Si iniquitâtes observáveris Dómine, Dómine quis sustinébit?

Antiphona. Opera.

Psalmus 137.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, & veritâte tua: * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exaudi me: * multi-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

tiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit : * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me, Dómine misericórdia tua in sæculum, * ópera mánuum tuárum ne despícias.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Opera mánuum tuárum Dómine ne despícias.

℣. Audívi vocem de cælo dicéntem mihi. ℟. Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur.

Ad Magnificat, Antiphona. Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet : & eum qui venit ad me, non ejíciam foras.

Preces infrascriptæ dicúntur flexis génibus, similiter & ad Laudes.

Pater noster, secretò. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Psalmus 145.

LAuda ánima mea Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolite confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam, * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus : * qui fecit cælum & terram, mare, & ómnia, quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos : * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum & víduam suscípiet : * & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula, Deus tuus Sion * in generatiónem & generatiónem.

Cujus loco ad Laudes dícitur Psalm. De profúndis, ut supra, clxxiij. Qui Psalmi non dicúntur in die ómnium Fidélium Defunctór.

In fine Psalmi Réquiem ætérnam * dona eis Dómine. Et lux perpétua * lúceat eis.

Dein-



Deinde ℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orátio.

DEus, qui inter Apostólicos sacerdótes, fámulos tuos Pontificáli, seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére : præsta quæsumus ; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio.

DEus, véniæ largítor, & humánæ salútis amátor, quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos, & benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

FIdélium Deus ómnium Cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum, remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

In die verò Commemorat. ómnium fidélium Defunct. quando dícitur hæc última tantum Orátio, dícitur Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula.

In die depositiónis defuncti, Orátio.

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimam fámuli tui N. ut defúnctus sæculo tibi vivat : & quæ per fragilitátem carnis humána conversatióne commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Dóminum.

Si fuerit fœmina, dicátur ánimam fámulæ tuæ N. ut defúncta.

In anniversário die, Orátio.

DEus, indulgentiárum Dómine : da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem. Per Dóminum.

Si pro uno tantùm fit Anniversárium, dícitur in singulári número.

Pro uno Epíscopo defúncto, Orátio.

DEus, qui inter Apostólicos sacerdótes fámulum tuum N. Pontificáli fecísti dignitáte vigére : præsta quæsumus ; ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Dóminum nostrum.

Si fuerit Sacérdos, dicátur Sacerdotáli fecísti.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pro frátribus verò & familiáribus, vel benefactóribus, dicitur Orátio. Deus véniæ largitor, & humánæ. ùt suprà. clxxv.

Pro patre & matre, Orátio.

Deus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepisti: miserère cleménter animábus patris ac matris meæ, eorúmque peccáta dimítte: meque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidêre. Per Dóminum.

Si fit pro plúribus, dicátur animábus paréntum nostrórum, & ubi dicitur meque dicátur nosque.

Si pro patre tantùm, dicátur animæ patris mei, vel nostri.

Si pro matre tantùm, dicátur ánimæ matris meæ, vel nostræ.

Pro uno Defuncto, Orátio.

Inclína Dómine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecâmur: ut ánimam fámuli tui, quam de hoc sæculo migráre jussisti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Dóminum.

Pro una Defuncta, Orátio.

Quǽsumus Dómine, pro tua pietáte miserère ánimæ fámulæ tuæ: & à contágiis mortalitátis exútam in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad Matutinum, Invitatór. Regem, cui ómnia vivunt, * Venite adorêmus. Psalmus. Venite, exultêmus. 2.

Et in fine, Réquiem ætérnam dona eis Dómine: & lux perpétua lúceat eis.

Hoc Invitatórium dicitur tantùm in die Commemor. ómnium fidélium Defunctórum, & in die depositiónis Defuncti, quibus diebus dicúntur tres infrascripti Noctúrni, & Antiphonæ duplicántur. Aliis tempóribus dicitur tantùm unum Noctúrnum cum Láudibus, hoc órdine: Féria ij. & v. primum Noctúrnum: Féria iij. & vj. secúndum Noctúrnum: Féria quarta & Sabbato, tertium Noctúrnum.

## IN I. NOCTURNO.

Pro Féria secúnda & quinta.

Antiphona. Dirige.

Psalmus 5.

Verba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidêbo: * quoniam non Deus volens iniquitâtem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus: * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timôre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant: * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis, secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt: & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ùt scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Dirige Dómine Deus meus in conspéctu tuo viam meam.

Antiphona. Convértere.

Psalmus 6.

Dómine, ne in furôre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserère mei Dómine, quóniam infírmus sum: * sana me Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè: * sed tu Dómine úsquequò?

Convértere Dómine, & éripe ánimam meam, * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furôre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Erubéscant, & conturbéntur veheménter omnes inimici mei: * convertántur & erubéscant valdè velóciter.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Convertere Dómine, & éripe ánimam meam: quóniam non est in morte qui memor sit tui.

Antiphona. Nequándo.

Psalmus 7.

DOmine Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

Nequándo rápiat ùt leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala: * décidam méritò ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam, * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge Dómine in ira tua: * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti, * & synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me Dómine secúndùm justítiam meam, * & secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, & díriges justum, * scrutans corda & renes Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, & pátiens: * numquid irascitur per síngulos dies?

Nisi conversi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit, & parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis: * sagittas suas ardéntibus effécit.

Ecce parturiit injustítiam: * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum: * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus: * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descendet.

Confitébor Dómino secúndùm justítiam ejus: * & psallam nómini Dómini Altíssimi.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Nequándo rápiat ùt leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat. ℣. A porta ínferi. ℞. Erue Dómine ánimas eórum. Pater noster: totum secréto.

Lec-



Lectiónes legúntur sine Absolutióne, Benedictiónibus & Título.

Lectio j. *Job 7. b*

PArce mihi Dómine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculò, & súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimíttis me, ut glútiam salivam meam? Peccávi, quid fáciam tibi ô custos hóminum? quare posuísti me contrárium tibi, & factus sum mihimetipsi grávis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? ecce, nunc in púlvere dórmiam: & si manè me quæsíeris, non subsístam.

Lectiónes terminántur sine Tu autem, vel alia conclusióne.

℞. Credo quòd Redémptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum: * Et in carne mea vidébo Deum Salvatórem meum. ℣. Quem visúrus sum ego ipse, & non álius, & óculi mei conspectúri sunt. Et in.

Lectio ij. *Job 10.*

TÆdet ánimam meam vitæ meæ, dimíttam advérsùm me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre: índica mihi cur me ità júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt: aut sicut videt homo, & tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, & anni tui sicut humána sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo qui de manu tua possit erúere.

℞. Qui Lázarum resuscitásti à monuménto fœtidum: * Tu eis Dómine dona réquiem, & locum indulgéntiæ. ℣. Qui ventúrus es judicáre vivos & mórtuos, & sæculum per ignem. Tu eis Dómine.

Lectio iij. *Job 10. b*

MAnus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu: & sic repénte præcípitas me? Meménto quæso quòd sicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, & sicut caseum me coagulásti? pelle & cárnibus vestísti me: óssibus & nervis compegísti me. Vitam & misericórdiam tribuísti mihi, & visitátio tua custodívit spíritum meum.



℞. Dó-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℟. Dómine, quando véneris judicáre terram, ubi me abscóndam à vultu iræ tuæ? * Quia peccávi nimis in vita mea. ℣. Commissa mea pavésco, & ante te erubésco: dum véneris judicáre, noli me condemnáre. Quia ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine: & lux perpétua lúceat eis. Quia.

Póstea ad Laudes, ut infrà, clxxxvij. quando dicitur unum tantùm Noctúrnum.

## IN II. NOCTURNO.

Pro Féria tértia & sexta.

Antiphona. In loco páscuæ.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus: * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsùs eos, qui tribulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ:

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Antiphona. Delicta.

Psalmus 24.

AD te Dómine levávi ánimam meam: * Deus meus in te confido, non erubéscam:

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi, qui sustinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iniqua agéntes * supervácuè.

Vias tuas Dómine demónstra mihi: * & sémitas tuas édoce me.

Dirige me in veritáte tua & doce me: * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine, * & misericordiárum tuárum, quæ à sæculo sunt.

Delicta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam memento mei tu: * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Diriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.



Univérsæ viæ Dómini, misericórdia & véritas, * requiréntibus testaméntum ejus, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo: * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur: * & semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: * & testaméntum ipsius ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum: * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére mei: * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum: * & dimítte univérsa delicta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi: * quia sustínui te.

Líbera Deus Israël: * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Delicta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris Dómine.

Antiphona. Credo vidére.

Psalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * à quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, & cecidérunt.

Si consístant advérsùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo, & psalmum dicam Dómino.

Exáudi Dómine vocem meam

meam, qua clamávi ad te: * miserére mei, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te fácies mea: * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me: * ne declines in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto: * ne derelínquas me, neque despícias me Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua: * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age: * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. ℣. Cóllocet eos Dóminus cum princípibus. ℟. Cum princípibus pópuli sui. Pater noster, totum secretò.

Lectio iv. *Job 13. d*

RESpónde mihi: Quantas hábeo iniquitátes & peccáta, scélera mea & delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, & stípulam siccam persequéris: Scribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, & observásti omnes sémitas meas, & vestígia pedum meórum considerásti: Qui quasi putrédo consuméndus sum, & quasi vestiméntum quod comméditur à tínea.

℟. Meménto mei Deus, quia ventus est vita mea, * Nec aspíciat me visus hóminis. ℣. De profúndis clamávi ad te Dómine, Dómine exáudi vocem meam. Nec aspíciat.

Lectio v. *Job 14.*

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur, & contéritur, & fugit velut umbra, & numquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis, super hujuscémodi aperíre óculos tuos, & addúcere cum te cum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. Hei mihi Dómine, quia peccávi nimis in vita mea. Quid fáciam miser? ubi fúgiam, nisi ad te Deus meus? * Miserére mei, dum véneris in novíssimo die. ℣. Anima mea turbáta est valdè, sed tu Dómine succúrre ei. Miserére.

Lectio vj. *Job 14. c*

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, & constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei? Putásne mórtuus homo rursum vivat? cunctis diébus, quibus nunc milito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego respondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.

℟. Ne recordéris peccáta mea Dómine, * Dum véneris judicáre sǽculum per ignem. ℣. Dírige Dómine Deus meus in conspéctu tuo viam meam. Dum véneris. ℣. Réquiem ætérnam. Dum véneris.

Posteà ad Laudes, ut infra, clxxxvij. quando dicitur unum tantum Nocturnum.



## IN III. NOCTURNO.

Pro Feria quarta & Sabbato.

Antiphona. Compláceat.

Psalmus 39.

EXpéctans expectávi Dóminum, * & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas: * & edúxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos: * & diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, & timébunt: * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus: * & non respéxit in vanitátes & insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua: * & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi & locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluísti: * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum & pro peccáto non postulásti: * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

An-

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo: Dómine tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo: * veritátem tuam, & salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam, & veritátem tuam, * à concílio multo.

Tu autem Dómine ne longe fácias miseratiónes tuas à me: * misericórdia tua & véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei: * & cor meum dereliquit me.

Compláceat tibi Dómine ut erúas me: * Dómine ad adjuvándum me réspice.

Confundántur & revereántur simul: qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsùm, & revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent, & læténtur super te omnes quæréntes te: * & dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem méndicus sum, & pauper: * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es: * Deus meus ne tardáveris.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Compláceat tibi Dómine, ut erípias me: Dómine ad adjuvándum me réspice.

Antiphona. Sana Dómine.

Psalmus 40.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem: * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra: * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine miserére mei: * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & peribit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idípsum.

Advérsùm me susurrábant omnes inimíci me: * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me: * Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi: * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére mei, & resúscita me: * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti: * & confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël à sæculo, & usque in sæculum: * fiat, fiat.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Sana Dómine ánimam meam, quia peccávi tibi.

Antiphona. Sitívit.

Psalmus 41.

QUemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum: * ità desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídiè: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis, & confessiónis: * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * proptéreà memor ero tui de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam: * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, dicam Deo: * Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * & quare contristátus incédo, dum affligit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei:

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Réquiem ætérnam.

An-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Antiphona. Sitivit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam & apparébo ante fáciem Dómini: ℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. Pater noster, totum secretò.

Lectio vij. *Job 17.*

SPíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, & solùm mihi súperest sepúlchrum. Non peccávi, & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me Dómine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipatæ sunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rursùm post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, & in ténebris stravi lectulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es, mater mea, & soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea, & patiéntiam meam quis considerat?

℟. Peccántem me quotídiè, & non me pœniténtem, timor mortis contúrbat me, * Quia in inférno nulla est redémptio, miserére mei Deus, & salva me. ℣. Deus in nómine tuo salvum me fac, & in virtúte tua líbera me. Quia in inférno.

Lectio viij. *Job 19. c*

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum, & derelícta sunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? quis mihi det ut exaréntur in libro stylo férreo, & plumbi lámina, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum: Et rursùm circúmdabor pelle mea, & in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Dómine, secúndùm actum meum noli me judicáre: nihil dignum in conspéctu tuo egi: ideò déprecor majestátem tuam, * Ut tu Deus déleas iniquitátem meam. ℣. Ampliùs lava me Dómine ab injustítia mea, & à delícto meo munda me. Ut tu Deus.

Lectio ix. *Job 10. d*

QUare de vulva eduxísti me? qui útinam consúmptus essem ne óculus me vidéret. Fuíssem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi? dimítte ergo me, ut plangam páululum dolórem meum: ántequam vadam & non revértar, ad terram tenebrósam, & opértam mortis calígine: terram misériæ & tenebrárum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempitérnus horror inhábitat.

℟. Líbera me Dómine de viis inférni, qui portas æreas confregísti: & visitásti inférnum, & dedísti eis lumen, ut vidérent te, * Qui erant in pœnis tenebrárum. ℣. Clamántes & dicéntes: Advenísti Redémptor noster. Qui erant. ℣. Réquiem ætérnam. Qui.

Sequens ℟. dicitur solummodo in die Commemoratiónis ómnium Defunctórum, & quandocúmque pro Defunctis dicúntur novem Lectiones.

℟. Líbera me Dómine de morte ætérna, in die illa treménda: * Quando cæli movéndi sunt & terra: * Dum véneris judicáre sæculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego, & tímeo dum discússio vénerit, atque ventúra ira. Quando. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitátis & misériæ, dies magna & amára valde. Dum véneris. ℣. Réquiem ætérnam. Líbera me, usque ad primum Versum.



## AD LAUDES,

Absolúte incípitur.

Ant. Exultábunt Dómino.

Psalmus 50.

MIserére mei Deus, * secúndùm magnam misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea: * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci: * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam, * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua: *

tua : * & spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * & spíritu principáli confírma me.

Docêbo iníquos vias tuas : * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salûtis meæ, * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum & humiliâtum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, & holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Exultábunt Dómino ossa humiliâta.

Antiphona. Exáudi Dómine.

Psalmus 64.

TE decet hymnus Deus in Sion : * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos : * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, & assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster : * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis : * éxitus matutíni, & véspere delectábis.

Visitásti terram, & inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replêtum est aquis, parásti cibum illôrum : * quóniam ita est præparátio est.

Rivos ejus inébria : multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Réquiem ætérnam.

An-



Antiphona. Exáudi Dómine oratiónem meam, ad te omnis caro véniet.

Antiphona. Me suscêpit.

Psalmus 62.

DEus Deus meus * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quàm multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, & ínvia, & inaquósa : * sic in sancto appárui tibi, ut vidêrem virtútem tuam, & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea : * & lábiis exultatiônis laudâbit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuârum exultábo, adhæsit ánima mea post te : * me suscêpit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dicitur Réquiem.

Psalmus 66.

DEus misereâtur nostri, & benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri.

Ut cognoscâmus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes : * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus : confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus * & métuant eum omnes fines terræ.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Me suscépit déxtera tua Dómine.

Antiphona. A porta ínferi.

Canticum Ezechiæ.

*Isaiæ 38. b*

EGo dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum. * Dixi : Non vidêbo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultrà, * & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, & convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Præcisa est velut à texénte, vita mea : dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me : * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum.

Dómine vim pátior, respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit ?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, & in tálibus vita spíritus mei, corrípies me, & vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima :

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret, * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : * non expectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine salvum me fac, * & psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. A porta ínferi érue Dómine ánimam meam.

Antiphona. Omnis spíritus.

Psalmus 148.

LAudáte Dóminum de cælis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol & luna : * laudáte eum omnes stellæ, & lumen.

Laudáte eum cæli cælórum : * & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, & facta sunt : * ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, & in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus :

Montes, & omnes colles : * ligna fructífera, & omnes cedri.

Béstiæ & univérsa pécora : * serpéntes, & vólucres pennátæ :

Reges terræ, & omnes pópuli : * príncipes & omnes júdices terræ.





Júvenes, & vírgines : senes cum junióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum & terram : * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dícitur Réquiem.

Psalmus 149.

CAntáte Dómino cánticum novum : * laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo, qui fecit eum : * & fílii Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano & psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : * & exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória, * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : * & gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dícitur Réquiem.

Psalmus 150.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, & cíthara.

Laudáte eum in tympano, & choro : * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Omnis spíritus laudet Dóminum. ℣. Audívi vocem de cælo dicéntem mihi. ℟. Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.

Antiphona. Ego sum.

Canticum Zachariæ

*Lucæ* 1. g.

BEnedíctus Dóminus Deus Israel, * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à sæculo sunt, prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, *

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * & memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, & justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus: * in remissiónem peccatórum eórum:

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos óriens ex alto:

Illumináre his, qui in ténebris & in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Ego sum resurréctio, & vita: qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætérnum.

Deinde Pater noster. Psalmus De profúndis. clxxiij. cum Précibus & Oratiónibus, ut supra in Vésperis. clxxv.

## PSALMI GRADUALES

Dicúntur in Quadragésima Féria quarta cujúslibet Hebdómadæ, non impedita áliquo Festo novem Lectiónum, in Choro ante Matutínum diei, extra Chorum pro opportunitáte témporis.

Primi quinque Psalmi dicúntur sine Glória Patri. Sed in fine ultimi dicitur Réquiem ætérnam.

Incipiuntur absolúte sine Añz.

### Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi: * & exaudívit me.

Dómine libera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi: * ad linguam dolósam?

Sagittæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est, habitávi cum habitántibus Cedar: * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

### Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cælum & terram.

Non



Non det in commotiónem pedem tuum: * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum, & éxitum tuum * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

### Psalmus 121.

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua: * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

### Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum,

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ: * ità óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri: * quia multum repléti sumus despectióne:

Quia multum repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

### Psalmus 123.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israël: * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cum exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíssent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra: * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.



Ani-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * & memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, & justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus: * in remissiónem peccatórum eórum:

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos óriens ex alto:

Illumináre his, qui in ténebris & in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Réquiem ætérnam.

Antiphona. Ego sum resurréctio, & vita: qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætérnum.

Deinde Pater noster. Psalmus De profúndis. clxxiij. cum Précibus & Oratiónibus, ut suprà in Vésperis. clxxv.

## PSALMI GRADUALES

Dicúntur in Quadragésima Féria quarta cujúslibet Hebdómadæ, non impedita áliquo Festo novem Lectiónum, in Choro ante Matutínum diei, extra Chorum pro opportunitáte témporis.

Primi quinque Psalmi dicúntur sine Glória Patri. Sed in fine último dicitur Réquiem ætérnam.

Incipiúntur absolúte sine Añ.

### Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi: * & exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi: * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est, habitávi cum habitántibus Cedar: * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

### Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cælum & terram.

Non



Non det in commotiónem pedem tuum: * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum, & éxitum tuum * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

### Psalmus 121.

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te:

Fiat pax in virtúte tua: * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

### Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum,

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ: * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri: * quia multum repléti sumus despectióne:

Quia multum repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

### Psalmus 123.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel: * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * forte vivos deglutíssent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra: * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Anima nostra sicut passer erépta est? * de láqueo venántium.

Láqueus contritus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cælum & terram.

Réquiem ætérnam * dona eis Dómine.

Et lux perpétua * lúceat eis.

Deinde dicitur flexis génibus, Pater noster, secréto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Orátio.

ABsólve, quǽsumus Dómine, ánimas famulórum, famularúmque tuárum, & ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum: ut in resurrectiónis glória inter sanctos & eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post oratiónem statim dicuntur alii Psalmi Graduáles, qui sequúntur: & in fine cujúslibet Psalmi dícitur, Glória Patri, & Fílio.

Psalmus 124.

QUi confídunt in Dómino, sicut mons Sion: * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus: * & Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc & usque in sǽculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum: * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac Dómine bonis, * & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israel.

Glória Patri, & Fílio.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter Gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Glória Patri, & Fílio.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum: * ecce heréditas Dómini: fílii, merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ita fílii excussórum.

Beátus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in porta.

Glória Patri, & Fílio.

Psalmus 127.

BEáti omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo: * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Glória Patri, & Fílio.

Psalmus 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Israël.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum: * confundántur & convertántur retrórsùm omnes, qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum: * quod priúsquam evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum suam qui metit: * & sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini super vos: * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Glória Patri, & Fílio.

Póstea dícitur flexis génibus, Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secrétò. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Meménto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Orátio.

DEus, cui próprium est miseréri semper, & párcere: súscipe deprecatiónem nostram, ut nos, & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

*Post Oratiónem statim dicúntur álii Psalmi Graduáles, qui sequúntur: & in fine cujúslibet Psalmi dícitur,*

Glória Patri, & Fílio.

### Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, & Fílio.

### Psalmus 130.

DOmine non est exaltátum cor meum: * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis: * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam: * sed exaltávi ánimam meam:

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino, * ex hoc nunc, & usque in sæculum. Glória Patri.

### Psalmus 131.

MEménto Dómine David, * & omnis mansuetúdinis ejus:

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domus meæ: * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis: * & pálpebris meis dormitatiónem:

Et réquiem tempóribus meis: donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephra-



Ephrata: * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge Dómine in réquiem tuam, * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam: * & sancti tui exsúltent.

Propter David servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eam: * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * & testimónia mea hæc, quæ docébo eos.

Et fílii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi, * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári: * & sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Glória Patri, & Fílio.

### Psalmus 132.

ECce quàm bonum, & quàm jucúndum: * habitáre fratres in unum:

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aaron,

Quod descéndit in oram vestiménti ejus: * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * & vitam usque in sæculum.

Glória Patri, & Fílio.

### Psalmus 133.

ECce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cælum & terram.

Glória Patri, & Fílio.

*Deinde dícitur flexis génibus,* Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. *secréto* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Orátio.

PRætende Dómine fámulis & famulábus tuis déxteram cæléstis auxílii: ut te toto corde perquírant, & quæ digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

SEPTEM PSALMI

Pœnitentiáles cum Litaníis dicúntur flexis génibus in ómnibus sextis Fériis Quadragésimæ, quando Offícium fit de Féria: Litaníæ autem, omíssis Septem Psalmis, dicúntur in Litaníis majóribus, in festo sancti Marci, & in tribus diébus Rogatiónum.

Dicúntur autem in Quadragésima in Choro post Matutínum, & Laudes diei, dicto Benedicámus Dómino. Extra Chorum pro opportunitáte témporis.

Antiphona. Ne reminiscáris.

Psalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua córripias me.

Miserére mei Dómine, quóniam infírmus sum: * sana me Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè: * sed tu Dómine úsquequò?

Convértere Dómine, & éripe ánimam meam, * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur & erubéscant valdè velóciter.

Glória Patri, & Fílio.

Psalmus 31.

BEáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes: * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea: * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in ærumna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci: * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injustítiam meam Dómino: * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum á tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exsultátio mea érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus & mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo & freno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exsultáte justi, * & gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri, & Fílio.



Psalmus 37.

DOmine ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua córripias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi: * & confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: * & sicut onus grave graváta sunt super me.

Putruérunt & corrúptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem: * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus: * & non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum: * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, dereliquit me virtus mea: * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amíci mei, & próximi mei * advérsùm me appropinquavérunt, & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de lon-

longè stetérunt: * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam: * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens: * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te Dómine sperávi: * tu exáudies me Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei: * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum: * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo: * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me: * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retribúunt mala pro bonis, detrahébant mihi: * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me Dómine Deus meus: * ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meum: * Dómine Deus salútis meæ.

Glória Patri, & Fílio.

## Psalmus 50.

Miserére mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci: * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam: * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis: * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua: * & spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * & spíritu principáli confírma me.



Docébo iníquos vias tuas: * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ: * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries: * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, & holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri, & Fílio.

## Psalmus 101.

Dómine exáudi oratiónem meam: * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me: * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei: * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, & áruit cor meum: * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis: * factus sum sicut nycticorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei, * & qui laudábant me, advérsum me jurábant:

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ: * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt: * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes: * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exúrgens miseréberis Sion: * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus: * & terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt Gentes nomen tuum Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion: * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiônem humílium: * & non sprevit precem eôrum.

Scribántur hæc in generatióne áltera: * & pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum.

Quia prospéxit de excélso sancto suo: * Dóminus de cælo in terram aspéxit:

Ut audíret gémitus compeditórum: * ut sólveret Fílios interemptôrum:

Ut annúntient in Sion nomen Dómini: * & laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * & reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtûtis suæ: * Paucitátem diêrum meôrum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diêrum meórum: * in generatiônem & generatiônem anni tui.

Inítio tu Dómine terram fundásti: * & ópera mânuum tuárum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: * & omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutâbis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient.

Filii servôrum tuôrum habitábunt, * & semen eórum in sæculum dirigétur.

Glória Patri, & Fílio.

## Psalmus 129.

De profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiônis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: * Dómine quis sustinêbit?

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperâvit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud eum redemptio.

Et ipse rédimet Israel, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, & Fílio.

## Psalmus 142.

Dómine exáudi oratiônem meam: áuribus pércipe obsecratiônem meam in veritáte tua: * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo: * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.





Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi: * & anxiâtus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diêrum antiquôrum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis: * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi:

Velóciter exáudi me Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me: * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam: * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem: * quia ad te levâvi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedûcet me in terram rectam: * propter nomen tuum Dómine vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatiône ánimam meam: * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam: * quóniam ego servus tuus sum.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

## LITANIÆ.

Kyrie eléison.
Christe eleison.
Kyrie eléison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miserére nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, Miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miserére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriël, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli, & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirituum Órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ, & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quia ædificàvit Dóminus Sion: * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiònem humílium: * & non sprevit precem eòrum.

Scribántur hæc in generatiòne áltera: * & pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum.

Quia prospéxit de excélso sancto suo: * Dóminus de cælo in terram aspéxit:

Ut audíret gémitus compeditòrum: * ut sólveret fílios interemptòrum:

Ut annúntient in Sion nomen Dómini: * & laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * & reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtùtis suæ: * Paucitàtem dièrum meòrum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meòrum: * in generatiònem & generatiònem anni tui.

Inítio tu Dómine terram fundásti: * & ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: * & omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient.

Filii servòrum tuòrum habitábunt, * & semen eòrum in sæculum dirigètur.

Glória Patri, & Filio.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiònis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: * Dómine quis sustinèbit?

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, & Filio.

Psalmus 142.

DOmine exáudi oratiònem meam: áuribus pércipe obsecratiònem meam in veritáte tua: * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo: * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.





Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi: * & anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquòrum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis: * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi:

Velóciter exáudi me Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me: * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam: * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem: * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum Dómine vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatiòne ánimam meam: * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam: * quóniam ego servus tuus sum.

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

## LITANIÆ.

Kyrie eléison.
Christe eleison.
Kyrie eléison.
Christe audi nos.
Christe exáudi nos.
Pater de cælis Deus, Miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, Miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, Miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miserére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli, & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirituum Ordines, oráte.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ, & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sancte Jacòbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli, & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discipuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancti Fabiáne & Sebastiáne, oráte pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Cosma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gervasi & Protási, oráte pro nobis.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Omnes sancti Pontífices, & Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes & Levitæ, oráte pro nobis.
Omnes sancti Mónachi, & Eremitæ, oráte.
Sancta Maria Magdaléna, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, oráte pro nobis.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Dómine.
Propitius esto, exáudi nos Dómine.
Ab omni malo, libera nos Dómine.
Ab omni peccáto, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitánea, & improvisa morte, libera.
Ab insídiis diáboli, libera nos Dómine.
Ab ira & ódio, & omni mala voluntáte, libera.
A spiritu fornicatiónis, libera nos Dómine.
A fúlgure & tempestáte, libera nos Dómine.
A morte perpétua, libera.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ, libera.
Per adventum tuum, libera nos Dómine.
Per nativitátem tuam, libera nos Dómine.
Per baptismum & sanctum jejúnium tuum, libera.
Per crucem & passiónem tuam, libera.
Per mortem & sepultúram tuam, libera.
Per sanctam resurrectiónem tuam, libera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, libera.
Per advéntum Spiritus sancti Paracliti, libera.
In die judicii, libera.
Peccatóres, te rogámus audi no:.
Ut nobis parcas, te rogámus audi nos.
Ut nobis indúlgeas, te rogámus audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus audi nos.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere & conserváre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut domnum Apostólicum & omnes Ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut Régibus & princípibus Christiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus.
Ut cuncto pópulo Christiáno pacem, & unitátem largiri dignéris, te rogámus audi nos.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortáre, & conserváre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut mentes nostras ad cæléstia desidéria érigas, te rogámus audi nos.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, & benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus.
Ut fructus terræ dare & conserváre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut nos exaudire dignéris, te rogámus audi nos.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.
Christe audi nos. Christe exáudi nos. Kyrie eléison. Christe eleison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto.



℣. Et

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 69.

DEus in adjutórium meum inténde: * Dómine ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur, & revereántur, * qui quærunt ánimam meam:

Avertántur retrórsum, & erubéscant, * qui volunt mihi mala:

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te, * & dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, & pauper sum: * Deus ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu: * Dómine ne moréris.

Glória Patri. Sicut erat.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te. ℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci. ℣. Nihil profíciat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. ℣. Dómine non secúndum peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Orémus pro Pontífice nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus. ℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre Dómine ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. Amen. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis Dómine: & lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Orátio.

DEus, cui próprium est miseréri semper, & párcere: súscipe deprecatiónem nostram; ut nos, & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXáudi, quǽsumus Dómine, súpplicum preces: & confiténtium tibi parce peccátis: ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.



INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde: ut simul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis, quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris, preces pópuli tui supplicántis propítius réspice: & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

OMnípotens sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N. & dírige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ: ut te donánte tibi plácita cúpiat, & tota virtúte perfíciat.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla.

URe igne sancti Spíritus renes nostros, & cor nostrum, Dómine: ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

FIdélium Deus ómnium Cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum, remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur.

ACtiónes nostras, quǽsumus Dómine, aspirándo præveni, & adjuvándo proséquere: ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

OMnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, omniúmque miseréris quos tuos fide & ópere futúros esse prænóscis: te súpplices exorámus; ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sǽculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia, ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Exáudiat nos omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen. ℣. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

## ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ.

Primùm dicúntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.
Sancta María, Ora pro eo.
Omnes

Omnes sancti Angeli & Archángeli, oráte pro eo.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórum, ora.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discipuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro eo.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro eo.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Omnes sancti Pontífices & Confessóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Mónachi & Erémitæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora pro eo.
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro eo.
Propitius esto, parce ei Dómine.
Propitius esto, libera eum Dómine.
Propitius esto, libera.
Ab ira tua, libera.
A periculo mortis, libera.
A mala morte, libera.
A pœnis inferni, libera.
Ab omni malo, libera eum Dómine.
A potestáte diáboli, libera eum Dómine.
Per nativitátem tuam, libera eum Dómine.
Per Crucem & passiónem tuam, libera.
Per mortem & sepultúram tuam, libera.
Per gloriósam resurrectiónem tuam, libera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, libera.
Per grátiam Spíritus sancti Parácliti, libera.
In die judícii, libera.
Peccatóres, te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus audi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Deinde cum in agóne sui éxitus ánima anxiátur, dicéntur sequéntes Oratiónes.

Oratio.

PRoficíscere ánima Christiána de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit: in nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est: in nómine Spíritus sancti, qui in te effúsus est, in nómine Angelórum & Archangelórum: in nómine Thronórum & Dominatiónum: in nómine Principátuum & Potestátum: in nómine Chérubim & Séraphim: in nómine Patriarchárum & Prophetárum: in nómine sanctórum Apostolórum & Evangelistárum: in nómine sanctórum Mártyrum & Confessórum: in nómine sanctórum Monachórum & Eremitárum: in nómine sanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei: hódie sit in pace locus tuus, & habitátio tua in sancta Sion. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Oratio.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus, qui secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas vénia remissiónis evácuas: réspice propítius super hunc fámulum tuum N. & remissiónem ómnium peccatórum suórum tota cordis confessióne poscéntem deprecátus exaudi. Rénova in eo, piíssime Pater, quidquid terréna fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólica fraude violátum est, & unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annécte. Miserére Dómine gemítuum, miserére lacrymárum ejus, & non habéntem fidúciam, nisi in tua misericórdia, ad tuæ sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

COmméndo te omnipoténti Deo, charíssime frater, & ei, cujus es creatúra, commítto: ut cum humanitátis débitum morte interveniénte persólveris, ad auctórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore spléndidus Angelórum cœtus occúrrat: judex Apostolórum tibi senátus advéniat: candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet: liliáta rutilántium te Confessórum turma circúmdet: jubilántium te Vírginum chorus excípiat: & beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus adstríngat: mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi te-

teterrimus sátanas cum satellítibus suis: in advéntu tuo te comitántibus Angelis contremiscat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus: & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant: sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei: & justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei. Confundántur ígitur & erubéscant omnes tartáreæ legiónes, & minístri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Christus, qui pro te crucifíxus est. Líberet te ab ætérna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Fílius Dei vivi intra paradísi sui semper amœna viréntia, & inter oves suas te verus ille pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat: atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, & præsens semper assístens, manifestíssimam beatis óculis aspícias veritátem. Constitútus ígitur inter ágmina beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

## Orátio.

Súscipe Dómine servum tuum in locum sperándæ sibi salvatiónis à misericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Henoch & Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Job de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui sicut liberásti Isaac de hóstia, & de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Moysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti tres púe-



ros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti David de manu regis Saül, & de manu Goliæ. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam vírginem & mártyrem tuam de tribus atrocíssimis torméntis liberásti; sic liberáre dignéris ánimam hujus servi tui, & tecum fácias in bonis congaudére cæléstibus. ℟. Amen.

## Orátio.

Commendámus tibi Dómine ánimam fámuli tui N. precamúrque te Dómine Jesu Christe Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce Dómine creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo & vero: quia non est álius Deus præter te: & non est secúndùm ópera tua. Lætífica Dómine ánimam ejus in conspéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, & ebrietátum, quas suscitávit furor sive fervor mali desidérii. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit, & zelum Dei in se hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

## Orátio.

Delícta juventútis, & ignorántias ejus, quǽsumus, ne memíneris Dómine: sed secúndùm magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cæli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum Dómine servum tuum súscipe. Suscípiat eum sanctus Míchaël Archángelus Dei, qui milítiæ cæléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, & perdúcant eum in civitátem cæléstem Jerúsalem. Suscípiat eum beátus Petrus Apóstolus, cui à Deo claves regni cæléstis trádítæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes sancti & elécti Dei, qui

pro

pro Christi nómine tormenta in hoc sæculo sustinuérunt: ut vinculis carnis exútus, pervenire mereátur ad glóriam regni cæléstis: præstánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Si anhelátur adhuc anima, dicúntur hi Psalmi, vidélicet, Confitémini Dómino. 24. & totus Psalmus Beáti immaculáti, per Horas distribútus. 25.

Egressa autem ánima, dicitur hoc ℟. Subveníte Sancti Dei, occúrrite Angeli Dómini: * Suscipiéntes ánimam ejus: * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus qui vocávit te, & in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te. Suscipiéntes. ℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine, & lux perpétua lúceat ei. Offeréntes eam.

Deindè Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pósteà Pater noster, secrétò. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus. ℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Orátio.

Tibi Dómine commendámus ánimam fámuli tui N. ut defúnctus sæculo tibi vivat: & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

## BENEDICTIO MENSÆ.

Ante prándium Sacérdos benedictúrus mensam incipit Benedícite, & alii repetunt Benedícite. Deindè dicit ℣. Oculi ómnium, & alii prosequúntur In te sperant Dómine, & tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secrétò. ℣. Et ne nos indúcas. ℟. Sed líbera.

Pósteà Sacérdos dicit Orémus.

Benedic Dómine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dein-



Deindè Lector. Jube domne benedícere. Benedíctio. Mensæ cæléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

Post prándium aguntur grátiæ hoc modo. Dicto à Lectóre Tu autem Dómine miserére nobis. ℟. Deo grátias, omnes surgunt.

Sacérdos incipit, ℣. Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua. ℟. Et sancti tui benedícant tibi. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat in principio.

Pósteà Sacérdos absolútè dicat:

Agimus tibi grátias omnípotens Deus pro univérsis benefíciis tuis: qui vivis & regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deindè alternátim dicitur Psalmus Miserére mei Deus. 59.

Vel Psalmus 116.

Laudáte Dóminum omnes Gentes, * laudáte eum omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri. Sicut erat.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Sacérdos dicit secrétò, Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Benedícam Dóminum in omni témpore. ℟. Semper laus ejus in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea. ℟. Audiant mansuéti, & læténtur. ℣. Magnificáte Dóminum mecum. ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum. ℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Deindè sine Orémus.

Retribúere dignáre Dómine ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. ℟. Amen. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen. Pater noster, secrétò. Quo finito dicit Sacérdos Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

Ante cœnam Sacérdos benedictúrus mensam, incipit Benedícite, & alii repetunt Benedícite.

Deindè Sacérdos incipit ℣. & alii prosequúntur.

Edent páuperes, & saturabúntur, & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Glória Patri. Sicut erat.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secrétò, Et ne nos. Orémus. Bénedic Dómine.

ut

ut suprà in prándio. ccxij Jube domne. Benedict. Ad cœnam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine cœnæ dicitur

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. Glória Patri. Sicut erat.

Sacerdos dicat

BEnedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis: qui vivit & regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deindè alternatim dicitur Psalmus Laudáte Dóminum omnes Gentes, & reliqua ut suprà. ccxiij.

Quando semel comeditur, ómnia dicuntur ut in cœna.

Prædictus modus benedicendi mensam, & agendi grátias, servátur omni témpore hujus partis Autumnális.

## ITINERARIUM.

CLéricus in ipso itíneris ingréssu, si solus fúerit, dicat quæ sequúntur in singulari; si cum sóciis, in plurali.

Antíphona. In viam pacis.

Cánticum Zacharíæ.

*Lucæ* 1. g

BEnedíctus Dóminus Deus Israël, * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ:

Et eréxit cornu salútis nobis: * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à sæculo sunt, prophetárum ejus:

Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * & memoráre testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, & justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus: * in remissiónem peccatórum eórum:

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos óriens ex alto:

Illumináre his, qui in ténebris & in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, & Fílio.

Antíphona. In viam pacis & prosperitátis dírigat nos omnípotens & miséricors Dóminus: & Angelus Ráphael comitétur nobíscum in via: ut cum pace, salúte, & gáudio revertámur ad própria.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te. ℣. Mitte nobis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére nos. ℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci. ℣. Nihil profíciat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. ℣. Benedíctus Dóminus die quotídie. ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. ℣. Vias tuas Dómine demónstra nobis. ℟. Et sémitas tuas édoce nos. ℣. Utinam dirigántur viæ nostræ. ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas. ℣. Erunt prava in dirécta. ℟. Et áspera in vias planas. ℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEus, qui fílios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandísti: tríbue nobis quæsumus iter prósperum, tempúsque tranquíllum; ut Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demúm ad ætérnæ salútis portum pervenire felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti: quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis Dómine in procínctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia & frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus: ut te duce quò téndimus, prósperè perveniámus, & demúm incólumes ad própria redeámus.

ADesto, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris: & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne, ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus: ut família tua per viam salútis incédat, & beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædi-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dixit, secûra pervéniat, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitâte Spiritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Procedâmus in pace.
℟. In nómine Dómini. Amen.





# OFFICIUM PROPRIUM
# S. REMIGII EPISCOPI
## ET CONFESSORIS,
## RECITANDUM AD LIBITUM EORUM,
## QUI UTUNTUR BREVIARIO ROMANO,
A Sacra Rituum Congregatiône approbâtum.

*Sacra Rituum Congregatio habita die 2. Decembris 1673. statuit, ex mandato* CLEMENTIS X. *Festa Sanctorum ad libitum in posterum non esse transferenda, si eorum Festivitas incidat in diem Dominicum, vel aliquem diem Festorum mobilium, sed tunc illo anno eorum Officia esse omittenda. Quod ipsum posteà* INNOCENTIUS PAPA XI. *in Congregatione habita 24. Januarii 1682. generali Decreto confirmavit, & extendit insuper etiam ad Octavas & Natalitia Sanctorum, de praecepto in aliqua Religione vel Diœcesi ex Indulto Apostolico recitanda. Ita ut ne quidem dictis Festis vel Octavis Festa ad libitum tunc incidentia possint recitari, sed omitti prorsus debeant.*

*Permisit tamen, ut Festum translatum, quod aliàs eo die celebrandum foret, in alium diem non impeditum transferatur: item ut eodem die omitti possit Officium semel per hebdomadam aut mensem recitandum ex Indulto Apostolico; ut ità locus sit celebrando Officio ad libitum.*

## DIE I. OCTOBRIS.

In festo sancti Remigii Episcopi & Confessôris.
Semidúplex.

Omnia de Communi Confessôris Pontíficis Iüj. præter sequentia.

In Hymno Iste Confésssor, mutâtur tértius Versus.

*Pari Autumnâlis,*

Orátio.

DA quæsumus omnipotens Deus, ut beâti Remígii Confessôris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, & devotiônem nobis áugeat, & salûtem. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúrâ occurrénte.

k In

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dixit, secûra pervéniat, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitâte Spiritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Procedâmus in pace.
℟. In nómine Dómini. Amen.





# OFFICIUM PROPRIUM
# S. REMIGII EPISCOPI ET CONFESSORIS,
## RECITANDUM AD LIBITUM EORUM, QUI UTUNTUR BREVIARIO ROMANO,
### A Sacra Rituum Congregatiône approbâtum.

*Sacra Rituum Congregatio habita die 2. Decembris 1673. statuit, ex mandato* CLEMENTIS X. *Festa Sanctorum ad libitum in posterum non esse transferenda, si eorum Festivitas incidat in diem Dominicum, vel aliquem diem Festorum mobilium, sed tunc illo anno eorum Officia esse omittenda. Quod ipsum posteà* INNOCENTIUS PAPA XI. *in Congregatione habita 24. Januarii 1682. generali Decreto confirmavit, & extendit insuper etiam ad Octavas & Natalitia Sanctorum, de præcepto in aliqua Religione vel Diœcesi ex Indulto Apostolico recitanda. Ita ut ne quidem dictis Festis vel Octavis Festa ad libitum tunc incidentia possint recitari, sed omitti prorsùs debeant.*

*Permisit tamen, ut Festum translatum, quod aliàs eo die celebrandum foret, in alium diem non impeditum transferatur: item ut eodem die omitti possit Officium semel per hebdomadam aut mensem recitandum ex Indulto Apostolico; ut ità locus sit celebrando Officio ad libitum.*

## DIE I. OCTOBRIS.

In festo sancti Remigii Episcopi & Confessôris.
Semidûplex.

Omnia de Communi Confessôris Pontíficis Iüj. præter sequentia.

In Hymno Iste Confessor, mutâtur tertius Versus.

*Pari Autumnâlis.*

Orâtio.

DA quæsumus omnipotens Deus, ut beâti Remigii Confessôris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, & devotiônem nobis âugeat, & salûtem. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiones de Scriptûrâ occurrénte.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In secúndo Noctúrno.

Léctio iv.

Remígius, Episcopus Rheménsis, flóruit Clodovéo rege Francôrum, quem étiam baptizâvit, & primus ómnium doctrína & miráculis Francos ad Christi Dómini fidem perdúxit. Ejus oratióne mórtua puélla revíxit. Multos interpretâtus est divínæ Scriptúræ libros. Ampliùs septuagínta annos summa cum laude Rheménsem Ecclésiam administrâvit. Cujus vitæ & mortis sanctitâtem multa, quæ consecúta sunt, miràcula comprobavérunt.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitâtis non nocébit ei. Manus,

Réliqua dicúntur ex Commúni Confessóris Pontíficis, primo loco. lix.

HO-



# HOMILIA

## DICENDA IN MATUTINIS

## IN FESTIS UNIUS MARTYRIS non Pontíficis, quando in eis dícitur Missa In virtûte tua.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 10. d*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári, quia vénerim pacem míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 1. in Matth. cap. 10.*

Suprà díxerat: Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, & quod in aure audítis, prædicáte super tecta: nunc infert, quid post prædicatiónem sequátur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divísus est, unaquæque domus & infidéles & credéntes hábuit: & proptéreà bellum missum est bonum, ut rumperêtur pax mala. Tale quid & in Génesi advérsùs rebélles hómines, qui moti fúerant de Oriénte, & turrem extrúere festinábant, per quam cæli alta penetrârent, fecísse scríbitur Deus, ut divíderet linguas eórum.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitâtis, glória honóris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa signo.

Léctio viij.

Veni enim separáre hóminem advérsùs patrem suum. Hic locus propè iisdem verbis in Michæa Prophéta scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri testaménto testimónium pónitur, utrùm sensus tantùm, an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Qui ante præmíserat: Non veni pacem míttere, sed gládium, & divídere hómines advérsùs patrem & matrem, nurum & socrum; ne quis pietâtem religióni an-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE

anteferret, subjécit dicens: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me. Et in Cántico légimus canticórum: Ordinávit in me charitátem. Hic ordo in omni affectu necessárius est: ama post Deum, patrem, ama matrem, ama fílios.

℟. Hic est verè martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit. * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

Ordo pulchérrimus: ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, affectum súbjicit religióni. Aurum suprà túlerat, æs de zona excússerat: dura Evangelistárum condítio. Undè ergo sumptus, undè victus necessária? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum: Qui récipit, inquiens, vos, me récipit: & qui me récipit, récipit eum, qui me misit: ut in suscipiéndis Apóstolis unusquisque credéntium Christum se suscepisse arbitrétur.

Te Deum laudámus. 18.

PSAL-



# PSALMORUM INDEX.

*Ad Dóminum cùm tribulárer.* 119. 137
*Ad te Dómine clamábo.* 27. 49
*Ad te Dómine levávi ánimam.* 24. 33
*Ad te levávi óculos meos.* 122. 139
*Afférte Dómino fílii Dei.* 28. 49
*Atténdite pópule meus.* 77. 95
*Audíte hæc omnes Gentes.* 48. 70
*Beáti immaculáti in via.* 118. 25
*Beáti omnes, qui timent.* 127. 142
*Beáti quorum remissæ.* 31. 52
*Beátus qui intélligit super.* 40. 65
*Beátus vir, qui non ábiit.* 1. 3
*Beátus vir, qui timet Dóminum.* 111. 134
*Benedícam Dóminum in omni témpore.* 33. 53
*Bénedic ánima mea.* j. 102. 119
*Bénedic ánima mea.* ij. 103. 120
*Benedíctus Dóminus Deus.* 143. 152
*Benedixísti Dómine terram.* 84. 105
*Bonum est confitéri Dómino.* 91. 116
*Cæli enárrant.* 18. 15
*Cantáte Dómino cánticum novum.* 149. 21
*Cantáte Dómino.* j. 95. 111
*Cantáte Dómino.* ij. 97. 115
*Confitébimur tibi Deus.* 74. 93
*Confitébor tibi Dómine, in toto.* 9. 6
*Confitébor tibi Dómine.* 110. 133
*Confitébor tibi Dómine.* 137. 148
*Confitémini Dómino, & invocáte.* 104. 121
*Confitémini Dómino quóniam.* 105. 123
*Confitémini Dómino quóniam.* 106. 125
*Confitémini Dómino quóniam.* 117. 24
*Confitémini Dómino quóniam.* 135. 146
*Consérva me Dómine.* 15. 10
*Crédidi, propter quod.* 115. 137
*Cùm invocárem exaudívit.* 4. 157
*De profúndis clamávi.* 129. 143
*Deus áuribus nostris.* 43. 67



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

anteferret, subjécit dicens: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me. Et in Cántico légimus canticórum: Ordinávit in me charitátem. Hic ordo in omni affectu necessárius est: ama post Deum, patrem, ama matrem, ama fílios.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit. * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

ORdo pulchérrimus: ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, affectum súbjicit religióni. Aurum suprà túlerat, æs de zona excússerat: dura Evangelistárum condítio. Undè ergo sumptus, undè victus necessária? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum: Qui récipit, ínquiens, vos, me récipit: & qui me récipit, récipit eum, qui me misit: ut in suscipiéndis Apóstolis unusquisque credéntium Christum se suscepisse arbitrétur.

Te Deum laudámus. 18.

PSAL-



# PSALMORUM
# INDEX.

*AD Dóminum cùm tribulárer.* 119. 137
*Ad te Dómine clamábo.* 27. 49
*Ad te Dómine levávi ánimam.* 24. 33
*Ad te levávi óculos meos.* 122. 139
*Afférte Dómino fílii Dei.* 28. 49
*Atténdite pópule meus.* 77. 95
*Audíte hæc omnes Gentes.* 48. 70
*BEáti immaculáti in via.* 118. 25
*Beáti omnes, qui timent.* 127. 142
*Beáti quorum remíssæ.* 31. 52
*Beátus qui intélligit super.* 40. 65
*Beátus vir, qui non ábiit.* 1. 3
*Beátus vir, qui timet Dóminum.* 111. 134
*Benedícam Dóminum in omni témpore.* 33. 53
*Bénedic ánima mea.* j. 102. 119
*Bénedic ánima mea.* ij. 103. 120
*Benedíctus Dóminus Deus.* 143. 152
*Benedixísti Dómine terram.* 84. 105
*Bonum est confitéri Dómino.* 91. 116
*CÆli enárrant.* 18. 15
*Cantáte Dómino cánticum novum.* 149. 21
*Cantáte Dómino.* j. 95. 111
*Cantáte Dómino.* ij. 97. 115
*Confitébimur tibi Deus.* 74. 93
*Confitébor tibi Dómine, in toto.* 9. 6
*Confitébor tibi Dómine.* 110. 133
*Confitébor tibi Dómine.* 137. 148
*Confitémini Dómino, & invocáte.* 104. 121
*Confitémini Dómino quóniam.* 105. 123
*Confitémini Dómino quóniam.* 106. 125
*Confitémini Dómino quóniam.* 117. 24
*Confitémini Dómino quóniam.* 135. 146
*Consérva me Dómine.* 15. 10
*Crédidi, propter quod.* 115. 137
*Cùm invocárem exaudívit.* 4. 157
*DE profúndis clamávi.* 129. 143
*Deus áuribus nostris.* 43. 67

 *Deus*

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Deus deòrum Dòminus.* 49. 71
*Deus Deus meus ad te de.* 62. 18
*Deus Deus meus, rèspice.* 21. 33
*Deus in adjutòrium meum.* 69. 88
*Deus in nòmine tuo salvum.* 53. 23
*Deus judicium tuum Regi da.* 71. 90
*Deus laudem meam ne tacùeris.* 108. 127
*Deus misereàtur nostri, &.* 66. 19
*Deus noster refugium.* 45. 69
*Deus, quis similis erit tibi.* 82. 104
*Deus repulìsti nos, & destruxìsti.* 59. 79
*Deus stetit in synagòga.* 81. 103
*Deus venèrunt Gentes.* 78. 98
*Deus ultiònum Dòminus.* 93. 110
*Dilèxi quòniam exàudiet.* 114. 136
*Dìligam te Dòmine fortitùdo.* 17. 12
*Dixi: Custòdiam vias meas.* 38. 64
*Dixit Dòminus Dòmino meo.* 109. 133
*Dixit injùstus ut delinquat.* 35. 56
*Dixit insìpiens in corde suo.* 13. 9
*Dixit insìpiens in corde suo.* 52. 75
*Dòmine clamàvi ad te.* 140. 150
*Dòmine Deus meus in te speràvi.* 7. 5
*Dòmine Deus salùtis meæ.* 87. 107
*Dòmine Dòminus noster.* 8. 6
*Dòmine exàudi oratiònem.* 101. 118
*Dòmine exàudi oratiònem.* 142. 112
*Dòmine in virtùte tua.* 20. 16
*Dòmine, ne in furòre tuo àrguas me.* 6. 5
*Dòmine, ne in furòre tuo.* 37. 68
*Dòmine, non est exaltàtum.* 130. 143
*Dòmine probàsti me & cognovìsti.* 138. 148
*Dòmine, quid multiplicàti.* 3. 4
*Dòmine, quis habitàbit.* 14. 10
*Dòmine, refùgium factus es.* 89. 100
*Dòmini est terra.* 23. 31
*Dòminus illuminàtio mea.* 26. 48
*Dòminus regit me.* 22. 33
*Dòminus regnàvit, decòrem.* 92. 28
*Dòminus regnàvit, exùltet.* 96. 111
*Dòminus regnàvit, irascàntur.* 98. 116
*ECce nunc benedìcite.* 133. 159
*Ecce quàm bonum.* 132. 145
*Eripe me de inimìcis meis.* 58. 78
*Eripe me Dòmine ab hòmine.* 139. 149
*Eructàvit cor meum verbum.* 44. 68
Ex-



*Exaltàbo te Deus meus.* 144. 152
*Exaltàbo te Dòmine, quòniam.* 29. 50
*Exàudiat te Dòminus in die.* 19. 16
*Exàudi Deus deprecatiònem.* 60. 80
*Exàudi Deus oratiònem.* 54. 76
*Exàudi Deus oratiònem.* 63. 81
*Exàudi Dòmine justìtiam meam.* 16. 11
*Expèctans expectàvi Dòminum.* 39. 64
*Exultàte Deo adjutòri nostro.* 80. 103
*Exultàte justi in Dòmino.* 32. 52
*Exùrgat Deus, & dissipèntur.* 67. 82
*FUndaménta ejus in móntibus.* 86. 106
*INclìna Dòmine aurem tuam.* 85. 106
*In convertèndo Dòminus.* 125. 141
*In Dòmino confìdo.* 10. 8
*In èxitu Israel de Ægypto.* 113. 134
*In te Dòmine.* 30. 50
*In te Dòmine speràvi.* 70. 88
*Jubilàte Deo omnis terra.* 65. 81
*Jubilàte Deo omnis terra.* 99. 18
*Jùdica Dòmine nocèntes me.* 34. 54
*Jùdica me Deus, & discèrne.* 42. 73
*Jùdica me Dòmine, quòniam.* 25. 33
*LÆtàtus sum in his.* 121. 140
*Lauda ànima mea Dòminum.* 145. 153
*Lauda Jerùsalem Dòminum.* 147. 154
*Laudàte Dòminum de cælis.* 148. 20
*Laudàte Dòminum in sanctis.* 150. 21
*Laudàte Dòminum omnes.* 116. 137
*Laudàte Dòminum quòniam.* 146. 154
*Laudàte nomen Dòmini.* 134. 145
*Laudàte pùeri Dòminum.* 112. 134
*Levàvi òculos meos in montes.* 120. 138
*MAgnus Dòminus, &* 47. 70
*Meménto Dòmine.* 131. 144
*Miserère mei Deus, miserère.* 56. 77
*Miserère mei Deus, quòniam.* 55. 77
*Miserère mei Deus secùndum.* 50. 59
*Misericòrdiam & judìcium.* 100. 117
*Misericòrdias Dòmini.* 88. 107
*NIsi Dòminus ædificàverit domum.* 126. 142
*Nisi quia Dòminus.* 123. 140
*Noli æmulàri in malignàntibus.* 36. 56
*Nonne Deo subjècta erit.* 61. 80
*Notus in Judæa Deus.* 75. 94



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

OMnes Gentes pláudite mánibus. 46. 69
PArátum cor meum Deus. 107. 127
QUàm bonus Israel. 72. 91
Quàm dilecta tabernácula tua. 83. 104
Quare fremuérunt Gentes. 2. 4
Quemádmodum desiderat. 41. 66.
Qui confidunt in Dómino. 124. 141
Quid gloriáris in malitia. 51. 72
Qui hábitat in adjutório. 90. 158
Qui regis Israel, inténde. 79. 99
SÆpè expugnavérunt. 128. 142
Salvum me fac Deus. 68. 86
Salvum me fac Dómine. 11. 8
Si verè útique justitiam. 57. 78
Super flúmina Babylónis. 136. 147
TE decet hymnus Deus. 64. 84
VEnite, exultémus Dómino. 94. 2
Verba mea áuribus. 5. 60
Voce mea ad Dóminum clamávi. 76. 94
Voce mea ad Dóminum. 141. 151
Usquequò Dómine oblivisceris. 12. 9
Ut quid Deus repulisti in finem. 73. 92

## CANTICORUM INDEX.

Audite cæli quæ loquor. 130
Benedícite ómnia ópera. 19
Benedictus Dóminus Deus Israel. 22
Cantémus Dómino: gloriose. 101
Confitébor tibi Dómine. 61
Dómine audívi auditiónem. 113
Ego dixi: In dimídio diérum. 74
Exultávit cor meum in Dómino. 85
Magníficat ánima mea Dóminum. 136
Nunc dimittis servum tuum. 159
Quicúmque vult salvus esse. 26.
Te Deum laudámus. 17

## HYMNORUM INDEX.

ÆTerna Cæli glória. 114
Ætérna Christi múnera. iij
Ætérne Rector síderum. 445
Ætérne rerum cónditor. 22
Ales diéi núntius. 74
Alto ex Olympi vértice. cxxxij
Ave maris stella. cxlvij
Auróra jam spargit polum. 132



Cæléstis Urbs Jerúsalem. cxxj
Cæli Deus sanctíssime. 143
Christe sanctórum decus. 431 cclv
Christo profúsum sánguinem. xxxviij
Consors Patérni lúminis. 64
Custodes hóminum. 440
Deus tuórum mílitum. xxij
Ecce jam noctis tenuátur. 21
Exúltet orbis gáudiis. ij
Fortem virili péctore. cx
Hæc est dies, qua cándidæ. 464.
Hóminis supérne Cónditor. 151
Hujus orátu, Deus alme. lxj
Jam lucis orto sídere. 23
Jam sol recédit ígneus. 155
Jam tota súbditus ccxxxv
Jesu coróna celsior, in Commúni Confessóris non Pontíficis. lxxxiij
Jesu coróna celsior, in festo Stigmatum beati Francisci. 388
Jesu coróna Vírginum. cxij
Jesu Redémptor ómnium. lxiij
Immense Cæli Cónditor. 138
Invicte Martyr, únicum. xxxiij
Iste Conféssor Dómini, colentes, in Commúni Confessóris. liij
Iste Conféssor Dómini, colentes, in festo Stigmatum B. Francisci. 384
Lucis Creátor óptime. 135
Lustra sex qui jam perégit. 375.
Lux ecce surgit áurea. 102
Magnæ Deus poténtiæ. 147
Meménto rerum Cónditor. clviij
Nocte surgéntes vigilémus. 2
Nox atra rerum contegit. 86
Nox, & ténebræ, & núbila. 86
Nunc sancte nobis Spíritus. 39
O gloriósa Vírginum. cxlix
O Quot undis. ccxxxiv
Pange lingua gloriósi láuream. 370
Placáre Christe sérvulis. 487
Primo die, quo Trínitas. 3
Quem terra, pontus, sídera. cxlviij
Rector potens, verax Deus. 43
Regis supérni núntia. 464.
Rerum Creátor óptime. 75
Rerum Deus tenax vigor. 45
Rex gloriose Mártyrum. xlix
Salútis ætérnæ Dator. 498
Sanctórum méritis. xxxvij
Somno reféctis ártubus. 48
Splendor Patérnæ glóriæ. 62
Summæ Parens cleméntiæ. 115
Summæ Deus cleméntiæ. ccxlv
Te lucis ante términum. 159
Tellúris alme Cónditor. 141
Te splendor & virtus. 419
Tibi Christe splendor. ccxlix
Tu Trinitátis Unitas. 102
Vexilla Regis pródeunt. 369
Vírginis Proles, Opiféxque. xciij



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# PROPRIUM
# FESTORUM
## QUÆ GENERALITER
## IN HISPANIA

Ex Apostólica S. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. Clementis VIII. Urbani VIII. & aliôrum Summôrum Pontíficum concessiône, & auctoritâte celebrántur.

Ad formam Officii novi redáctum.

*PARS AUTUMNALIS.*



MATRITI. M.DCC.LXXVI.

Apud Antonium de Sancha, Typógraphum, & Bibliópolam.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# GREGORIUS
## PAPA XIII.

### Ad perpetuam rei memoriam.

*Pastoralis officii cura nos admonet, ut ea quæ magis conducere censemus, pro locorum & personarum qualitate concedamus. Sanè licet aliàs post Missalis & Breviarii ex Decreto Sacri Concilii Tridentini editionem fel. rec. Pius V. Prædecessor noster dilecti nobis filii Ludovici de Torres Malacitani, & Cameræ Apostolicæ Clerici, qui tunc ex Hispaniarum Regnis, ad quæ ab eodem Prædecessore pro certis gravibus negotiis ad Rempublicam Christianam spectantibus missus fuerat, Romam redierat, relatione audita, multas scilicet, ut ipse Ludovicus à viris gravissimis ad hunc effectum à charissimo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico deputatis acceperat, ex hujusmodi editione subortas fuisse in illis partibus difficultates, ad eas tollendas nonnulla quoad Hispaniarum Regna prædicta duxerit reformanda, & concedenda: nihilominùs, quia, ut idem Ludovicus nobis retulit, re ipsa compertum est, adhuc aliqua ad Missalis & Breviarii impressionem, quæ in illa Provincia magnis impensis curantur, desiderari: Nos ejus dictis certam adhibentes fidem, ad omnem scrupulum dimovendum, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hæc quæ sequuntur, declaranda duximus & concedenda. In primis illud nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio. Cùm enim Prædecessor noster prædictus indistinctè concesserit, ut Ecclesiæ Hispaniæ possint celebrare Officia propria Sanctorum illius Provinciæ, illique pluris sint numero, ex hoc sequebatur ut Officium majoris partis Feriarum anni omitteretur, & ordo Breviarii fere subverteretur. Nos huic incommodo occurrere volentes, & Prædecessoris prædicti mentem sano modo interpretantes, declaramus unamquamque Hispaniæ Ecclesiam eorum tantùm Sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius Diœcesis sunt naturales, vel ejus Ecclesiæ seu Diœcesis sunt Patroni,*

vel

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vel eorum corpora, seu notabiles Reliquiæ in ea Ecclesia seu Diœcesi requiescunt. De aliis verò Sanctis, etiam si sint naturales, vel Patroni alterius Diœcesis, etiam si illorum corpora, vel notabiles Reliquiæ in aliqua Ecclesia alterius Diœcesis requiescant, non celebretur Officium proprium, sed servetur ordo Breviarii Romani. Et quo die celebrabitur Festivitas Patroni totius Diœcesis, Religiones omnes teneantur eodem die in suis Ecclesiis, intra limites illius Diœcesis existentibus, eamdem Festivitatem celebrare; & in hoc cum Ecclesia matrice se conforment. Item volumus, quòd Festivitates sequentes sint in tota Hispania generales; ità quòd omnes Ecclesiæ & Religiones existentes in illa Provincia recitent de illis, & celebrent propria illorum Officia, quæ sunt, festivitas Expectationis Dominæ nostræ, quæ celebratur die xviij. mensis Decembris. Et quoniam dicta die juxta Breviarium Romanum Feria habet Antiphonas proprias ad Laudes, ne Antiphonæ prædictæ omittantur, & ut festivè singulis annis in illa Provincia decantentur; mandamus, quòd dictæ Antiphonæ feriales, quæ in die, in qua Officium Expectationis celebratur, dicendæ essent, reponantur die xvj. Decembris, omissa ea quæ ad Canticum dicitur, cujus loco dicatur ea quæ ad Canticum ponitur in Psalterio; & idem fiat de Antiphonis in die sancti Thomæ occurrentibus: reponendis in Sabbato, quando Festum Expectationis hujusmodi in Sabbato venerit, ut scilicet Antiphonæ in die sancti Thomæ occurrentes, tunc reponantur xvj. Decembris, dempta ea quæ dicitur ad Canticum, ut suprà. Item festivitas Triumphi sanctæ Crucis, quæ celebratur die xvj. Julii. Item festivitas sancti Ildefonsi Archiepiscopi Toletani Confessoris. Item festivitas sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur Officium Doctoris, & recitetur Credo in celebratione Missæ. Insuper celebretur festivitas sanctæ Annæ Matris beatæ Mariæ Virginis in omnibus locis, ubi fuerit Ecclesia vel Capella dictæ Sanctæ ad præsens, vel ubi ædificabitur Ecclesia in futurum. Item concedimus, quòd qualibet Ecclesia & Monasterium Hispaniæ, habens aliquas Reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicujus Sancti, etiam alienigenæ, non existentis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario fit tantùm commemoratio, possit illius Festivitatem celebrare, & Officium Duplex facere, & de alio Sancto eodem die occurrenti, si fue-

fuerit Simplex, fiat commemoratio: si verò fuerit Duplex, vel Semiduplex, transferatur in primam diem simili Festo non impeditam. Et quoniam in Regno Castellæ in pluribus Ecclesiis celebratur die xxx. Decembris Translatio sancti Jacobi Apostoli Hispaniarum Patroni, præcipuum Duplex, & in Breviario ponitur die xxix. festivitas sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis & Martyris, Semiduplex; & in anno, quo festivitas sancti Thomæ occurrit in Dominica, juxta regulam Breviarii transfertur in diem sequentem; quo die in eo Regno celebratur supradicta festivitas S. Jacobi, posteaque per plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua possit celebrari festivitas prædicti sancti Thomæ; volumus, ut in eo anno festum ipsum sancti Thomæ transferatur ad primam diem Duplici non impeditam, quæ erit Vigilia Epiphaniæ, & tunc de Vigilia fiat tantùm commemoratio: ad Vesperas autem Epiphaniæ, nulla fiat commemoratio de festo sancti Thomæ prædicti. Cùm verò in Ecclesiis & Regionibus Hispaniæ vigeat consuetudo, quòd diebus Paschalibus & Festivitatibus majoribus celebret Missam Conventualem Antistes, vel alia persona principalis, & regula Missalis ordinet, quod omnibus diebus Dominicis infra annum Sacerdos, qui celebraverit Missam Conventualem, exeat ante celebrationem Missæ cum pluviali, vel cappa, & cum ministris ad incipiendum in Altari majori Antiphonam Asperges, & aspergendum aquam benedictam populo: concedimus, quòd Antistes, seu alia persona principalis celebrans Missam Conventualem, præmissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex Sacerdos ejus loco; & quòd talis Sacerdos non deferat pluviale, sed albam, & stolam, vel superpelliceum, & stolam, nec procedat associatus cum ministris, sed solùm cum Acolythis. Hæc autem omnia, & singula, Breviarium & Missale concernentia, per felicis recordationis Pium V. & Nos concessa pro Hispaniarum Provinciis, volumus, ut intelligantur etiam concessa Ecclesiis Insularum, & terræ firmæ Indiarum dicto Regi Catholico subjectarum. Et insuper statuimus, quòd Missæ Sanctorum, quæ juxta Motum proprium dicti Pii V. in Missali Romano in Hispaniis imprimendo possunt imprimi, non in corpore, sed in fine dicti Missalis imprimantur. Et ità per præsentes Apostolica auctoritate declaramus, statuimus, concedimus, & indulgemus: Non obstantibus præmissis, & litteris Prædecessoris prædicti in Bre-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Breviario & Miſſali, ac Regulis ſub Rubricis generalibus cum ipſimet Breviariis & Miſſalibus impreſſis; necnon omnibus & ſingulis in eis contentis prohibitionibus, clauſulis, derogationibus, & decretis. Quæ omnia Nos ad effectum præsentium in dictis Provinciis locum ſibi non vendicare decernimus, ac aliis, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis litteris obtare non voluit, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ut autem præsentes litteræ omnibus innoteſcant, volumus, & diſtricte præcipiendo, omnibus & ſingulis librorum impreſſoribus in partibus illis conſiſtentibus mandamus, ut illas in cujuſlibet Miſſalis, & Breviarii principio imprimant, & imprimi curent; aliàs illis non appoſitis & impreſſis præsentes nemini ſuffragentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX. Decembris, M. D. LXXIII. Pontificatus Noſtri anno primo.*

*Cæs. Glorierius.*

---

## DECRETUM PRO HISPANIS.

*NOmine Nationis Hiſpaniarum ſupplicavit Doctor Michael de Erze, prætiri ubique locorum, ubi celebratur feſtum tranſlationis corporis ſancti Jacobi Apoſtoli de Jeroſolymis ad Hiſpaniam ſub die xxx. Decembris, celebrari debere tam in Officio quàm in Miſſa, & tam per Sacerdotes ſæculares, quàm per regulares, cum propria Oratione inferiùs deſcribenda, dictamque Orationem pro feſto dictæ Tranſlationis imprimi etiam mandari.*

Orátio.

DEus, qui dispositióne mirábili corpus beáti Jacóbi Apóstoli tui de Jerosolymis ad Hispániam transférri, & in Compostella glorióse sepelíri voluísti: concéde quǽsumus, ut ejus méritis & précibus in cælésti Jerúsalem collocári mereámur. Per Dóminum.

*Sacra Rituum Congregatio petita conceſſit: & ità ab omnibus ubique locorum prædictum feſtum Tranſlationis celebrantibus in poſterum cum prædicta Oratione propria ſervari mandavit, hac die quinta Martii M. DC. XXXIII.*

C. Episcopus Portuens. Card. Pius.

*Locus* ✠ *Sigilli.*

Julius Rospigliosius Secret.

PRO-



# PROPRIUM FESTORUM HISPANORUM.

***Die ab Ordinariis designáta.***

In festo B. M. V. de Guadalupe Mexicanæ, sive Regni novæ Hispániæ.

Duplex majus.

Omnia ut in festo SS. Hispanórum Partis Vernæ. xc.

## FESTA SEPTEMBRIS.

### DOMINICA III.

Septémbris.

Festum septem Dolórum B. V. Maríæ. Duplex.

Si hoc festum impeditur festo altioris dignitatis, transfértur in primam diem non impeditam. Ita Sacra Rituum Congregatio 8. Martii 1738.

Ad Vésperas, Antiphona. Quò ábiit, cum réliquis de Láudibus. 145. Psalmus. Dixit Dóminus, cum réliquis ut in Officio parvo beátæ Maríæ. cliij.

Capitulum. *Thren.* 2.

CUi comparábo te? vel cui assimilábo te Filia Jerúsalem? cui exæquábo te, & consolábor te, Virgo Filia Sion? Magna est velut mare contrítio tua.

Hymnus.

O Quot undis lacrymárum,
Quo dolóre vólvitur,
Luctuósa de cruénto
Dum revúlsum stípite
Cernit ulnis incubántem
Virgo Mater Filium.
Os suáve, mite pectus,
Et latus dulcíssimum,
Dexterámque vulnerátam,
Et sinístram sáuciam,
Et rubras cruóre plantas
Ægra tingit lácrymis.
Centiésque, milliésque
Stringit arctis néxibus
Pectus illud, & lacértos,
Illa figit vúlnera,
Sicque tota colliquéscit
In dolóris ósculis.
Eja, Mater, obsecrámus
Per tuas has lácrymas,
Filíique triste funus,
Vulnerúmque púrpuram,
Hunc tui cordis dolórem
Conde nostris córdibus.
Esto Patri, Filióque,
Et coævo Flámini,
Esto summæ Trinitáti
Sempitérna glória,
Et perénnis laus, honórque
Hoc & omni sǽculo.
Amen.

℣. Regína Mártyrum, ora pro nobis. ℟. Quæ juxta Crucem Jesu constitísti.

Ad Magníficat, Antiphona. Nolíte me consideráre, quòd fusca sim, quia decolorávit me sol: Fílii ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

matris meæ pugnavérunt contra me. Orátio.

DEus, in cujus Passiône, secúndùm Simeônis Prophetìam, dulcissimam ánimam gloriósæ Vírginis & Matris Mariæ dolôris gládius pertransívit: concéde propítius, ut qui dolôres ejus venerándo recólimus, Passiônis tuæ efféctum felícem consequâmur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Ad Matutinum, Invitatórium. Stemus juxta Crucem cum Maria, Matre Jesu, *Cujus ánimam dolôris gladius pertransivit. Psalm. Venite, exultêmus. 2.

Hymnus.

IN toto súbitùs vespéreat polo,
Et sol attónitum præcipitet diem,
Dum sævæ récolo ludíbrium necis,
Divinámque catástrophem.

Spectátrix áderat supplicio Parens,
Malis uda, gerens cor adamantinum,
Natus funérea péndulus in Cruce
Altos cùm gémitus dabat.

Pendens ante óculos natus, atrócibus
Sectus verbéribus, natus hiántibus
Fossus vulnéribus, quot penetrántibus
Te cónficit acúleis!

Heu! sputa, álapæ, vérbera, vúlnera,
Clavi, fel, áloë, spóngia, lancea,
Sitis, spina, cruor, quàm vária pium
Cor pressêre tyránnide!

Cunctis intereà stat generósior
Virgo Martyribus, prodigio novo:
In tantis móriens non móreris, Parens,
Diris fixa dolóribus.

Sit summæ Triadi glória, laus, honor,
A qua supplíciter, sollícita prece,
Posco Virginei róboris æmulas
Vires rebus in ásperis.
Amen.

In primo Nocturno, Antiphona. Multiplicáti sunt, qui tribulant me, multi insúrgunt advérsùm me.

Psalmus 3.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tribulant me? * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es: * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporâtus sum:



sum: * & exurréxi, quia Dóminus suscépit me:

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatôrum contrivísti.

Dómini est salus: * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Multiplicáti sunt, qui tribulant me, multi insúrgunt advérsùm me.

Antiphona. Paravérunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscúro rectos corde.

Psalmus 10.

IN Dómino confido: quómodò dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum, & ímpium; * qui autem diligit iniquitâtem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eôrum.

Quóniam justus Dóminus & justítias diléxit; * æquitâtem vidit vultus ejus.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Paravérunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscúro rectos corde.

Antiphona. Defécit in dolôre vita mea, & anni mei in gemitibus.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi: non confúndar in ætérnum: * in justitia tua líbera me.

Inclina ad me aurem tuam: * accelera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectôrem, & in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu: * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi: * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commendo spíritum meum: * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes: * supervácuè.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ego autem in Dómino sperávi: * exultábo, & lætábor in misericórdia tua.

Quóniam respexisti humilitátem meam: * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusisti me in mánibus inimici: * statuisti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei Dómine quóniam tribulor: * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus.

Quóniam defécit in dolóre vita mea: * & anni mei in gemitibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea: * & ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium & vicinis meis valdè: * & timor notis meis.

Qui videbant me, forás fugérunt a me: * oblivióni datus sum, tamquam mortuus à corde.

Factus sum tamquam vas perditum: * quóniam audivi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul advérsùm me, * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi Dómine: * dixi: Deus meus es tu: in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericórdia tua: * Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubescant impii, & deducántur in inférnum: * muta fiant lábia dolósa,

Quæ loquúntur advérsùs justum iniquitátem, * in supérbia, & in abusióne.

Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine, * quam abscondisti timéntibus te!

Perfecisti eis, qui sperant in te, * in conspectu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciei tuæ: * a conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * à contradictióne linguárum.

Benedictus Dóminus: * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ: * projectus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudisti vocem oratiónis meæ: * dum clamárem ad te.

Diligite Dóminum omnes sancti ejus: * quóniam veritátem requiret Dóminus, & retribuet abundanter faciéntibus supérbiam.

Vi-



Viriliter ágite, & confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Defécit in dolóre vita mea, & anni mei in gemitibus. ℣. Regina Martyrum, ora pro nobis.
℟. Quæ juxta Crucem Jesu constitisti.

De Jeremia Prophéta.

Lectio j. *Thren. 1.*

PLorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxillis ejus: non est, qui consolétur eam ex ómnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici. Vide Dómine quóniam tribulor, conturbátus est venter meus: subvérsum est cor meum in memetipsa, quóniam amaritúdine plena sum. Foris intérficit gladius, & domi mors similis est. Audiérunt quia ingemisco ego, & non est, qui consolétur me.

℟. Simeon vir justus, & timorátus dixit ad Mariam: * Tuam ipsius ánimam pertransivit gladius. ℣. Ne vocétis me pulchram, sed amáram, quia amaritúdine valdè replévit me Omnipotens. Tuam ipsius ánimam.

Lectio ij. *Thren. 2. d*

CUi comparábo te, vel cui assimilábo te filia Jerúsalem? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medébitur tui? Plausérunt super te mánibus omnes transeúntes per viam: sibilavérunt, & movérunt caput suum super filiám Jerúsalem: Hæccine est urbs, dicéntes, perfecti decóris, gaudium univérsæ terræ? Aperuérunt super te os suum omnes inimici tui: sibilavérunt, & fremuérunt déntibus, & dixérunt: Devorábimus.

℟. Surge, & áccipe púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi. ℣. Vocávi filium meum ex Ægypto, ut véniat salus in Israel. Et esto.

Lectio iij.

FEcit Dóminus quæ cogitávit, complévit sermónem suum, quem præcéperat à diébus antiquis: destrúxit, & non pepércit, & lætificávit super te inimicum, & exaltávit cornu hóstium tuórum. Clamávit cor eórum ad Dóminum super muros filiæ Sion. Deduc quasi torréntem lácrymas per diem & noctem, neque táceat pupilla óculi tui.

℟. Fili, quid fecisti nobis sic? * Ego, & Pater tuus, * Doléntes quærebámus te. ℣. Quid est, quód me quærebátis? In his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse. Ego, & Pater. Glória Patri. Doléntes.

In

In secúndo Noctúrno, Antiphona. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Psalmus 21.

DEus Deus meus, réspice in me: * quare me dereliquisti? longè a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, & non exáudies: * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * Laus Israël.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, & liberásti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt: * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo: * oppróbrium hóminum, & abjectio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ. In te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: * ne discésseris à me:

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui adjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens, & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit fáucibus meis: * & in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas, & pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt, & inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem Dómine ne elongáveris auxílium tuum à me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámea Deus ánimam meam: * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis: * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio Ecclésiæ laudábo te.

Qui



Qui timétis Dóminum laudáte eum: * universum semen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël, * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem suam à me: * & cùm clamárem ad eum exaudívit me.

Apud te laus mea in Ecclésia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, & saturabúntur: & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur & converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ.

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ Géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * & ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * & semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cæli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Glória Patri, & Filio.

Antiphona. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Antiphona. Deus vitam meam annuntiávi tibi; posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Psalmus 55.

MIserére mei Deus, quóniam conculcávit me homo: * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die: * quóniam multi belllántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur: * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum, in malum.

Inhabitábunt & abscóndent: * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi: * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Sicut & in promissióne tua: * tunc converténtur inimíci mei retrórsùm.

In quacúmque die invocávero te: * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dó-

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dómino laudábo sermónem : * in Deo sperávi, non timébo quid faciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua : * quæ reddam laudatiónes tibi?

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu : * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Deus vitam meam annuntiávi tibi : posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Antiphona. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte.

Psalmus 41.

Quemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídiè : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis, & confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea : * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptéreà memor ero tui de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei : * & quare contristánus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea : * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi salutáre vultus mei, & Deus meus.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte.

℣. Fasciculus myrrhæ diléctus meus mihi. ℟. Inter úbera mea commorábitur.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

*Ex Sermóne de 12. Stellis.*

Lectio iv.

Martyrium Vírginis tam in Simeónis prophetía, quam in ipsa Domínicæ Passiónis história commendátur. Pósitus est hic (ait sanctus Senex de púero Jesu) in signum cui contradicétur : & tuam ipsíus ánimam (ad Maríam autem dicébat) pertransívit gládius. Verè tuam, ò beáta Mater ánimam pertransívit. Alióquin non nisi eam pertránsiens, carnem Fílii tui penetráret. Et quidem posteàquam emísit spíritum tuus ille Jesus, ipsíus planè non áttigit ánimam crudélis láncea, quæ ipsíus apéruit latus, sed tuam útique ánimam pertransívit : ipsíus nimírum ánima jam ibi non erat, sed tua planè indè nequíbat avélli.

℟. Jesum bajulántem sibi crucem, * Sequebátur turba mulíerum, quæ plangébant, & lamentabántur eum. ℣. Fíliæ Jerúsalem super vos ipsas flete, & super fílios vestros. Sequebátur.

Lectio v.

Tuam ergo pertransívit ánimam vis dolóris, ut plusquam Mártyrem non immeritò prædicémus, in qua nimírum corpóreæ sensum passiónis excésserit compassiónis afféctus. An non tibi plusquam gládius fuit sermo ille revéra pertránsiens ánimam, & pertíngens usque ad divisiónem ánimæ, & spíritus : Múlier ecce fílius tuus? O commutatiónem! Joánnes tibi pro Jesu tráditur, servus pro Dómino, discípulus pro Magístro, fílius Zebedæi pro Fílio Dei, homo purus pro Deo vero. Quómodò non tuam affectuosíssimam ánimam pertransíret hæc audítio; quando & nostra licèt sáxea, licèt férrea péctora sola recordátio scindit?

℟. Postquam venérunt in locum, qui dícitur Calváriæ, ibi crucifixérunt eum. * Stabat autem juxta Crucem Jesu Mater ejus. ℣. Tunc beátam illíus ánimam dolóris gládius pertransívit. Stabat autem.

Lectio vi.

Non mirémini, Fratres, quòd María martyr in ánima fuisse dicátur. Mirétur qui non memínerit se audivísse Paulum inter máxima Géntium crímina memorántem, quòd sine affectióne fuíssent. Longè id fuit à Maríæ viscéribus, longè sit à sérvulis ejus. Sed for-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fortè quis dicat : Numquid non eum præscierat moritúrum ? Et indubitánter. Numquid non sperâbat continuò resurrectúrum ? Et fidéliter. Super hæc dóluit crucifixum ? Et vehemén-ter. Alióquin quisnam tu, frater , aut unde tibi hæc sapiéntia , ut miréris plus Mariam compatiéntem , quam Mariæ filium patiéntem ? Ille enim mori córpore pótuit , ista commori corde non pótuit ? Fecit illud cháritas , qua majórem nemo hábuit ; fecit & hoc cháritas , cui post illam símilis áltera non fuit.

℟. Joseph ab Arimathæa, * Petiit Corpus Jesu , quod de cruce depósitum : * Suo compléxu Mater excépit. ℣. Dolens Sunamitis sinu, & génibus suis sustinuit mórtuum filium. Petiit corpus. Glória Patri. Suo compléxu.

In tértio Noctúrno. Aña. Intendérunt arcum rem amáram , ut sagíttent in occúltis immaculátam.

Psalmus 63.

EXáudi Deus oratiónem meam , cùm déprecor : * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me à convéntu malignántium : à * multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum , & non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * & exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei : * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo : * & laudabúntur omnes recti corde.

Glória Patri , & Fílio.

Antiphona. Intendérunt arcum rem amáram , ut sagíttent in occúltis immaculátam.

Antiphona. Anima mea turbáta est valdè , sed tu Dómine úsquequò?

Psalmus 6.

DOmine , ne in furóre tuo árguas me : * neque in ira tua corrípias me.



Miserére mei Dómine quóniam infírmus sum : * sana me Dómine , quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè : * sed tu Dómine úsquequò ?

Convértere Dómine , & éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam : * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant , & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur, & erubéscant valdè velóciter.

Glória Patri , & Fílio.

Antiphona. Anima mea turbáta est valdè , sed tu Dómine úsquequò ?

Antiphona. Deus adjútor in tribulatiónibus , quæ invenérunt nos nimis.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium & virtus : * adjútor in tribulatiónibus , quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra : * & tranferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt , & turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt Gentes, & inclináta sunt regna : * dedit vocem suam , mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Venite , & vidéte ópera Dómini , quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret , & confringet arma : * & scuta combúret igni

Vacáte , & vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus , & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Glória Patri, & Fílio.

Antiphona. Deus adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

℣. Per te salútem hauriámus Virgo María. ℟. Ex vulnéribus Christi.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Léctio vij. *Cap. 19.*

IN illo témpore: Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

*De Inst. Virgin. cap. 7.*

STabat juxta Crucem Mater, & fugiéntibus viris stabat intrépida. Vidéte, utrùm pudórem mutáre potúerit Mater Jesu, quæ ánimum non mutávit. Spectábat piis óculis Fílii vúlnera, per quæ sciébat ómnibus futúram redemptiónem. Spectábat non degéneri Mater spectáculo, quæ non metúeret perémptórem. Pendébat in Cruce Fílius, Mater se persecutóribus offerébat.

℟. Quis tibi sensus fuit, ò Mater dolórum? * Dum Joseph síndone Fílium tuum invólvit, & pósuit eum in monuménto. ℣. Considerâte, & vidéte si est dolor, sicut dolor meus. Dum Joseph.

*Ex ejúsdem Epist. 25. ad Ecclésiam Vercell. prope finem.*

Léctio viij.

MAría Mater Dómini ante Crucem Fílii stabat. Nullus me hoc dócuit, nisi sanctus Joánnes Evangelísta. Mundum álii concússum in Passióne Dómini conscripsérunt, cælum ténebris obdúctum, refugísse solem, in Paradísum latrónem, sed post piam confessiónem, recéptum. Joánnes dócuit, quod álii non docuérunt, quemádmodùm in Cruce pósitus Matrem appelláverit. Pluris putâtur, quòd victor suppliciórum pietátis offícia Matri exhibébat, quàm quòd regnum cæléste donábat. Nam si religiósum est, quòd latróni donátur vénia; multò uberióris pietátis est, quòd à Fílio Mater tanto afféctu honorátur.

℟. In toto corde tuo gémitus Matris tuæ ne oblivíscáris: * Ut perficiátur propitiátio, & benedíctio. ℣. Ave Princeps generósa, Martyrúmque prima Rosa, Vírginúmque Lílium. Ut perficiátur. Glória Patri. Ut.

Léctio nona de Homilía Domínicæ occurréntis.

Te Deum laudámus.

AD



AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

QUò ábiit diléctus tuus, ò pulchérrima mulíerum? Quo declinávit diléctus tuus, & quærémus eum tecum? Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliq. de Domínica. 18. Antiphona. Recédite à me, amárè flebo, nolíte incúmbere, ut consolémini me. Antiphona. Non est ei spécies neque decor, & vídimus eum, & non erat aspéctus. Antiphona. A planta pedis, usque ad vérticem cápitis non est in eo sánitas. Antiphona. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo.

Capítulum. *Thren. 2.*

CUi comparábo te? vel cui assimilábo te, Fília Jerúsalem? Cui exequábo te, & consolábor te, Virgo Fília Sion? Magna est velut mare contrítio tua.

Hymnus.

SUmmæ Deus cleméntiæ,
Septem dolóris Vírginis,
Plagásque Jesu Fílii
Fac rite nos revólvere.
Nobis salútem cónferant
Deíparæ tot lácrymæ,
Quibus laváre súfficit
Totíus orbis crímina.
Sit quinque Jesu vúlnerum
Amára contemplátio,
Sint & Dolóres Vírginis
Ætérna cunctis gáudia.
Jesu, tibi sit glória,
Qui passus es pro sérvulis,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. María virgo per virtútem tot dolórum. ℟. Fac nos gaudére in regno cælórum.

Ad Benedíctus, Antiphona. Veníte ascendámus ad montem Dómini, & vidéte, si est dolor, sicut dolor meus.

Orátio.

DEus, in cujus Passióne, secúndùm Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósæ Vírginis & Matris Maríæ dolóris gládius pertransívit: concéde propítius, ut qui Dolóres ejus venerándo recólimus, Passiónis tuæ efféctum felícem consequámur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre.

Ad Primam, Antiphona. Quò ábiit, ut supra.

Ad Hymnum Horárum.

Jesu, tibi sit glória,
Qui passus es pro sérvulis,

℟. br. Christe Fili Dei vivi, ℣. Qui passus es propter nostram salútem.

Ad Tértiam, Antiphona. Recédite à me, ut supra.

Capítulum. Cui comparábo, ut supra.

℟. breve. O vos omnes, * Qui transítis per viam, ℣. Atténdite, & vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

 Qui

Qui transitis. Glória Patri. O vos. ℣. Defecérunt præ lácrymis óculi mei. ℟. Conturbáta sunt ómnia víscera mea.

Ad Sextam, Antiphona.

Non est ei spécies.

Capitulum. *Thren.* 1.

Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex ómnibus charis ejus.

℟. br. Defecérunt, * Præ lácrymis óculi mei. ℣. Conturbáta sunt ómnia víscera mea. Præ lácrymis óculi mei. Glória Patri. Defecérunt. ℣. Fascículus myrrhæ dilectus meus mihi. ℟. Inter úbera mea commorábitur.

Ad Nonam, Antiphona.

Fulcite me flóribus.

Capitulum. *Thren.* 2.

Deduc quasi torrentem lácrymas per diem & noctem, non des réquiem tibi, neque táceat pupilla óculi tui.

℟. breve. Fascículus myrrhæ, * Dilectus meus mihi. ℣. Inter úbera mea commorábitur. Dilectus meus mihi. Glória Patri. Fascículus. ℣. Anima mea liquefacta est. ℟. Ut dilectus locútus est.

In secundis Vésperis ómnia ut in primis.

℣. Regina Mártyrum, ora pro nobis. ℟. Quæ juxta Crucem Jesu constitísti.

Ad Magníficat, Antiphona.

Oppréssit me dolor, & fácies mea intúmuit à fletu, & pálpebræ meæ caligavérunt.

Orátio. Deus, in cujus Passióne, ut suprà.

Fit Commemorátio Domínicæ.

## DIE II. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Antoníni Mártyr.

Duplex.

Omnia de Commúni unius Mártyris xxiij. præter ea, quæ hic sunt própria.

Orátio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hunc diem beáti Antoníni Mártyris tui solemnitáte clarificas: exáudi preces pópuli tui, & præsta, ut qui fidéliter éxpetit, eo suffragánte cónsequi mereátur. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Epístola ad Romános, Fratres, Debitóres sumus, ut in Commúni plurimórum Mártyr. xl.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

Antonínus regáli génere ortus, cum à prima ætáte Christiánam Religiónem cóleret, paréntibus orbátus, à Theodórico pátruo Tolósæ Rege infidéli, Pámiæ (quod est Gálliæ Narbonénsis óppidum) educátus est. Deláto autem ad Regem, quod Christiánus esset; indè discedens, Romam venit, póstea Salérnum profectus, ibi duodevigínti annos apud pios & doctos viros in secessu eremítico mansit. Sacris deindè Ordínibus initiátus, Diaconátum suscépit. Quo ex témpore, cœpit quamplúrimis claréscere miráculis, ita ut cæcis visum, surdis audítum, mutis loquélam restitúeret, váriis languóribus oppréssos sanáret, immúndos étiam spíritus ex hóminum corpóribus ejíceret. Hujúsmodi verò mirácula vitæ innocéntia & púritas comitabántur: nec à Verbi Dei prædicatióne, étiam cum vitæ discrímine, quando se ei præbébat occásio (cum Martyrii cupidíssimus esset) cessábat. In eo múnere cùm aliquándo siti laboráret, elevátis ad cælum óculis Deum precátus, báculo, cui innitebátur, terram percússit, ex qua illicò fons emanávit, quo ipse & alii multi sitim extinxérunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam: & in vínculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio v.

Aliquot post annos ad natále solum revérsus, & à Pátruo suscéptus, aliquámdiu cum eo vixit; sed íterùm quòd Christiánus, & régiæ Majestátis reus esset accusátus, in tenebricósum cárcerem (qui Spelúnca votíva dicebátur) compédibus ligátus sine cibo & potu conjícitur. Post septem dies Rex cárcerem ádiit, existimans júvenem jam inédia mórtuum fuisse: quem cùm incólumem invenísset, quinimò púerum nóbilem Almáchium pondus vinculórum ejus sustentántem compeALTERrisset: id mágicæ arti tribuens, púerum è rupe præcipitári, & beátum Antonínum gravióribus vínculis astríngi jussit. Interim Rex in bello périit; puer verò præcipitátus, illæsus repértus est: & beátus Antonínus ab Angelis solútis compédibus (ut alter Petrus) liberátus, libériùs cœpit Christiános vinctos in cárcere & extrà, in fide Cathólica confirmáre. Cùm autem Theodórico successisset in regnum Galleárius, Antoníni consanguíneus, & majóres in Christiános persecutiónes excitáret: Antonínus à piis viris ab ira regis ereptus, Pámiam in solitúdinem secessit: ubi &

Almáchium puerum repériit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuisti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Léctio vj.

IBi in spelúnca (quæ Orientális dicebátur) prope fontem simul in oratiónibus, & jejúniis se exercéntes, ab omni hóminum conversatióne semóti, diu commoráti sunt. Illis pauló post quidam Joánnes Présbyter divino instinctu, simul futúrus martyr adjúngitur. Nam cùm venatóres regii ex insperáto eos reperíssent, & Antonínum cognovissent, ad Regem déferunt, qui ad se perdúctum Antonínum, sic allóquitur: Quæ te deméntia Antoníne cepit, ut tui géneris oblítus, tuis præstigiis hómines deméntes, & regnum nostrum pertúrbes? Cui Antonínus: Non ego Gallári, quemquam deménto; sed unum Deum, cujus est regnum & impérium, prædico; tuos autem quos colis deos, lígneos & lapídeos, ùt falsos & inánes réspuo. His verbis ira inflammátus Rex, illicò eum cum sóciis cápite plecti, & in flumen (cui nomen Arégia) prójici jubet. Eórum córpora à Christiánis invénta, honorificè cóndita sunt: & sancti Antoníni dexter húmerus cum bráchio, qui insimul étiam cum cápite, feróci ictu cùm ferirétur, abscíssus fúerat, in Ecclésia Palentína, cujus Patrónus exístit, ex multo témpore magna cum veneratióne asservátur: ad cujus tactum puer mórtuus, qui multitúdine pópuli sanctas relíquias subsequéntis in sinu matris oppréssus fúerat, statim revixit. Cùm étiam Sánctius Castéllæ primus Rex, dum venarétur, aprum qui in antrum confúgerat, & cuidam ibidem imágini inhærébat, ferire vellet, statímque ei bráchium obriguísset, compérto quòd illa esset sancti Antoníni imágo, in cujus honórem locus habebátur, pœnitens facti Rex, vovit Mártyri templum ibi erígere, & illicò bráchium pristínæ sanitáti restitúitur. Quare eo loco magnificentíssimam Ecclésiam sancti Antoníni nómine ædificávit: ædículam verò antri, ùt hódie visitur, sub ipsa Ecclésia intáctam relíquit.

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus; & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Léctio vij. *Cap. 12. d*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Episcopi.

*Tract. 51. in Joánnem, sub med.*

IPse Dóminus Jesus erat granum mortificándum, & multiplicándum: mortificándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam verò exhórtans ad passiónis suæ sectánda vestígia, Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes: Si cupis vitam tenére in Christo; noli mortem timére pro Christo. Item álio modo: Qui amat ánimam suam, perdet eam: noli amáre, ne perdas: noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Léctio viij.

HOc autem, quod postérius dixi, magis habére vidétur Evangélicus sensus. Sequitur enim: Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo, quod suprà dictum est, qui amat (subintelligitur, in hoc mundo) ipse útique perdet: qui autem odit (útique in hoc mundo) in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna & mira senténtia, quemádmodùm sit hóminis in ánimam suam amor, ut péreat; ódium, ne péreat. Si malè amáveris, tunc odísti: si benè óderis, tunc amásti. Felíces, qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℟. Hic est verè martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsivit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

SEd vide ne tibi subrêpat, ut teipsum velis interimere, sic intelligendo, quòd debes odisse in hoc mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi hómines, & in seipsis crudelióres, & sceleratióres homicidæ, flammis se donant, aquis se præfócant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non dócuit; immò etiam diábolo præcipitium sugerénti respóndit: Redi retrò sátanas: scriptum est, Non tentábis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificatúrus erat Deum: Cùm esses júnior, cingebas te, & ambulabas quo volébas; cùm autem senúeris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Ubi satis expressit, non à seipso, sed ab alio debére occídi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE IV. SEPTEMBRIS.

In festo sanctæ Rosaliæ Vírginis Panormitanæ.

Semidúplex.

Omnia de Commúni Vírginum, xcj. præter ea, quæ sequúntur.

Oratio.

EXaudi nos Deus salutáris noster, ut, sicut de beatæ Rosaliæ vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu, & ejus intercessióne ab iracúndiæ tuæ flagellis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

ROsalia virgo, orta Panórmi ex nóbili génere, suam originem trahens à Cárolo magno, in Quisquínæ montem quadraginta circiter mille pássibus distántem, sola recédens, patérnæ domus opes, delícias, ac spem majóris amplitúdinis, ob propinquitátem, & benevoléntiam regum Siciliæ contémnens, cum tétricæ rupis horróre & asperitáte commutávit: inque antrum, cui tunc únicus, & quidem angústus áditus è superióri loco patébat, intrépidè descéndit, ea mente quam caractéribus saxo insculptis adhuc paténtibus expressit: Ego Rosalia, Sinibaldi Quisquínæ & Rosárum Dómini fília, amóre Dómini mei Jesu Christi in hoc antro habitáre decrévi. Qua inscriptióne óculis observánte, suscéptæ vitæ propósitum áltiùs cordi infígere, ac divínæ benevoléntiæ signa ad cæsúri ímæ mentis blandiménta vicíssim provocáre consuévit. ℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, & regna. Et.



Lectio v.

IN hac specu subterránea, sibi & mundo emórtua, consepultáque Jesu Christo, ut soli Deo víveret, diu noctúque látuit: cavens præcípuè in móntibus patérni principátus, ne fortè ágnita in domum urbémque pátriam abducerétur invita. Cállidas dæmonum insídias, quæ ásperæ vitæ tædium, & solitúdinis horrórem ánimo ingerébant, acriter sæviendo in se férrea caténa, vigíliis, & humi cubatióne, forti ánimo superásse antíquæ icónes signíficant. Cùmque humánis destitúta præsídiis, nihil solátii aliúnde hauríret, quàm è cælo, Dóminus, qui consolátur, & corónat Sanctos suos, Angélicis delíciis illam sæpius recreábat. ℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam Proptéreà.

Lectio vj.

CÆlesti deìndè consílio ex antro Quisquinénsi, in horridiórem spelúncam Peregrini montis, tribus ferrè mille pássibus procul Panórmo, Rosalia se tránstulit; ut quò difficiliórem pugnam secum ipsa commítteret è conspectu domus patérnæ, eò laudabiliùs de contemptis mundi illecebris triumpháret. Latébat ibi ad partem lævam angústus cóncavus, quem eádem post repértas ejus relíquias, illuc venánti, cui se vidéndam præbuit, dixit esse suam cellam peregrinam, ubi multum ætátis exegísset. Hic tamquam colúmba in foramínibus petræ gemens, in cæléstium rerum contemplatióne defíxa, ad perfectíssimam divíni amóris normam in solitúdine vitam tradúxit, & sanctíssime, perénnibus charitátis rosis, & virginitátis líliis coronáta, depósuit prídie Nonas Septémbris: cujus corpus Urbáno Octávo Pontífice Máximo, divinitùs anno jubilei totíus Siciliæ plausu repértum, illam à peste liberávit.

℟. Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tértio Noctúrno Homi-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mília S. Gregórii Papæ in Evangélium. Símile erit regnum cælórum decem virginibus, ut in Commúni Vírginum. ciij.

Vésperæ de sequénti, Commemorátio præcedéntis.

## DIE V. SEPTEMBRIS.

In festo Commemoratiónis S. Juliáni Epíscopi Conchénsis, & Confessóris.

Duplex.

Omnia de Commúni Confessóris Pontíficis, liij. præter ea, quæ sequúntur.

Orátio.

DEus, qui nos beáti Juliáni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda Commemoratióne lætíficas: éxcita in nobis, quæsumus, ejus spíritum innocéntiæ & charitátis, & præsta, ut cujus recólimus mérita, per ejus ad te gradiámur exempla. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemorátio S. Rosaliæ Vírginis.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

JUliánus, Ecclésiæ Conchénsis Episcopus, Burgis piis & honéstis paréntibus natus est. Ejus ortum præclára illius sanctitátis & Episcopális dignitátis signa divínitus data nobilitárunt. Nam adeò formósus & pulcher in lucem éditus est, ut omnes intuéntes os ejus, cælésti quodam fulgóre perfúsum admiraréntur. Multò magis verò, cum puer grándior palàm super fontem baptismálem tamdiu visus est mitra, & báculo Episcopálibus insígnibus ornátus, dum adstántes admónuit, ut infánti Juliáni nomen impónerent. Posteà piè sanctéque educátus, liberalibúsque disciplínis apprime erudítus, Theologíæ óperam dedit, in qua plúrimum profécit. Itaque probátæ vitæ exemplo, & divíni verbi prædicatióne toti Hispániæ mirándum in modum prófuit. Archidiáconi dignitáte in Ecclésia Toletána ornátus, ab Alfónso deínceps nono Castéllæ rege Episcopále munus suscípere coáctus est, quod summa cum laude obívit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

VEre pater páuperum fuit, quippè qui egéntium, viduárum & pupillórum inópiam pecúnia, & áliis pietátis offíciis sublevávit. Réddititus Ecclésiæ suæ tum sublevándis míseris, tum instaurándis, ornandísque templis insúmpsit: ipse ténui victu conténtus, quem labóre mánuum suárum comparábat. In oratióne assíduus erat: cujus vi, patérna charitáte ardens, multa & magna pro salúte pópuli à Deo impetrávit. Quorum illa in primis illústria: cùm aliquándo tota Província rei frumentáriæ laboráret inópia, nec quidquam ámpliùs in Episcopátus hórreis superésset, pópuli calamitátem miserátus, preces cum lácrymis ad Deum fudit. Tunc plúrimum trítici ad ædes sancti Epíscopi à permúltis juméntis comportátum est, quæ depósito ónere evanuérunt. Cumque item dira in pópulum lues grassarétur, sancti Epíscopi oratióne sedáta est. Multos quoque, váriis insanabílium morbórum genéribus afféctos, in sanitátem restítuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

SUper gregem suum tamquam bonus & sédulus pastor diligentíssime vigilávit: lupos arcens ab óvibus, & oves pascens verbo vitæ, cibum cuique tribuens pro captu congruéntem. Corpus suum jejúniis assíduè castígans, seipsum honórum óperum exemplar in ómnibus præbuit. Dénique, cum annos ferè octoginta máxima cum sanctitáte vixísset, plenus diérum atque virtútum, in senectúte bona migrávit ad dóminum quinto Kaléndas Februárii, anno millésimo ducentésimo octávo, & honorificè in Ecclésia sua sepúltus: post mortem quoque miraculórum glória clarus, magna pópuli veneratióne cólitur. Anno postmodùm millésimo quingentésimo décimo octávo, Leóne Pontífice Máximo, corpus ejus è sacéllo, ubi multos jacúerat annos, effóssum, ad locum prope aram máximam magnificè exornátum, tertio Idus Aprílis solémni pompa, ac máxima celebritáte translátum est. Commemoratiónis ejus quoque festívitas Nonis Septémbris, ex Július tértii Summi Pontíficis concessióne recólitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

In tértio Noctúrno Lectiónes de Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri in Evangélium Nolíte timére, de Commúni Confessóris non Pontíficis secúndo loco. lxxxviij.

DIE XXV. SEPTEMB.

In festo sanctæ Maríæ de Cervellióne, aliàs de Subsídio, vírginis, Ordinis beátæ Vírginis Maríæ de Mercéde, Redemptiónis captivórum.

Duplex.

Omnia de Commúni Vírginum, &c. præter ea, quæ sequúntur.

Orátio.

DEus, qui nos cónspicis in tot perículis constitútos pro nostra fragilitáte non posse subsístere: concéde propítius, ut intercedénte beáta María fámula tua, de præséntis vitæ flúctibus edúcti, ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Léctio iv.

MAría nóbili família de Cervellióne Barchinóne in Hispánia nata, & à paréntibus in Dei timóre primis ab annis enutríta, virginitátem suam, cùm decem & octo esset annórum, illi devóvit. Ejus vivéndi rátio erat, in públicum rárius prodíre, ægrotántibus domésticis sedulò adésse, & in nosocómiis ter in hebdómada paupéribus ministráre. Annum trigésimum agens, defúncto patre, hábitum Ordinis sanctæ Maríæ de Mercéde prima ex féminis suscípiens, Sanctimoniálibus ejúsdem Ordinis ducem, magístram, & exémplar se præbuit: ac distribúto património in redemptiónem captivórum, professiónem in eódem Ordine unà cum voto de laborándo pro rediméndis captívis emísit.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et.

Léctio v.

MAtre è vivis subláta, cum aliquot honéstis féminis ejúsdem Institúti piam sanctámque vitam perégit, sólita quotídie mulíerum a suis Frátribus redemptárum, ac Barchinónem adveniéntium pedes in hospitáli domo laváre: quinquies in hebdómada sacra Eucharístia refíci, térque jejunáre solo pane & aqua conténta: quotidiánis flagéllis ínsuper & férrea caténa corpus suum afflígens. Siléntium, quod mira observántia colébat, inánibus verbis numquam infrégit, ac párcius indúlgens somno, expetébat ab ejúsmodi necessitáte liberári, ut illo solo fruerétur incessánter, quo jucundántur cæli, & Angeli lætántur. Quod diúrni témporis súpererat ab oratióne & pietátis exercítiis, in páuperes juvándos impendébat; nullum offícii genus prætermíttens, quo afflíctos consolarétur, opprésos liberáret, & vinctos edúceret de carcéribus.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea.

Léctio vj.

FUtúras maris tempestátes prænuntiábat, illásque sæpè suis oratiónibus sedávit: visa aliquóties super undas incédere, quo Fratres captivórum redemptóres, aliósque in mari periclitántes serváret incólumes, unde ei Maríæ de Subsídio, vulgò de Socos, nomen est índitum. Dénique post multa virtútum insígnia Barchinóne migrávit ad Dóminum décimo tértio Kaléndas Octóbris, anno salútis millésimo ducentésimo nonagésimo. Ejus corpus, ex quo suavíssimus odor manábat, sepúltum est in Ecclésia Fratrum Ordinis sui: quod nonagésimo post anno, Epíscopo Barchinonénsi, Petro Aragóniæ Rege, ceterísque aulæ & civitátis primátibus adstántibus, solemni pompa elevátum, incorrúptum repértum fuit, ac decentióri loco, ubi religiósè cólitur, asservátur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tértio Noctúrno Homília S. Gregórii Papæ in Evangélium, Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, de Commúni Vírginum. ciij.

DIE XXVII. SEPTEMB.

In festo B. Simónis de Rojas.

Duplex.

Omnia de Commúni Confessóris non Pontíficis, præter sequéntia.

Orátio.

DEus, cujus cháritas in corde beáti Simónis diffúsa, exímio in Sanctíssimam Fílii tui Genitrícem cultu, & assíduis misericórdiæ opéribus enítuit; illíus intercessióne concéde, ut eódem charitátis fervóre succénsi, & beátæ Maríæ Vírginis tutéla protécti, tuam misericórdiam consequámur. Per

Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptura occurrénte.

In secundo Nocturno.

## Lectio iv.

VAllis-Oleti in Urbe Castéllæ véteris natus est Simon Paréntibus piis æque ac nobílibus. Ab ejus ortu statim licuit vidére quoddam futuræ sanctitátis indícium. Puer namque infans ubi balbutíre cœpit, prima fere auditus est hæc verba proférre, Ave María: quod ut audiéntibus mirum áccidit, ita argumento fuit, exímium olim divínæ Matris cultórem, clientémque fore. Præságium affirmávit evéntus. Magna illi vel adolescéntulo píetas, mira in capesséndis exequendísque Religiónis offíciis alácritas, ac diligéntia; stúdium vero colendæ Vírginis tantum, ut jam tum eas Angélicæ Salutatiónis voces, in quas primum sólverat linguam, sibi máxime familiáres rédderet, & tértio quoque verbo usurpáret. Elucébat præsértim amor erga páuperes plane admirábilis, ut ipso eórum aspéctu commoverétur, nec continére se posset, quin cibos illis clam sibi detráctos, & ipsa intérdum indumenta tribúeret. Talis cum esset adoléscens, jamque multum in litteris proféctus esset: incénsus sanctióris vitæ desidério, Christi Crucem inter Fratres Sanctíssimæ Trinitátis, Redemptiónis Captivórum, in eadem Civitáte ampléxus est.

Tu autem Dómine.

## Lectio v.

TYrocínii ac studiórum spátiis cum laude conféctis, vitam deinceps réliquam Frátribus vel docéndis, vel gubernándis impéndit. Magister proínde appellátus, & cum plúribus Provínciæ Castellánæ cœnóbiis, tum toti demum Provínciæ Rector impósitus. Sui porro ita præfuit, ut morum inter eos gravitátem, sanctitatémque ad legum normam, atque óptima quæque stúdia proveheret; patérnum alióqui exércens impérium, neque tam potestáte, quam exémplo, síngulos ad offícium impéllens. Quæ dum agit domi, nihil intérea minus proximórum salúti prospiciébat foris: idque tum Divíni Verbi, tum sacrárum confessiónum ministério, ártibusque áliis charitátis, quibus nóviter insistens, incredíbile dictu est, quam multos a vítiis ad frugem, vel étiam ad perfectiónem christiánæ vitæ perdúxerit. Præter hæc famélicos Mendicórum greges quotídie ab ínsita misericórdia cogébat, pascebátque, large ómnia subministránte Providéntia cælésti, cujus sæpe benefício insperátam accipiébat annónam. Eórum præcípuam sumébat curam, qui inter bárbaros Mahometános caténis onústi degunt, hísque rediméndis ampla pecuniárum subsídia corrogábat. At sibimetipsi vacábat in primis, studebátque, ut fíeret in dies sánctior. Ob id spíritum oratióne assídua, rerúmque cæléstium meditatióne excolébat; corpus cilício, flagris, cibi potúsque parcitáte dirum in modum excruciábat.

Tu autem Dómine.

## Lectio vj.

PHilíppo III. Regi, ejúsque cónjugi Margarítæ apprime charus ob sanctimóniæ opiniónem fuit. Datus Régiis líberis adolescéntiæ Institútor, id munus gessit egrégie; sed oblátas a Rege Dignitátes constantíssime répulit. Isabéllæ Regínæ a confessiónibus, eóque nómine magno apud Aulicos honóre hábitus; Nosocómia tamen, carcerésque vinctórum frequentáre, ægrótis vocántibus diu noctúque præsto esse, egénis aliménta dívidere, calamitósis ómnibus opitulári perréxit usque ad extrémum, ut vulgo Pater páuperum vocitarétur. Multas vitiórum pestes e Pópulo sústulit, & augéndo beátæ Vírginis cultui assídue inténtus, cum ália multa perfécit, tum celebérrimam sodalitátem, quam vocant ab Ave María, Matríti instítuit, ac late propagándam curávit. Ejúsdem cura & indústria Sanctíssimi Mariæ nomen inter Trinitarios Offício próprio celebrári cœptum est. Illum vicíssim Virgo beatíssima multis maximísque ornávit benefíciis: inter quæ illud a Deo impetrásse fertur, ut multas post pugnas, omnis tandem in eo, qui victor semper evaserat, pravæ libídinis sensus extinctus manéret. Dono tandem prophetíæ, curatiónum grátia, miraculísque plúribus clarus, qua prorsus prænuntiáverat die, súbita vi morbi oppréssus accúbuit, annos natus duos supra septuagínta. Elátus est fúnere honorificentíssimo, cumdémque illi honórem per dies continénter duódecim præcípui Civitátis Ordines præstitére. Cum vero crebri ad ejus sepúlchrum concúrsus fíerent, & novis subinde miráculis venerábilis Viri fama inclaresceret, illum Clemens XIII. Beatórum fastis adscripsit.

Tu autem Dómine.

In tértio Nocturno Evangélium Nolíte timére, de Commúni Confessóris non Pontíficis secúndo loco.

Missa Justus, de eódem,

Com-

Commúni cum oratióne própria, ut supra.

## FESTA OCTOBRIS.

### DIE V. OCTOBRIS.

In festo S. Froylâni Epíscopi & Confessóris, Patróni Ecclésiæ & Diœcésis Legionensis.

Duplex.

In Ecclesiis autem Cathedrálibus, Duplex ij. Classis. Omnia de Commúni Confessóris Pontíficis, Iiij. præter ea, quæ hic habéntur própria.

Orátio.

DEus, qui beátum Froylánum Monastici institúti propagandi stúdio decorasti, & ex eremo ad Episcopale munus cælesti indicio vocatum miráculis clarum effecisti: concéde propitius, ut cujus patrocínio gloriamur, ejus instruámur exemplis. Per Dóminum.

Et fit Commem. SS. Plácidi & Sociórum Mártyrum, sed non in Cathedrálibus.

Lectiónes primi Noctúrni de Scriptura occurrente.

In Ecclésiis autem Cathedrálibus Lectiónes primi Noctúrni, Fidélis sermo, de eódem Commúni primo loco. Iv.

In ij. Noctúrno. Léctio iv.

FRoylânus Lucæ, quæ Regni Galléciæ nobilis est civitas, piis æque ac nobilibus paréntibus décimo nostræ redemptiónis sæculo natus, à prima ætâte futúræ sanctitátis spécimen dedit. Nam piæ matris ópera educatus, adhuc adoléscens, mundi illécebris contemptis, majorisque perfectiónis desidério illéctus, vix octódecim annos natus monasticam vitam professus est. Quare primum in quemdam Diœcêsis Legionénsis abditiórem locum sese recipiens, deinde ad Surrini montis radíces ædículam sibi éxtruens, ibique oratióni, jejúniis, jugique córporis castigatióni vacans, in cæléstium contemplatióne rerum, dies noctésque suavíssimè prætéribat. Brevi tanta ejus sanctitátis fama percrébuit, ut multis ad eum concurréntibus, sub Régula sancti Benedícti Monastérium ædificâre compulsus fúerit. Quos inter discípulos Attilânum Monastérii à se ædificáti Prióiem instituit, qui póstea Zamorénsis factus Episcopus eam Diœcêsim sanctíssimè gubernávit; eúmque post mortem Urbânus Secúndus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Léctio v.

NEc mirum Froylâni sanctitátem ab ómnibus agnósci, & ubique prædicári, quam vel bruta animália quodammodo persensisse videbántur. Sævum siquidem lupum multis spectántibus coepisse fertur, juménti loco substitui, ut libros prædicatióni necessários deferret, sicque pœnas lúeret, quòd asellum eidem serviéntem ministério, ferox dilaniasset. Idcirco Ramírus Tertius, qui difficíllimis iis tempóribus Legionénse Regnum administrâbat, res suas penè accisas agnóscens, Froylânum accérsit, eique ingéntem vim pecuniárum elargitus, potestátem dedit erigéndi ubicúmque vellet Monastéria in suo Regno, ut indè Monachi pro ejúsdem Regni liberatióne ab armis Sarracenórum fervéntes ad Deum preces effúnderent. Tot tantisque ópibus tam piè oblátis, Froylânus Tabarénse monastérium ædificávit, aliisque permúltis circa Æstólæ flúvium instauratis, demùm célebre illud apud Morérolam excitávit, ubi ducéntis círciter Mónachis congregatis ipse præfuit, piúmque Ramíri Regis desidérium explévit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

Léctio vi.

VEremúndo Secúndo regnante, qui Ramíro tértio successerat, Froylânus ex Mónacho, rénuens licet & invitus, Legionénsis Episcopus renuntiátus, dum consecrarêtur, sub colúmbæ e cælo veniéntis spécie Spíritum sanctum accípere visus est. Postquam autem sexdecim circíter annis concréditas sibi oves prædicatióne, & exemplo sanctíssimè gubernásset, prænuntiáto sui óbitus die, ad cæléstem pátriam quinto Nonas Octóbris anno sexto post millésimum evolávit. Multæ ejus sacri córporis translatiónes ob témporum difficultátem fieri debuérunt: quarum postrêma, cùm à Morérolæ cœnóbio máxima ejúsdem sacri córporis pars ad Legionénsem Ecclésiam, cui præfúerat, transferrétur, insigni fuit miráculo illustráta: nam per totam viam hómines, animántes, ipsæque árbores mélleo liquóre maduérunt. Itaque tam in Morérolæ monastério, quàm in Legionénsi Ecclésia usque ad nostram ætátem magna cum veneratióne dictum sacrum corpus sic divisum cólitur: Ecclésia verò Legionénsis tantum Pastórem, à quo innúmera accépit benefícia, ut præcípuum Patrónum venerátur.

℟. Iste



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. Iste est qui ante Deum magnis virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

In tértio Noctúrno Homilía sancti Gregórii Papæ in Evangélium. **Homo peregrè proficíscens**, de Commúni Confessóris Pontíficis primo loco. lxij.

Nona Léctio de SS. Plácido & Sociis Martyribus, ut in Breviário, cum Commemoratióne eorúndem in Láudibus.

## DIE XI. OCTOBRIS.

Fit de S. Ludovíco Bertrándo Confessóre.
Duplex.
(Fuit heri.)

Omnia de Commúni Confessóris non Pontíficis lxiij. præter ea, quæ hic assignántur propria.

Orátio.

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum per córporis mortificatiónem, & fídei prædicatiónem, Sanctórum glóriæ coæquásti: præsta ut quod fide profitémur, pietátis opéribus júgiter impleámus. Per Dóminum nostrum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In ij. Noctúrno Léctio iv.

Ludovícus Bertrándus Valéntiæ in Hispánia Tarraconénsi honéstis piísque paréntibus natus, ab ipsa pene infántia, sanctitátis, ac pœniténtiæ tyrocínium inchoávit. Exácta puerítia intérdum nuda cubábat humo, noctes sæpè ducébat insómnes, ac in pietátis, & charitátis offícia sédulus incumbébat. Mundi contémptu, ac Religiósæ vitæ ardóre succénsus, paréntum artes, quibus eum à sancto propósito dimovére conabántur, mira constántia superávit. Sui tandem voti compos efféctus, Prædicatórum Ordini nomen dedit, ubi brevi tantum profécit, ut vel provectióribus ipsis, quamvis tyro, fúerit exémplo. Emissa professióne mirum quot & quantis virtútum increméntis priórem vitæ ratiónem cumulárit. Jejúniis, flagéllis, cilíciis, vigiliísque carnem domans, mentem júgi oratiónis pábulo nutriébat, ex quo tantum intérnæ ánimi modéstiæ, ac puritátis hauriébat, ut vel in ejus óculis ac vultu appáreret. ℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum. * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Jus-



℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Léctio v.

Adhuc júvenis Novitiórum præféctus institútus, eos ad omnem verbo & exemplo sanctimóniam efformábat. Ad Occidentáles Indos Evangélicus Prædicátor missus, quamvis uno tantum Hispánico uterétur idiómate, cum tamen divérsæ, atque inter se dissítæ Natiónes, sua véluti loquéntem lingua singulæ audiébant, ex quibus innúmeros ad Christiánam fidem addúxit; ibique venénum non semel sibi à Bárbaris propinátum innóxiè hausit. Públicam vitiórum objurgatiónem, tamquam in se unum diréctam Nóbilis quidam ultúrus, mortem Ludovíco inténtat, cùm strictus in eum sclopus in Crucifíxi formam repéntè convértitur. Quo miráculo nefárius aggréssor permótus, ad sancti viri pedes provolútus, tanti facinoris véniam enixè deprecátur. ℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et.

Léctio vj.

Humilitáte, ac patiéntia insígnis, illud idéntidem usurpábat: Dómine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in ætérnum parcas. Prophético afflátus spíritu multa prædixit. Ignem signo Crucis extínxit, tempestátem sedávit, ferárum ímpetus cohíbuit, mórtuis vitam, cæcis visum, claudis gressum, surdis réddidit audítum. Tandem duriòris pœniténtiæ labóribus fractus, in morbum incidit, sacrisque mystériis ritè expiátus, migrávit in cælum séptimo Idus Octóbris, anno millésimo quingentésimo octogésimo primo, ætátis verò suæ quinquagésimo quinto. Quem multis étiam post óbitum miráculis clarum Paulus Quintus Beatórum, Clemens verò Décimus Sanctórum número adscripsit. Ejus demùm festum Alexánder Octávus instánte rege Cathólico ab univérso ditiónis ipsíus clero sæculári, sub ritu dúplici celebrándum decrévit, sanctúmque Confessórem novi regni Granaténsis Patrónum Apostólica auctoritáte declarávit. ℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cæ-
lés-

léstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tértio Noctúrno Lectiónes de Homília S. Gregórii Papæ in Evangelium Sint lumbi vestri præcíncti, de Commúni Confessóris non Pontíficis. lxxxij.

Vésperæ de sequénti, Commemorátio præcedéntis.

## DIE XII. OCTOBRIS.

In festo Commemoratiónis B. Maríæ de Colúmna.

Duplex.

Omnia ut in festo beátæ Maríæ Vírginis de Mercéde, die xxiv. Septembris, præter sequéntia.

℣. Dignáre me laudáre te Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magníficat, Antíphona.

Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, refove flébiles, ora pro pópulo, intervéni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem.

Orátio.

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis sanitáte gaudére: & gloriósa beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, & ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Parábolis Salomónis, Ego sapiéntia, cum ℟℟. ut in festo beátæ Maríæ de Mercéde. 536.

In secúndo Noctúrno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

*Sermóne 18. de Sanctis.*

Léctio iv.

Adest nobis, dilectíssimi, optátus dies Commemoratiónis beátæ, ac venerábilis semper vírginis Maríæ: ideò cum summa exultatióne gáudeat terra nostra, tantæ vírginis illustráta solemnitáte. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiósum lílium convállium, per cujus partum mutátur natúra Protoplastórum, delétur & culpa. Præcísum est in ea illud Hevæ infelicitátis elógium, quo dícitur: In dolóre páries fílios tuos: quia ista in lætítia Dóminum péperit. Heva lácrymas; María gáudium in ventre portávit: quia illa peccatórem, ista édidit innocéntem.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, & sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans. Dedi.

Léctio v.

O Beáta Mater, quis tibi digna váleat jura gratiárum, ac laudum præcónia rependere, quæ singulári tuo assénsu mundo succurrísti pérdito? Accipe ítaque quascúmque exíles, quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiónes: & cùm suscéperis vota, culpas nostras orando excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, & repórta nobis antídotum reconciliatiónis. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus, quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, & in te, Beatíssima, nostrórum est expectátio præmiórum.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, & formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, & beátam dixérunt, & regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, & lília convállium. Vidérunt.

Léctio vj.

Et profectò sperándum nobis, ac præcipuè lætándum est, quibus insígni benefício peculiárem sùmet obtinéndi Patrocínii fidúciam clementíssima Virgo concéssit. Ut enim pia & antíqua tradítio habet, cùm Jacóbus Apóstolus, Major nuncupátus, divíno consílio in Hispániam appulísset, & aliquándiu Cæsaraugústæ substitísset: ipsi cum áliquot discípulis noctù ad Ibéri flúminis ripam oránti beáta Virgo, dum adhuc in humánis ágeret, appáruit, ibíque ut Sacéllum extrúeret, eídem injúnxit. Quare nihil cunctátus Apóstolus, discípulis opem feréntibus, Ædículam Deo in ipsíus Vírginis honórem dicávit. Huic autem, procedéntibus sǽculis, ámplius & augústius Templum accéssit, quod à Simulácro Deíparæ, pilæ è mármore superstánte, atque ibídem máxima totíus regni pietáte ac frequéntia veneráto, à colúmna olim accéptum nomen, hisce quoque tempóribus rétinet. Utque devótus Deo cultus, ac fervens jam erga Vírginem populórum devótio ubérius in dies increméntum accípiat, Clemens Duodécimus Pontífex Máximus, per univérsas Regi Cathólico subjéctas ditiónes, ejúsdem Commemoratiónis Offícium die duodécima Octóbris celebrári indúlsit.

℟. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes eam fíliæ.

Gló-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Glória Patri. Unguéntum effúsum.

In tértio Noctúrno Homília in Evangelium Loquénte Jesu ad turbas, ut in festo Beatæ Mariæ de Mercéde, xxiv. Septembris, 403.

In secundis Vésperis ómnia ut in primis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancillam húmilem respexit Deus.

Orátio. Concéde nos, ut supra 28.

Deinde fit Commemorátio sancti Eduardi Regis & Confessoris.

## DIE XXII. OCTOBRIS.

In festo S. Salóme viduæ.

Duplex majus.

Omnia de Communi sanctárum nec Virg. nec Mart. præter ea, quæ sequuntur.

In utrisque Vésperis, & Laudibus. Hymnus.

Ista, quam læti cólimus fideles
Sédibus celsis súperum locatam,
Est decus nostrum, quia Mater extat
Alma Jacóbi.
Hæc Dei cultrix Salóme vocáta,
Sancta Zebedæo quoque juncta sancto,
Conjugem, carámque domum reliquit
Assecla Christi.
Perstitit constans, Cruce non recéssit
Térrita, aut illo moriénte, fugit,
Curat & funus Dómini & sepúlcrum
Fervida visit.
Tu pia, ò nostri Génitrix Patróni,
Filii cunctos réfove Cliéntes
Semper, ut nostro cápiti queâmus
Vivere juncti.
Sit decus Patri, Genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus,
Spiritus semper Deus unus omni
Temporis ævo.
Amen.

Ad Magnificat, Antiphona.

Accéssit ad Jesum Mater filiórum Zebedæi cum filiis suis adórans, & petens áliquid ab eo.

Orátio.

Domine Jesu, pro cujus amore beáta Salóme inter primas tibi fideles ómnia dimisit, & te sepultum venerári curávit: concéde propitius, ut ejus imitatióne tecum consepúlti, ætérnæ Resurrectiónis participes éffici mereámur. Qui vivis, & regnas.

## AD MATUTINUM.

Hymnus.

Ratum diem Sol éxtulit,
Quo valle rapta sæculi
Alma Siónis filia
Ætérna captat gaudia.
Amóre Christi sáucia
Corpus cucúrrit úngere
Vivum secúta mórtuo
Piis parentat rítibus.
Quam vivus ipse tráxerat
Odóre virtútum sacro,
Isthæc vicisim cómparat
Flagrans sepúlcro balsamum.
O mira sors! O gáudium!
Cui sic studébat mórtuo,
Vivum è sepúlcro cónspicit,
Suáque tangit déxtera.
Summo Patri cum Filio,
Sanctóque sit Paráclito
Ætérna laus, & glória
In sæculórum sæcula.
Amen.

Lectiónes primi Nocturni de Parábolis Salomónis. Mulierem fortem, ut in eódem Commúni.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Salóme uxor Zebedæi, & perillústrium Apostolórum Jacobi Majóris, & Joánnis Evangelistæ spectábilis Mater, una fuit ex primis sanctis mulieribus devotissimis Christi sequacibus, quæ tanta elúxit fide, ut ætáte licet longæva, & omni destitúta solátio, libénter adhuc paterétur Liberos illos, à quibus únicum sperábat auxilium, abesse sibi, ut Christo adhærérent, & tempore prædicatiónis suæ eidem adstárent. Rogánte tamen ipsa Christum Jesum, ut filiis suis primas sedes in Regno daret: interrogávit Christus ejus filios, num cálicem, quem bibitúrus esset, bibere & ipsi potuissent. Illisque parátos sese exhibéntibus, Christus inquit: Cálicem meum bibétis; sedére autem ad déxteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus parátum est à Patre meo.

℟. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justitiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

Fuit étiam beáta Salóme una ex illis muliéribus, quæ insigne fidei suæ spécimen dedérunt, cum Jesum Christum ad Calvárium tendentem, & in patíbulum Crucis elátum comitátæ sunt. Una étiam fuit, quæ comparátis aromátibus ad condiéndum corpus Christi, sub auróram Domínicæ diei ad ejus monuméntum accédens, Angelum ibi vidit fulgénti fácie, & cándida veste super lápidem sepúlcri sedéntem, à quo primùm audivit Jesum resurrexisse, & digna insuper fuit, ut ab Angelo una cum áliis duábus muliéribus eligeré-

tur in Núntiam mystérii Resurrectiónis Christi monitûra Discípulos, ut in Galilæam pergerent, si cum vellent redivívum vidêre.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitâtem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptérea.

Lectio vj.

PRoficiscénti beátæ Salóme unà cum sóciis suis ad Angeli mandâtum implêndum, occurrit Jesus in itínere redivívus, & benigníssimum eis Ave dixit: cujus quidem glorióso aspéctu primùm pertérrita, mox recreâta, se humi prostérnens, eum adorâvit: & quem flagrantíssimi amóris desidério paulò ante quæsíverat, sed non invénerat, non solùm vidêre tunc atque audíre, verùm étiam & própriis mánibus pedes ejus tenêre méruit. His cæléstibus donis ditâta, constans in Fide, Spe dives, Charitáte potens, persecutiónes invícta súperans, usque in finem persevérans, ad cæléstia Regna migrávit.

℟. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 20.*

IN illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans, & petens aliquid ab eo. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Episcopi.

*Sermône de Filiis Zebedæi.*

QUi sedet super Chérubim, appáret coram Ephraim, & Benjamin, & Manásse. Hoc audíerat, & legéndo didícerat beáta mater filiórum Zebedæi, & intelléxit Dóminum super Chérubim sedéntem, quia magnam póssidet dignitâtem. Accêdit illumináṇda: adórat ut ancílla. Póstulat non dona terrêna, sed vota cæléstia. Dóminus est enim cælórum, à quo cæléste flágitat desidérium. Dic, inquit, ut sédeant hi duo fílii mei unus ad déxteram tuam, & alter ad sinístram tuam in Regno tuo. Dic, inquit, in verbo tuo, & efféctus próficit voto meo. Dixísti, & factum est cælum. Dic, & parábitur fíliis meis thronus claritúdo thronórum. O Múlier conditióne! sed quia Mater es pietâte, humánam supergréssa es dignitâtem. Christus de Cruce prædicâbat, & illa impérium cognoscêbat. Ille dicêbat: Ecce ascéndimus Jerosólymam, & fílius hóminis tradêtur, ut crucifigâtur: & illa intercpellátrix accésserat dúlcium filiórum. O Múlier filiórum beâta Sanctórum méritum præcessísti Beatórum, & honórem prætergréssa es Angelórum: Non tibi súfficit, quia fílios tuos feci excélsos Prædicatóres, quos ínopes nutríeras piscatóres? Post rétia Cælum: post hamum Evangélium: post navícelam póstulas thronum?

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus: considerâvit sémitas domus suæ: * Et panem otiósa non comêdit. ℣. Gustâvit & vidit quia bona est negotiátio ejus, non extinguêtur in nocte lucérna ejus. Et panem.

Léctio viij.

DOmini étiam vox est monéntis, terréntis, idque firmántis. Vigiláte, inquit, & oráte, ut digni efficiámini effúgere ómnia, quæ ventûra sunt, & stetis ante Fílium hóminis. Et tu fíliis tuis thronos póstulas majestâtis? Da véniam, Mater, admirántes ista dícimus, non culpántes. Noli, inquit beâta Mater, noli tamquam impossibílium me cúpidam judicâre. Dóminus mihi tribuit istam ávidam voluntâtem, qui Regni sui díligit violéntos, & solos odit, qui potentári cúpiunt super egénos. Regnum, inquit, Cælórum vim pátitur, & qui vim fáciunt diripiunt illud. Quia hoc dignátur amâre, hoc ab eo ausa sum postulâre. Ab illo audívi: Pétite, & accipiétis, quærite, & inveniétis, pulsâte, & aperiêtur vobis. Dum patet, pulso: dum accípere licet, peto: dum tempus est, quæro. Audívi étiam dictum: Quærite Dóminum, dum inveníri potest, ne tunc quærâtis, quando inveníri non potest.

℟. Regnum mundi, & omnem ornâtum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructâvit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea Regi. Quem vidi. Glória Patri. Quem vidi.

Léctio ix.

MOdo, modo, dum in forma appáret servi, dum pátiens est usque ad mortem Crucis, dum privâtum gerit vultum, & necdum incénsæ sunt ab illo scintíllæ carbónum: cæterum, cum cœpérint præcédere veniéntem Angelum tubæ, & voce magna, quando virtútes Cæli commove-

 bún-

búntur, interpellátio ibi quid fáciet mulieris? Dum commovebitur ignis in circúitu ejus, & tempéstas válida, mea quid prævaleant desidéria? Pótero ad igneum accédere Thronum, congregatis ad judicium Legiónibus peccatórum? Ideo modo videns eum in ista humilitâte, istam prærípere cúpio sponsiónem: sed Dóminum meum áudiam respondéntem. Dic, jam Dómine, ut sédeant tecum filii mei in latéribus Regni tui.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dic, ut sédeant hi duo filii mei, unus ad déxteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo.

Oratio. Dómine Jesu, ut supra.

In secúndis Véspetis, ad Magnificat, Antiphona.

O beâta Salóme, pacífica Filiôrum tonitrui Mater, quorum qui primus ómnium Apostolôrum cálicem Dómini bibere méruit, fidei propugnâtor, & Hispániæ Patrónus cólitur: qui supra pectus Dómini in Cœna recúbuit, ab ipso suæmet Vírginis Matris filius constitúitur. Allelúia.

In secúndis Véspetis fit Commem. sequéntis.

## DIE XXIII. OCTOBRIS.

In festo S. Petri Paschasii Episcopi & Mártyris.

Duplex.

Omnia de Commúni unius Mártyris, xxij. præter sequéntia. Orátio.

DEus humílium consolátor, & fidélium fortitúdo, cujus charitâtis ardóre, Martyr & Póntifex beátus Petrus Paschásius ætáte téneros, & sexu frágiles ab impiórum captivitâte, própria servitúte, redêmit: ejus, quæsumus, subsidiis, ab omni nos absólve fragilitâtis humanæ reatu; ut ad cuncta charitâtis ópera reparêmur, & quos véniа féceris innocéntes, auxilio fácias efficáces. Per Dóminum nostrum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptura occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

PEtrus, cognoménto Paschasius, Valéntiæ, dum sub Maurôrum jugo teneréntur, Christiánis paréntibus natus, liberálibus ártibus, sacrisque disciplinis erudítus, inter Canónicos Ecclésiæ Valentinæ adscríbitur. Mox erogátis in páuperes amplíssimis redditibus, ut se totum pietáti convérteret, Ordinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivôrum ingréditur: in quo sub ipso sancto Petro Nolasco Magistro ádeò exáctam vivendi ratiónem instítuit, ut jejúniis, & mortificatiónibus



bus exémplar ómnibus esset.

℟. Honestum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: & in vínculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio v.

DEin sacram Theologíam magno auditórum profectu públicè dócuit: quare Jacobus Primus Aragóniæ rex, ejus doctrínæ fama permótus, illum in filii sui Sánctii Archiepíscopi Toletáni, qui & eídem Ordini nomen déderat, in præceptórem & directórem, collâto ab Urbáno Quarto título Episcopátus Granaténsis delégit. Quo in múnere ita se gessit, ut Ordinem suum Toléti, & álibi mirífice propagáverit, donec defúncto Sánctio, ad Giennénsem Ecclésiam ómnibus votis præfícitur. In ejus verò régimine, dum óvium sibi creditárum salúti sedulò invígilat, à Mauris captus, in vínculis Granátæ jam septuagenárius detinétur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vj.

VErùm in tanto vitæ discrímine, ærúmnis & calamitátibus præssus, summa constántia Cathólicam Religiónem tuéri, fidelésque in ergástulis miserè deténtos ópibus, & pecúniis in própriam libertâtem plúries parátis juvit: ac púeros & féminas in ánimæ discrimen ob ætátis vel sexus imbecillitâtem proclíves, contempta própria salûte redêmit. Cúmque inter infidéles ipsos non prætermítteret Cathólicam Religiónem propugnáre, ac Saracenórum errores doctíssimis commentáriis confutáre; ipsum Granátæ, dum Sacra operátur, obtruncári rex Mahometánus jubet. Mártyris sui sanctitâtem multis Deus miráculis illustrávit, diúque à fidélibus veneratióne habitum Clemens Décimus Póntifex Máximus Ecclesiástici cultus decréto decorávit.

℟. Stola jucunditâtis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Noctúrno Lectiónes de Homilía S. Gregorii

górii Papæ in Evangélium Si quis vult post me veníre, de eódem Commúni. xxxvj.

Vesperæ S. Raphaëlis Archángeli, cum Commem. præcedéntis.

## DIE XXIV. OCTOBRIS.

In festo sancti Raphaëlis Archángeli.

Duplex.

### AD VESPERAS.

Antiphona. Missus est Angelus Raphaël, cum reliq. de Laudibus. ccly. Psalm. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 133. & loco ultimi, Psalm. L audáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *Tobiæ 12.*

QUando orábas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos, & derelinquébas prándium tuum, & mórtuos abscondébas per diem in domo tua, & nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Hymnus.

TIbi Christe splendor Patris,
Vita, virtus córdium,
In conspéctu Angelórum
Votis, voce, psállimus:
Alternántes concrepándo
Melos damus vócibus.

Collaudâmus venerántes
Omnes cæli Príncipes,
Sed præcípuè fidélem
Médicum, & cómitem
Raphaëlem, in virtúte
Alligántem dæmonem.

Quo custóde procul pelle,
Rex Christe píissime,
Omne nefas inimici,
Mundo corde, & córpore:
Paradiso redde tuo
Nos sola cleméntia.

Glóriam Patri melódis
Personémus vócibus:
Glóriam Christo canâmus,
Glóriam Paráclito,
Qui trinus, & unus Deus
Extat ante sæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuribulum áureum in manu sua.

Ad Magnificat, Antiphona. Ego sum Raphaël Angelus, qui asto ante Dóminum; vos autem benedícite Deum, & narráte ómnia mirabília ejus.

Orátio.

DEus, qui beátum Raphaëlem Archángelum Tobiæ fámulo tuo cómitem dedisti in via: concéde nobis fámulis tuis, ut ejúsdem semper protegámur custódia, & muniâmur auxilio. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatór. Regem Archangelórum Dóminum, * Venite adorémus. Psalmus. Venite. Hymnus Tibi Christe, ut supra.

In primo Noctúrno, Aña. Ingréssus Tobías invênit júvenem præcinctum, & quasi parâtum ad ambulándum, & ignórans quòd Angelus esset, salutávit eum. Psalmus Dómine Dóminus noster, cum réliquis Psalmis secundum órdinem Nocturnórum, ut in festo Dedicatiónis S. Michaëlis. 414.

Antiphona. Angelus Raphaël seipsum occúltans, ait: Ego sum Azarías, magni Ananíæ filius. Psalmus. In Dómino confido. 414.

Antiphona. Sanum ducam filium tuum in regiônem Medórum, & sanum tibi redúcam, allelúia. Psalmus Dómine quis habitábit. 415.

℣. Data sunt Angelo incénsa multa. ℟. Ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini.

De libro Tobiæ.

Lectio j. *Cap. 14.*

VOcávit ad se Tobías filium suum, dixítque ei: Quid póssumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Et respondens Tobías, dixit patri suo: Pater, quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit, & redúxit sanum, pecúniam à Gabélo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, & dæmónium ab ea ipse compéscuit, gáudium paréntibus ejus fecit, meípsum à devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen cæli, & bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare? Sed peto te pater mi, ut roges eum, si fortè dignábitur medietátem de ómnibus, quæ alláta sunt, sibi assúmere.

℟. In illo témpore exaudítæ sunt preces ambórum in conspéctu glóriæ summi Dei: * Et missus est Angelus Dómini sanctus Ráphaël, ut curáret eos ambos, quorum uno témpore sunt oratiónes in conspéctu Dómini recitátæ. ℣. Tobías & Sara in tribulatióne pósiti, cum lácrymis oráre cœpérunt. Et missus est Angelus.

Lectio ij.

ET vocántes eum, pater scilicet & filius, tulérunt eum in partem, & rogáre cœpérunt, ut dignarétur dimídiam partem ómnium, quæ attúlerant, accéptam habére. Tunc dixit eis occúltè: Benedícite Deum cæli, & coram ómnibus viventibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Etenim sacraméntum regis abscóndere, bonum est: ópera autem Dei reveláre & confitéri, honorificum est. Bona est orátio cum jejúnio, & eleemósynam magis quàm thesáuros auri recóndere: quóniam eleemósyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccáta, & facit invenire misericórdiam & vi-

tam ætérnam. Qui autem fáciunt peccâtum, & iniquitâtem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritâtem, & non abscondam à vobis occúltum sermônem. Quando orâbas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos, & derelinquebas prándium tuum, & mórtuos abscondébas per diem in domo tua, & nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiônem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit, ut tentátio probâret te.

℟. Egressus Tobias invênit júvenem splendidum stantem præcinctum, & quasi parâtum ad ambulandum, & salutâvit eum, & dixit: * Unde te habêmus bone júvenis? ℣. Et ignórans quòd Dómini Angelus esset, salutâvit eum, & dixit. Unde te habêmus.

Lectio iij.

Et nunc misit me Dóminus ut curârem te, & Saram uxórem filii tui à dæmónio liberârem. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astâmus ante Dóminum. Cúmque hæc audissent, turbâti sunt, & treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timêre. Etenim cùm essem vobíscum, per voluntâtem Dei eram: ipsum benedícite, & cantâte illi. Vidêbar quidem vobíscum manducâre, & bíbere; sed ego cibo invisíbili & potu, qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus est ergo ut revértar ad eum, qui me misit: vos autem benedícite Deum, & narrâte ómnia mirabília ejus. Et cùm hæc dixisset, ab aspectu eórum ablâtus est, & ultrà eum vidêre non potuérunt. Tunc postrâti per horas tres in fáciem, benedixérunt Deum: & exurgéntes narravérunt ómnia mirabília ejus.

℟. Ingressus Angelus ad Tobiam, salutâvit eum, & dixit: Gaudium sit tibi semper. * Forti ánimo esto: in próximo enim est, ut à Deo curêris. ℣. Et respóndens Tobias, ait: Quale gaudium mihi erit, qui in ténebris sedeo, & lumen cæli non video. Forti ánimo. Glória Patri. Forti ánimo.

In secúndo Noctúrno, Ant. Dixit autem Angelus: Apprehénde bránchiam piscis: & trahe eum extra aquas. Psalm. Cæli enárrant. 416. Antiphona. Obsecro te Azaría frater, ut dicas mihi, quod remédium habébunt ista, quæ de pisce servâre jussísti. Psalmus. Dómini est terra. 416. Antiphona. Lúmina fel sanat, sed virtus





tus cordis, & jécoris diáboli expellit potestâtem. Psalmus. Benedícam Dóminum. 417. ℣. Ascéndit fumus arómatum in conspectu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

*Sermône 1. in Domínica 15. de beâto Tobia, qui est 226. de Temp.*

Lectio iv.

Beâtus Tobias, qui panem suum nóverat frángere esuriénti, mercêdem célerem mercenário præparat laboránti. Patiénter lectiône percépta, quæ nuper est recitâta, admirabâmur patris filiíque tractâtum, quem admodum Angelus monet, quem æstimâbant terrênum sub cælésti glória mercenarium. Ad hoc enim cæcitâtis incúrrit exitium, ut Angelum susciperet médicum, qui divinis fácibus incénsus sic anhelâvit: Honésta est orâtio cum jejúnio, & eleemósyna. Orâtio justi clavis est cæli. Ascéndit precâtio, & descéndit Dei miserâtio. Licèt alta sit terra, altum cælum: audit tamen Deus hóminis linguam, si mundam habet consciéntiam. Cùm sénsibus lóquitur, si sit solus noster gémitus. Súfficit auribus imber oculórum: fletus citiùs audit, quàm voces. Orâtio invidi solet de áuribus propulsâri. Erat patris & filii ánima una: dum esset próprietas membrórum, erat illis singulâris germánitas animórum. Fili, inquit, dimittâmus istum hóminem, adjiciéntes ad mercêdem placitam, quia nobis multa ópere suo cóntulit bona: & rogâre cœpit mercenárium, ut mercêdis suæ sumat effectum. Frater, inquit, accipe quod tuum est, & tunc vade salvus. Récipe mercêdem tuam, quia mihi & filio meo bonam præbuísti misericórdiam. Tolle, ùt dixi, substántiam, quam cum filio meo reportásti; nam grátia, quam tibi debêmus, non potest ponderári.

℟. Interrogâvit Tobias Angelum, de qua domo, aut de qua tribu es tu? Qui respóndens, ait: * Ego sum Azarias, Ananíæ magni filius. ℣. Genus quæris mercenárii, an ipsum mercenárium, qui cum filio tuo eat? Sed ne fortè solícitus sis. Ego sum.

Lectio v.

Continuo Angelus gaudet de cogitâta mercêde, qui missus fúerat gratis fácere pietâtem. Tobis, inquit, vel Tobias, quid de mea mercêde satis supérfluè cogitâtis? Habête quod

vobis donâvit Pater ille cæléstis. Ego minister sum curatiônis, ille est auctor sanitâtis. Nescitis cujus mercenárii ope perfrui meruístis. Defúnctos captivitâtis sepelire non timuistis: Tobis, ascendêrunt ad Dóminum ópera tua, quia relícto prándio, reddidisti mórtuum sepultúræ. Ego Dómino medullâta intuli sacrifícia pro venerábili sepultúra. Ego diréctus sum operárius fori cæléstis. Mórtuum sepelistis, & mortis acúleum non timuistis. Ipse sepúltus pro vobis voce tácita proclamâvit. Probatiónis fúerat cæcitas oculôrum, unde patiéntia tua clárius meruisset de cæléstibus ornaméntum. Ego sum Ráphael, unus ex septem Angelis, qui astâmus ante claritâtem Dei. Non índigeo fructu humánæ mercédis, divitem me facit conversátio Majestâtis. Dives est ille, qui me misit; gratis jussit impéndi, quòd gratis ipse concéssit. Nec ipsum honôrem gratiárum mihi deputétis: quia nihil meis víribus percepistis. Deum benedícite, & illi confitémini, & ipsum glorificáte, quia vobíscum fecit bona.

℟. Exivit Tobias, ut laváret pedes suos, & ecce piscis immánis exivit ad devorándum eum, qui expavéscens clamâvit voce magna, dicens: Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus: Apprehénde bránchiam ejus, & trahe eum ad te. * Exéntera hunc piscem, & cor ejus, & fel, & jecur repône tibi: sunt enim necessária ad medicaménta utíliter. ℣. Attráxit autem Tobias piscem in siccum, & palpitáre cœpit ante pedes ejus, & ait Angelus ei. Exéntera.

Léctio vj.

Subitò patefácto mystérii cæléstis honôre, voce Raphaëlis Archángeli attóniti Tobis & Tobias, colápsi in terram proruérunt, vocem trémulam pénitus occultavérunt, quia vocem insólitam audiérunt. Quid metuistis pater Tobis, filiúsque Tobias? Mercenárium habêre cæléstem, & tamquam operárium locáre terréstrem? Celâvit vobis Angelus nomen: Azarias sum, inquit, Ananiæ magni fílius: & cum dixit, Ego sum Ráphael Angelus, celâvit in primo nómine dignitâtem, ne fáceret locatóri terrôrem. Si enim díceret: Ego sum Angelus; non esset Tobiæ mercenárius. Servâta est dígnitas nóminis, ut postrémò magnitúdo claresceret dignitâtis. Vidête, charíssimi, quantum sit eleemósynæ méritum: Angelum méruit habêre operárium. Vidêtis quantum próficit mórtuos sepelire, ut oblátio ejus per Angelum Raphaêlem ad cæléstem ascénderet majestâtem. Vidêtis, quia eleemósyna à morte líberat, & ipsa purgat peccáta, fácit purgatiônem oculôrum, liberat à ténebris peccatôrum. Tobis via sua dedúcitur, Sara tot viris contristâta per Angelum matrimónio copulâtur.



℟. Ubi introíeris domum tuam, dixit Angelus Ráphael ad Tobíam, statim adóra Dóminum Deum tuum, & grátias agens ei, accéde ad patrem tuum, & osculáre eum: * Statimque lini super óculos ejus ex felle isto piscis, quem portas tecum: scias enim, quóniam mox aperiéntur óculi ejus, & vidébit pater tuus lumen cæli, & in aspéctu tuo gaudébit. ℣. Tolle tecum ex felle isto piscis: erit enim necessárium. Statimque. Glória Patri. Statimque.

In tertio Noctúrno, Antiphona. Est hic Sacra Raguêlis filia, quæ tibi conjúgio dábitur, & omnis substántia ejus. Psalmus. Cantáte Dómino 420. Antiphona. Septem viros hábuit, quos dæmónium oppréssit: tímeo ne mihi símile contingat. Psalmus. Dóminus regnâvit exúltet. 420. Antiphona. Per tres dies oratióni cum uxôre tua vacábis, ut in sémine Abrahæ benedictiônem in fíliis consequáris. Psalmus. Bénedic ánima mea Dómino. 421.

℣. Apprehéndit Angelus Ráphael dæmónium. ℟. Et religávit illud in desérto superióris Ægypti.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Léctio vij. *Cap. 5.*

In illo témpore: Erat dies festus Judæôrum, & ascéndit Jesus Jerosólymam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustini Episcopi.

*Tract. 17. in cap. 5. Joánnis.*

Mirum non esse debet à Deo factum miráculum: mirum enim esset, si homo fecisset. Magis gaudêre, quàm mirári debêmus, quia Dóminus noster, & Salvâtor Jesus Christus homo factus est, quàm quod divína inter hómines Deus fecit. Plus est enim ad salûtem nostram, quod factus est propter hómines, quàm quod fecit inter hómines: & plus est, quòd vítia sanâvit animârum, quàm quòd sanâvit languóres córporum moriturórum.

℟. Benedícite Deum cæli, dixit Angelus Ráphael, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei: * Quia fecit

cit vobiscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, & cantáte illi, & narráte ómnia mirabília ejus. Quia fecit. Benedictio. Cujus festum.

Lectio viij.

SEd quia ipsa ánima nec eum nóverat à quo sananda erat; & óculos habêbat in carne, undè facta corporália vidêret: nondum habêbat sanos in corde, undè Deum latêntem agnósceret: fecit quod vidéri póterat, ut sanarêtur undè vidéri non póterat. Ingréssus est locum, ubi jacêbat magna multitúdo languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum.

℟. Tempus est ut revértar ad eum qui me misit, dixit Angelus Ráphaël: * Vos autem benedícite Dóminum, & narráte ómnia mirabília ejus. ℣. Confitémini ei coram ómnibus vivéntibus, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Vos autem benedícite. Glória Patri. Vos autem.

Lectio ix.

ET cùm esset médicus & animárum & córporum, & qui venísset sanáre omnes ánimas creditúrórum: de illis languéntibus unum elégit quem sanáret, ut unitátem significáret. Si mediócri corde, & quasi humáno captu & ingénio considerêmus faciéntem, & quod ad potestátem pértinet, non magnum áliquid perfécit: & quoad benignitátem, parum fecit. Tot jacêbant, & unus curâtus est, cùm posset uno verbo omnes erígere.

Te Deum laudâmus. 17.

## AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

MIssus est Angelus Ráphael ad Tobiam & Saram, ut curâret eos. Psalmus. Dóminus regnâvit, cum réliquis de Láudibus Domínicæ. 18. Antiphona. Ingréssus Angelus ad Tobiam, salutâvit eum, & dixit: Gáudium sit tibi semper. Antiphona. Forti ánimo esto Tobías, in próximo enim est, ut à Deo curéris. Antiphona. Benedícite Deum cæli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini illi, quia fecit vobíscum miscricórdiam suam. Antiphona. Pax vobis, nolite timêre: Deum benedícite, & cantáte illi.

Capitulum. *Tob.* 12.

QUando orábas cum lácrymis, & sepeliêbas mórtuos, & derelinquêbas prándium tuum, & mórtuos abscondêbas per diem in domo tua, & nocte sepeliêbas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Hyn-



Hymnus.

CHriste, sanctórum decus Angelórum,
Rector humáni géneris, & Auctor,
Nobis sacrâtum tríbue benígnus
Scándere cælum.

Angelum nobis médicum salútis
Mitte de cælis Ráphaël, ut omnes
Sanet ægrótos, paritérque nostros
Dirigat actus.

Hinc Dei nostri génitrix María,
Totus & nobis chorus Angelórum
Semper assistat, simul & beáta
Cóncio tota.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

Ad Benedictus, Antiphona. Ego sum Ráphaël Angelus, qui asto ante Dóminum: vos autem benedícite Deum, & narráte ómnia mirabília ejus, allelúia. Oratio.

DEus, qui beátum Raphaëlem Archángelum Tobiæ fámulo tuo cómitem dedísti in via: concêde nobis fámulis tuis, ut ejúsdem semper protegâmur custódia, & muniâmur auxílio. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Antiphona. Ingréssus Angelus. Capitulum. Quando orábas, ut supra.

℟. breve. Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta aram templi. Glória Patri. Stetit Angelus. ℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam, Antiphona. Forti ánimo.

Capitulum. *Tob.* 12. *c*

ET nunc misit me Dóminus, ut curârem te, & Saram uxórem fílii tui à dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphaël Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum.

℟. breve. Ascéndit fumus arómatum, * In conspéctu Dómini. Ascéndit fumus. ℣. De manu Angeli. In conspéctu Dómini. Glória Patri. Ascéndit fumus. ℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

Ad Nonam, Antiphona. Pax vobis.

Ca-

Capitulum. *Tob. 12. d*

TEmpus est, ut revértar ad eum, qui me misit: vos autem benedícite Deum, & narráte ómnia mirabília ejus.

℟. breve. In conspéctu Angelórum, * Psallam tibi Deus meus. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo. Psallam tibi. Glória Patri. In conspéctu. ℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

In ij. Vesperis, Antiphona. Missus est Angelus, cum reliquis Antiphonis de Laudibus. 44. Psalmus. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, 133. & loco último, Psalmus. Confitébor tibi Dómine in toto corde meo, * quóniam audísti. 148.

Capitulum, Hymnus & ℣. ut in primis Vesperis. 36. Ad Magnificat, Antiphona. Princeps gloriosíssime Ráphaël Archángele esto memor nostri; hic, & ubíque semper precáre pro nobis Fílium Dei.

Orátio. Deus qui, ut supra.

In secúndis Vésperis fit Commemorátio sequéntis.

## DIE XXV. OCTOBRIS.

In festo SS. Gavini, Prothi, & Januárii Mártyrum Turritanórum.

Duplex.

Omnia de Commúni plurimórum Mártyrum, xxxvij. excéptis his, quæ sequúntur.

Orátio.

DEus, qui per beátos Mártyres tuos Gavínum, Prothum, & Januárium, Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis, ut quos patrónos venerámur in terris, intercessóres habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Deinde fit Commemorátio SS. Chrysánthi & Dariæ Mártyrum, Antiphona. Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére, multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orátio.

BEatórum Mártyrum tuórum, Dómine, Chrysánthi & Dariæ, quæsumus, adsit nobis orátio: ut quos venerámur obséquio, eórum pium júgiter experiámur auxílium. Per Dóminum nostrum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

PRothus Sacérdos; & Januárius Diáconus Túrribus in Sardínia nati, quo témpore Diocletiánus Imperátor insatiábilem crudelitátem in Christiános exercébat, Romam proficti, & à Cajo sanctíssimo Pontífice ordináti, atque in Sardíniam revérsi, fidem Christi Túrribus prædicábant: Deíque grátia aspiránte, plures Gentíles ad veri Dei cultum perduxérunt: inter quos máximè enituit Gavínus Románus miles, ex præclára (ùt fertur) Sabelliórum família: qua de causa bárbari Præsidis jussu comprehénsi, diutúrno cárcere maceráti, in equúleo suspénsi, férreis úngulis dilaniáti, variísque tormentórum genéribus vexáti sunt; sed Deo protegénte illæsi ab illis evasérunt.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida: & in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

MOx Prothus Présbyter in Hérculis ínsulam, quæ Linária vulgò dícitur, tunc nóxiis animálibus refértam, jubénte Præside deportátus fuit, ut à feris devorarétur: ubi cibo atque omni humána ope pénitus destitútus, multis calamitátibus vexátus fuit: sed divínis láudibus inténdens, ab eo, qui dat escam esuriéntibus, mirabíliter enutrítus: hoc étiam suis précibus impetrásse dícitur, ut omnes nóxiæ feræ in ea ínsula ac vicína Sardínia, usque in præséntem diem, extínctæ omninò fúerint. At verò Januárius júnior, donis & blandítiis tentátus ut à fide defíceret, in ejus confessióne immóbilis perseverávit. Quare Præses novis eum torméntis simul cum Protho, quem ab exílio revocáverat, subjécit, & Gavíno míliti utrúmque trádidit custodiéndum. Porrò Gavínus ab ipsis ad Christum convérsus, & aqua salutári ablútus, líberos illos dimísit, quòd insóntes eos, & sine causa vinctos díceret.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vj.

ID cùm tyránno innotuísset, suasiónibus & illécebris ad idolórum cultum Gavínum revocáre conátus est: quem in suscépta Religióne constantíssimum repértum, capitáli senténtia



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tia puniri mandâvit in portu Balagâi: quo loco etiam Prothus & Januárius, qui in suburbâno Túrrium loco laténtes ab ipso Gavino in visu ad martyrii palmam invitâti fúerant, decollâti sunt die vigésima quinta Octóbris. Horum córpora, tyránno imperánte, in mare projécta, mox ab incolis Christiánis juxta littus repérta, & in Ecclésia magnificentissimè extrúcta, ac eòrum nómine consecrâta, collocâta fuérunt: ubi à toto Sardiniæ Regno, & præcipuè à Provincia Turritâna, quæ in honórem sancti Gavini mensem Octóbris sanctum Gavinum appéllat, ingenti concúrsu, & pópuli veneratióne colúntur.

℟. Tanquam aurum in fornâce probâvit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum, & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intélligent veritâtem: & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam donum.

In tertio Nocturno Homilia S. Gregórii Papæ in Evangélium Cùm audiéritis prælia, de Communi plurimórum Mártyrum primo loco. xlvij. Léctio nona de SS. Chrysántho & Daria, Martyribus, ut in Breviário Romano.

In Laudibus fit Commemor. SS. Chrysánthi & Dariæ Mártyrum, Antiphona. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Lætámini in Dómino, & exultâte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orátio. Beatórum mártyrum, ut supra. 46.

Vesperæ à cap. seq. Com. præced.

## DIE XXVI. OCTOBRIS.

Fuit 23. hujus.

In festo SS. Servandi, & Germani Mártyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurimórum Mártyrum xxxvij. præter sequentia.

Orátio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui sanctis frátribus Servándo & Germáno mirabilem fidei constántiam tribuisti: concéde propitius ut qui tantórum Mártyrum patrocinio fruimur, eórum perpetua intercessióne roborémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Póstea fit Commemor. S. Evaristi Papæ & Mart.

In



In primo Nocturno Lectiónes de Scriptura occurrente.

In secúndo Nocturno.

*Ex Martyrol. & Breviáriis Hispániæ.*

Léctio iv.

Servándus, & Germánus fratres, patre Marcéllo Legionénsi viro, non solùm martyrio, sed & felici duódecim filiórum sóbole præclâro, matre Nona sanctíssima fémina nati sunt. Hi ab ipsis incunábulis Christiánam religiónem cum sanctíssimis móribus à piis paréntibus altè imbibérunt. In ea ergo, sanctísque eius officiis sese strenuè exercéntes, Christi glóriam noménque palàm confitebántur. Sæviénte autem eo témpore persecutiónis in Christiános procélla, comprehénsi, & ad Præsidem addúcti, generósa libertâte Christiános se professi sunt. Rogati ut desisterent, & thura diis offérrent, sic salvos, & magnis honóribus auctos fore; respondérunt, sibi in Christo satis honóris, & divitiárum repósitum esse, eique, ut Deo vero, non falsis simulácris cultum delatúros. Irátus Judex eos váriis & exquisitis cruciátibus torquéri jubet: sed non pótuit constántem júvenum indolem à propósito dimovére: fundâti enim erant supra firmam petram, & invicti patris, & totdoméstícis exémplis confirmâti: magna ergo cum glória ex eo certámine Confessórum titulum reportárunt.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecuti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis; * Terra appáruit árida: & in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra appáruit.

Léctio v.

Pace interim Ecclésiæ reddita, multò liberiùs Christum profitebántur, multos ex impietâte ad fidem reducébant, álios in ea confirmâbant: in Idóla, & nefária géntium sacra apertè ac liberè, invehebántur: ea ubicúmque invénta profligánda curábant; multis fortitúdinem fidei admirántibus, & eórum exémplum sequéntibus, quòd viros sanctíssimos in Christi nómine dæmones è corpóribus obséssis ejícere, ægris sanitâtem réddere, & multis áliis miráculis inclaréscere vidérent. Novo autem Imperatórum edicto, iterum Ecclésiæ pace turbâta, Christi Athlétæ iterum ad Provinciæ Præsidem rapiúntur: qui eos flagris sævissimis cædi, & ferreis pectini-

nibus excarnificári jubet; nec sic tamen altè insitam fidem ex illórum ánimis evéllit: immò in média tormentórum acerbitáte, magno cum gáudio, & Christi laudes, & idolórum infámiam prædicábant.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vj.

Decrévit autem Præses, ejus causæ cognitiónem reférre ad Vicárium Præfecti prætórii, qui tunc erat in Província Tingitána. Arrépto ergo longo, & difficili itínere, sanctos fratres secum pérgere jubet: qui nudis pédibus, gravi catenárum ónere impediti, moléstiis, & contuméliis máximis affecti, fame, sitíque penè enecáti eum sequúntur. Quas incommoditátes, ærumnásque, æquíssimis ánimis pro Christo feréndas duxérunt: & eò quidem libéntiùs, quòd eas ipsas, & Marcéllus pater, & fratres Hemethérius, & Celedónius, eo ipso itínere, & eádem de causa ántea ducti, suo exémplo ipsis levióres fecíssent. Pervéntum tandem est ad vicum Gaditáni convéntus, nómine Ursoniánum, in quo cùm alláta esset Viatóris Vicárii senténtia, secúri percússi in cælum migrárunt décimo Kaléndas Novémbris. Germáni corpus (ùt refert sanctus Isidórus) Gádibus sepúltum, posteà Eméritam transportátum est. Corpus autem Servándi Hispalim translátum inter sanctas vírgines Justam & Rufínam recónditum est: cujus Relíquiæ in Hispalénsi Ecclésia hódiè religiósè asservántur, & in hierothéca per anniversáriam ambórum celebritátem pópulo ostendúntur.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum, & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam donum.

In tértio Nocturno Homilía sancti Ambrósii in Evangélium Descéndens Jesus de monte, de Commúni plurimórum Mártyrum iij.

℟. viij. Hæc est vera fratérnitas. xlviij.

Lectio ix. de S. Evaristo Mart.



Mart. ut in Brev. Rom. In Láudibus fit Comm. S. Evaristi.

In secúndis Vésperis à cap. de seq. cum Commem. præced.

## DIE XXVII. OCTOBRIS.

In festo sancti Fructi Confessóris, & Ecclésiæ Segoviensis Patróni.

Duplex. Fuit .... hujus.

### AD VESPERAS.

Antiphona. Dícite Fructo, cum réliquis de Laud. 56. Psalmus. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 133. & loco últimi, Psalmus Laudáte Dóminum omnes gentes. 137.

Capitulum. *Eccli.* 45.

Dilectus Deo, & homínibus, cujus memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória Sanctórum, & magnificávit eum in timóre inimicórum, & in verbis suis monstra placávit.

Hymnus.

Supérba tecta cívium,
Vulgi corónas móbilis,
Et detrahéntes círculos,
Vitáre Fructe cógitas.
Occúlta erémi pénetras,
Lates cavérnis ábditus,
Mundi ut nocéntis óculos,
Ut basilísci fúgias.
Te solitúdo récreat,
Tranquillitátis sócia:
Vita mundánis hórrida,
Cæléstibus gratíssima.
Montis cacúmen árdui
Per sémitas difficiles
Ascéndis, ut pervénias
Virtútis ad fastígium.
Glória tibi Dómine,
Fœcúndæ fructus Vírginis,
Qui ligni vitæ frúctibus
Beátum Fructum réficis.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magníficat, Antíphona. Respéxit Dóminus humilitátem servi sui, & magnificávit eum: suscépit eum in pace, & dedit illi corónam glóriæ.

Orátio.

Adésto Dómine pópulo tuo, ut beáti Fructi Confessóris tui mérita præclára suscípiens, ad impetrándam misericórdiam tuam semper ejus patrocíniis adjuvétur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemorátio præcedéntis.

Ad Matutínum, Invitatór. Laudémus Deum nostrum * In confessióne beáti Fructi. Psalmus Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

UT montis alti vérticem
Calcáre Fructus cóntigit,
Atque indè tamquam è spécula
Vidére terræ incómmoda:
Totum Deo se dévovet,
Vir-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Virtûtis armis cingitur,
Corpus premit jejúnio,
Cor pane cæli réficit.
Munitus his præsidiis
Retúndit arma dæmonis,
Mauros furéntes térritat
Vir inclytus miráculo.
Excélsa montis pércutit,
Divísit rupem báculo,
Profúndum vallis cérnitur,
Terróre victis hóstibus.
Glória tibi Dómine,
Fœcúndæ fructus Vírginis,
Qui ligni vitæ frúctibus
Beátum Fructum réficis.
Amen.

In primo Noctúrno, Aña. Plantâtus secus decúrsus aquârum fructum suum dedit Fructus in témpore suo. Psalmus. Beâtus vir, de Commúni Confessóris non Pontíficis. lxxiv. Antiphona. Constitûtus in monte sancto Dómini prædicâvit præcéptum ejus, & glóriam ejus. Psalm. Quare fremuérunt. lxxiv. Antiphona. Voce mea ad Dóminum clamávi, & exaudívit me de monte sancto suo. Psalmus. Dómine quid multiplicâti. lxxv. ℣. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Tres primæ Lectiónes de libro Sapiéntiæ. Justus si morte, de eódem Commúni. lxxv.

℟. j. Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, & qui post aurum non âbiit, nec sperâvit in pecúnia thesáuris. * Ideò stabilia sunt bona illius in Dómino. ℣. Qui pótuit tránsgredi, & non est transgréssus; fácere mala, & non fecit. Ideò stabilita.

℟. ij. Fructum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei, & dedit illi sciéntiam Sanctórum, * Et complévit labóres illius. ℣. Magnificâvit eum in conspéctu géntium, & dedit illi corônam glóriæ. Et complévit.

℟. iij. Fructus germinâvit sicut lilium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantâtus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et florébit. Glória Patri. Et florébit.

In secúndo Noctúrno, Aña. Mirificâvit Dóminus servum suum Fructum, & exaudívit eum clamántem ad se. Psalm. Cùm invocárem. lxxvij. Antiphona. Admirábile est nomen tuum Dómine, quia glória & honôre coronasti servum tuum, constítuens eum super ópera mánuum tuárum. Psalmus. Dómine Dóminus noster. lxxviij. Antiphona. Dedit mihi pennas colúmbæ, & elongávi fúgiens, & mansi in solitúdine. Psalmus. Exáudi Deus oratiónem meam, & ne despéxeris, ut in Psaltério Feria iv. ad Matutinum. 76.



℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium.

*Ex manuscriptis Ecclésiæ Segoviensis.*

Lectio iv.

FRuctus, civis Segoviénsis, mundi fúgiens illécebras, peccâta, quibus implicâta erat Hispánia, perhorréscens, amplíssimo património paupéribus distribûto, in vastam erêmum territórii Septempublicensis secéssit. Ubi à sæculi curis abstráctus Angélicam vitam duxit, duobúsque frátribus Valentíno & Engrátia comítibus adhíbitis, monásticam vitam mirífice excóluit. Vix dici potest, quæ & quanta sit loci aspéritas, solùm enim accipitribus pérvia, juníperis reférta, Oasim magnam, vel Libyæ solitúdines redolet. Ibi vigíliis, jejuniis, & oratiónibus inténtus, pro suis, & totius pópuli peccâtis assíduè Dóminum deprecabâtur. Corpóreque longa inédia, cilício, & cameúnia in servitûtem spíritus redácto, in máximam cæléstium pervénit contemplatiónem.

℟. Cùm vidérem iniquitâtem, & contradictiónem in civitâte, elongávi fúgiens, & mansi in solitúdine; * Ut salvum me fáceres à pusillanimitâte spíritus, & tempestâte. ℣. Dedísti mihi Dómine domum in solitúdine, & tabernáculum meum in terra salsúginis. Ut salvum.

Léctio v.

QUibus & áliis præclâris virtútibus auctus, Deo diléctus, hominibus charus, Saracénis Fidei inimícis infénsus esse cœpit, quos ille, zelo fidei accénsus, à nefária Mahométi secta ópere & sermône avértere conabâtur. At illi, universa jam austrâli Hispánia vastâta, réliquas civitâtes, templa, ipsam religiónem populabúndi, imménso cum occidéndi flagrántes desidério, ad páuperem ejus céllulam accessérunt. Ille autem divina fultus virtûte, martyrii cupidíssimus, illis óbviam factus (Deo sic volénte) non solùm ictus impiórum evásit, sed rupis interruptióne (quæ adhuc íntegra persevêrat) elúsit, jurèque cum Prophéta occínuit: Non timébo míllia pópuli circumdántis me, quia Dóminus suscéptor meus est.

℟. Omnes gentes circuiérunt me: * Et in nómine Dómini, quia ultus sum in eos. ℣. Circumdedérunt me sicut apes in spinis. Et in.

Léc-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Léctio vj.

MUltis ergo pro Christo exáctis labóribus, tandem plenus diérum, provectæque ætátis, annum agens septuagésimum tértium, octávo Kaléndas Novémbris, anno salútis septingentésimo décimo quinto obdormívit in Dómino. Cujus mors quàm plúrimis est nobilitáta miráculis. Multi enim à váriis languóribus detenti, ejus intercessióne prístinam salútem adépti sunt. Inter quæ illud est mirábile, quòd múlier, quæ devotiónis ergo mónachis Monastérii (quod ex céllula sancti Viri munificéntia régia eréctum est) inserviébat, ob zelotypiam viri ex altíssimo loco præceps data, incólumis & illæsa eváserit, magníficans Deum, qui gloriósus est in Sanctis suis. Undè factum est, ut recepta ex Mauris ínclyta cívitas Segoviénsis, & post multa témporum curricula quasi jure postlimínii in Cathedrálem restitúta, sub Callixto Secúndo, anno Dómini millésimo centésimo vigésimo tértio eum Titulárem sibi ascíverit, de tantóque Patróno gloriétur. Cujus auspíciis ingéntia à Dómino quotídiè percépit benefícia: quem decet glória, & impérium in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Consolábitur Dóminus servum suum, & ponet desértum ejus quasi delícias, & solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. * Gáudium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, & vox laudis. ℣. Lætábitur desérta, & ínvia, & exultábit solitúdo, & florébit quasi lílium. Gáudium. Glória Patri. Gáudium.

In tertio Nocturno, Aña. Dómine iste Sanctus habitábit in tabernáculo tuo, & requiéscet in monte sancto tuo. Psalmus. Dómine, quis habitábit. lxxx. Antiphona. Desidérium cordis ejus tribuísti ei: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Psalmus. Dómine in virtúte tua. lxxx. Antiphona. Innocens mánibus, & mundo corde ascéndet in montem Dómini: stabit in loco sancto ejus. Psalmus. Dómini est terra. lxxxj. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 19.*

IN illo témpore: Dixit Simon Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

*Decl. in Evang. hujus verbis.*

ARbitror verba lectiónis hujus ea esse de quibus ad immortálem sponsum à fínibus terræ clamat Ecclésia: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contemptum mundi in univérso mundo, & voluntáriam persuasére homínibus paupertátem. Hæc sunt, quæ Mónachis claustra replent, desérta Anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum spóliant & óptima quæque ejus vasa derípiunt. Hic sermo vivus, & éfficax, convértens ánimas felíci æmulatióne sanctitátis, & veritátis promissióne fidéli.

℟. Euge serve bone, & fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam. * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra.

Léctio viij.

NAm & mundus transit, & concupiscéntia ejus: & relínquere hæc magis expedit, quàm relinqui. Ecce, inquit, nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te. Nimírum, quia exultávit ut gigas ad curréndam viam: nec curréntem sequi póteras onerátus. Sed neque inútilis commutátio pro eo, qui super ómnia est, ómnia reliquísse. Nam & simul cum eo donántur ómnia, & ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sanè dixerim non tantùm possessiónes, sed & cupiditátes, & eas máximè; plus enim concupiscéntia mundi, quàm substántia nocet.

℟. Vos qui reliquístis ómnia, & secúti estis me: * Céntuplum accipiétis, & vitam ætérnam possidébitis. ℣. Cùm séderit fílius hóminis in sede majestátis suæ, omnes qui reliquéritis patrem, aut matrem, aut agros propter eum. Céntuplum. Glória Patri. Céntuplum.

Léctio ix. dicitur de Vigília SS. Apostolórum Simónis, & Judæ, ut in Breviário.

Si verò hoc Festum transférri debeat in álium diem, & in eo non occúrrat áliquod Festum Simplex, vel Vigília, de quibus Léctio nona dici débeat, & ubi est Patrónus, dícitur sequens.

Léctio ix.

AGe ergo, qui relínquere univérsa dispónis, te quoque inter relinquénda narráre meménto; immò



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

imò verò maximè & principaliter abnega temetipsum, si deliberas sequi eum, qui exinanivit propter te semetipsum. Pone gravissimam sarcinam, pone asinariam molam, terrenam molem. Pone illa quinque, non hominum planè juga, sed boum, quæ tibi insipienter emisti; alioquin sequi sponsum, & venire ad nuptias spirituales, quinaria hac pressus & oppressus corporis sensualitate, non poteris: sed etsi novissimè veneris, & pulsaveris, nunimè profectò aperiêtur tibi.

Te Deum laudâmus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

DIcite Fructo, quóniam benè fructum adinventiónum suárum cómedet. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis de Domínica, 18. Antiphona. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eum in portis ópera ejus. Antiphona. In terra desérta & invia appáruit mihi Dóminus, ut vidêrem virtútem suam, & glóriam suam. Antiphona. Pinguéscent speciósa desérti, & húmiles corde benedicent Dómino. Antiphona. Beneplácitum fuit Dómino in servo suo Fructo, & exaltâvit mansuétum in salútem.

Capitulum. *Eccli.* 45.

DIléctus Deo, & homínibus, cujus memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória Sanctórum, & magnificâvit eum in timóre inimicórum, & in verbis suis monstra placâvit.

Hymnus.

JAm plenus annis próximus
Vitæ fugácis último,
Solvi caténis córporis,
Et esse cum Christo cupit.

Matúrus ævo præcoces
Offerre fructus áppetit,
Deóque grates réddere,
Ut terra cultóri suo.

O Fructe, flos, & árboris
Propágo fœcundíssima,
Cujus sub umbra cívitas
Segoviénsis récubat!

Tuis obúmbra cívibus,
Ut absit æstus críminis,
Illisque ut afflet ímpetra
Cæléstis aura Pneúmatis.

Glória tibi Dómine,
Fœcúndæ fructus Vírginis,
Qui ligni vitæ frúctibus
Beâtum Fructum réficis.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Benedictus, Antiphona. O beâte Fructe, dulcis Patróne, advocâte fidélis! tu glória Ecclésiæ, lætítia civitátis, honorificéntia pópuli nostri: verè fructus terræ, quam visitâvit óriens ex alto.

Orátio. Adésto Dómine pópulo tuo, ut supra. 51.

Et fit Commem. Vigiliæ SS. Simónis & Judæ Apostolór. Aña. & ℣. de Feria.

Ad Tertiam, Antiphona. Date ei. Capitulum. Diléctus Deo, ut supra.

℟. breve. Amâvit eum Dóminus; * Et ornâvit eum. Amâvit eum Dóminus. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et ornâvit eum. Glória Patri. Amâvit eum Dóminus. ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium.

Ad Sextam, Antiphona. In terra desérta.

Capitulum. *Eccli.* 45.

IN fide, & lenitáte ipsius sanctum fecit illum Dóminus, & osténdit illi glóriam suam, & dedit illi cor ad præcépta, & legem vitæ & disciplínæ.

℟. br. Os justi, * Meditábitur sapiéntiam. Os justi. ℣. Et lingua ejus loquêtur judícium. Meditábitur sapiéntiam. Glória Patri. Os justi. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Ad Nonam, Antiphona. Beneplácitum fuit.

Capitulum. *Sap.* 10. c

CUstodívit eum Dóminus ab inimícis, & a seductóribus tutâvit illum, & certámen forte dedit ei, ut vínceret, & sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia.

℟. br. Lex Dei ejus, * In corde ipsíus. Lex Dei ejus. ℣. Et non supplantabúntur gressus ejus. In corde ipsíus. Glória Patri. Lex Dei ejus. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Vesperæ SS. Apostolórum Simónis & Judæ, Commemorátio præcedentis.

Ad Magníficat, Antiphona. Hódiè Fructus, sárcina carnis depósita, cælum lætus ascéndit. Hódiè fortis athléta, victo mundo, comitántibus Angelis coronâtur. Hódiè fidélis servus talénta sibi crédita duplicâta repórtans, in glóriam Dómini sui gaudens introdúcitur, allelúia.

Orátio ut supra. 51.

DIE XXIX. OCTOBRIS.

In festo S. Narcisi Episcopi & Mártyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mártyris, xxij. præter ea, quæ hic própria assignántur.

Orátio.

DEus, qui beâtum Narcísum Mártyrem tuum atque Pontíficem illústri láurea decorásti, ejúsque corpus admirábili integritáte clarificas: concéde propítius, ut ejus deprecatióne in-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

incorrúpta gáudia felicitátis ætérnæ consequámur. Per Dóminum.

## In primo Noctúrno.

### De libro Jósue.

### Lectio j. *Cap. 2.*

MIsit igitur Jósue, filius Nun de Setin, duos viros exploratóres in abscóndito, & dixit eis: Ite, & consideráte Terram, urbémque Jéricho. Qui pergéntes ingréssi sunt domum mulíeris meretrícis, nómine Rahab, & quievérunt apud eam. Nuntiatúmque est regi Jéricho, & dictum: Ecce viri ingrési sunt huc per noctem de Fíliis Israel, ut explorárent Terram. Misítque rex Jéricho ad Rahab dicens: Educ viros, qui venérunt ad te, & ingréssi sunt domum tuam: exploratóres quippè sunt, & omnem Terram consideráre venérunt. Tollénsque múlier viros, abscóndit, & ait: Fáteor, venérunt ad me, sed nesciébam undè essent: cumque porta clauderétur in ténebris, & illi páriter exiérunt, néscio quò abiérunt: persequímini citò, & comprehendétis eos.

℟. Exploratóres Evangélicos, Narcíssum, & Felícem, Afra méretrix hospítio excépit, * Et Dei minístros à paganórum insídiis liberávit. ℣. Felix múlier, quæ bonum opus operáta est. Et.

### Lectio ij.

IPsa autem fecit ascéndere viros in solárium domus suæ, operuítque eos stípula lini, quæ ibi erat. Hi autem qui missi fúerant, secúti sunt eos per viam, quæ ducit ad vadum Jordánis: illísque egréssis, statim porta clausa est. Necdum obdormíerant qui latébant, & ecce múlier ascéndit ad eos, & ait: Novi quòd Dóminus tradíderit vobis Terram: étenim irruit in nos terror vester, & elanguérunt omnes habitatóres Terræ. Audívimus quòd siccáverit Dóminus aquas maris Rubri ad vestrum introítum, quando egréssi estis ex Ægypto: & quæ fecéritis duóbus Amorrhæórum régibus, qui erant trans Jordánem, Sehon & Og, quos interfecístis.

℟. Abjécta ad Narcíssi pedes Afra, dixit: Obsecro te Dómine: * Ut me fácias mundári à peccátis meis. ℣. Beáta est fides tua, ô múlier! faciémus in te misericórdiam, & veritátem. Ut me.

### Lectio iij.

ET hæc audiéntes pertímuimus, & elánguit cor nostrum, nec remánsit in nobis spíritus ad introítum



vestrum: Dóminus enim Deus vester, ipse est Deus in cælo sursùm, & in terra deórsùm. Nunc ergo juráte mihi per Dóminum, ut quómodò ego misericórdiam feci vobíscum, ita & vos faciátis cum domo patris mei: detísque mihi verum signum, ut salvêtis patrem meum & matrem, fratres ac soróres meas, & ómnia quæ illórum sunt, & eruátis ánimas nostras à morte. Qui respondérunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodíderis nos. Cùmque tradíderit nobis Dóminus terram, faciémus in te misericórdiam, & veritátem. Dimísit ergo eos per funem de fenéstra: domus enim ejus hærêbat muro.

℟. Narcíssus Episcopus tribus vulnéribus felíciter occúbuit, * In confessióne Sanctíssimæ Trinitátis. ℣. Hic est bonus Pastor, qui ánimam suam dedit pro óvibus suis. In. Glória Patri. In.

## In secúndo Noctúrno.

*Ex Breviáriis Gerundénsi, Augustáno, & áliis monuméntis.*

### Lectio iv.

SAnctíssimus pater, & Episcopus noster Narcíssus, quo témpore fervêbat Diocletiáni persecútio, in Rhætiam Provínciam, divíno mónitu, cum Felíce Diácono suo proféctus, Augústam Vindelicórum áppulit. Quò cùm pervenísset, ad Afræ domicílium divértit. Afra verò etsi méretrix, compérto tamen eum esse Christianórum Epíscopum, Dei spíritu commóta, resípuit, & ad illíus pedes se abjécit. Bono autem ánimo esse jussa, cum Narcísso & Felíce in oratióne pernoctávit. Circa autem noctis gallicínium, cùm lumen candélæ extínctum esset, oránte Narcísso, lux è cælo delápsa, diversórium occupávit. Orto jam sole, Narcíssum, & Felícem occultávit Afra, & indagatóres ab infidélibus missos elúsit. Pulso pósteà indè dæmone, qui semel iterúmque se vidéndum præbúerat, multa patráta sunt à Narcísso mirácula, quibus Afram, & ejus ancíllas, Dignam, Eunómiam, & Eutrópiam, Hilariámque ejus matrem ad fidem convértit, & salutári aqua perfúdit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Léctio v.

IN ea urbe aliquámdiu cum Felice commorátus Narcissus multos ad Christiánam Religiònem allexit: & consecráta in Dei cultum Hilàriæ domo, & Dionysio, ántea Zózimo, Afræ avúnculo ad Sacerdótium evécto, & Episcopo creáto, post novem menses in excoléndis inibi ánimis consúmptos, revérsus est Gerúndam, atque ibi tamquam in legítimo solo, íntegrum triénnium pósuit in amplificánda Christi fide. Quo ex labòre collègit ubérrimos fructus. Sed cùm adhuc eo témpore Diocletiáni crudélitas ubique terrárum: in Ecclésiam sæviret sanctíssimus Pontífex, dum sacris operarétur, gráviter in gútture, húmero, ac sura vulnerátus, martyrii palmam obtínuit quarto Kaléndas Novémbris, anno círciter ducentésimo nonagésimo séptimo.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Léctio vj.

EJus corpus à Christiánis subdúctum, in eódem templo, ubi passus ipse est, religiósè asservâtur: quod olim Sancta María extra muros dicebâtur, póstea verò in honórem sancti Felícis mártyris Africáni dicátum est. Cláruit multis miráculis, præsértim prodigiósa quadam integritáte ad hodiérnum usque diem, rubescénte étiam nunc circa talum eo cruóre, qui à vúlnere deflúxit. Fuit étiam illud celebérrimum, quando sub Petro Aragóniæ rege, capta per Philíppum Gallòrum regem Gerúnda, emíssa sunt divinitùs ex Narcissi túmulo ultrícium muscárum exámina, quæ mortíferis acúleis édita ingénti strage violáti per summum nefas templi ac sepúlchri víndices extitère.

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et.

In tértio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem

Léctio vij. *Cap.* 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Homilia 65. in Joánnem.*

QUid signat granum fruménti, nisi cadens mortuum fúerit? De Cruce lóquitur, ne perturbaréntur. Cum Gentiles accessérunt, tunc mórtuum esse, hoc, inquit, máximè pópulos addúcet, & mei augébit præcónium. Indè cùm non ità verbis persuadéret, rerum experiéntia id aggréditur, inquiens, hoc in fruménto contíngere, ut mórtuum majórem fructum áfferat. Quod in semínibus hoc evénit, multò magis in me. Sed non intellexérunt discípuli, quid díceret; ideò frequénter idem répetit Evangelísta, excúsans quod postmodùm fúgerint.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Léctio viij.

TAlem, de resurrectióne disputans, ratiónem Paulus áttulit. Quam ígitur habébunt excusatiónem, qui resurrectióni non credunt, cùm in semínibus & plantis quotidiè hoc videámus, ac étiam in nostro génere? Primùm enim corrúmpi semen opórtet, indè fíeri generatiónem. Omninò autem cùm Deus áliquid facit, nulla opus est ratióne. Quómodo nos ex níhilo fecit? Hoc ad Christiános dico, qui se dicunt crédere Scriptúris. Ego autem & áliud dicam ab humánis ratiónibus. Alii malítiam, álii virtútem sectántur: sed malítiæ sectatórum multi felíciter in últimam pervenérunt senectútem, virtútis autem contrà.

℟. Hic est verè Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsivit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Léctio ix.

QUómodò ergo pro méritis unusquisque accípiet? Quando? Certè inquiunt, sed córpora non resúrgent. Nónne áudiunt Paulum dicéntem, Opórtet autem corruptíbile hoc indúere incorruptiónem? Neque ánimam intélligit, quippè quæ non corrúmpitur, & resurréctio

 de



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de mórtuo dicitur; cécidit autem corpus. Quare verò córporis resurrectiónem negas? An non possíbilis Deo est? Quod dícere, summæ améntiæ est. An non decet? Quamobrem? Ut corruptíbile, quod & labóris est & mortis párticeps, in præmiis commúnicet.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedíctus, Antíphona.

Venerábilis Póntifex Narcíssus, post laudábilem Afræ conversiónem, ad Hispániam proféctus, Gerúndam rediit, ubi ad martyrii palmam felíciter pervénit.

Orátio ut supra.

## FESTA NOVEMBRIS.

## DOMINICA ALIQUA

Novémbris,

Festum Patrocínii Beátæ Maríæ vírginis.

Duplex.

Ad Vésperas, Antíphona.

**Dum esset Rex,** cum réliquis Antíphonis, Psalmis, Capítulo, & Hymn. ut in Offic. parvo B. Maríæ cliij.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magníficat, Antíphona.

Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem.

Orátio.

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis sanitáte gaudére: & gloriósa beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia, & ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemorátio Domínicæ occurréntis.

Ad Matutínum, Invitatór.

Sancta María Dei Génitrix virgo, * Intercéde pro nobis. Psalmus. Veníte exultémus. 2. Hymnus. Quem terra. Antíphonæ & Psalmi Nocturnórum, ut in Offício parvo B. Maríæ. clviij.

In primo Noctúrno.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde & regna.

De Parábolis Salomónis.

*Cap. 8. b & 9.*

Léctio j.

Ego sapiéntia hábito in consílio, & erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, & supérbiam, & viam pravam, & os bilíngue detéstor. Meum est consílium, & ǽquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, & legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, & poténtes decérnunt justítiam.



Ego diligéntes me diligo, & qui manè vígilant ad me, invénient me.

℟. Sancta & immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quia.

Léctio ij.

Mecum sunt divítiæ, & glória, opes supérbæ, & justítia. Mélior est enim fructus meus auro, & lápide pretióso, & genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, & thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret à princípio. Ab ætérno ordináta sum, & ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, & ego jam concépta eram; necdum fontes aquárum erúperant, necdum montes gravi mole constíterant, ante colles ego parturiébar.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dóminum, quia cum essem párvula, plácui Altíssimo: * Et de meis viscéribus génui Deum & hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et.

Léctio iij.

Beátus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídie, & obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, & háuriet salútem à Dómino: qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, & propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas ut vocárent ad arcem, & ad mœnia civitátis: si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est: Veníte, coméditе panem meum, & bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Beáta es virgo María, quæ Dóminum portásti Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, & in ætérnum pérmanes virgo. ℣. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum. Genuísti qui te fecit. Glória Patri. Genuísti.

In secúndo Noctúrno.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Apud Metaphrásten.*

## Lectio iv.

DEi Filius non divitem, aut locuplêtem áliquam feminam sibi matrem elégit, sed beâtam Virginem illam, cujus ánima virtútibus ornâta erat. Cùm enim beâta María supra omnem humânam natúram castitâtem servâret, proptérea Christum Dóminum in ventre concépit. Ad hanc igitur sanctissimam Virginem & Dei matrem accurrentes, ejus patrocíniis utilitâtem assequâmur. Itaque quæcúmque estis vírgines, ad matrem Dómini confúgite. Illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptíbilem possessiónem patrocínio suo vobis conservábit.

℟. Sicut cedrus exaltâta sum in Líbano, & sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitâtem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum & bálsamum aromatizans. Dedi.

## Lectio v.

MAgnum reverà miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beâta semper virgo María. Quid namque illa majus aut illústrius ullo umquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit? Hæc sola cælum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim, non dénique áliud quidpiam inter creátas res visíbiles aut invisíbiles, majus aut excelléntius inveníri potest. Eadem ancilla Dei est & mater: eádem virgo & génitrix.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, & formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, & beâtam dixérunt, & regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, & lília convállium. Vidérunt.

## Lectio vj.

HÆc ejus mater est, qui à Patre ante omne princípium génitus fuit, quem Angeli & hómines agnóscunt Dóminum rerum ómnium. Visne cognóscere quantò virgo hæc præstántior sit cæléstibus poténtiis? Illæ cum timóre & tremóre assistunt, fáciem velántes suam: hæc humânum genus illi offert, quem génuit. Per hanc & peccatórum véniam consequímur. Ave igitur mater, cælum, puélla, virgo, thronus, Ecclésiæ nostræ decus, glória & firmaméntum assíduè pro nobis precáre Jesum Filium tuum & Dóminum nostrum, ut per te misericórdiam invenire in die judícii, & quæ repósita sunt iis qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus, grátia & benignitáte Dómini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul & sancto Spirítui glória, & honor, & impérium, nunc & semper in sǽcula sæculórum. Amen.

℟. Ornâtam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

### In tértio Noctúrno.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

## Lectio vij. *Cap. 11. d*

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beâtus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 4. cap. 49. in Luc. 11.*

MAgnæ devotiónis & fídei hæc múlier osténditur, quæ Scribis & Pharisǽis Dóminum tentántibus, simul & blasphemántibus, tanta ejus incarnatiónem præ ómnibus sinceritâte cognóscit, tanta fidúcia confitétur, ut & præséntium prócerum calúmniam, & futurórum confúndat hæreticórum perfídiam. Nam sicut tunc Judæi, sancti Spíritus ópera blasphemándo, verum consubstantialémque Patri Dei Filium negábant; sic hærétici póstea negándo Maríam semper vírginem, sancti Spíritus operánte virtúte, nascitúro cum humánis membris unigénito Dei carnis suæ matériam ministrásse, verum consubstantialémque matri Filium hóminis fatéri non debére dixérunt.

℟. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intervéni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitâtem. Quia ex te. Benedíctio. Cujus





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jus festum cólimus, ipsa Virgo virginum.

Lectio viij.

SEd si caro Verbi Dei secundùm carnem nascéntis à carne Virginis matris pronuntiátur extránea, sine causa venter qui eam portásset, úbera quæ lactássent, beatificántur. Dicit autem Apóstolus: Quia misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Neque audiéndi sunt qui legéndum putant: Natum ex muliere, factum sub lege; sed, Factum ex muliere: quia concéptus ex útero virginali, carnem non de nihilo, non aliúndè, sed matérna traxit ex carne: alióquin nec verè Filius hóminis dicerétur, qui orígínem non habéret ex hómine. Et nos ígitur his contra Eutychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia cathólica, cujus hæc múlier typum gessit: extollámus & mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri: Beátus venter, qui te portavit, & úbera, quæ suxisti. Verè enim beáta parens, quæ, sicut quidam ait, enixa est puérpera Regem, Qui cælum terrámque tenet per sæcula.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit. Glória Patri. Quia fecit.

Lectio nona de Homilia Dominicæ occurréntis.

Ad Laudes, & per Horas, Antiphonæ, Psalmi, Capitulum & Hymnus, ut in Officio beatæ Virginis Mariæ in Sábbato. cxlvij.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Antiphona. Beáta es María, quæ credidísti: perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi à Dómino, allelúia.

Orátio.

COncéde nos fámulos tuos, quǽsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis sanitáte gaudére, & gloriósa beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia, & ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Deindè fit Commemorátio Dominicæ occurréntis.

In secundis Vésperis ómnia ut in primis.

Ad Magníficat, Antiphona. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

Orá-



Orátio Concéde nos, ut suprà. 66.

Deindè fit Commemorátio Dominicæ occurréntis.

## DIE III. NOVEMBRIS.

In festo Sanctórum innumerabílium Mártyrum Cæsaraugustæ.

Duplex.

Omnia de Commúni plurimórum Mártyrum. xxxvij. præter ea, quæ hic habéntur própria.

Orátio.

REspice, quǽsumus Dómine, famíliam tuam, & præsta, ut Sanctórum innumerabílium Mártyrum intercessióne muníta, ab omni sit culpa defénsa. Per Dóminum nostrum.

Fit Commemorátio Octávæ ómnium Sanctórum.

In primo Nocturno Lectiónes Fratres, Debitóres sumus, de eódem Commúni. xl.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

INnumerábiles Mártyres Cæsaraugustáni eo témpore passi sunt, quo ímpius Daciánus à Diocletiáno & Maximiáno Imperatóribus in Hispániam missus est, ut Christiánum nomen delére. Qui Cæsaraugústam urbem ingrédiens, tyránnicum edictum promulgári jubet, Ne quis Jesum cóleret. Qui verò contra jussa fáceret, gravi supplício plecterétur.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illǽsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, & in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

CUm nec nimis, nec suppliciis mentes Christianórum à veri Dei cultu avértere posset Daciánus: jubet Christiános omnes ab urbe expélli, ut eos ex occúltis locis súbitò prosiliéntes armatórum cúnei trucidárent. Facto præcónio, sacer omnis Christianórum convéntus ovánter exílium ampléctitur: longè secum mélius agi putans, si in ferárum recéssibus, quam inter idóla vana cum ímpiis homínibus habitáret. Progrediénte dénique utriúsque sexus innúmera turba, ab iníquis satellítibus trucidáta est. Verùm nondum sánguine Christianórum exaturátus Præses, jubet jacéntium córpora in unum cóngeri.

℟. Verbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.



Lec-

Lectio vj.

ET ut tamquam criminósi puniri videréntur, omnes diversórum scélerum reos, qui in cárcerum ergástulis tenebántur, intérfici jussit, & illórum córpora Christianórum corpóribus congésta aggregári, & ómnia simul ignibus cremári. Sed divíno nutu sic separáta sunt, ut Mártyrum cíneres, velut fruménti cándida massa, in portiúnculas conglobáti fúerint: áliis vento spargéndis remanéntibus. Visuntúrque hódie Mártyrum cándidi globi, nitórem sanguíneum sacrárum victimárum apérte demonstrántes.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Noctúrno Homilía in Evangélium Hæc mando vobis, ut in festo sanctórum Apostolórum Simónis & Judæ die xxviij. Octóbris. 473.

In Láudibus Commemorátio Octávæ ómnium Sanctórum.

In secúndis Vésperis fit à Capítulo de S. Cárolo, Commem. præcedéntis, & Octávæ ómnium Sanctórum, ac SS. Vitális, &c. Mártyrum.

## DIE XV. NOVEMBRIS.

In festo sancti Eugénii Mártyris, Archiepíscopi Toletáni & Patróni.

Duplex.

Omnia de Commúni uníus Mártyris, xxij. excéptis his, quæ sunt própria. Orátio.

DEus, qui præséntem diem beáti Eugénii Mártyris tui, atque Pontíficis martyrio consecrásti: præsta propítius, ut cujus ánnua celebritáte lætámur, ejus méritis donum tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Áctibus Apostolórum, A Miléto, ut in Commúni uníus Mártyris. xxv.

In secúndo Noctúrno.

Lectio iv.

*Ex Brev. Mart. & Hist. antiquis, & vita Gerárdi Abbátis Brononiensis, in qua multa dicúntur de miráculis sancti Eugénii. Habétur apud Surium, tom. 5.*

EUgénius, Dionysii Areopagítæ discípulus, primus Toletánus Episcopus fuit. Qui Dionysio magistro suo ad Gálliam erudiéndam relícto, ipse ad Hispániam Evangélii luce illustrándam proféctus, in íntimo provínciæ delátus, Tolétum venit: ubi plúrimos fílios Jesu Christo péperit, parénsque Ecclésiæ Toletánæ atque institútor fuit. Quam Ecclésiam à se fundátam, ut magis stabilíret, & communicátis consíliis amplificáret, ad Dionysium rédiit in Gálliam. Quo témpore, Domitiáno Imperatóre secúndam in Christiános persecutiónem movénte, à Sisínii Præfécti satellítibus comprehénsus, ad Diolum (quod óppidum non longè à Lutétia Parisiórum abest) de fide sua interrogátus, Christum verum & solum Deum se pia mente cólere magna libertáte proféssus est. Qua in confessióne ab impietátis minístris gládio percússus, martyrio coronátur décimo séptimo Kalendas Decémbris.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus: & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Lectio v.

COrpus Eugénii, ne à Christiánis honóre afficerétur, in lacum Marcásium ei loco propínquum, ubi occísus est, à Gentílibus projéctum, multis sæculis látuit; donec beátus Dionysius Areopagíta Hercóldum quemdam virum nóbilem, gravi morbo oppréssum, per quiétem admónuit, ut fratris sui ac condiscípuli Eugénii corpus ex Marcásio lacu, ubi adhuc jacébat, extráctum, honésto loco collocáret. Sanitáti restitútus Hercóldus, conféstim divína jussa exéquitur: in ignóbili loco nóbile corpus invénit, íntegrum prorsùs atque incorrúptum: in Diolo óppido magnificè cóndidit, ubi étiam templum hac de causa consecrátum est. Indè novo item miráculo in Ecclésiam sancti Dionysii ad Lutétiam Parisiórum pósteà translátum est.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vj.

NAm, cùm pópuli ex Diolo solémni supplicatiónum pompa, Dei placándi causa, ad ædem divi Dionysii aliquándo profécti essent, corpúsque Eugénii magna veneratióne secum detulíssent, ut eo vidélicet de-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

deprecatóre cómpotes voti à Deo fierent, atque omni re divina confécta, domum redire, & sacratissimas Eugénii relíquias reférre vellent; divinitùs factum est, ut immóbiles consisterent, nullâque vi de loco, ubi erant, dimovéri possent. Quocircà pro comperto hábitum est, Dei esse voluntátem, ut tunc quidem Eugénii corpus in eo potissimùm templo honorarétur, ubi Dionysii corpus jacebat. Itaque Diolensibus de amisso thesauro mœróre affectis, Mónachi cœnóbii sancti Dionysii, pro Dei múnere læti, facile corpus Eugénii movérunt, & in sacello paráto honorifice collocárunt: ubi clarissimis célebre signis, magna finitimórum populórum religióne támdiu cultum est, quoúsque singulari Dei benefício Ecclésiæ Toletánæ, quam ipse fundáverat, & primus Episcopus rexerat, post mille quingentos fermè annos rédditum est.

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tértio Noctúrno Homilía sancti Augustíni Epíscopi in Evangélium Amen, amen dico vobis, ut in festo sancti Antoníni die ij. Septémbris. 17.

## DIE XVII. NOVEMBRIS.

### In Festo SS. Aciscli & Victóriæ Mártyrum.

Duplex.

Omnia de Commúni plurimórum xxvij. præter ea, quæ sequúntur:

Orátio.

Deus, qui famíliam tuam beatórum fratrum, & Mártyrum tuórum Aciscli & Victóriæ gloriósis confessiónibus circúmdas & prótegis: concéde propítius, ut quos Patrónos agnóscimus, eórum méritis & intercessiónibus ab ómnibus adversitátibus liberémur. Per Dóminum nostrum.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrente.

In secúndo Noctúrno.

Léctio iv.

*Ex Hispániæ Breviáriis, & antiquis Sanctorálibus.*

Cum Córdubæ Dion Præses cárceres, sævos cruciátus, mortem dénique Christiánis indíceret, nisi sacra continuò diis fácerent: Acisclus & Victória fratres sunt ibi repérti, adeò strénui ac fortes in asseréndâ Christiána religióne, ut ad Præsidem ducti, nihil se fácere jussa Príncipum audácter prædicárent. Quibus Dion Præses dixit: Vos ne estis, qui sacra deórum contémnitis? Nos, inquit Acisclus, præstámus Christo vero Deo débitam servitútem; non autem dæmónibus, surdísque lapídibus. Erúbuit Præses ad tam audax respónsum, & in ima cárceris eos contrúdi præcépit: ubi cælésti ab Angelis cibo refécti, póstera die sevissima vérbera pertulérunt.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, & in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra.

Léctio v.

Altera die de cárcere edúctos jubet Præses in camínum ignis præcipitári; sed suscépti ab Angelis, Deo laudes alta voce personábant. Quare stupefáctus Dion imperat illos in flumen cum ingéntibus saxis projíci. Non tamen ibi angélicum eis défuit patrocínium; nam médiis in flúctibus non mergebántur. Quin média circiter nocte vox audíta est, eórum vota non irrita fore denúntians.



Tunc cándida nube obtécti, Christum inter dulces Angelórum concéntus perspexérunt.

℟. Verbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Léctio vj.

His perspéctis, Dion rotas jubet afferri, atque sub rotis ignem accéndi, & óleum désuper infúndi, ne mora ulla esset, quin Acisclus & Victória moménto consumeréntur. Quibus rotis circumáctis, córpora certè crudéliter quassabántur. Céterùm sancti Mártyres précibus instábant rogántes, ut ignis extinguerétur, ne victória Dion exultáret. Itaque súbitò prorúmpens flamma quàm plúrimos deórum cultóres interfécit. Prorsùs cùm vinci torméntis non possent, Victória post præcísam linguam & úbera, ex quibus lac pro sánguine fluxit, sagittis confécta est; Acisclus decollátus: ubi ob commendatiónem pretiósæ mortis eórum eódem die in síngulos annos rosæ divínitus orta colligebántur.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocaus-

causti hóstiam accépit illos, & in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum, & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intélligent veritátem, & fidéles in dilectióne acquiescent illi. Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam donum.

In tertio Noctúrno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 5.*

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, & cùm sedisset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homília S. Leónis Papæ.

*De festo Omnium Sanctórum.*

QUalis sit igitur doctrina Christi, sacræ ipsius senténtiæ protestántur, ut qui ad ætérnam beatitúdinem perveníre desiderant, gradus felicíssimæ ascensiónis agnóscant. Beáti, inquit, páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cælórum. De quibus paupéribus Véritas loquerétur, fortè esset ambíguum, si dicens: Beáti páuperes, nihil ádderet de intelligénda páuperum qualitáte; & sufficere viderétur ad promeréndum regnum cælórum ea sola inópia, quam multi sub dura & gravi necessitáte patiúntur. Sed cùm ait: Beáti páuperes spíritu, osténdit eis regnum cælórum tribuéndum, quos humílitas comméndat animórum, magis quàm indigéntia facultátum.

℟. Propter testaméntum Dómini, & leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quàm bonum & quàm jucúndum habitáre fratres in unum. Quia.

Léctio viij.

DUbitári autem non potest, quòd humilitátis istíus bonum facilìùs páuperes, quàm dívites assequántur: dum & illis in tenuitáte amíca est mansuetúdo, & istis in divítiis familiáris elátio. Verúmtamen & in plerísque divítibus invenítur hic ánimus, qui abundántia sua non ad tumórem supérbiæ, sed ad ópera benignitátis utátur: idque pro lucris máximis númeret, quod ad relevándam misériam aliéni labóris impénderit.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine: qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum. * Contemnéntes aulam régiam pervenérunt ad regna cæléstia. ℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum habitáre fratres in unum. Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.



Léctio ix.

OMni géneri, atque órdini hóminum datur in hac virtúte consórtium: quia possunt esse propósito pares, & ímpares censu. Nec interest, quantum sint in terréna facultáte dissímiles, qui in spirituálibus bonis inveniúntur æquales. Beáta ígitur illa paupértas, quæ rerum temporálium amóre non cápitur, nec mundi ópibus augéri áppetit, sed cæléstibus bonis ditéscere concupíscit.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE XXVI. NOVEMB.

In festo Desponsatiónis Beátæ Maríæ Vírginis cum S. Joseph.

Duplex.

Ad Vésperas, Antíphona. Desponsátio gloriósæ, cum réliquis de Láudibus, 76. Psalmus. Dixit Dóminus, cum réliquis de Beáta María, ut in ejus Officio parvo. clij.

Capítulum. Ab inítio, ut infra. 76.

Hymnus. Ave maris stella. clv.

℣. Desponsátio est hódiè sanctæ Maríæ Vírginis.

℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magníficat, Antíphona. Gloriósæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem digníssimam recolámus, quæ & genitrícis dignitátem obtínuit, & virginálem pudicítiam non amísit.

Orátio.

FAmulis tuis, quæsumus Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Desponsatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemorátio S. Catharínæ virg. & márt. Antíphona. Veni sponsa. ℣. Diffúsa est. ℟. Proptéreà. cvj.

Orátio.

DEus, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sinai, & in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ vírginis & mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta quæsumus, ut ejus méritis & intercessióne, ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus.

Deindè S. Petri Alexandríni Epíscopi & Mártyris, Antíphona. Iste sanctus. ℣. Glória & honóre. ℟. Et constituísti eum. xxiij.

Orátio.

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus: & quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Petri Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos pró-

prótegat. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatórium. Desponsatiónem virginis Mariæ celebrêmus: * Christum ejus Filium adorêmus Dóminum.

Psalmus. Venite, exultêmus. 2.

Hymnus Quem terra. Antiphonæ, & Psalmi Nocturnorum, ut in Officio parvo B. Mariæ. clvij.

In I. Nocturno, Lectiónes de Canticis Canticorum. Osculêtur me, ut in festo Nativitátis B. Mariæ. viij. Septémbris.

℟. j. Hódiè desponsâta est beâta Virgo Maria ex progénie David: * Per quam salus mundi credéntibus appáruit, cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. ℣. Desponsatiônem beatæ Mariæ virginis cum gáudio celebrêmus. Per quam.

℟. ij. Beatissimæ virginis Mariæ Desponsatiônem devotissimè celebrêmus: * Ut ipsa pro nobis intercêdat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditâte Desponsatiônem beatæ Mariæ virginis devotissimè celebrêmus. Ut ipsa.

℟. iij. Gloriósæ virginis Mariæ Desponsatiônem dignissimam recolâmus: * Cujus Dóminus humilitâtem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concêpit Salvatôrem mundi. ℣. Beatissimæ virginis Mariæ Desponsatiónem devotissimè celebrêmus. Cujus. Glória Patri. Cujus.

In secúndo Nocturno.

℣. Adjuvâbit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

*Ex Homilia secúnda super Missus est.*

Lectio iv.

OPortêbat à príncipe mundi aliquámdiu celári divini consilii Sacraméntum: non quòd Deus, si palàm opus suum fácere vellet, impediri posse ab illo meruísset; sed quia ipse, qui non solùm poténter, sed etiam sapiénter quæcúmque vóluit, fecit, sicut in ómnibus opéribus suis quasdam rerum vel témporum congruéntias propter órdinis pulchritúdinem serváre consuévit; ità in hoc quoque tam magnífico ópere suo, nostræ vidélicet reparatiónis, non tantùm poténtiam suam, sed & prudéntiam osténdere vóluit.

℟. Desponsátio gloriósæ virginis Mariæ, ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. * Cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódiè desponsáta est beáta virgo Maria ex progénie David. Cujus.

Lec-



Lectio v.

COnvéniens ergo erat, ut suáviter quoque ómnia, cælestia scilicet & terréna dispóneret; quátenùs & illinc dejiciens inquiétum, réliquos in pace firmáret; & hic debellatúrus invidum, nobis priùs suæ humilitátis & mansuetúdinis valdè necessárium exémplum relinqueret: sicque mirábili fieret moderámine sapiéntiæ, ut & suis suávis, & hóstibus fortis apparêret.

℟. Cum jucunditâte Desponsatiônem beátæ Mariæ celebrêmus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Corde & ánimo Christo canâmus glóriam in hac sacra solemnitâte præcélsæ genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa.

Lectio vj.

QUid enim prodésset diábolum à Deo vinci, nobis manéntibus supérbis? Necessáriò igitur desponsáta est Maria Joseph, quando per hoc & à cánibus sanctum abscónditur: & à Sponso virgínitas comprobâtur: & virgínis tam verecúndiæ párcitur, quàm famæ providêtur. Quid sapiéntius? quid dignius Divina providéntia? Uno tali consilio secrétis cæléstibus & admíttitur testis, & exclúditur hostis, & integra servâtur fama Virginis Matris.

℟. Desponsátio tua, Dei génitrix Virgo, gaudium annuntiávit universo mundo: * Ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: & confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Ex te enim ortus. Glória Patri. Qui solvens maledictiônem.

In tértio Nocturno.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 1. c*

CUm esset desponsáta mater Jesu Maria Joseph, ántequam convenirent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 1. Comment. in cap. Matth.*

QUare non de simplici virgine, sed de desponsáta concipitur? Primùm, ut per generatiónem Joseph origo Mariæ monstrarêtur: secúndò, ne lapidarêtur à Judæis ut adúlte-

tera : tértiò, ut in Ægyptum fúgiens habêret solátium. Martyr Ignátius etiam quartam áddidit causam, cur à desponsáta concéptus sit : Ut partus, inquiens, ejus celarêtur diábolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxôre genéritum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progenies timéntibus eum. Quia fecit.

Lectio viij.

ANtequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Non ab álio invénta est, nisi à Joseph, qui penè licéntia maritali futúræ uxôris ómnia nóverat. Quod autem dícitur, Antequam convenírent ; non sequitur ut posteà convénerint : sed Scriptúra, quod factum non sit, osténdit.

℟. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Desponsatiônem. Quia ex. Glória Patri. Christus.

Nona Lectio de S. Petro Alexandrino Episcopo & Martyre, ut in Breviário, nisi fúerit Domínica.

## AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

DEsponsátio gloriósæ vírginis Maríæ, ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis de Domínica. 18. Antiphona. Desponsátio est hódiè sanctæ Maríæ vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. Antiphona. Regáli ex progénie María exórta refúlget, cujus précibus nos adjuvári mente & spíritu devotíssimè póscimus. Antiphona. Corde & ánimo Christo canámus glóriam, in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. Antiphona. Cum jucunditáte Desponsatiónem beátæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

AB início, & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam, & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus. O gloriósa Vírginum. ℣. Desponsátio est hódiè sanctæ Maríæ vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad



Ad Benedictus, Antiphona.

Desponsatiônem hodiérnam perpétuæ vírginis genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrêmus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

Orátio.

FAmulis tuis, quæsumus Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre : ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salûtis exórdium, Desponsatiônis ejus votiva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Deinde fit commemorátio S. Petri Alexandrini Episcopi & mártyris. Antiphona. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ùt palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orátio. Infirmitátem, ut suprà. 73.

Ad Primam in ℟. brevi dícitur ℣. Qui natus es de María vírgine.

Ad Tértiam Antiphona. Desponsátio est hódiè. Capitulum. Ab início, ut suprà.

℟. breve. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, prosperè procéde, & regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam, Antiphona. Regáli ex progénie.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

ET sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, & in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei heréditas illíus, & in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. breve. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu. Glória Patri. Adjuvábit eam. ℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona. Cum jucunditáte.

Capitulum. *Eccli. 24. b*

IN platéis sicut cinnamómum & bálsamum aromatizans odórem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitátem odóris.

℟. breve. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit eam. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

In ij. Vésperis, Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, & Hymnus, ut in primis Vésperis. 73. ℣. Desponsátio est hódiè sanctæ Maríæ virgi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gi·nis. ℟. Cujus vita incly- ta cunctas illústrat Ecclé- sias.

Ad Magníficat, Antiphona.

Desponsátio tua, Dei géni- trix Virgo, gaudium an- nuntiávit universo mundo: ex te enim ortus est sol jus- titiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: & confúndens mortem, donā- vit nobis vitam sempitér- nam.

Orátio.

FAmulis tuis, quæsumus Dómine, cæléstis grá- tiæ munus impertíre: ut quibus beatæ Vírginis par- tus éxtitit salútis exórdium, Desponsatiónis ejus votiva solémnitas pacis tríbuat in- creméntum. Per Dóminum nostrum.

OF-



# OFFICIUM
# IMMACULATÆ CONCEPTIONIS
# B. V. MARIÆ,

Omnium dominiórum Cathólico Hispaniárum Regi subjectórum,

## PATRONÆ PRINCIPALIS,

Quod singulis Sábbatis festo dúplici, vel semidúplici non impedítis, ab ómnibus & singulis utriúsque sexus Christi fidélibus, qui in eísdem Domíniis ad Horas Canónicas tenentur, sub Ritu Semidúplici (exceptis tamen tempóribus Advéntus, Quadragésimæ, Quatuor Témporum, Vigiliárum étiam sine jejúnio, ac illis Sábbatis, in quibus secúndum Rúbricas sit reponéndum Officium Domínicæ, aut de festo dúplici, vel semidúplici translato) recitári posse ac valére, Clemens Papa XIII. die 24. Martii 1767. concessit, & indúlsit.

## AD VESPERAS,

Antiphona.

SIcut lílium inter spinas, sic amica mea inter fílias Adæ. Psalmi consuéti de sancta María, ut in ejus Officio parvo. Antiphona. Tota pulchra es María, & macula non est in te. Antiphona. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. Antiph. Vox enim tua dulcis, & facies illa tua decóra nimis. Aña. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa supra dilectum Fílium?

Capitulum. *Prov. 8. b*

EGo diligéntes me dilígo: & qui manè vígilant ad me, invénient me. In viis justítiæ ámbulo, ut ditem diligéntes me. Qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Hymnus. Ave maris stella, ut in Officio parvo B. Vírginis Mariæ.

℣. In Conceptióne tua, Virgo, immaculáta fuisti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.

Ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

ginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magníficat, Antiphona.

Desponsátio tua, Dei génitrix Virgo, gaudium annuntiávit universo mundo: ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: & confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

Orátio.

Famulis tuis, quæsumus Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Desponsatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum nostrum.





# OFFICIUM
# IMMACULATÆ CONCEPTIONIS
# B. V. MARIÆ,

Omnium dominiórum Cathólico Hispaniárum Regi subjectórum,

## PATRONÆ PRINCIPALIS,

Quod singulis Sábbatis festo dúplici, vel semidúplici non impedítis, ab ómnibus & síngulis utriúsque sexus Christi fidélibus, qui in ejúsdem Domínii ad horas Canónicas tenentur, sub Ritu Semidúplici (exceptis tamen tempóribus Advéntus, Quadragésimæ, Quatuor Témporum, Vigiliárum étiam sine jejúnio, ac illis Sábbatis, in quibus secúndùm Rúbricas sit reponéndum Offícium Domínicæ, aut de festo dúplici, vel semidúplici translato) recitári posse ac valére, Clemens Papa XIII. die 24. Martii 1767. concessit, & indúlsit.

## AD VESPERAS,

Antiphona.

Sicut lílium inter spinas, sic amica mea inter fílias Adæ. Psalmi consuéti de sancta María, ut in ejus Officio parvo. Antiphona. Tota pulchra es María, & mácula non est in te. Antiphona. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. Antiph. Vox enim tua dulcis, & fácies illa tua decóra nimis. Aña. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa supra diléctum Fílium?

Capitulum. *Prov. 8. b*

Ego diligéntes me díligo: & qui manè vígilant ad me, invénient me. In viis justítiæ ámbulo, ut ditem diligéntes me. Qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Hymnus. Ave maris stella, ut in Officio parvo B. Vírginis Maríæ.

℣. In Conceptióne tua, Virgo, immaculáta fuisti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad Magníficat, Antiphona. Quàm pulchri sunt gressus tui Filia príncipis! Collum tuum sicut turris ebúrnea, óculi tui divini, & comæ cápitis tui sicut púrpura Regis. Quàm pulchra es, & quàm decóra charissima! allelúia.

Oratio.

DEus, qui per immaculâtam Virginis Conceptiônem dignum Filio tuo habitáculum præparâsti: quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Filii sui prævisa, eam ab omni labe preservasti; nos quoque mundos ejus intercessiône ad te pervenire concédas. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatór. Immaculâtam Conceptiônem virginis Mariæ celebrêmus. * Christum ejus præservatôrem adorêmus Dóminum. Psalmus. Venite exultêmus. 2.

Hymnus. Quem terra, ut in Officio parvo B. V. Mariæ.

In primo Noctúrno, Aña. Multæ filiæ congregavérunt sibi divítias, tu verò supergressa es univérsas. Psalmus. Dómine Dóminus noster, cum réliquis, ut in cujus Officio parvo. Antiphona. Surrexérunt filii ejus, & beatíssimam prædicavérunt, vir ejus & laudâvit eam. Palmus. Cæli enárrant. Antiphona. Fortitúdo & decor induméntum ejus, byssus & púrpura vestis illius. Psalmus. Dómini est terra. ℣. Liberâsti me Dómine ex ore leónis. ℟. Et à córnibus unicórnium humilitâtem meam. Pater noster. Absolútio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne. Benedíctio. Benedictiône perpétua.

Lectiónes primi Noctúrni de Scriptúra occurrente.

℟. j. Ego ex ore Altíssimi prodivi primogénita ante omnem creatúram: ego in cælis feci, ut orirêtur lumen indeficiens: * Et sicut nébula texi omnem carnem. ℣. Gyrum cæli circuivi sola, & profúndum abyssi penetrâvi: & in omni pópulo, & in omni gente primâtum ténui. Et sicut.

℟. ij. Transite ad me omnes, qui concupíscitis me, & à generatiônibus meis implémini: * Spíritus enim meus super mel dulcis, & heréditas mea super mel & favum. ℣. Qui audit me, non confundêtur: & qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. Spíritus enim.

℟. iij. Meum est consílium, & æquitas, mea non est prudéntia, mea est fortitúdo: * Per me Reges regnant, per me Príncipes imperant, & poténtes decérnunt justítiam. ℣. Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, invénient me. Per me Reges. Glória Patri. Per me Reges.

In secundo Noctúrno, Aña. Quid vidêtis in Sulamite nisi choros castrôrum? Psalmus. Eructâvit. Antiphona. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitâtem, nec flúmina peccatôrum óbruent Mariam. Psalmus. Deus noster refúgium. Antiphona. A custódia matutína usque ad noctem, sperâvit Maria in Dómino: quia copiósa apud eum redémptio. Psalmus. Fundaménta ejus. ℣. Eruisti à frámea, Deus, ánimam meam. ℟. Et de manu canis únicam matrem meam. Pater noster. Absolútio. Ipsius píetas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

MENSE SEPTEMBRI.

Ex libro sancti Augustini Episcopi.

*De Génesi contra Manichæos.*

Lectio iv.

DOminus noster Jesus Christus (ùt inquit Apóstolus) factus est ex sémine David secúndùm carnem, id est, tamquam de limo terræ, cùm homo non esset qui operarétur in terra, quia nullus homo operâtus est in Vírgine, de qua natus est Christus. Fons autem ascendébat de terra, & irrigâbat omnem fáciem terræ. Fácies terræ, id est, dígnitas terræ, mater Dómini virgo Maria rectíssimè accipitur, quam irrigâvit Spíritus sanctus, qui fontis & aquæ nómine in Evangélio significâtur: ut qualis Adam de limo terræ, talis homo ille fieret. Qui constitútus est in paradiso, ut operarêtur ibi, & custodíret, id est, in voluntâte Patris, ut eam implêret, atque servâret.

℟. Equitátui meo in cúrribus Pharaônis assimilâvi te amica mea: pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis. * Faciâmus adjutórium símile sibi. ℣. Eò quòd castitâtem amáveris, virúmque nescíeris: ideò & manus Dómini confortâvit te, & eris benedícta in ætérnum. Faciâmus. Benedict. Christus perpétuæ.

*Ex libro ejúsdem de Natúra & Grátia contra Pelagiános.*

Lectio v.

CUm de peccátis ágitur, de sancta vírgine María, propter honôrem Dómini, nullam prorsùs habére volo quæstiônem. Indè enim scimus, quòd ei plus grátiæ collâtum fúerit ad vincéndum omni ex parte peccâtum, quòd concípere

ac párere méruit eum, quem constat nullum habuísse peccátum. Hac ergo Vírgine excépta, si omnes illos sanctos & sanctas, qui in Scriptúris sanctis non modò non peccásse, verùm étiam justè vixísse referúntur, cùm hic víverent, congregáre possémus, & interrogáre utrùm essent sine peccáto: quid fuísse responsúros putámus? Quantálibet fúerit in hoc córpore excelléntia sanctitátis, si interrogári potuíssent, una voce clamássent illud, quod ait Joánnes Apóstolus: Si dixérimus, quia peccátum non habémus; ipsi nos sedúcimus, & véritas in nobis non est. ℟. Fac tibi arcam de lignis lævigátis. Ruptique sunt fontes abyssi magnæ, * Et factum est dilúvium peccáti super omnem terram. ℣. Arca verò Deífera eleváta est in sublíme, & ferebátur super aquas, opertíque sunt omnes montes excélsi Sanctórum. Et factum. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Ex libro sancti Ildefónsi Archiepíscopi Toletáni.

*Contra eos, qui dispútant de virg. & parturitióne B. Mariæ.*

Léctio iij.

Totum quidquid in María fuit, possédit Spíritus sanctus: quóniam virtus Altíssimi eam obumbrávit. Quòd si virtus Altíssimi ab omni æstu peccáti eam obumbrávit in concéptu, & in partu; sicut ab omni æstu libídinis líbera fuit, ita & ab omni pressúra maledictiónis, non ex sese, sed ex virtúte Altíssimi immúnis & aliéna fuit. Quaprópter cógitent isti disputatóres naturárum leges, cógitent & divinárum rerum virtútem: quia non ex natúra rerum divínæ leges pendent, sed ex divínis légibus natúræ rerum, & leges manáre probántur. ℟. Fiat mihi sanctuárium, & habitábo in médio eórum: Arcam de lignis Setim compíngite, & deaurábis eam auro mundíssimo intùs & foris: * Et pones super mensam panes propositiónis in conspéctu meo semper. ℣. Inspice, & fac secúndùm exémplar, quod tibi in monte monstrátum est. Et pones super. Glória Patri. Et pones super.

MENSIBUS OCTOBRI, NOVEMBRI, ET DECEMBRI.

Ex libro sancti Ansélmi Episcopi.

*De excellentia Vírginis.*

Léctio iv.

Summa Dei sapiéntia nullam in massa creatiónis humánæ viam invénit, per quam (ut dispo-



súerat) in mundum véniens, tam luctuósæ perditióni subveníret, donec ad istam de qua lóquimur, Vírginem ventum esset. Sed hæc mox, ubi in mundum per humánæ generatiónis líneam venit, tanta omnis boni virtúte & constántia perfectè resplénduit, ut eam ipsa sapiéntia Dei verè dignam judicáret, per quam in hómine véniens, non modò reátum primórum hóminum, sed & totíus mundi peccáta delére, & diábolum sui óperis inimícum cum suis elíderet, necnon damna cæléstis pátriæ illuc hóminem deducéndo redintegráret. ℟. Equitátui meo. 81.

*Ex libro ejúsdem de Concéptu Vírginis.*

Léctio v.

Decébat, ut Christi concéptio de matre puríssima fieret. Nempè decens erat, ut ea puritáte, qua major sub Deo nequit intélligi, virgo illa nitéret: cui Deus Pater únicum Fílium suum, quem de corde suo æquálem sibi génitum tamquam seípsum diligébat, ita dare disponébat, ut naturáliter esset unus idémque commúnis Dei Patris, & Vírginis Fílius: & quam ipse Fílius substantiáliter fácere sibi matrem eligébat, & de qua Spíritus sanctus volébat, & operatúrus erat, ut conciperétur & nascerétur ille, de quo procedébat. ℟. Fac tibi arcam. 82.

Ex dictis diversórum Sanctórum.

*Ex Presbyteris Achájæ ut refert Aloysius Lipománus.*

Léctio vj.

Andréas Apóstolus: Quómodò de immaculáta terra factus fúerat homo primus; necessárium fuit, ut de immaculáta Vírgine natus Christus, vitam ætérnam, quam omnes perdíderant, repararet. Augustínus: Sicut primus Adam de limi matéria figurátus est; ita secúndus Adam, quasi de intácta ac rudi terra, de Vírginis carne formátus est. Hierónymus: Hæc est hortus conclúsus, fons signátus, púteus aquárum vivéntium, ad quam nulli potuérunt doli irrúmpere, nec prævaluit fraus inimíci, sed permánsit sancta mente & córpore, multis donórum privilégiis sublimáta. Idem in Psalmos: Pulchrè Prophéta appéllat Vírginem nubem diéi: nubes enim illa non fuit in ténebris, sed semper in luce. Ansélmus: O benedícta super mulíeres, quæ Angelos vincis puritáte, & Sanctos súperas pietáte! ℟. Fiat mihi. 82.

In tértio Noctúrno, Antiphona. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum, sicut virgula fumi, ex aromátibus myrrhæ, & thuris, & universi púlveris pigmentárii? Psalm. Cantáte. j. Antiphona. Férculum fecit sibi Rex Sálomon de lignis Libani, colúmnas ejus fecit argénteas, reclinatórium áureum, ascénsum purpúreum, média charitáte constrávit. Psalmus. Dóminus regnávit, exúltet terra. Antiphona. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Psalmus Cantáte. ij. ℣. Verè Dóminus est in loco sancto isto, & ego nesciébam. ℟. Non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Pater noster. Absolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

## MENSE SEPTEMBRI.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap. 11. d*

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía sancti Bonaventúræ Episcopi.

*In Comment. super Luc. 11.*

LAudat hæc múlier Christum Dei Filium, extóllens laudis ejus præcónium ex beatitúdine matris, quasi dicat: Beáta múlier, quæ portávit tam bonum fílium. Et rectè, quia decébat sexum femíneum sic laudáre. Nec tantùm féminas, immò étiam viros. Nam suprà dixit Virgo: Ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Fuit autem venter Vírginis beátus propter tria privilégia, quia (ut dicit Bernárdus) fuit sine corruptióne fœcúnda, sine gravédine grávida, & sine dolóre puérpera. Undè dici potest illud Isaíæ: Quis audívit umquam tale? Et quis vidit huic símile?

℟. Omnes moriémini, quia in Adam peccavístis: quid habes Esther eleváta in pópulis? Ego sum frater tuus, noli timére, non moriéris: ✶ Non enim pro te, sed pro ómnibus hæc lex constitúta est. ℣. Non extinguétur in nocte lucérna tua, & non timébis à frígore nivis. Non enim. Benedíctio. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Léctio viij.

FUit étiam beátus propter tria mirácula. Primum est conjúnctio infinitè distántium. Deus enim ibi factus est homo, Creátor creatúra, Imménsus parvus, Verbum infans, Ætérnus temporális, secúndùm illud Joánnis: Et Verbum caro factum est. Secúndum miráculum est, quia qui fecit ventrem, factus est in ventre. Undè in Psalmis dícitur: Gloriósa dicta sunt de te cívitas Dei. Et pòst: Homo natus est in ea: & ipse fundávit eam Altíssimus. Tértium miráculum, quia qui cóntinet ómnia, continétur in ventre, & ille ibi cápitur, quem totus non capit orbis. Undè cantat Ecclésia: Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti.

℟. Fílius meus párvulus est, & delicátus. Domus quam ædificári volo, talis esse debet, ut in cunctis natiónibus nominétur. ✶ Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparávit impénsas. ℣. Elégi, & sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus. Et ob hanc causam. Glória Patri. Et ob hanc. Benedíctio. Ad societátem. Léctio ix.

NEc tantùm beatíficat ventrem propter portatiónem, sed úbera propter lactatiónem, cùm subjúngit: Et úbera quæ suxísti. Ex quo datur intélligi, quòd à solis ubéribus beatíssimæ vírginis lactátus fuit. Quod designátum fuit in Móyse, qui lactári (ut dícitur) nóluit à mulíere Ægyptíaca. Et ideò quæsíta fuit múlier Hebræa, scílicet mater própria, sicut in Éxodo légitur. Ideò autem junxit ista duo, ut ostenderétur virgo María fuisse mater Christi vera & perfécta, quia non solùm génuit, sed & educávit, & sicut verè educávit, ita verè génuit.

Te Deum laudámus. 17.

## MENSIBUS OCTOBRI, NOVEMBRI, ET DECEMBRI.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap. 11. d*

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía S. Bonaventúræ Episcopi.

*In Comment. super Luc. 11.*

AT ille dixit: Quinímò beáti qui áudiunt verbum Dei. Hoc non dixit adversándo, sed potiùs superaddéndo, quasi díceret: Non solùm beátus venter, qui portávit me

Verbum caro factum; verùm étiam beátior, qui súscipit verbum à me prolâtum. Unde & María non tantùm beáta fuit, quia Christum gestâvit in carne; verùm étiam beátior, quia ipsum perfectissimè gestâvit in mente, secúndùm quod dicit Augustinus: Beátior fuit María concipiéndo fidem Christi, quàm carnem Christi. Beátus est enim omnis qui audit, & obêdit: secúndùm illud ipsìus Dómini apud Joánnem: Si hæc scitis, beáti éritis, si fecéritis ea. Et ideò subdit: Et custódiunt illud.

℟. Omnes moriémini. 84.

Lectio viij.

IN quo verbo Christus nóluit laudári matris cognatiònem carnâlem per se (nam & supra Joánnes dixit Judæis: Ne cœperitis dícere, Patrem habêmus Abraham) sed spirituâlem: quia sánctior est copula méntium, quàm córporum. Et ideò, cùm quæreren eum mater & fratres ejus, dixit: Quicúmque fécerit voluntâtem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est. Et propter hoc virgo María fuit laudábilis in concipiéndo, quia fide concépit. Et ideò dixit ei Elisabeth: Beáta, quæ credidisti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino.

℟. Filius meus. 85.

Lectio ix.

EX quo appâret mira commendátio veritátis, quæ omnes sibi adhæréntes beátos éfficit: non solùm adhæréntes carnâli cognatiòne, ùt Virgo María; verùm etiam spiritâli dilectiòne, sicut quælibet ànima sancta. Ut enim dicit Augustinus: Beatitùdo est gáudium de veritáte. Ad quod gáudium devénient, qui veritâtem áudiunt, díligunt, & fáciunt, secúndùm illud Ecclesiástici: Qui audit me, non confundêtur: & qui operántur in me, non peccábunt. Qui elùcidant me, vitam ætérnam habebunt.

Te Deum laudâmus. 17.

## AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

DOmum tuam decet sanctitùdo Dómine, in longitúdinem diérum. Psalmus. Dóminus regnâvit, cum reliquis. 18. Antiphona. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta: benè fundáta est supra firmam petram. Antiphona. Fundâvit eam Altíssimus, qui super mária fundâvit eam, & super flúmina præparávit illam. Antiphona. Dóminus custódit te ab omni malo María, custodívit ánimam tuam, introitum tuum, & éxitum tuum in sæculum. Antiphona. Flúminis ímpetus lætíficat civitâtem Dei, sanctificâvit tabernáculum suum Altíssimus.

Capitulum. Ego diligéntes, ut supra in Vesperis. Hymnus. O gloriòsa Vírginum, ùt in Officio parvo.

℣. Non accédet ad te malum. ℟. Neque flagéllum appropinquábit tabernáculo tuo.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quàm pulchra es amica mea, colúmba mea, immaculáta mea! & odor vestimentòrum tuòrum super ómnia arómata, allelúia.

Orátio ùt supra. 80.

Ad Tertiam Antiphona.

Hæc est domus Dómini.

Capitulum. Ego diligéntes, ut supra.

℟. breve. Liberásti me Dómine, * Ex ore leònis. Liberásti. ℣. Et à córnibus unicórnium humilitâtem meam. Ex. Glória. Liberásti. ℣. Eruísti à frámea Deus ánimam meam. ℟. Et de manu canis únicam matrem meam.

Ad Sextam, Antiphona.

Fundâvit eam.

Capitulum. *Ezech. 44.*

POrta hæc clausa erit: non aperiétur, & vir non transíbit per eam: quóniam Dóminus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Príncipi. Princeps ipse sedêbit in ea.

℟. breve. Eruísti à frámea, * Deus ánimam meam. Eruísti. ℣. Et de manu canis, únicam matrem meam. Deus. Glória Patri. Eruísti. ℣. Verè Dóminus est in loco sancto isto, & ego nesciébam. ℟. Non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cæli.

Ad Nonam, Antiphona.

Flúminis ímpetus.

Capitulum. *Prov. 8. b*

BEátus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotidiè, & obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, & háuriet salútem à Dómino.

℟. breve. Verè Dóminus est in loco sancto isto, * Et ego nesciébam. Verè. ℣. Non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Et ego. Glória Patri. Verè. ℣. Scalam vidit Jacob, cujus cacùmen cælum tangébat. ℟. Angelos quoque descendéntes, qui eam lúmine replébant.

## AD VESPERAS

Antiphona.

NIhil est candòris, nihil est splendòris, nihil est virtûtis, quod non resplendeat in Vírgine gloriósa. Psalmi ùt in primis Vesperis. 79. Antiphona. Quæ neque serpéntis persuasiône decépta, neque ejus vene-

 nó-

nósis afflátibus infécta est. Antiphona. Hanc, quam tu déspicis Manichæe, mater mea est, & de manu mea fabricáta. Antiphona. Décuit Virginem ea puritáte nitêre, qua major sub Deo nequit intélligi. Antiphona. Hæc est virga, in qua nec nodus originális, nec cortex actuális culpæ fuit.

Capitulum & réliqua ómnia, si non occúrrat festum Duplex, de Domínica.

Et fit Commem. Conceptiónis B. Maríæ, Antiphona.

Unica est colúmba mea, una est perfécta mea, una est genitrícis suæ elécta. Vidérunt eam ánimæ sanctæ, & immaculátam prædicavérunt, allelúia.

℣. Dómine diléxi decôrem domus tuæ.

℟. Et locum habitatiônis glóriæ tuæ.

Orátio ut supra. 80.

OF-



OFFICIUM

# S. JACOBI APOSTOLI, HISPANIARUM APOSTOLI, ET PATRONI.

Ex Indúlto CLEMENTIS Papæ IX. dato Romæ 23. Júlii 1667 recitándum in ómnibus Hispaniárum Regnis sub ritu Semidúplici, ómnibus Fériis secúndis, non impedítis Festo novem Lectiônum, excépto Advéntu, Quadragésima, Vigíliis, & Féria secúnda Rogatiônum.

In secúndis Vésperis Domínicæ fit Commemorátio sancti Jacóbi, Antiphona. Misit Heródes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclésia, occídit autem Jacóbum fratrem Joannis gládio. ℣. In omnem terram exívit sonus eôrum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eôrum.

Orátio.

Esto Dómine plebi tuæ sanctificátor & custos: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui munita præsídiis, & conversatiône tibi pláceat, & secúra mente desérviat.

Deinde Antiphona Sancta María, & réliqua Suffrágia consuéta, omíssa Commemoratióne sancti Jacóbi.

Ad Matutinum ómnia usque ad Lectiónes, de Commúni Apostolórum.

In primo Noctúrno, Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

℟. j. Procédens Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Jacóbum Zebedæi, & Joánnem fratrem ejus, in navi, * Et vocávit eos: qui statim relíctis rétibus, & patre, secúti sunt Dóminum. ℣. Erant Jacóbus & Joánnes fratres in navi cum Zebedæo patre eôrum, reficiéntes rétia sua. Et vocávit.

℟. ij. Vocávit ad se Dóminus Jacóbum Zebedæi, & Joánnem fratrem Jacóbi, & fecit ut essent secum inter duódecim, & ut mítteret eos prædicáre. * Et impósuit eis nómina Boanérges; quod est Fílii toni-

 trui.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nósis afflátibus infécta est. Antiphona. Hanc, quam tu déspicis Manichæe, mater mea est, & de manu mea fabricáta. Antiphona. Décuit Virginem ea puritáte nitêre, qua major sub Deo nequit intélligi. Antiphona. Hæc est virga, in qua nec nodus originális, nec cortex actuális culpæ fuit.

Capitulum & réliqua ómnia, si non occúrrat festum Duplex, de Domínica.

Et fit Commem. Conceptiônis B. Mariæ, Antiphona.

Unica est colúmba mea, una est perfécta mea, una est genitrícis suæ elécta. Vidérunt eam ánimæ sanctæ, & immaculátam prædicavérunt, allelúia.

℣. Dómine diléxi decôrem domus tuæ.

℟. Et locum habitatiônis glóriæ tuæ.

Orátio ut supra. 80.

OF-



# OFFICIUM
# S. JACOBI APOSTOLI,
# HISPANIARUM
# APOSTOLI, ET PATRONI.

Ex Indúlto CLEMENTIS Papæ IX. dato Romæ 23. Júlii 1667 recitándum in ómnibus Hispaniárum Regnis sub ritu Semiduplici, ómnibus Fériis secúndis, non impedítis Festo novem Lectiônum, excépto Advéntu, Quadragésima, Vigíliis, & Féria secúnda Rogatiônum.

In secúndis Vésperis Domínicæ fit Commemorátio sancti Jacóbi, Antiphona. Misit Heródes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclésia, occídit autem Jacóbum fratrem Joannis gládio. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Orátio.

Esto Dómine plebi tuæ sanctificátor & custos: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui munita præsídiis, & conversatióne tibi pláceat, & secúra mente desérviat.

Deinde Antiphona Sancta María, & réliqua Suffrágia consuéta, omíssa Commemoratióne sancti Jacóbi.

Ad Matutínum ómnia usque ad Lectiónes, de Commúni Apostolórum.

In primo Noctúrno, Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

℟. j. Procédens Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Jacóbum Zebedæi, & Joánnem fratrem ejus, in navi, * Et vocávit eos: qui statim relíctis rétibus, & patre, secúti sunt Dóminum. ℣. Erant Jacóbus & Joánnes fratres in navi cum Zebedæo patre eórum, reficiéntes rétia sua. Et vocávit.

℟. ij. Vocávit ad se Dóminus Jacóbum Zebedæi, & Joánnem fratrem Jacóbi, & fecit ut essent secum inter duódecim, & ut mítteret eos prædicáre. * Et impósuit eis nómina Boanérges: quod est Fílii tonitrui.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tui. ℣. In omnem terram exivit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Et impósuit.

℟. iij. Cùm venisset Jesus in domum principis synagógæ, * Non permisit intráre secum quemquam, nisi Petrum, & Jacóbum, & Joánnem, & patrem & matrem puéllæ. ℣. Et dixit: Nolíte flere, non est mórtua puélla, sed dormit. Non permisit. Glória Patri. Non permisit.

Lectiones secundi, & tertii Nocturni, dicúntur per órdinem Mensium, ut infra assignántur.

## MENSE SEPTEMBRI.

### In secúndo Noctúrno.

Ex Tractátu S. Augustíni Episcopi super Psalmos.

In *Psalmo* 44.

### Lectio iv.

PRo pátribus tuis nati sunt tibi fílii. Genuérunt te Apóstoli: ipsi missi sunt, ipsi prædicavérunt, ipsi patres. Sed numquid nobíscum corporáliter semper esse potuérunt? Et si unus ipsórum dixit: Cúpio dissólvi, & esse cum Christo, multò magis óptimum est: manére autem in carne necessárium propter vos. Dixit hoc quidem: sed quamdiu hic manére potuit? Numquid usque ad hoc tempus? numquid usque in pósterum? Ergo illórum abscéssu desérta est Ecclésia? Absit. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii. Quid est, Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii? Patres missi sunt Apóstoli: pro Apóstolis fílii nati sunt tibi, constitúti sunt Epíscopi.

℟. Assúmpsit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joánnem fratrem ejus, & duxit illos in montem excélsum seórsùm: * Et transfigurátus est ante eos. ℣. Et ecce apparuérunt illis Moyses & Elías cum eo loquéntes. Et transfigurátus.

### Lectio v.

HOdie enim Epíscopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclésia patres illos appellat: ipsa illos génuit, & ipsa illos constítuit in sédibus patrum. Non ergo te putes desértam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es. De prole tua tibi crevit patérnitas. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii. Constítues eos príncipes super omnem terram. Vide templum Regis, quàm late diffúsum est, ut nóverint vírgines quæ non adducúntur in templum Regis, non se ad istas núptias pertinére.

℟. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibo? aut baptísmo, quo ego baptízor, bapti-



tizári? dixit Jesus Jacóbo & Joánni, fíliis Zebedæi. * At illi dixérunt ei, Possumus. ℣. Cálicem quidem, quem ego bibo, bibétis; & baptísmo, quo ego baptízor, baptizabímini. At illi.

### Lectio vj.

PRo pátribus tuis nati sunt tibi fílii. Constítues eos príncipes super omnem terram. Hæc est Cathólica Ecclésia: fílii ejus constitúti sunt príncipes super omnem terram; fílii ejus constitúti sunt pro pátribus. Agnóscant, qui præcísi sunt: véniant ad unitátem, adducántur in templum Regis. Templum suum Deus ubique collocávit: fundaménta Prophetárum & Apostolórum ubique firmávit: fílios génuit Ecclésia: constítuit eos pro pátribus suis príncipes super omnem terram.

℟. Assúmpsit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joánnem secum, * Et ait illis: Tristis est ánima mea usque ad mortem. ℣. Sustinéte hic, & vigiláte mecum. Et ait illis. Glória Patri. Et ait illis.

## MENSIBUS OCTOBRI, ET NOVEMBRI.

### In secúndo Noctúrno.

De Expositióne sancti Augustíni Epíscopi super Psalmum octogésimum sextum.

*Ante médium.*

### Lectio iv.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis; díligit Dóminus portas Sion. Quare sunt fundaménta Apóstoli & Prophétæ? Quia eórum auctóritas portat infirmitátem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intrámus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis: & cùm per ipsos intrámus, per Christum intrámus. Ipse est enim jánua. Et cùm dicúntur duódecim portæ Jerúsalem, & una porta Christus, & duódecim portæ Christus, quia in duódecim portis Christus: & ideò duodenárius númerus Apostolórum. Sacraméntum magnum hujus duodenárii significátio est númeri. Sedebitis, inquit, super duódecim sedes, judicántes duódecim tribus Israel.

℟. Assúmpsit Jesus. 90.

### Lectio v.

SI duódecim sellæ ibi sunt, non est ubi sédeat tértius décimus Paulus Apóstolus, & non erit quómodò júdicet: & ipse se judicatúrum dixit, non hómines tantùm, sed & ángelos. Quos ángelos, nisi apóstatas ángelos? Nescitis, inquit, quia ángelos judicábimus? Responderet ergo turba: Quid te jactas judicatúrum? ubi sedébis?

Duódecim sedes dixit Dóminus duódecim Apóstolos: unus cécidit Judas, in locum ipsíus sanctus Mathias ordinátus est; implétus est duodenárius númerus sédium. Primò locum inveni, ubi sédeas, & sic te mináre judicatúrum. Duodecim ergo sedes quid sibi velint, videámus. Sacraméntum est cujúsdam universitátis, quia per totum orbem terrárum futúra erat Ecclésia: undè vocátur hoc ædifícium ad Christi compágem.

℟. Potéstis bíbere. 50.

Léctio vj.

ET ideò quia úndique venítur ad judicándum, duódecim sedes sunt: sicut quia úndique intrátur in illam civitátem, duódecim portæ sunt. Non solùm ergo illi duódecim, & Apóstolus Paulus, sed quotquot judicatúri sunt, propter significatiónem universitátis ad sedes duódecim pértinent: quemadmódum quotquot intrábunt, ad duódecim portas pertinent. Partes enim mundi quátuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo, & Merídies. Istæ quátuor partes assíduè nominántur in scriptúris. Ab istis quátuor ventis, sicut dicit Dóminus in Evangélio, à quátuor ventis se collectúrum eléctos suos: ab ómnibus ergo istis quátuor ventis vocátur Ecclesia. Quómodò vocátur? Undique in trinitáte vocátur. Non vocátur nisi per baptísmum in nómine Patris, & Fílii, & Spíritus sancti. Quátuor ergo ter ducta, duódecim inveniúntur.

℟. Assúmpsit Jesus. 50.

MENSE SEPTEMBRI.

In tértio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 20. c*

IN illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis adórans, & petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Homilia 66. in Matth.*

SEdére autem à dextris & à sinistris, non est meum dare, sed quibus parátum est à Patre meo. Quibus porrò præparátum est? Illis vidélicet, qui fulgentíssimis opéribus evasúri sunt. Idcirco verò dixit, Non est meum dare, sed Patris mei: ne quis infírmum atque impoténtem ad hanc ipsum fore retributiónem opinétur. Sed quonam modo? Non est meum, inquit, sed quibus parátum est. Verùm, ut clárius fiat quod dícimus, exemplo id ante óculos ponámus. Ad editórem ígitur múne-

rum



rum atque certáminis, quò multi ac præclári athlétæ confluant, duos quosdam ipsi præcípua familiaritáte conjúnctos accessísse fingámus, qui amicítia príncipis freti, postuláre áudeant, ut victóres ipsi præcónio declaráti coronéntur. Quibus ille respóndeat: Non est meum id dare, sed quibus labóre atque sudóre præparátum est.

℟. Misit Heródes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclésia: * Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. ℣. Ecce ego mitto ad vos Prophétas, & sapiéntes, & scribas, & ex illis occidétis. Occídit.

Léctio viij.

NUm ígitur, quasi non poténtem illum id fácere, condemnábimus? Nequáquam: sed justítiam ejus admirábimur: & quóniam non persónam, sed rem réspicit, laudábimus. Quemadmódum ígitur editiónis múnerum atque certáminis príncipem, non quia non potest, sed quia non vult luctatiónis transgredi leges, & justítiæ órdinem conturbáre; sic útique Christum id dixísse affirmámus.

℟. Iste est qui ante álios Apóstolos primus plantávit Ecclésiam sánguine suo. * Cujus corpus in Gallécciam delátum, per totum orbem glória illustrátur. ℣. O sidus, ò decus Hispániæ sancte Jacóbe Apóstole, intercéde pro nobis ad Deum qui te elégit. Cujus corpus. Glória Patri. Cujus.

Léctio ix.

ITa úndique illos compellébat in grátia Dei primùm, deinde in labóribus própriis omnem salútem, & glóriæ spem repónere. Ideò dixit: Quibus parátum est. Nam si álii præstantióres videbúntur, si excellentióra, quàm vos, ópera factúri sunt; quómodò illis expúlsis, locum eórum vos occupábitis? An quia mei discípuli estis, idcircò etiam, si non digni primátu éritis, præmia tamen quoque consecutúros vos arbitrémini?

Te Deum laudámus. 17.

Si occúrrat Festum simplex, ex duábus Lectiónibus fiat una, & tunc ix. Léctio erit de Sancto simplici.

MENSIBUS OCTOBRI, ET NOVEMBRI.

In tértio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 20. c*

IN illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis adórans & petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Ho-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. 2. de Fide ad Gratiânum, cap. 3.*

POtéstis bibere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Dicéntibus autem illis, Póssumus: ait illis Jesus: Cálicem quidem meum bibêtis; sedêre autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus parâtum est à Patre meo. Quàm pátiens & clemens Dóminus, quàm alta sapiéntia, & bona cháritas! Volens enim osténdere, quòd non perfunctóriam rem áliquam discípuli postulârent, sed eam quam impetrâre non possent, prærogativam eis patérnæ honorificéntiæ reservâvit; non métuens, ne quid juri próprio derogâret, qui non rapínam arbitrâtus est, esse se æquâlem Deo: simul díligens discípulos, quia sicut habes, Usque in finem diléxit eos. Nóluit his, quos diligeret, vidéri quod péterent denegâsse sanctus & bonus Dóminus; qui mallet áliquid dissimulâre de jure, quàm de charitâte depónere. Cháritas enim pátiens est, benigna est, non æmulátur, non inflátur, non quærit quæ sua sunt.

℟. Misit Heródes rex manus. 93.

Lectio viij.

DEnique ut agnoscâtis, non infirmitátis, sed indulgéntiæ esse, quod dixit: Non est meum dare vobis; ubi sine matre filii Zebedæi rogant, nihil de Patre dixit: sic enim habes, Non est meum dare vobis: sed quibus parâtum est. Ità Marcus Evangelista pósuit. Ubi verò mater pro filiis rogat, hoc est secúndùm Matthæum, Non est, inquit, meum dare vobis, sed quibus parâtum est à Patre meo. Hic áddidit, à Patre meo: quia majórem indulgéntiam matérnus poscêbat affectus.

℟. Iste est, qui ante. 91.

Lectio ix.

QUòd si putant dicéndo: Quibus parâtum est à Patre meo, quod aut Patri plus tribuit, aut sibi áliquid derogâvit: dicant, utrùm & illic putent Patri áliquid derogâtum, quia dixit in Evangélio Filius de Patre: Pater non júdicat quemquam? Quod si sacrilégium putâmus, dícere, quòd Pater ita judícium détulit Filio, ut ipse non hábeat: (habet enim, nec potest amíttere, quod habet naturáliter divina majestas,) sacrilégium útique æstimâre debêmus, quòd non potest Filius dare quidquid, aut hómines meréri possunt, aut quævis accípere creatúra; præsértim cum ipse díxerit: Ego ad Patrem vado, & quodcúmque ab eo petiéritis in nómine meo, hoc fáciam.

Te Deum laudâmus. 17.

Si occúrrat Festum simplex, ex duabus fiat una, & tunc nona Lectio erit de Sancto símplici.

## AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

ACcéssit ad Jesum Mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans, & petens áliquid ab eo. Psalmus. Dóminus regnâvit, cum réliquis de Domínica. 18. Antiphona. Dic ut sédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Antiphona. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum? dicunt ei, Póssumus. Antiphona. Cálicem quidem meum bibêtis: sedêre autem ad déxteram meam, & ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus parâtum est à patre meo. Antiphona. Quicúmque volúerit inter vos major fíeri, sit vester minister.

Capitulum. 1. Cor. 4. b

FRatres, Puto quòd Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinâtos: quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis & homínibus.

Hymnus.

JEsu salus mortálium,
Nobis ades, dum dícimus
Laudes Patróno Hispániæ,
Tuam canéntes glóriam.
Laudándus hic est únicè,
Quòd primus in certámine
Apóstolis ex ómnibus
Pro te profúdit sánguinem
Tui beâtus plúribus
Notis amóris máximi:
Quòd testis usque intérfuit
Recónditis mystériis:
Seu vi poténtis déxteræ
Surgit Jáiri fília,
Quando in patérnis ædibus
Est excitâta ab inferis:
Seu vultus, ut sol, spléndidus,
Et vestis, ut nix, cándida,
Thabóris alto in vértice
Signum tuæ dant glóriæ:
Seu monte olivis cónsito
Angóris est index tui
Sudor, tuo de córpore
Ceu gutta manans sánguinis.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, & omne in sæculum.
Amen.

℣. An-

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.
℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus, Antiphona. Visitávit nos per sanctum suum Apóstolum, & fecit salûtem de inimicis nostris, Dóminus Deus noster.

Orátio.

Esto Dómine plebi tuæ sanctificator & custos: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui muníta præsidiis, & conversatióne tibi pláceat, & secúra mente desérviat. Per Dóminum.

Deindè Antiphona. Sancta María, & réliqua Suffrágia consuéta.

Ad Tertiam, Antiphona. Dic, ut sédeant. Capitulum. Fratres, Puto, quòd Deus, ut suprà. 95.

℟. breve. In omnem terram, * Exivit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exivit. Glória Patri. In omnem. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Memores erunt nóminis tui Dómine.

Ad Sextam, Antiphona. Potéstis bíbere Cálicem.

Capitulum. 1. Cor. 4. c

Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles.

℟. breve. Constítues eos príncipes, * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super. Glória Patri. Constítues. ℣. Nimis honoráti sunt amici tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad Nonam, Antiphona. Quicúmque volúerit.

Capitulum. 1. Cor. 4. d

Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

℟. br. Nimis honoráti sunt, * Amici tui Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amici. Glória. Nimis. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vésperas, nisi sequátur festum Duplex, Antiphonæ de Láudibus. 95. Psalmi de Communi Apostolórum in secúndis Vésperis.

A Capitulo de sequenti Festo, si fúerit Semidúplex, & tunc pro Commemoratióne sancti Jacobi, Antiphona. O beátum Apóstolum. ℣. Annuntiavérunt, ut infrà.

Orátio. Esto Dómine, ut suprà.

Posteà Antiphona Sancta María, & réliqua Suffrágia consuéta.

Si



Si verò non sequátur Festum Semidúplex.

Capitulum. 1. Cor. 4. b

Fratres, Puto quòd Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinátos: quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis & homínibus.

Hymnus.

Defénsor almæ Hispániæ,
Jacóbe, vindex hóstium,
Tonitrui quem fílium
Dei vocávit Fílius:
Huc cæli ab altis sédibus
Convérte dexter lúmina,
Audique læti débitas
Grates, tibi quas sólvimus.
Grates refert Hispánia,
Felix tuo quæ nómine,
Te gloriátur júgiter
Dignáta sacris óssibus.
Tu cæca nox, atque ímpia
Nos cum tenéret vánitas,
Lucem salútis primitùs
Oris Ibéris ímpetras.
Tu, bella cùm nos cíngerent,
Es visus ipso in prælio,
Equóque, & ense acérrimus,
Mauros furéntes stérnere.
Freti tuo nos pígnore,
Largum tuo te múnere
Rogámus omnes, ut tuæ
Spe prótegas præséntiæ.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & omne in sæculum. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.
℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magníficat, Antiphona. O beátum Apóstolum, qui inter primos eléctus, primus ómnium Apostolórum Dómini cálicem bíbere méruit! O gloriósum Hispániæ regnum, tali pígnore, ac patróno munítum, per quem fecit illi magna, qui potens est! Allelúia.

Orátio. Esto Dómine, ut suprà. 96.

Deindè Antiphona Sancta María, & réliqua Suffrágia consuéta.

EXOR-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# EXORCISMUS CONTRA IMMINENTEM TEMPESTATEM FULGURUM, ET GRANDINIS.

PEr signum ✠ Crucis, de inimicis ✠ nostris, libera nos ✠ Deus noster. In nómine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

*Dicitur Symbolum fidei, scilicet* Credo in Deum Patrem, *&c.*

*Deinde* Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Sit nomen Dómini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum. ℣. Exúrgat Deus, & dissipéntur inimici ejus. ℟. Et fúgiant qui odérunt eum, à facie ejus. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

DOmine Jesu Christe, qui fecisti cælum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt, quique flúmini Jordáni benedixisti, atque in eo baptizári voluisti, & tuas sanctissimas manus, & bráchia sacratissima in Cruce extendisti, quibus áërem sanctificásti: obsecrámus imménsam pietátis & bonitátis tuæ abundántiam, quátenùs has nubes, quas ante me, & post me, & supra me, à dextris & à sinistris video áërem perturbáre; dissólvere & annihiláre dignêris, ùt alligáta potéstas dæmonum impiè desæviéntium deficiat & turbêtur, ad laudem tui sanctissimi nóminis, & potentissimæ majestátis tuæ. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spiritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

*Pòstea convérsus ad nubes signet eas signo* ✠ *dicens:* Circúmdet te nubes Deus ✠ Pater. Circúmdet te Deus ✠ Filius. Circúmdet te Deus Spiritus ✠ sanctus. Déstruat te Deus ✠ Pater. Déstruat te Deus ✠ Filius. Déstruat te Deus Spiritus ✠ sanctus. Cómprimat te Deus ✠ Pater. Cómprimat te Deus ✠ Filius. Cómprimat te Deus Spiritus ✠ sanctus. Amen.

*Obsecratio.* Sanctus Matthæus, sanctus Marcus, sanctus Lucas, sanctus Joánnes Evangelista, qui Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgárunt, ipsi suis méritis & précibus, hanc tempestátem à término isto, & ab ómnibus Christianórum fínibus, ab eódem Dómino nostro Jesu Christo obtíneant effugári & depélli.

## EXORCISMUS.

ET ego peccátor, & Christi sacérdos seu minister, licèt indignus, auctoritáte & virtúte ejúsdem Dei & Dómini nostri Jesu Christi summi Imperatóris, non mea poténtia innixus & confisus, vobis præcipio immundissimi spíritus, qui has nubes seu nébulas concitátis, in virtúte ejúsdem Dei & Dómini nostri Jesu Christi, per ✠ sanctissimam ejus Incarnatiónem, per sanctam Nativitátem, per Baptismum & Jejúnium ipsius, per ejus sanctissimam Crucem ✠ & Passiónem, per sanctam Resurrectiónem, per admirábilem Ascensiónem, per treméndum Advéntum ejus & Judicium, per mérita intemerátæ sempérque Virginis Mariæ, & sanctissimi N. & per mérita ómnium Sanctórum, ut excédatis ab eis, & eas dispergátis in locis silvéstribus & incúltis; quátenùs nocêre non possint homínibus, animálibus, frúctibus, herbis, arbóribus, aut quibuscúmque rebus humánis úsibus deputátis. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum, qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & sæculum per ignem. Amen. Ipse vobis imperat, dæmones, qui has nubes commovêtis, de quo de nube lúcida dictum est: Hic est Filius meus diléctus, in quo mihi benè complácui. ✠ Ipse vobis imperat, qui sua sacratissima Cruce, & córporis sui sanctissimi in ea extensióne áërem purgávit. ✠ Ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, príncipem vestrum, mortémque devicit, & ligávit, atque ætérnæ gehénnæ mancipávit ignibus. ✠ Ipse vobis imperat, qui inférno spoliáto surrexit à mórtuis. ✠ Ipse vobis imperat qui post quadraginta dies, nube suscéptus virtúte sua ascéndit in cælum. ✠ Ipse vobis imperat, qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et póstea osténdat Crucem in aëra, dicens: Ecce lignum sanctíssimæ Crucis, fugite partes advérsæ: vicit enim vos & mundum Dóminus noster Jesus Christus Filius Dei, Imperâtor summus, leo de tribu Juda, radix David.

Póstea aqua benedícta in modum Crucis, ✠ aspergat quatuor latera. Dicendæ sunt étiam Litaníæ, si nondum quiévit tempestas. Symbolum S. Athanásii. Quicúmque vult. Antiphona. Salve Regina, & Sub tuum præsidium. Cánticum Benedícite ómnia, cum ℣. Glória Patri, & Filio, in quólibet Versu dicti Cántici.

Deinde ℣. Benedicámus Patrem & Filium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus, & superexaltémus eum in sæcula. ℣. Ora pro nobis sancta Dei génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orátio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fidei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, & in poténtia majestâtis adoráre unitátem: quæsumus, ut ejúsdem fidei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis.

Orátio.

Prótege Dómine fámulos tuos subsídiis pacis: & beátæ Maríæ semper vírginis patrocínio confidéntes, à cunctis hóstibus & perículis redde secúros.

Orátio.

A Domo tua, quæsumus Dómine, spiritáles nequítiæ repellántur, & aërearum discêdat malígnitas tempestátum.

Orátio.

Ad te nos, Dómine, clamántes exáudi, & aëris serenitátem nobis tríbue supplicántibus: ut qui juste pro peccátis nostris afflígimur; misericórdia tua præveniente, cleméntiam sentiámus.

Orátio.

Largíri & conservâre fructus terræ dignâre Dómine Deus noster, ut temporálibus gaudeámus auxíliis, & profíciamus spirituálibus increméntis. Per Christum Dóminum nostrum.

Potest dici & Orátio illíus Sancti, in cujus honóre constrúcta est Ecclésia, & aliórum Sanctórum, in quibus plus de eórum adjutório confídimus propter speciálem devotiónem nostram. Possunt dici & áliæ étiam devótæ Oratiónes cum compunctióne & cordis contritióne, implorando semper misericórdiam Dei. Et si adhuc tempus tempestuósum perseveráverit, poterunt supradicta plúries repeti.



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UANL
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®



# DIE XXI. OCTOBRIS.

# OFFICIUM SS. VIRGINUM ET MARTYRUM URSULÆ, ET SOTIARUM EJUS.

## DUPLEX.

## PRO TOTA AMERICA.

Omnia de Communi Virginum, & Martyrum, præter sequentia.

In utriusque Vesperis, & Laudibus.

Antiph. Prudentes Virgines aptate vestras lampades: Ecce Sponsus venit: exite obviam ei.

℣. Adducentur regi Virgines post eam.

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine Deus noster, Sanctarum Virginum, & Martyrum tuarum Ursulæ, & Sociarum ejus palmas incessabili devotione venerari; ut quas digna mente non possumus celebrare, humillibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum nostrum.

Dein-

Deinde fit commemoratio S. Hilarionis Abbatis.

Aña. Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio.

INtercessio nos, quæsumus Domine, beati Hilarionis Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum nostrum.

IN I. NOCTURN.

Lectiones de Script. occurrent.

IN II. NOCTURN.

Lectio iv.

GRatiano Imperatore, Flavius Clemens Maximus, Romani exercitus in Britannia Dux, arrepta tyrannide, Imperator à militibus acclamatur. Inde copias in Gallias transmittens, ab infensis Gratiano Legionibus exceptus, Imperium sibi corroborat. Cumque Armoricorum uberem regionem, ejectis antiquis habitatoribus, Britannicis militibus, quos secum duxerat, divisisset, quo novas colonias propagaret in posteros, Connani Britannici reguli (quem Britannorum Ducem habebat in exercitu) consilio, missa Legatione in Britanniam, singuli militibus novis Colonis singulas virgines conjugio fœderandas postulat.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

HAud visa Britanniæ reguli absurda petitio: Unde in gratiam novi Imperatoris, & quod filias suas nonnisi gentilibus suis, iisque donatis nova Provincia præ divitibus honestissimè collocandas scirent: pro numero militum totidem delectæ sunt virgines: omnes numero undecim mille: quarum Princeps erat Ursola, Dionoti Cornubiæ Regis



filia, desponsata Connano Duci Britannorum militum in exercitu Maximi. Cunctæ igitur Londini collectæ impositæ sunt invitæ navigiis. Solventes nautæ dum Armoricorum regionem cogitant, à sævia procella in Germanicum littus dejiciuntur.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea.

Lectio vi.

COntigit adesse tunc ibi Hunnorum copias, quas à Gratiano Imperatore adversùs Maximum evocatas ferunt. Nacti igitur Barbari præclarum illud Virgi-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

num agmen, impotenti libidinis æstu furentes, in eas irruunt. Sed cum hortante Ursula, mortem potius appetere, quàm Virginei pudoris jacturam pati, invicto animi vigore decrevissent; Hunni in rabiem immanitatis conversi, ad unam omnes trucidant. Sicque Ursula, super comitum suarum velut cœlestium margaritarum pretiosum acervum, gloriosa victima procumbens, purpura pro Christo fusi sanguinis decorata, triumphatorem tot virginum exercitum, geminis nempè virginitatis, & martyrii, laureis insignem ducens, cœlum victrix intravit. Quarum corpora Colonienses summo honore condiderunt: earumque illustrem agonem Christianus orbis, florenti semper memoria, celebrat.

℟. Afferentur regi Virgines post eam, proximæ ejus: * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

### IN III. NOCT.

Lectiones de Homilia S. Gregorii Pap. in Evang. Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus.

Benedictio viii Quarum festum colimus, ipse intercedant, &c.

Nona Lectio ex duabus de S. Hilarione Abba. & com. in Laud.

Aña. Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te cons-



constituam, intra in gaudium Domini tui.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi Regnum Dei.

Oratio ut supra.

Missa ut annotatur in Communi plurium Virgin. & Martyr.

---

## AMERICANA.

*NON minus enixi Rmi. Archiepiscopi Mexicani, quàm supplicibus Capituli, & Canonicorum illius Metropol. Eccl. precibus SS. D. N. Innocent. Pap. XIII. porrectis pro extensione Officiorum Sanctarum Ursulæ, & Barbaræ sub ritu dup. ad Civitatem, & Diœcesim Mexicanam, necnon universum Regnum Americanum, ac Insulas ipsi adjacentes, illisque à Sanctitate sua ad Sac. Rit. Cong. remissis, atque relatis, Sacra eadem Congregatio facultatem in posterum recitandi sub ritu dup. ab universo Clero Sæculari, & Regul. utriusque sexus juxta petita Officia nempè SS. Ursulæ, & Sociarum die 21. Octobris, & alterum*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*rum S. Barbaræ V. & M. die 4. Decembris cum Lectionibus ipſius Sanctæ ſecund. Nocturni propriis aliàs pro Eccleſia S. Laurentii in Damaſo de Urbe approbatis, & ſervatis Rubricis Brev. ac Miſſalis Rom. poſſe concedi cenſuit, ſi SS. D. N. viſum fuerit. Die 3. Julii 1723.*

*Factaque deinde per me Secretarium de prædictis SS. D. N. relatione, Sanctitas ſua benignè annuit. Die 22. ejuſdem menſis, & anni 1723.*

F. Card. Paulutius.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſch. Archiep. Apamen.

Sacr. Rit. Congreg. Secret.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# OFFICIA
## PROPRIA
# SANCTORUM
## TRIUM ORDINUM
## S. P. N. FRANCISCI,

AB INNOCENTIO PAPA XII. approbáta, atque recentióribus Decrétis, novo Kalendário, novíſque Rúbricis páriter approbâtis locupletâta.

*PARS AUTUMNALIS.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

MATRITI. M.DCC.LXX.

Apud JOACHIM IBARRA, Cathólicæ Régiæ Majestátis Typógraphum.

Sùmptibus Regiæ Societátis Typographórum Bibliopolarúmque.

# KALENDARIUM
# FESTORUM SANCTORUM
## ORDINIS MINORUM.

*FEſtum S. Annæ celebrandum eſt ritu Duplicis majoris, ex conceſsione* CLEMENTIS XII. *modò pro univerſali Eccleſia. Feria V. cujuſque hebdomadæ (extra tempus Adventus & Quadrageſimæ) non impedita Officio ix. Lectionum fieri poteſt Officium de ſanctiſsimo Sacramento ritu Officii Semiduplicis, ex conceſsione* PII V.

*Similiter quolibet Sabbato anni (extra Adventum & Quadrageſimam & Sabbata Vigiliarum ac Quatuor Temporum) non impedito Officio ix. Lectionum, etiam translato fieri poteſt Officium de Conceptione B. Mariæ virginis ritu Officii Semiduplicis, ex conceſsione* PAULI V.

*Item* PAULUS PAPA V. *conceſsit Fratribus Minoribus Conventualibus, ut Officium Seraphici Patris ſancti Franciſci ſemel in menſe, die prima non impedita Feſto novem Lectionum, recitare poſsint ritu Semiduplici per totum annum, etiam in Adventu & Quadrageſima.*

*Similiter conceſsit toti Ordini FF. Minorum de Obſervantia, ut Officium Impreſsionis Stigmatum in corpore* B. P. N. FRANCISCI *ſemel in menſe, prima die non impedita feſto Duplici aut Semiduplici (extra tempus Adventus & Quadrageſimæ) ritu Semiduplici celebretur.*

*Item* CLEMENS X. *conceſsit ut Officium S. Claræ ſemel in menſe recitari poſsit per totum annum, die non impedita Officio novem Lectionum ritu Semiduplici, excepto tempore Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum & Vigiliarum.*

*Similiter conceſsit ſingulis menſibus recitari Officium S. Antonii Paduani etiam ritu Semiduplici die non impedita Feſto novem Lectionum, excepto tamen tempore Adventus, Quadrageſimæ & Vigiliarum.*

*Item Sacrorum Rituum Congregatio die 13. Junii 1693. conceſsit, ut ſemel in menſe, die non impedita recitari poſsit Officium de ſancto Bonaventura ſub ritu Se-*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*ſemiduplici, exceptis tamen Adventus & Quadrageſimæ temporibus.*

Bullæ, Conſtitutiones, Rubricæ particulares Ordinis, Facultas, &c. habentur omnia in initio partis Hiemalis.

## AUGUSTI.

30 S. Helenæ Imperatricis nec virginis nec martyris. duplex minus, cum Commem. SS. Felicis & Adaucti martyr. Sed in Terra ſancta tantum duplex ij Claſsis. cum Octava. & Commemorat. præfatorum martyrum. In Laudibus tantum.

## SEPTEMBRIS.

1 B. Iſabellæ virginis Clariſſæ, ſororis S. Ludovici Regis. ſemiduplex cum Commem. S. Ægidii Abbatis, & SS. Duodecim Fratrum martyrum.

3 BB. Joannis de Peruſio Sacerdotis, & Petri de Saxo Ferrato laici martyrum. duplex minus.

In Ditione Regis Hiſpaniæ fit hodiè de S. Roſa virginis Limana. duplex minus.

4. In feſto Tranſlat. S. Roſæ virg. Viterbienſ. Tertii Ordinis, duplex ij. Claſsis. cum Octava ex conceſſione Sacra Congr. pro hac die Tranſlation.

5 S. Roſæ virginis Limanæ. duplex minus, Commem. Octavæ.

In ditione Regis Hiſpaniæ ſanctæ Roſaliæ virginis. ſemiduplex.

6 S. Laurentii Juſtiniani Epiſcopi & Confeſſoris. ſemiduplex, Commemor. Octavæ.

In Ditione Regis Hiſpaniæ BB. Joannis de Peruſio, &c. duplex minus.

7 De Octava. ſemiduplex.

In Ditione Regis Hiſpaniæ S. Laurentii Juſtiniani, ut 6. hujus.

8 Nativitatis B. M. virginis. duplex ij. Claſsis, cum Octava, & Commemorat. S. Adriani martyris. In Laudibus tantum.

Dominica infra Octav. B. Mariæ virginis. Feſtum Sanctiſsimi Nominis ejuſdem B. Mariæ virginis. duplex majus.

9 B. Seraphinæ Sfortiæ viduæ. ſemiduplex, cum Commem. Oct. Nativitatis B. M. & Oct. S. Roſæ, ac ſancti Gorgonii martyris.

10 S. Nicolai de Tolentino Confeſſoris. duplex minus, cum Commemor. Octavarum.

11 Octava S. Roſæ. duplex minus, cum Commemor. Octavæ Nativitatis B. Mariæ V. ac ſanctorum Prothi & Hyacinthi martyrum.

17 Feſtum ſacrorum Stigmatum S. P. noſtri Franciſci. duplex ij. Claſsis.

18. B. Joſeph à Cupertino Confeſſoris. dupl. minus.

22 S. Thomæ à Villanova Epiſc. & Confeſ. ſemiduplex, Commem. SS. Mauritii, &c. martyrum.

26 B. Luciæ virginis Tertii Ordinis. duplex minus, cum Commem. SS. Cypriani & Juſtinæ mart.

27 S. Elzeari Confeſſ. Tertii Ordinis. duplex majus.

28 B. Bernardini de Feltria Confeſſor. duplex minus.

## OCTOBRIS.

1 S. Remigii Epiſcopi & Confeſſoris. ſemidupl. ad libitum.

3 Vigilia S.P. N. Franciſci. cum jejunio. Fit Officium de Tranſlatione S. Claræ. duplex minus, cum Homilia & Commemor. Vigiliæ.

4 S. P. N. Franciſci Conf. Trium Ordinum Fundatoris duplex j. Claſsis cum Octava.

5 SS. Coſme & Damiani martyr. ſemidup. Commem. Oct. & SS. Placidi, & Sociorum martyrum.

6 S. Brunonis Confeſſoris. duplex minus, cum Commem. Octavæ.

7 De Octava. ſemidup. cum Commem. S. Marci Papæ & Confeſſ. ac SS. Sergii, Bachi, & Sociorum mart.

8 S. Birgittæ viduæ. dupl. cum Commem. Octavæ.

9 SS. Dionyſii, Ruſtici, & Eleuterii martyrum. ſemiduplex cum Commem. Oct.

10 S. Franciſci de Borgia Confeſſoris. ſemiduplex, cum Commem. Octavæ.

In Ditione Regis Hiſpaniæ Franciſci Borgiæ. dupl. ij. Claſsis.

11 Octava S. P. N. Franciſci. duplex minus.

12 B. Seraphini de Aſculo Confeſſ. duplex minus.

13 SS. Danielis & Sociorum martyr. dup. ij. Claſ.

16 S. Eduardi Regis Conf. ſemidupl.

19 S. Petri de Alcantara Confeſ. duplex ij. Claſsis. cum Octava.

20 S. Wenceſlai mart. ſemidup. Commem. Oct.

21 SS. Urſulæ, & Sociarum virginum, & martyrum. duplex minus.

Apud Moniales duplex majus. cum Commemor. Octavæ & S. Hilarionis Abbatis.

22 B. Ladiſlai de Gielniow Conf. dupl. minus, cum Commem. Oct.

23 S. Joannis à Capiſtrano Confeſſ. duplex ij. Claſsis cum Octava.

24 De Octava S. Petri. Semiduplex.

25 De Octava S. Petri. ſemidupl. cum Commem. Octavæ S. Joannis, ac SS. Chryſanthi & Dariæ martyrum.

26 Octava S. Petri Confeſſoris. dupl. minus, cum Comm. Octavæ S. Joannis & S. Evariſti Papæ et Martyris.

27 Translatio ſancti Ivonis Confeſſoris. ſemiduplex, cum Commemor. Octavæ S. Joannis & Vigiliæ.

28 SS. Simonis & Judæ Apoſtolorum. duplex ij. Claſsis.

29 De Octava S. Joannis à Capiſtrano. ſemidupl.

30 Octava S. Joannis à Capiſtrano. duplex minus.

NOVEMBRIS.

Dominica ij. Novembris, vel ubi eſt alia aſsignata. Feſtum Patrocinii B. M. virginis. duplex majus. Commemor. Dominicæ.

10 Translatio S. Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris. duplex minus, Commemoratio SS. Triphonis, Reſpicii, & Nymphæ Martyrum.

12 S. Didaci Confeſſoris. duplex ij. Claſsis. cum Octava.

13 S. Martini Papæ & martyris. ſemiduplex, cum Commemoratione Octavæ S. Didaci.

14 Sancti Andreæ Avellini Confeſſoris. ſemiduplex, cum Commem. Octavæ.

15 S. Gertrudis virg. ſemidupl. cum Commem. Oct.

16 B. Agnetis virg. ſororis S. Claræ virg. dupl. majus, Commem. Oct.

17 B. Salomeæ virg. Clariſſæ. duplex minus, cum Commem. Octavæ.

18 Dedicatio Baſilicarum Petri & Pauli Apoſtolorum. dupl. minus, cum Commem. Octavæ.

19 S. Eliſabeth viduæ Tertii Ordinis. dupl. ij. Claſſis. cum Commem. diei Octavæ S. Didaci, ac S. Pontiani Papæ & mart. In Laudibus tantùm.

Apud Moniales Tertiæ Regulæ. duplex j. Claſsis. cum Octava. Commem. diei Octavæ, S. Didaci tantùm.

24 S. Gregorii Thaumaturgi Epiſcopi & Confeſsoris. ſemiduplex, cum Commem. S. Chryſogoni martyris.

26 B. Delphinæ virg. Tertii Ordinis. duplex majus. cum Commem. S. Petri Alexandrini Epiſcopi & martyris.

Apud Moniales Tertii Ordinis. Oct. S. Eliſabeth. duplex minus.

27 Feſtum Omnium Sanctorum Trium Ordinum. duplex ij. Claſsis.

28. S. Jacobi de Marchia Confeſſoris. duplex ſecundæ Claſ. cum Oct.

29 S. Joannis à Cruce Confeſſoris. ſemidupl. Commem. Octav. Vigiliæ & S. Saturnini.

Apud Moniales Tertii Ordinis B. Delphinæ virg. dupl. majus. cum Commem. Octav. Vigiliæ & S. Saturnini.

DECEMBRIS.

1 De Octava. ſemiduplex.

2 S. Bibianæ virginis & martyris. ſemid. cum Commemem. Octavæ.

3 S. Franciſci Xaverii Confeſſoris. duplex minus, Commem. Octavæ.



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# DE QUALITATE
# FESTORUM
## NOSTRI ORDINIS.

### Duplicia primæ Claſsis.

Immaculata Conceptio B. M. Virginis, unicæ, ac ſingularis ſub eodem Myſterio Ordinis noſtri Seraphici Patronæ.
Feſtum Natalis S. P. N. Franciſci, Trium Ordinum Fundatoris ac Titularis Primi Ordinis.
Feſtum S. Claræ Secundi Ordinis Inſtitutricis & Titularis.

### Duplicia ſecundæ Claſsis.

Feſtum Triumphi SS. Nominis Jeſu.
Feſtum S. Raphaëlis Archangeli.
Feſtum Patrocinii S. Joſeph.
Feſtum omnium SS. Trium Ordinum.
Sacrorum Stigmatum S. Franciſci.
SS. Berardi & Socior. mart.
SS. Daniëlis & Sociorum martyrum.
BB. Martyrum Japponenſium.
S. Bonaventuræ Doctoris.
S. Ludovici Epiſcopi.
S. Dominici Confeſſoris.
S. Antonii de Padua Conf.
S. Bernardini Confeſſoris.
S. Petri de Alcantara Conf.
S. Joannis à Capiſtrano Confeſſoris.
S. Jacobi à Marchia Conf.
S. Franciſci Solani Confeſſ.
S. Didaci Confeſſoris.
S. Paſchalis Confeſſoris.
S. Ludovici Regis & Conf. Pro Tertiariis duplex j. claſsis.
S. Petri Regalati Confeſſor.
S. Catharinæ de Bononia virginis.
Translatio S. Roſæ Viterbienſis virginis.
S. Eliſabeth Hungariæ viduæ. Pro Monialibus Tertiariis duplex j. claſsis.
S. Margaritæ de Cortona nec virginis nec martyris.

### Duplicia majora, quæ aliis Duplicibus minoribus præferuntur.

Feſta Conſecrationis Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum, ſeu Portiunculæ.
S. Gabriëlis Archangeli.
S. Annæ Matris B. V. Mariæ.
Feſta Patronorum minus principalium.
S. Joſeph à Leoniſſa Conf.
Beatorum Martyrum Gorcomienſium.
B. Joannis de Prado martyris.

S. Fi-

S. Fidelis à Sigmaringa martyris.
S. Benvenuti Ep. & Conf.
B. Antonii à Stronconio Confeſſoris.
S. Felicis Capuccini Conf.
S. Ivonis Confeſſoris.
S. Elzearii Confeſſoris.
S. Rochi Confeſſoris.
S. Conradi Confeſſoris.
B. Benvenuti Confeſſoris.
B. Lucii Confeſſoris.
B. Guidi Confeſſoris.
B. Andreæ de Comitibus Confeſſoris.
B. Coletæ virginis.
B. Claræ de Monte Falco virginis.
B. Hyacinthæ Mariſcottæ virginis.
B. Delphinæ virginis.
S. Eliſabeth viduæ Reginæ Portugaliæ.
B. Angelæ Fulginatis viduæ.
B. Joannæ Valeſiæ viduæ.
B. Agnetis virginis, ſororis S. Claræ.

### Duplicia minora.

Feſta Translationum & dies Octavarum SS. Ordinis noſtri, exceptis Translationibus S. Roſæ Viterbienſis & S. Ivonis.
B. Rogerii Confeſſoris.
B. Jacobi de Bitecto Conf.
B. Andreæ ab Hyſpello Confeſſoris.
B. Pacifici à Ceredano Conf.
B. Joſeph à Cupertino Conf.
BB. Joannis de Peruſio & Petri de Saxo Ferrato martyris.
B. Bernardini de Feltria Confeſſoris.
B. Simonis de Lipnica Confeſſoris.
B. Joannis de Dukla Conf.
B. Seraphini de Monte Granario Confeſſoris.
B. Benedicti à Philadelpho Confeſſoris.
B. Salvatoris ab Horta Confeſſoris.
B. Ladislai à Gielniow Confeſſoris.
B. Petri à Moliano Confeſſ.
B. Angeli à Clavaſio Confeſſoris.
B. Gabriëlis Ferretti Confeſſoris.
SS. Urſulæ & Sociarum virginum & martyrum. } Apud Moniales duplex majus.
S. Barbaræ virginis & martyris. } Apud Moniales duplex majus.
S. Margaritæ virginis & martyris. } Apud Moniales duplex majus.
S. Roſæ Viterbienſis virg.
S. Apolloniæ virginis & martyris.
B. Viridianæ virginis.
B. Humilianæ de Cherchis viduæ.
B. Michelinæ viduæ.
B. Cunegundæ virginis.
B. Luciæ virginis.
B. Salomeæ virginis.
S. Helenæ Imperatricis & viduæ.
B. Ludovicæ Albertoniæ viduæ.

### Semiduplicia.

Feſta B. Iſabellæ virgin. & Translationis S. Ivonis.

A 5 Ob-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# Observanda in persolvendo Divino Officio, & in initio, ac fine cujuslibet Horæ, seu recitationis ipsius.

SAnctus Bonaventura c. 10. Vitæ Seraphici Patris Franciſci ſtudium enarrans, quo ſanctus Parens devotioni, dum Horas Canonicas recitaret, aſsiduè incumbebat, hæc, inquit: Solitus erat Vir ſanctus Horas Canonicas non minus timoratè Deo perſolvere, quàm devotè. Nam licet oculorum, ſtomachi, ſplenis & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro, vel parieti inhærere, dum pſalleret, ſed Horas ſemper erectus, & ſine caputio, non giruvagis oculis, nec cum aliqua ſincopa perſolvebat. Si quando eſſet in itinere conſtitutus, figebat tunc temporis greſſum, hujuſmodi conſuetudinem reverentem, & ſacram, propter pluviarum inundantiam nonomittens. Dicebat enim, Si quiete comedit corpus cibum ſuum, futurum cum ipſo vermium eſca, cum quanta pace, & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ? Graviter etiam ſe putabat offendere, ſi quando orationi deditus, vanis phantaſmatibus interiùs vagaretur. Cùm aliquid tale accideret, non parcebat Confeſsioni, quin illud protinùs expiaret. Hoc ſtudium ſic in uſum converterat, ut rariſsimè muſcas hujuſmodi pateretur.

Id ipſum ſuos verbo, & opere docens, cœpit eorumdem exemplo, ac doctrina, ea attentio in Laudum Divinarum perſolutione inſtaurari, quam Concilium Lateranenſe, ſub Innocentio III. anno 1215. eodem Seraphico Patre interveniente celebratum enuntiavit relaxatam. Cujuſque reformationi conſuluit, Caput **Dolentes,** relatum ſub titulo de celebratione Miſſarum: ad hunc effectum edendo, in quo ita habetur.

Hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitùs inhibemus: diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium, Nocturnum pariter, & Diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent pariter & devotè.



Ut igitur ferventiùs ad hanc devotionem accenderentur affectus, ſequentem pro ſe, ac ſuis concinnavit Patriarcha Seraphicus inflammatoriam præparationem.

Laudes, & Oratio dicendæ pro præparatione ad recitationem cujuſvis partis Officii Divini.

SAnctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus noſter omnipotens: qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.

Et laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Dignus es Domine Deus noſter accipere laudem, & gloriam, & honorem, & benedictionem.

Et laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

Et laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu.

Et laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Laudem dicite Deo omnes ſervi ejus, & qui timetis Deum puſilli, & magni.

Et laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Laudent illum glorioſum cæli, & terra, & omnis creatura, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſubtus terram: mare, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt.

Et laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Et laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Orátio.

OMnipotens, ſanctiſsime, altiſsime, & ſumme Deus, ſummum bonum, omne bonum, totum bonum, qui ſolus es bonus, tibi reddamus omnem laudem, omnem gloriam, omnem honorem, omnem benedictionem: & omnia bona tibi referamus ſemper. Amen.

TU es Dominus Deus: Tu es Deus deorum, qui ſolus facis mirabilia.

Tu es Fortis: Tu es Magnus: Tu es Altiſsimus: Tu es Pater ſanctus, Rex cæli & terræ.

Tu es Trinus, & unus Deus: Tu es bonus, omne bonum: Summum bonum, Domine Deus, unus, & verus.

Tu es amor, & charitas: Tu es ſapientia: Tu es Humilitas: Tu es Patientia: Tu es pulchritudo.

Tu es ſecuritas: Tu es quies: Tu es gaudium: Tu es ſpes noſtra, & lætitia: Tu es juſtitia, & temperantia: Tu es fortitudo, & prudentia.

Tu es omnes divitiæ ad ſufficientiam: Tu es manſuetudo: Tu es Protector, Tu es Chriſtus, & Defenſor: Tu es Refugium noſtrum, & virtus.

Tu es Fides, Spes, & Charitas noſtra: Tu es magna dulcedo noſtra: Tu es Bonitas infinita.

Magnus, & admirabilis Dominus Deus meus omnipotens, pius, & miſericors Salvator. Amen.

Omnipotens, æterne, juſte, & miſericors Deus, da nobis miſeris, propter temetipſum ſemper facere, quod ſcimus te velle, & ſemper velle, quod tibi placet, ut interiùs mundati, & illuminati, & igne ſancti Spiritus accenſi, poſsimus ſequi veſtigia dilectiſsimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ad te Altiſsime ſola tua gratia feliciter pervenire, qui in Trinitate perfecta, & unitate ſimplici, vivis, & regnas, & gloriaris Deus omnipotens, in ſæcula ſæculorum. Amen.

## Oratio ad beatam Virginem Mariam.

Ave Domina ſancta, Regina ſanctiſsima: Dei genitrix Maria; quæ es perpetua Virgo electa á ſanctiſſimo Patre de Cælo, quam conſecravit cum ſanctiſsimo Filio, & dilecto, ac Spiritu ſancto Paraclito, in qua eſt, & fuit omnis plenitudo gratiæ, & omne bonum: Ave ejus Palatium: Ave Tabernaculum ejus: Ave Domus ejus: Ave Veſtimentum ejus: Ave Filia, & ancilla altiſsimi Regis Patris Cæleſtis: Mater ſanctiſſima Domini noſtri Jeſu Chriſti, Sponſa Spiritus ſancti: Et Te precamur, ut digneris orare pro nobis, cum ſancto Michaële Archangelo, & omnibus Virtutibus Cælorum, & omnibus Sanctis, tuum dilectiſsimum Filium Dominum noſtrum, & Magiſtrum. Qui cum eodem Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Huc uſque S.P. N. Franciſ.

## ALIA ORATIO,

### Quæ ab omnibus dici ſolet ante Officium.

Aperi, Domine, os meum, ad benedicendum nomen ſanctum tuum: munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perverſis, & alienis cogitationibus; intellectum illumina, affectum inflamma; ut dignè, & attentè ac devotè hoc Officium recitare valeam, & exaudiri merear ante conſpectum divinæ Majeſtatis tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Domine in unione illius Divinæ intentionis, qua ipſe in terris laudes Deo perſolviſti, has tibi Horas perſolvo.

## Laudes, ad terminandam recitationem cujuſvis partis Divini Officii.

Licèt enim Sanctæ mem. Leo X. plura, in favorem Fratrum Minorum ſancti Franciſci, pro vera intelligentia, & obſervantia præinſerti Capit. Dolentes concefferit, ac declaraverit quæ continentur in litteris Cardinalis Laurentii, tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum ejuſdem Pontificis ad ſimilium authenticationem deputati, in Palatio Apoſtolico, die prima Septembris 1518. expeditis, quæque, per ſequentes Privilegiorum, etiam vivæ vocis oraculo conceſſorum, approbationes, & confirmationes. Nec non per Breve felic. recordat Urbani VIII. Anni 1635. Alias incipiens, reddita ſunt firmiora, adeſt tamen alia ipſiuſmet Leonis Pontificis expreſſa conceſsio, quæ plenariam remiſsionem omnium defectuum, in qualibet Hora Divini Officii humana fragilitate commiſſorum, omnibus, & ſingulis elargitus eſt, qui in fine Orationem dixerint à ſancto Bonaventura diſpoſitam tenoris, qui ſequitur.

Sacroſanctæ, & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini noſtri Jeſu Chriſti humanitati: Beatiſsimæ, & glorioſiſsimæ ſemperque Virginis Mariæ fœcundæ integritati, & omnium Sanctorum univerſitati, ſit ſempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobiſque remiſsio omnium peccatorum, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

℟. Et beata ubera, quæ lactaverunt Chriſtum Dominum.

Pater noſter. Ave Maria.

Pro felici ſtatu Suæ Sanctitatis, & Eccleſiæ Sanctæ Dei.

COM-

# COMMEMORATIONES
## SEU SUFFRAGIA
# SANCTORUM

IN Suffrágiis commúnibus ad Laudes & Véſperas ultra Commemoratiônem ſancti Franciſci debet addi Commemorátio de Patróno Tituläri primário Eccléſiæ noſtræ. Si Eccléſia ſit dedicáta SS. Trinitáti, Salvatôri, aut S. Cruci, ſit Commemorátio illius ante Commemoratiônem B. Mariæ. Si Patrónus ſit Angelus, aut S. Joánnes Baptiſta, S. Joſeph ſit ante Commemor. SS. Petri & Pauli. Si Patrónus ſit álius Apóſtolus, ſit ante Commemoratiônem S. Franciſci: aliàs ſemper poſt Commemor. S. Franciſci.

### DE CRUCE

In feriáli tantùm Offício.

Ad Veſp. & Laudes, Aña. Per ſignum Crucis de inimícis noſtris líbera nos Deus noſter. ℣. Omnis terra adôret te, & pſallat tibi. ℟. Pſalmum dicat nómini tuo Dómine.

Orêmus. Orátio.

PErpétua nos, quæſumus Dómine, pace cuſtódi: quos per lignum ſanctæ Crucis redímere dignâtus es.

### DE SANCTA MARIA,

Quando non dícitur ejus Officium parvum.

Ad Veſp. & Laudes, Aña. Sancta Maria, ſuccúrre míſeris, juva puſillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercêde pro devóto femíneo ſexu: séntiant omnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam ſanctam Commemoratiônem. ℣. Ora pro nobis ſancta Dei génitrix. ℟. Ut digni efficiâmur promiſſiónibus Chriſti.

Orêmus. Orátio.

COncêde nos fámulos tuos, quæſumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis ſanitáte gaudêre: & glorióſa beátæ Mariæ ſemper Vírginis interceſſiône, à præſénti liberári triſtítia, & ætérna pérfrui lætítia.

### DE APOSTOLIS.

Ad Véſperas, Antiphona. Petrus Apóſtolus & Paulus Doctor Géntium, ipſi nos docuérunt legem tuam Dómine. ℣. Conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Ad Laudes, Antiphona. Glorióſi príncipes terræ, quómodò in vita ſua dilexérunt ſe, ità & in morte non ſunt ſeparáti. ℣. In omnem terram exîvit ſonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Orêmus. Orátio.

DEus, cujus déxtera beâtum Petrum ambulántem in flúctibus ne mergerêtur, eréxit, & coapóſtolum ejus Paulum tértiò naufragántem, de profúndo pélagi liberâvit: exáudi nos propítius, & concêde, ut ambôrum méritis, æternitâtis glóriam conſequámur.

### DE S. FRANCISCO.

Ad Véſperas, Antiphona. Salve ſancte Pater, Pátriæ lux, forma Minôrum, Virtûtis ſpéculum, recti via, régula morum; carnis ab exílio duc nos ad regna polórum. ℣. Ora pro nobis beâte Pater Franciſce. ℟. Ut digni efficiâmur promiſſiónibus Chriſti.

Sed quando ℣. Ora pro nobis, dictus fúerit in Commemor. B. Mariæ, tunc dícitur ℣. Signáſti Dómine ſervum tuum Franciſcum. ℟. Signis redemptiônis noſtræ.

Ad Laudes, Antiphona. Sancte Franciſce própera, veni Pater, accélera ad pópulum, qui prémitur, & téritur ſub ónere, pálea, luto, látera, & ſepulto Ægýptio ſub ſábulo, nos líbera carnis extíncto vítio.

Verſus ùt ſuprà.

Orêmus. Orátio.

DEus, qui Eccléſiam tuam beáti Franciſci méritis fœtu novæ prolis amplíficas; tribue nobis ex ejus imitatiône terréna deſpícere, & cæléſtium donôrum ſemper participatiône gaudêre.

In Véſperis ac Láudibus pro Sanctis Ordinis (ubi recitári ſolet) Antiphona. Vos Sancti Dei ínclyti, qui eſtis mente lúcidi, Franciſcum imitáti, oráte ut intrépidi hic ſimus ſemper férvidi, & póſtmodùm beáti. ℣. Ætérna fac cum Sanctis tuis Dómine. ℟. In glória numerári.

Orêmus. Orátio.

COncêde quæſumus omnípotens Deus, ut ad meliôrem vitam Sanctôrum tuôrum Ordinum noſtrôrum beáti Franciſci exémpla nos próvocent; quàtenùs quorum memóriam ágimus, étiam actus imitêmur.

De Pace ad Véſperas, & Laudes, Antiphona. Da pacem Dómine in diêbus noſtris, quia non eſt álius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter. ℣. Fiat pax in virtûte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Ad

O rê-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Orêmus. Orátio.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta conſilia, & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hoſtium ſubláta formídine, témpora ſint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus ſancti Deus, per ómnia ſǽcula ſæculórum. ℟. Amen.

Antiphona B. Patris Franciſci ad Completórium.

Cælórum candor ſplénduit, novum ſidus emícuit, ſacer Franciſcus cláruit, cui Seraph appáruit, ſignans eum charactére in volis, plantis, látere, dum formam crucis gérere vult corde, ore, ópere. ℣. Signáſti Dómine, ſervum tuum Franciſcum. ℟. Signis redemptiónis noſtræ.

Orêmus. Orátio.

DOmine Jeſu Chriſte, qui frigeſcénte mundo, ad inflammándum corda noſtra tui amóris igne, in carne beatíſsimi Patris noſtri Franciſci Paſsiónis tuæ ſacra Stigmata renováſti: concéde propítius, ut ejus méritis & précibus crucem júgiter ferámus, & dignos fructus pœniténtiæ faciámus. Qui vivis & regnas in ſǽcula ſæculórum. ℟. Amen.

Antiphona pro Sanctis Ordinis ad Completórium.

Vos Sancti Dei ínclyti, qui eſtis mente símplici Franciſcum imitáti, oráte ut hic férvidi, & in futúro lúcidi, ſimus & nos beáti. ℣. Oráte Sancti omnes de Ordine Minórum. ℟. Ut perfruámur gáudiis in aula polórum.

Orêmus. Orátio.

OMnipotens, ſempitérne Deus, qui Eccléſiam tuam váriis Sanctórum méritis ſemper illúminas, prótegis, & consérvas: concéde propítius; ut beáti Franciſci & Sanctórum ſequéntium eum interceſsióne, & hic ab ómnibus mundémur offénſis, & in futúro cælesti glória perfruámur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Pro S. António ad Completórium.

O ſidus Hiſpániæ, gemma paupertátis, Antóni, par Scythiæ, forma puritátis, tu lumen Itáliæ, Doctor veritátis, ut ſol nites Paduæ ſignis claritátis, Amen. ℣. Prædicátor egrégie ora pro nobis Antóni beatíſsime. ℟. Ut tua interventióne percipiámus gáudia vitæ.

Orêmus.

SUbvéniat plebi tuæ, quǽſumus Dómine, præclári Confeſsóris tui beáti Antónii devóta, & jugis deprecátio, quæ in præsénti nos tua grátia dignos effíciat, & in futúro gáudia donet ætérna. Per Dóminum noſtrum.

Deprecatiónes, ſeu Suffrágia pro Benefactóribus noſtris.

Pſalmi ſeu Suffrágia pro Benefactóribus noſtris dicenda poſt Completór. Fériæ ij. Fériæ iv. & Fériæ vj. quando Officium non eſt duplex. Pſalm. Deus miſereátur noſtri, &c. cum Glória Patri, &c. Pſalmus. De profúndis, &c. in fine Réquiem, &c. Pater noſter, ſecreto ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Orêmus pro benefactóribus noſtris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. Amen. ℣. Orêmus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéſcant in pace. ℟. Amen. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orátio.

OMnipotens ſempitérne Deus, qui vivórum domináris ſimul, & mortuórum, omniúmque miſeréris, quos tuos fide, & ópere futúros eſſe prænóſcis, te ſúpplices exorámus; ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quoſque vel præſens ſǽculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore ſuſcépit, intercedéntibus ómnibus ſanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia, ómnium delictórum ſuórum véniam conſequántur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

Orátio, ſive Reſponſórium Seraphici Doct. S. Bonaventuræ ad D. Antónium de Padua. Si quæris miracula, mors, error, calámitas, dæmon, lepra fúgiunt, ægri ſurgunt ſani. * Cedunt mare, víncula, membra, reſque pérditas petunt, & accípiunt júvenes, & cani. Péreunt perícula, ceſſat & neceſsitas: narrent hi qui séntiunt, dicant Paduáni. Cedunt mare. Glória Patri. Cedunt mare. ℣. Ora pro nobis beáte Antóni. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Orêmus.

ECcléſiam tuam, Deus, beáti Antónii Confeſſóris tui deprecátio votiva lætíficet: ut ſpirituálibus ſemper muniátur auxíliis, & gáudiis perfrui mereátur ætérnis. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

AN-

# ANTIPHONA ET ORATIO
## CONTRA LUEM CONTAGIOSAM.

*Ex Chrónicis* Ordinis Seráphici, *Fratrum Minórum, conſcríptis per R. P. Franciſcum Gonzaga, ejúſdem Ordinis Generálem. Par. 3. de Provincia Portugálliæ Monaſt. VIII.*

LAboránte univérſa Conimbricénſi civitáte graviſſima peſte, cœpit & hic locus (puta Monaſterium Sorórum ſanctæ Claræ, quæ Urbaniſtæ dicúntur) infici. Cúmque Abbatiſſa daret operam ad cratem, ut Soróres ſibi ſubjéctæ álió transferréntur, ut vel ſic mortem evádere poſſent, adfuit ex inſperáto mendícus, qui ab ea tantæ triſtitiæ & ſolicitúdinis cauſam ſciſcitans, atque cértior de his factus, membránulam ei porréxit, inquiens: Si curavéris ut Antiphona & Orátio hæc in chártula ſcripta ſingulis diébus decantentur, hic locus immúnis omninò à peſte erit: hiſque dictis evánuit. Exiſtimárunt Soróres hujúſmodi mendícum fuiſſe S. Bartholomæum. Quídquid tamen ſit, indúbia res eſt, Cœnóbium ex eo témpore ab omni peſtífera lue, Conimbricénſi étiam civitáte infécta, liberum fuiſſe. Antiphona.

STella cæli extirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis peſtem quam plantávit primus parens hóminum. Ipſa Stella nunc dignétur ſidera compeſcere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis úlcere. O piíſſima Stella maris, à peſte ſuccúrre nobis. Audi nos Dómina: nam Filius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jeſu, pro quibus Virgo Mater te orat. ℣. Ora pro nobis ſancta Dei génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Orémus. Orátio.

DEus miſericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui miſértus es ſuper afflictiónem pópuli tui, & dixiſti Angelo percutiénti pópulum tuum: Cóntine manum tuam: ob amórem illius Stellæ glorióſæ, cujus úbera pretióſa contra venénum noſtrórum delictórum quàm dúlciter ſuxiſti, præſta auxílium grátiæ tuæ; ut ab omni peſte & improvíſa morte ſecúrè liberémur, & à totius perditiónis incúrſu miſericórditer ſalvémur. Per te Jeſu Chriſte Rex glóriæ. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

### AD S. ROCHUM CONFESSOREM.

Antiphona.

AVe Roche ſanctiſſime,
Nóbili natus sánguine,
Crucis ſignáris ſchemáte
Siniſtro tuo látere.
Roche péregrè profectus,
Peſtiferæ mortis actus
Curaviſti mirífice
Tangendo ſalutiferè.
Vale Roche Angélice
Vocis citátus flámine,
Obtinuiſti Deífice
A cunctis peſtem péllere.

℣. Ora pro nobis beáte Roche. ℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Orémus. Orátio.

DEus, qui beáto Rocho, per Angelum tuum, tábulam eídem afferéntem promiſiſti, ut qui ipſum invocáverit à nullo peſtis cruciátu læderétur: præſta quæſumus; ut qui ejus memóriam ágimus, ipſius méritis, & précibus à mortífera peſte córporis & ánimæ liberémur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

OF-

# OFFICIA PROPRIA
# FESTORUM ORDINIS
# MINORUM.
## *PARS AUTUMNALIS.*

### DIE XXX. AUGUSTI.
In feſto Sanctæ Hélenæ Imperatricis Viduæ.

Duplex minus.

A Capitulo ómnia de Commúni non Virginum, nec Martyrum, ex. præter ſequentia.

Orátio.

DOmine Jeſu Chriſte, qui locum, ubi Crux tua latébat, beátæ Hélenæ reveláſti: ut per eam Eccléſiam tuam hoc pretióſo theſáuro ditáres; ejus nobis interceſsióne concéde, ut vitális Ligni prétio ætérnæ vitæ prǽmia conſequámur. Qui vivis & regnas.

Et fit Commem. Decollatiónis S. Joannis Baptiſtæ: Et póſteà de SS. Felice & Adaúcto martyribus, ut in Breviário.

Lectiónes primi Noctúrni, de Scriptúra occurrénte.

In ii. Nocturn. Lectio iv.

*Ex S. Ambróſio in Oratióne de óbitu Theodóſii.*

VEnit ergo Hélena, cœpit reviſere Loca ſancta: infúdit ei Spiritus, ut Lignum Crucis requireret, acceſsit ad Gólgotham, & ait: Ecce locus pugnæ: ubi eſt victória? Quæro vexillum ſalútis, & non invénio. Ego, inquit, in Regnis, & Crux Dómini in púlvere? Ego in aulis, & in ruínis Chriſti triúmphus? ille adhuc latet, & latet palma vitæ ætérnæ. Quómodò me redémptam árbitror, ſi redémptio ipſa non cérnitur? Video quid égeris, diábole, ut gládius, quo perémptus es, obſtruerétur. Sed Iſaac obſtrúctos ab alienígenis púteos eruderávit, nec latêre aquam paſſus eſt. Tollátur ígitur ruína, ut vita appáreat. Promátur gládius, quo veri Goliæ caput eſt amputátum. Aperiátur humus, ut ſalus fúlgeat. Quid egiſti, diábole, ut abſcónderes Lignum, niſi ut iterùm vincerêris?

℟. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedúcet te mirabiliter déxtera tua. ℣. Spécie

# ANTIPHONA ET ORATIO
## CONTRA LUEM CONTAGIOSAM.

*Ex Chrónicis* Ordinis Seráphici, *Fratrum Minórum, conſcríptis per R. P. Franciſcum Gonzága, ejúſdem Ordinis Generálem. Par. 3. de Provincia Portugálliæ Monaſt. VIII.*

LAboránte univérſa Conimbricénſi civitáte graviſſima peſte, cœpit & hic locus (puta Monaſtérium Sorórum ſanctæ Claræ, quæ Urbaniſtæ dicúntur) infíci. Cúmque Abbatíſſa daret operam ad curam, ut Soróres ſibi ſubjéctæ alió transferréntur, ut vel ſic mortem evádere poſſent, adfuit ex impeináto mendícus, qui ab ea tantæ triſtítiæ & ſolicitúdinis cauſam ſciſcitans, atque cértior de his factus, membránulam ei porréxit, inquiens: Si curavéris ut Antiphona & Orátio hæc in chártula ſcripta ſingulis diébus decanténtur, hic locus immúnis omninò à peſte erit: hiſque dictis evánuit. Exiſtimárunt Soróres hujúſmodi mendícum fuiſſe S. Bartholomæum. Quidquid tamen ſit, indúbia res eſt, Cœnóbium ex eo témpore ab omni peſtífera lue, Conimbricénſi etiam civitáte infécta, líberum fuiſſe. Antiphona.

STella cæli extirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis peſtem quam plantávit primus parens hóminum. Ipſa Stella nunc dignétur ſídera compeſcere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis úlcere. O piíſſima Stella maris, à peſte ſuccúrre nobis. Audi nos Dómina: nam Fílius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jeſu, pro quibus Virgo Mater te orat. ℣. Ora pro nobis ſancta Dei génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Orémus. Orátio.

DEus miſericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui miſértus es ſuper afflictiónem pópuli tui, & dixiſti Angelo percutiénti pópulum tuum: Cóntine manum tuam: ob amórem illius Stellæ glorióſæ, cujus úbera pretióſa contra venénum noſtrórum delictórum quàm dúlciter ſuxiſti, præſta auxilium grátiæ tuæ; ut ab omni peſte & improvíſa morte ſecúrè liberémur, & à totius perditiónis incúrſu miſericórditer ſalvémur. Per te Jeſu Chriſte Rex glóriæ. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

### AD S. ROCHUM CONFESSOREM.

Antiphona.

AVe Roche ſanctíſſime,
Nóbili natus ſánguine,
Crucis ſignáris ſchemáte
Siniſtro tuo látere.
Roche péregrè proféctus,
Peſtíferæ mortis actus
Curaviſti miríficè
Tangendo ſalutíferè.
Vale Roche Angélice
Vocis citátus flámine,
Obtinuiſti Deíficè
A cunctis peſtem péllere.

℣. Ora pro nobis beáte Roche.
℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Orémus. Orátio.

DEus, qui beáto Rocho, per Angelum tuum, tábulam eidem afferéntem promiſiſti; ut qui ipſum invocáverit à nullo peſtis cruciátu læderétur: præſta quæſumus; ut qui ejus memóriam ágimus, ipſius méritis, & précibus à mortífera peſte córporis & ánimæ liberémur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

OF-

# OFFICIA PROPRIA
# FESTORUM ORDINIS
# MINORUM.
## *PARS AUTUMNALIS.*

### DIE XXX. AUGUSTI.

In feſto Sanctæ Hélenæ Imperatrícis Víduæ.

Duplex minus.

A Capítulo ómnia de Commúni non Vírginum, nec Mártyrum, ex. præter ſequentia.

Orátio.

DOmine Jeſu Chriſte, qui locum, ubi Crux tua latébat, beátæ Hélenæ reveláſti: ut per eam Eccléſiam tuam hoc pretióſo theſáuro ditáres; ejus nobis interceſſióne concéde, ut vitális Ligni prétio ætérnæ vitæ prǽmia conſequámur. Qui vivis & regnas.

Et fit Commem. Decollatiónis S. Joánnis Baptiſtæ: Et póſteà de SS. Felíce & Adaúcto martyribus, ut in Breviário.

Lectiónes primi Noctúrni, de Scriptúra occurrénte.

In ii. Nocturn. Lectio iv.

*Ex S. Ambróſio in Oratióne de óbitu Theodóſii.*

VEnit ergo Hélena, cœpit reviſere Loca ſancta: infúdit ei Spíritus, ut Lignum Crucis requíreret, acceſſit ad Gólgotham, & ait: Ecce locus pugnæ: ubi eſt victória? Quæro vexíllum ſalútis, & non invénio. Ego, inquit, in Regnis, & Crux Dómini in púlvere? Ego in aulis, & in ruínis Chriſti triúmphus? ille adhuc latet, & latet palma vitæ ætérnæ. Quómodò me redémptam árbitror, ſi redémptio ipſa non cérnitur? Video quid égeris, diábole, ut gládius, quo perémptus es, obſtruerétur. Sed Iſaac obſtrúctos ab alienígenis púteos eruderávit, nec latére aquam paſſus eſt. Tollátur ígitur ruína, ut vita appáreat. Promátur gládius, quo veri Góliæ caput eſt amputátum. Aperiátur humus, ut ſalus fúlgeat. Quid egiſti, diábole, ut abſcónderes Lignum, niſi ut iterùm vincerêris?

℟. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie

cie tua, & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Léctio v.

Vicit te Maria, quæ génuit triumphatórem, quæ ſine imminutióne Virginitátis édidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mórtuus ſubjugáret. Vinceris, & hódie, ut mulier tuas inſidias deprehéndat. Illa quaſi Sancta Dóminum geſtávit, ego Crucem ejus inveſtigábo. Illa generátum décuit, ego reſuſcitátum. Illa fecit, ut Deus inter hómines viderétur, ego ad remédium peccatórum Divinum de ruinis elevábo vexillum. Aperit itaque humum, décutit púlverem, tria patíbula confúsa réperit, quæ ruina contéxerat, inimicus abſcónderat. Sed non pótuit obliterári Chriſti triúmphus. Incértò hæret, ut mulier, ſed certam indáginem ſanctus Spiritus inſpirat.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ. ℣. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtitiam. Proptéreà.

Léctio vj.

Quæſivit clavos, quibus crucifixus eſt Dóminus, & invênit. De uno clavo frænos fieri præcêpit, de áltero Diadêma intéxuit: unum ad decôrem, álterum ad devotiônem vertit: Viſitáta eſt María, ut Evam liberáret: viſitáta eſt Hélena, ut Imperatóres redimeréntur. Miſit itaque fílio ſuo Conſtantino Diadêma gemmis inſignítum, quas pretióſior ferro innéxas Cruci Redemptiônis Divinæ gemma connécteret. Miſit & frænum, utróque uſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad pósteros Reges. Principium itaque credéntium Imperatórum ſanctum eſt, quód ſuper frænum, ex illo fides, ut perſecútio ceſsáret, devótio ſuccéderet. Sapiénter Heléna egit quæ Crucem in cápite Regum levávit, & locâvit, ut Crux Chriſti in Régibus adorêtur. Non inſoléntia iſta, ſed píetas eſt, cùm defértur ſacræ Redemptióni. Bonus itaque Clavus Romani Imperatóris, qui totum regit orbem, ac veſtit Principum frontem, ut ſint prædicatóres, qui perſecutóres eſſe conſuevérunt.

℟. Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipſa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum ſuárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tértio Noctúrno Homilia S. Gregórii Papæ in Evangélium. Simile eſt regnum cælórum theſáuro, de eódem Commúni. cxvj.

Nona Lectio de ſanctis Felice & Adáucto martyribus, & de eis fit Commemorátio in Láudibus, ut in Breviário.

Veſperæ à Capitulo de ſequenti, Commemorátio præcedéntis.

## FESTA SEPTEMBRIS.

### DIE I. SEPTEMBRIS.

In feſto B. Iſabéllæ virginis, Sorôris S. Ludovici Regis Francórum ij. Ordinis.

Semiduplex.

Omnia de Commúni Virginum j. loco. xc. Pro Commemorat. Antiphona. Veni ſponſa. ℣. Spécie tua. Orátio. Exáudi.

Deindè fit Commemorátio S. Ægidii, & Sanctórum duódecim Fratrum mártyrum.

Lectiónes primi Noctúrni, de Scriptûra occurrénte, ij. & iij. Noctúrni de eódem Commúni primo loco.

Lectio ix. & Commemorátio S. Ægidii, & Sanctórum duódecim Fratrum mártyrum uti & in Láudibus.

In ſecúndis Véſperis à Capítulo de ſequenti.

### DIE III. SEPTEMBRIS.

In feſto BB. Joánnis de Peruſio Sacerdótis, & Petri de SaxoFerráto Láici mart.

Duplex minus.



Omnia de Commúni plurimórum Mártyrum, xxxvij. præter illa, quæ ſequúntur.

Orátio. Deus, qui nos concêdis.

Lectiónes primi Noctúrni de Scriptûra occurente.

Secúndi, & tértii Noctúrni de Commúni Mártyrum j. loco.

℟. viij. Hæc eſt vera.

Veſperæ de ſequénti, Commemorátio præcedéntis.

In Ditióne Regis Hiſpaniárum hodiè fit de S. Roſa Limâna, in cujus ij. Veſperis Antiphona erit Simile eſt regnum, & Feſtum BB. Joánnis & Petri mártyris transfértur ad 6. hujus, & tunc fit Commem. Octávæ.

### DIE IV. SEPTEMBRIS.

In feſto Tranſlatiónis S. Roſæ virginis Viterbiénſis ij. Ordinis, Duplex ij Claſsis, cum Octáva.

Omnia dicúntur ùt in Commúni Virginum, xc. præter ea, quæ hic habéntur própria.

℣. Ora pro nobis beáta Roſa. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Orátio.

Deus, qui beátam Roſam ſanctárum tuárum Virginum collégio aggregáre dignátus es: tribue nobis, quæſumus, ut ejus précibus & méritis à culpis ómnibus expiêmur, & tuæ Majeſ-

jeſtâtis consórtio perfruâmur ætérno. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Ad Matutinum, in primo Noctúrno Lectiónes de Epiſtola B. Pauli Apóſtoli ad Corinthios. De virgínibus, ùt in Comm. Virginum, xcvj.

In ſecúndo Noctúrno.

Lectio iv.

ROſa Vitérbii piis paréntibus nata, ab ipſa infántia omni virtûte enituit, facta perfectiónis magiſtra, cùm vix loqui didiciſſet. Mundi exóſa vanitátes, rudi amictu, pedum nuditâte, cilicio, jejúniis, aliiſque auſteritátibus corpúſculum affligens, divinæ contemplatióni júgiter vacâbat. Hanc verò eximiam ſanctitâtem insigni miráculo Deus teſtâtam vóluit: nam adhuc puélla avúnculam defúnctam ad vitam revocâvit. Ad virginitâtem, quam perpétuò cóluit, ſolo aſpéctu intuéntium ánimos excitâbat. Charitâtis erga páuperes ſtudiosiſsima, cùm aliquándo hibérno témpore ſubtráctum ſibi panem clàm illis deférret, patre imperánte, ut próderet quid grémio abſcónditum ferret, panis in roſas convérſus eſt.

℟. Propter veritâtem, & manſuetudinem, & juſtitiam. * Et dedûcet te mirabiliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & púlchritúdine tua inténde, próſperè procêde, & regna. Et dedûcet.

Lectio v.

CUm séptimum expléſſet annum, ſolitúdinis deſidério flagrans, domus ſuæ angúſtam céllulam elêgit, cui ſe tamquam voluntário cárceri inclûſit, & oratióni, corporiſque caſtigatióni ardénter incúmbens, Dei cleméntiam deprecabâtur pro ſanctæ Eccléſiæ tranquilitâte, quam Frederici Secúndi Imperatôris impietas acérrimè divexâbat. Ex diútina autem maceratióne in morbum lethâlem incidit; in quo beátæ Vírginis viſitatióne recreâta, hábitum Tértii Ordinis ſancti Franciſci indúere juſſa eſt. Decénnis, à Deo inſpirâta, piis adhortatiónibus, validiſque arguméntis multos hæréticos ad fidem, & obediéntiam Románi Pontificis redúxit. Qua de cauſa cum tota cognatióne ſua in exilium ejécta, ad vicina óppida venit, ubi Frederici mortem, & Eccléſiæ pacem prophético ſpíritu prædixit. Mulierem cæcam à nativitâte illuminávit: & ad fidei veritâtem aſtruéndam ſuccénſum rogum ingréſſa, ac tribus horis in eo illæſa pérmanens, cujúſdam hæréticæ mulieris pervicáciam vicit, eámque cum áliis ad fidem convértit.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitâtem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritâtem, & manſuetúdinem, & juſtitiam. Proptéreâ.



Lectio vj.

TAndem Vitérbium ſumma civium gratulatióne revérſa, in consórtium Sanctimoniálium ſanctæ Maríæ de Roſis admitti pétiit: ſed illis ingréſſum ob puéllæ inópiam denegántibus, ſe mórtuam in eo Cœnóbio commoratûram prædixit. Mox ad priſtinum domus ſuæ cárcerem regréſſa, cùm in ea duóbus annis permanſiſſet, morbo corrépta, & ad beátam pátriam ſuſpirans, méritis plena, migrâvit ad ſponſum, décimo octávo ſuæ vitæ anno nondùm exácto. Corpus ejus miro ſplendóre illuſtrâtum, ſuavique odóre perfûſum, in templo ſanctæ Mariæ de Pódio effóſſa humo, ac déſuper ingéſta, tumulâtum fuit: donec poſt triginta circiter menſes ab Alexándro Quarto, tunc Vitérbii ſedénte, & in ſomnis ter ab ea admónito, refóſſum, & incorrúptum repértum, prídie Nonas Septémbris ad præfâtum Monaſtérium; quod póſteà ſanctæ Rosæ nuncupâtum eſt, ſolémniter tranſlâtum fuit, ubi uſque ad hodiérnum diem integrum, & flexíbile ſumma totîus orbis admiratióne aſſervâtur, & novis ſemper miráculis coruſcat.

℟. Afferéntur Regi vírgines poſt eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde próſperè procêde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tértio Noctúrno Homilía S. Gregórii Papæ in Evangelium. Símile erit regnum cælórum decem, ùt in Commúni. ciij.

In ij. Véſperis fit Commemorátio ſequent.

Antiph. Símile eſt regnum.

## DIE V. SEPTEMBRIS.

Secúnda die infrà Octâvam ſanctæ Roſæ

Fit de S Roſa Limâna Virg. Duplex minus.

Omnia ut in Breviario Româno ſub die xxx. Auguſti, cum Commemoratióne Octávæ S. Roſæ Virgin. Viterbienſis in Laudibus, Antiph. Veni ſponſa.

In ſecúndis Véſperis fit Commemoratio S. Laurentii Juſtiniâni, & Octavæ S. Roſæ, Antiphona. Símile eſt regnum.

In Ditióne Regis Hiſpaniarum fit hodiè de S. Rosália virgine.

In Laudibus fit Commemoratio Octávæ S. Roſæ. Antiphona. Veni ſponſa.

DIE

## DIE VI. SEPTEMBRIS.

Tértia die infrà Octávam ſanctæ Roſæ.

Fit de S. Laurentio Juſtiniáno Epiſc. & Confeſsóre. Semiduplex.

Omnia ut in fine Breviárii Románi inter feſta ad libitum.

In Láudibus fit Commemorátio Octávæ Sanctæ Roſæ.

In ſecúndis Véſperis fit à Capítulo de S. Roſa, cum Commemoratióne præcedéntis.

In Ditióne Regis Hiſpaniárum fit hódie de SS. Joanne, & Petro martyribus, duplex, ómnia ut in 3. hujus.

In Láudibus fit Commemorátio Octávæ Sanctæ Roſæ.

In ſecúndis Véſperis fit Commemorátio ſequentis, & ſanctæ Roſæ.

## DIE VII. SEPTEMBRIS.

Quarta die infrà Octávam ſanctæ Roſæ.

In Ditióne Regis Hiſpaniárum fit hódie de ſancto Lauréntio Juſtiniáno, ut 6. hujus, cum Commemoratióne Octávæ S. Roſæ in Láudibus.

Véſperæ de ſequénti, ſine ulla Commemoratióne.

In primo Noctúrno, Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In ſecúndo Noctúrno.

Sermo ſancti Máximi Epiſcopi.

*In Natáli ſanctæ Agnétis.*

Lectio iv.

CUm in toto mundo virgíneus flos Mariæ immarceſsíbiles corónas innéctat, & ſceptrigeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu, eoúſque intégritas perſeverávit ad palmam, ut in puéllis trophæum ſanctuátis accíperet, & per veſtigia matris vírginis ad cæléſtem thálamum perveníret. O quàm mirábile virgínibus, virgo Roſa, tui amóris tradidiſti exémplum! ó quàm ſanctum pectóribus dandum virgíneis tribuiſti reſpónſum, contemnéndo mundi divítias, execrándo carnis concupiſcéntias, & ſolam Chriſti pulchritúdinem amándo! Accédite ad puéllam puéllæ, & diſcite, quales in péctore ſuo circa amórem Chriſti flammas accéndit. Diſcite vírgines Chriſti amórem in ea ferventem, & omnes mundi divítias velut ſtércora recuſántem.

℟. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

IDeò enim ſanctórum per litteras tradúntur exémpla, ut unuſquiſque pro qualitáte ſexus, modum ſui propóſiti téneat; & ſicut per vírginem vírgines, ità per cónjugem cónjuges víncere ſæculum pro Chriſti amóre ſtúdeant; ac repugnatióne ánimi, mundi dulcia recuſántes, & ejus non recuſántes auſtéra, ad delectatiónes perpétuas, & ad gáudia ætérna pertíngant. Hæc dicéntes, non vituperâmus cónjugum caſta commércia, ſed vírginum perſeverántiam adornâmus. Non enim virgínitas malis rebus ſuperponénda eſt, ſed rebus óptimis præferénda. Quæ enim mundis múndior, & ſanctis eſt ſánctior, non índiget malárum rerum vituperatióne laudári.

℟. Dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam. Proptéreà.

Lectio vi.

VEni jam virgo ad thálamum quem quæſiſti, ut ſponſam te virgínitas immaculáta cómprobet Chriſti. Felix catérva vírginum, quibus ſtúdium eſt tuæ ſequi confeſsiónis veſtígia. Habébunt enim tecum corónam in cælo, quæ tecum ſuperavérunt inimícum in mundo. Nam ſicut tibi veſtígia Mariæ proſequénti participátio ætérnæ remuneratiónis appáruit; ità eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque ô ſpléndida Chriſto Dei Fílio, & ómnibus Angelis atque Archángelis grata, ut noſtri meminiſſe dignéris, quibus póſſumus précibus exorâmus: ut nobis ille tríbuat indulgéntiam, qui tibi tuórum ómnium labórum trádidit palmam.

℟. Afferéntur regi vírgines poſt eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tértio Noctúrno Lectiónes de Homilia S. Joánnis Chryſoſtomi in Evangelium. Quam ob cauſam, &c. quæ habétur in feſto ſanctæ Cæcíliæ vírginis & mártyris die xxij. Novembris.

Véſperæ de ſequénti ſine Commemoratióne.

## DIE VIII. SEPTEMBRIS.

Quinta die infrà Octávam ſanctæ Roſæ.

Fit de Nativitáte beátæ Maríæ vírginis ſine ulla Commemoratióne S. Roſæ.

In ij. Véſperis fit Commem. ſequéntis & S. Gorgónii mártyris tantùm.

## DIE IX. SEPTEMBRIS.

Sexta die infra Octavam ſanctæ Roſæ.

In feſto B. Seraphinæ Sfórtiæ Viduæ.

Semiduplex.

Omnia de Commûni nec Virginis nec Martyris, cx. præter ſequentia.

### Oratio.

DEus, qui per beâtam Seraphinam eximium nobis patiéntiæ exémplum tribuiſti: præſta ſupplícibus tuis, ut & ipſius inſtruâmur exémplis, & ab ómnibus ejus patrocínio liberêmur advérſis. Per Dóminum.

Lectiônes primi Nocturni de Scriptûra occurrénte.

In ſecúndo Nocturno.

### Lectio iv.

SEraphina patre Guidône António Urbinâte, ac Feretrâno Cómite, matre Catharina Colúmna ſummo génere Urbini nata, ab ineúnte ætâte non obſcûra futúræ ſanctitâtis arguménta dedit. Puella amiſsis paréntibus in Columnénſium domo piè, ac liberâliter educâta palam demonſtrâvit in ipſo étiam famíliæ ſplendôre sólida excelléntis virtûtis jaci poſſe fundaménta. Inânis enim glóriæ, & fluxârum rerum contémptu, ſuavitâte morum, illúſtri continéntia, ſtúdio ſolitúdinis, & aſsiduitâte orándi, áliis exémplo, & admiratiôni fuit. Hortátu póſtmodùm illôrum, in quorum ſe fidem, curámque contúlerat, nupta Alexándro, Sfórtiæ Piſauri Dynáſte, magnôque Regni Siciliæ Comeſtábili, matrisfamílias munus, dignitatémque egrégiè ſuſtinuit; ſubjectámque ſibi regiônem illam, absénte viro, ſic aliquámdiu rexit, ut illîus quique providéntiam, æquitâtem, juſtítiam celebrârent, innocéntiam morum, integritatémque ſuſpícerent.

℟. Propter veritâtem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedûcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próſperè procêde, & regna. Et dedûcet.

### Lectio v.

ET ſi tot ánimi dótibus clara, in mariti tamen offenſiônem incúrrit: gravibúſque impetíta injúriis patientíſsimè tolerâtis, viro tandem annuénte, in Piſauréńſe Franciſcanârum Vírginum Córporis Chriſti Monaſtérium ſe cóntulit, ubi quam inierat, caſtigatíſsimæ vitæ inſtitutiônem ita eſt perſecûta, ut pia, & doméſtica illîus conſuetúdine ſorôres ad pietâtis ſtúdium incenderéntur. Ex mariti voluntâte per ſolémnia vota ſuam Deo obſtrinxit fidem, ac in ſancto propóſito immôta omne cóluit virtûtum genus. Inſtitûti régulas, étiam quæ mínimæ habebántur ſervâvit; advérſa quæque conſtánter, patientérque ſuſtinuit, preces ad Deum continénter fudit, Divinis ſemper ádfuit Officiis, paupertátem cóluit, abjécta quæque múnera obivit: ſibi dénique numquam pepércit, ac ſi ſummo in ſe ipſam ódio arderet.



℟. Dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitâtem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritâtem, & manſuetúdinem, & juſtítiam. Proptéreà.

### Lectio vj.

OMnium ſorôrum ſuffrágiis in Abbatiſſam elécta dici vix poteſt, qua prudéntia, charitâte, æquabilitâte, quo ardôre cuſtodiéndæ diſciplínæ, quo demùm ómnium plauſu dignitâtem tenúerit, ſibique créditi regíminis partes cumulâtè impléverit. Cum annis duodeviginti ita in ſacro Cœnóbio vixiſſet, ut nihil ei ad conſummâtam virtûtem deéſſe viderêtur, extrémo morbo corrépta, & Sacraméntis Eccléſiæ munita ſexto Idus Septémbris anno milléſimo quadringentéſimo ſeptuageſimo octávo migrâvit ad cælum; idque divíni diſpoſitiône consilii quodámmodò contigiſſe viſum eſt, ut, quæ in beátæ Virginis Mariæ clientêlam totam ſe déderat, ejúſdem Deiparæ natáli die, edúcta è córporis angúſtiis, cælo auſpicatiſsimè orirêtur. Corpus ipſum, quod tríduo expléndæ pietâtis concurréntium civium cauſa, inſepúltum mánſerat, ſinguiári veneratiône Piſauri cólitur. Quem quidem cultum jam uſque ab immemorábili témpore ad ætâtem noſtram prodúctum Benedíctus Décimus Quartus Póntifex Máximus ritè probâvit.

℟. Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipſa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum ſuârum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In iij. Noct. Homilia S. Gregórii Papæ in Ev. Símile eſt regnum cælôrum theſáuro, de Commûni nec virginis nec mártyris. cxvj.

Nona Lectio S. Gorgónii Márt. cum commemor. Oct. Nativit. B. M. & S. Roſæ ac S. Gorgónii Márt. In Laud.

Véſperæ de ſequénti, Commemorátio præcedéntis, Octavæ Nativitátis beátæ Mariæ, & S. Roſæ.

## DIE X. SEPTEMBRIS.

Séptima die infra Octávam ſanctæ Roſæ.

Fit de ſancto Nicolâo

Tolentináte Confeſſore, cum Commemoratióne Nativitátis B. Vírginis, & S. Roſæ.

Véſperæ à Capítulo de ſequénti, Comm. præcedéntis, Nativ. B. V. & SS. Prothi & Hyacinthi mart.

## DIE XI. SEPTEMBRIS.

Octáva S. Roſæ.

Duplex.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In ſecúndo Noctúrno.

De Epíſtola S. Hierónymi Presbýteri ad Euſtóchium.

*De cuſtódia Virginitátis, Tom. 1. circa médium.*

Lectio iv.

DE virgínibus, inquit Apóſtolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia & ipſe ut eſſet virgo, non fuit impérii, ſed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi ſunt: qui eum uxórem habuiſſe confingunt, cùm de continéntia diſſerens, & ſuadens perpétuam caſtitátem, intúlerit: Volo autem omnes eſſe ſicut meipſum: & infrà: Dico autem innúptis & víduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permáneant, ſicut & ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? quia majóris eſt mercédis, quod non cógitur, ſed offértur: quia ſi fuiſſet virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ: & duríſſimum erat contra natúram cógere, Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

ALia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus, qui habet ſemen in Sion, & doméſticos in Jeruſalem, &, Maledícta ſtérilis quæ non pariébat, &, Filii tui ſicut novéllæ olivárum in circúitu menſæ tuæ. Vácuus erat orbis, & ut de týpicis táceam, ſola erat benedíctio liberórum. Proptéreà & Abraham jam ſenex Cethúræ copulátur, & Jacob mandrágoris redímitur, & conclúſam vulvam in Eccléſiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim verò increſcénte ſégete, meſſor immíſſus eſt. Virgo Elías, Eliſéus virgo, vírgines multi fílii Prophetárum. Jeremíæ dícitur, Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idipſum Apóſtolus lóquitur: Exiſtimo hoc bonum eſſe propter inſtántem neceſſitátem. Quæ eſt iſta necéſſitas, quæ auſert gáudia nuptiárum? Tempus breviátum eſt, in próximo eſt Nabuchodónoſor.

℟. Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam. Proptéreà.

*Paulò poſt.*

Lectio vj.

INveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantùm hoc continéntiæ bonum, & in dolóribus júgiter Heva parturiébat. Poſtquam verò virgo concépit in útero, & péperit nobis púerum, cujus principátus in húmeros ejus, Deum fortem, patrem futúri ſǽculi, ſolúta maledíctio eſt. Mors per Hevam, vita per Maríam. Ideóque & ditiùs virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit à fémina. Statim ùt Fílius Dei ingréſſus eſt ſuper terram, novam ſibi famíliam inſtítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in cælo, habéret Angelos & in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, ſuo combúſtus eſt igni: tunc primùm audítum eſt: Quæ non eſt nupta, cógitat quæ ſunt Dómini, ùt ſit ſancta córpore & ſpíritu.

℟. Afferéntur regi vírgines poſt eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tértio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 25.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus; quæ accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbviàm ſponſo & ſponſæ. Et réliqua.

Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

*Serm. 23. de Verbis Dómini, cap. 8.*

INtendat itaque cháritas veſtra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de conſciéntiæ ſecuritáte, de interióre glória, de intima charitáte. Ardébat tamen & illárum ſatuárum. Quare tunc ardébant? quia non déerant laudes hóminum. Póſteà verò quàm ſurrexérunt, id eſt, in reſurrectióne à mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades ſuas, id eſt, paráre Deo óperum ſuórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo eſt qui laudet, omnis homo cauſæ ſuæ vacat: non erant

qui óleum vénderent, cœpérunt d. ficere lámpades.

℟. Hæc eſt virgo ſápiens, quam Dóminus vigilántem invênit, quæ accéptis lampádibus ſumpſit ſecum óleum, * Et veniénte Dómino introívit cum eo ad núptias.

℣. Média nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite óbviam ei. Et veniénte.

*Circa finem, cap. 10.*

Léctio viij.

CLauſum eſt óſtium. Et quid illis dictum eſt? Non novi vos. Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo eſt, Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnóſco: ars mea neſcit vitia. Hoc eſt autem magnum, & neſcit vitia, & júdicat vitia: neſcit faciéndo, & júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad iſtam prudéntiam quinárii númeri pertinéntes. Véniet enim hora, & quando neſcimus, véniet. Sic clauſit Evangélium: Vigiláte, quia neſcitis diem, neque horam.

℟. Média nocte clamor factus eſt: * Ecce ſponſus venit, exite óbviam ei.

℣. Prudéntes vírgines aptáte veſtras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Nona Léctio de SS. martyrib. Protho & Hyacintho.

In Láudibus fit Commemor. Nativitátis B. Mariæ virginis, & SS. Mártyrum.

In Véſperis Commemorátio Nativitátis B. Mariæ virginis.

## DIE XVII. SEPTEMBRIS.

In feſto Impreſſiónis ſacrórum Stigmatum in córpore B. P. N. Franciſci.

Duplex ij. Claſſis.

Ad Véſperas, Antiphona.

Crucis vox, cum reliquis de Láudibus. 18. Pſalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Domínica, 133. & loco ultimi, Pſalm. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capítulum. *Gal. 6. d*

FRatres, Mihi autem abſit gloriári, niſi in cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

Hymnus.

CRucis Chriſti mons Alvérnæ
Recénſet myſtéria,
Ubi ſalútis ætérnæ
Dantur privilégia:
Dum Franciſcus dat lucérnæ
Crucis ſua ſtúdia.

Hoc in monte vir devótus
Specu ſolitária
Pauper, à mundo ſemótus
Condenſat jejúnia:
Vigil, nudus, ardens totus
Crebra dat ſuſpiria.

Solus ergo clauſus orans
Mente ſursùm ágitur,
Super geſtis crucis plorans
Mœróre conficitur:
Cruciſque fructum implórans
Animo reſólvitur.

Ad quem venit Rex è cælo
Amictu Seráphico,
Sex alárum tectus velo,
Aſpectu pacífico:
Affixúſque crucis telo,
Porténto mirífico.

Cernit ſervus Redemptórem,
Paſſum impaſsíbilem,
Sæclórum Imperatórem
Tam pium, tam húmilem,
Verbórum audit tenórem
Viro non effábilem.

Vertex montis inflammátur
Vicinis cernéntibus,
Cor Franciſci transformátur
Amóris ardóribus:
Corpus verò mox ornátur
Mirandis Stigmátibus.

Collaudétur Crucifixus,
Tollens mundi ſcélera,
Quem laudat concrucifixus,
Crucis ferens vúlnera,
Franciſcus prorsùs innixus
Super mundi fœdera,
Amen.

℣. Signaſti, Dómine, ſervum tuum Franciſcum.
℟. Signis redemptiónis noſtræ.

Ad Magníficat, Antiphona.

Cælórum candor ſplénduit, novum ſidus emicuit: ſacer Franciſcus cláruit, cui Seraph appáruit, ſignans eum charáctere, in volis, plantis, látere: dum formam Crucis gérere vult corde, ore, ópere.

Orátio.

DOmine Jeſu Chriſte, qui frigeſcénte mundo, ad inflammándum corda noſtra tui amóris igne, in carne beatíſsimi Patris noſtri Franciſci Paſsiónis tuæ ſacra Stigmata renováſti: concéde propítius; ut ejus méritis & précibus crucem júgiter ferámus, & dignos fructus pœniténtiæ faciámus. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Ad Matutinum, Invitatór.

Regi, quæ fecit ópera, Chriſto confiteántur: * Cujus in ſancto vúlnera Franciſco renovántur. Pſalmus, Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

CRucis arma fulgéntia
Vidit Franciſcus dórmiens
Chriſtum dicéntem áudiens,
Tua erunt hæc ómnia.

Crucis vis & reſúgium
Hæc Crucis arma præbuit,
Quibus Franciſcum induit
Advérsùs adverſárium.

Crucis ſacráta léctio
Ter Franciſco ſe præbuit,
Dum ter librum apéruit,
Pro virtútis indício.

Crucis Chriſti devótio
Franciſci traxit ſtúdia,
Cunctáque cordis gáudia
Cum omni deſidério.

Crucis ut ad ſupplícia



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Chriſtum Franciſcus póſi-
tum,
Videt, & audit mónitum:
Hæc ſéquere veſtigia.
Crucis hærens veſtigiis,
Crucis fructum conſéquitur:
Quo corde carne púngitur,
Et ſignátur indiciis.
Crucis virtus & grátia
Nos conſignet in fróntibus,
In membris, & in ſénſibus,
Pro perénni cuſtódia.
Amen.

In primo Noctúrno, Aña. Hic vir in vanitátibus nutritus indecénter, divinis chariſmátibus prævéntus eſt cleménter. Pſalmus. Beátus vir, qui non ábiit, cum reliquis de Commúni Confeſſoris non Pontif. lxxiij. Antiphona. Excélſi déxteræ grátia mirificè mutátus, dat lapſis ſpem de vénia cum Chriſto jam beátus. Pſalmus. Quare fremuérunt. Aña. Manſuéſcit, ſed non pénitùs in primis per languóres, qui captis armis cǽlitùs ad plenum mutat mores. Pſalmus. Dómine quid multiplicáti. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum. Pater noſter. Abſolútio. Exáudi. ℣. Jube domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

Lectiónes primi Noctúrni de Epiſtola ad Gálatas. Si ſpíritu vívimus, ut infrà in die Natáli iv. Octob. 31.

Quando verò ex conceſſióne Pauli Papæ V. ſemel in menſe prima die non impedíta Officio novem Lectiónum (extra Adventum & Quadragéſimam) celebrátur Officium ſacrórum Stigmatum ritu Semidúplici, Lectiónes primi Noctúrni erunt de Scriptúra occurrénte.

℟. j. Franciſcus ùt in públicum ceſſat negotiári, in agrum mox Domínicum ſecédit meditári: * Invéntum Evangélicum theſáurum vult mercári. ℣. Deum, quid agat únicum conſúltans: audit cǽlicum inſigne ſibi dari. Invéntum. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

℟. ij. In Dei fervens ópere ſtatim ùt ſua véndidit; paupéribus impéndere pecúniam inténdit. * Quæ gravi ſuo póndere cor líberum offéndit. ℣. Quam formidánte páupere presbýtero recípere, abjéctam vilipéndit. Quæ gravi. Benedíctio. Spíritus ſancti grátia.

℟. iij. Dum pater hunc perſéquitur, latens dat locum iræ, conſtánter poſt aggréditur in públicum prodíre. * Squalénti vultu cérnitur, putátur inſaníre. ℣. Luto, ſaxis impétitur: ſed pátiens vir nititur ùt ſurdus pertransíre. Squalénti. Glória Patri. Squalénti.



In ſecúndo Noctúrno, Aña. Pertráctum domi vérberat plus cunctis furens pater: objúrgans, vincit, cárcerat, quem furtim ſolvit mater. Pſalmus. Cùm invocárem. Antiphona. Jam liber patris fúriæ non cædit effrænáti, clamans ſe voluntáriè pro Chriſto mala pati. Pſalmus. Verba mea. Antiphona. Ductus ad loci Prǽſulem, ſua patri reſignat: nudúſque manens, éxulem in mundo ſe deſignat. Pſalmus. Dómine Dóminus noſter. ℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium. Pater noſter. Abſolútio. Ipſius píetas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

*D. Bonaventúra in Legénda ſancti Franciſci, cap. 13. de ſacris Stigmátibus.*

Lectio iv.

Fidélis revéra fámulus, & miniſter Chriſti Franciſcus, biénnio ántequam ſpíritum rédderet cælo, cùm in loco excélſo ſeórsùm, qui mons Alvérniæ dícitur, quadragenárium ad honórem Archángeli Michaélis jejúnium inchoáſſet, ſupérnæ contemplatiónis dulcédine abundántiùs sólito ſuperfúſus, ac cæléſtium deſideriórum ardentióri flamma ſuccénſus, ſupernárum cœpit immiſſiónum cumulátiùs dona ſentíre. Dum igitur Seráphicis deſideriórum ardóribus ſursùm agerêtur in Deum, & affectus compaſſiva teneritúdine in eum transformarêtur, cui ex charitáte nímia crucifígi complácuit: quodam mane, circa feſtum Exaltatiónis ſanctæ Crucis, in látere montis orans, vidit quaſi ſpéciem uníus Séraphim, ſex alas tam fúlgidas, quàm ígnitas habéntem, de cælórum ſublimitáte deſcéndere: qui volátu celérrimo ad áëris locum viro Dei propínquum pervéniens, non ſolùm alátus, ſed & crucifíxus appáruit: manus quidem & pedes habens exténſos, & cruci affixos, alas verò ſic miro modo hinc indè diſpóſitas, ut duas ſupra caput erígeret, duas ad volándum exténderet; duábus verò réliquis totum corpus circumplecténdo velâret. Hoc videns, vehementer obſtúpuit: mixtúmque dolóri gáudium mens ejus incúrrit, dum & in gratióſo ejus aſpectu ſibi tam mirabíliter quàm familiáriter apparéntis exceſſivam quamdam concipiêbat lætítiam, & dira conſpécta Crucis affixio ipſius ánimam compaſſivi dolóris gládio pertransívit.

℟. Dum ſeminúdo córpore



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

laudes decántat Gállicè zelátor novæ legis; latrónibus in némore, * Reſpóndet ſic prophéticè: Præco ſum magni Regis. ℣. Audit in nivis frigore projéctus: Jace rúſtice futúrus paſtor gregis. Reſpóndet. Benedíctio. Chriſtus perpétuæ.

Léctio v.

INtelléxit quidem illo docénte intérius, qui & apparébat extérius: quod licèt paſsiónis infirmitas cum immortalitáte ſpíritus Seraphici nullátenùs conveníret; ideò tamen hujúſmodi viſio ſuis fúerat præsentáta conſpéctibus, ut amicus ipſe Chriſti prænóſceret, ſe non per martýrium carnis, ſed per incéndium mentis totum in Chriſti Jeſu crucifixi expreſſam ſimilitúdinem transformándum. Diſpárens itaque viſio, poſt arcánum ac familiáre collóquium, mentem ipsius Seráphico intérius inflammávit ardóre: carnem verò Crucifixo confórmi extérius inſignívit effigie, tamquam ſi ad ignis liquefactivam virtútem præámbulam ſigillatíva quædam eſſet impréſſio ſubſecúta. Statim namque in mánibus & pédibus ejus apparére cœpérunt ſigna clavórum, ipsórum capítibus in inferióri parte mánuum, & ſuperióri pedum apparéntibus, & eórum acumínibus exiſténtibus ex advérſo. Dextrum quoque latus quaſi láncea trasfixum, rubra cicatrice obdúctum erat, quod ſæpè sánguinem ſacrum effúndens, túnicam & femorália reſpergébat.

℟. Amicum quærit priſtinum qui ſpretum in cœnóbio tunícula contéxit: contémptu gáudens hóminum: * Leprósis fit obſéquio, quos ántea deſpéxit. ℣. Sub typo trium Ordinum, tres nutu Dei prævio Eccléſias eréxit. Leprósis. Benedíctio. Ignem ſui amóris.

Léctio vj.

POſtquam igitur novus homo Franciſcus novo & ſtupéndo miráculo cláruit; cum ſingulári privilégio retroáctis ſǽculis non concéſſo inſignitus appáruit, ſacris vidélicet ſtigmátibus decorátus, deſcéndit de monte ſecum ferens Crucifixi effigiem, non in tábulis lapídeis vel ligneis manu figurátam artíficis, ſed in cárneis membris deſcriptam dígito Dei vivi: quóniam ſacraméntum Regis Seráphicus vir abſcóndere bonum eſſe óptimè norat, ſecréti regális cónſcius, ſignácula illa ſacra pro viribus occultábat. Verùm quia Dei eſt ad glóriam ſuam magna reveláre, quæ facit Dóminus ipſe, qui ſignácula illa ſecrétè im-

préſ-



préſſerat, miracula quædam apertè per ipſa monſtrávit, ut illórum occúlta & mira vis Stigmatum, manifeſta patéret claritáte ſignórum. Porrò rem adeò admirábilem ac tantóperè teſtátam, atque in Pontificiis diplomátibus præcipuis láudibus & favóribus exaltátam, Benedíctus Papa Undécimus anniversária ſolemnitáte celebrári vóluit, quam póſteà Paulus Quintus Póntifex Máximus, ut corda fidélium in Chriſti crucifixi accenderéntur amórem, ad univérſam Eccléſiam propagávit.

℟. Audit in Evangélio, quæ ſuis Chriſtus lóquitur ad prædicandum miſsis. Hoc, inquit, eſt quod cúpio; * Lætánter his innítitur, memóriæ commiſsis. ℣. Non utens virga, cálceo, nec pera, fune cingitur duplícibus dimiſsis. Lætánter. Glória Patri. Lætánter.

In tértio Noctúrno, Aña.

Cor verbis novæ grátiæ ſolícitus appónit, verbúmque pœniténtiæ ſimplíciter propónit. Pſalmus. Dómine, quis habitábit. Antiphona. Pacem, ſalútem núntiat in ſpíritus virtúte, verǽque paci ſóciat longínquos à ſalúte. Pſalmus. Dómine in virtúte. Antiphona. Ut novis Sancti mérita remunerentur natis: his nova tradit mónita, viam ſimplicitátis. Pſalmus. Dómini eſt terra. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. Pater noſter. Abſolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Léctio vij. *Cap. 16. d*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Si quis vult poſt me veníre, ábneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me. Et reliqua.

Homilía ſancti Gregórii Papæ.

*Homilia 32. in Evangélia.*

QUia Dóminus ac Redémptor noſter novus homo venit in mundum; nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim noſtræ véteri in vitiis enutritæ, contrarietátem oppóſuit novitátis ſuæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, niſi ſua retinére, aliéna rápere, ſi poſſet; concupíſcere, ſi non poſſet? Sed cæléſtis médicus ſingulis quibúſque vítiis obviántia adhibet medicaménta. Nam ſicut arte medicinæ cálida frígidis, frígida cálidis curántur: ità Dóminus noſter contrária oppóſuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continén-



tiam,

tiam, tenácibus largitâtem, iracúndis manſuetúdinem, elátis præciperet humilitâtem.

℟. Carnis ſpícam contémptus área Franciſcus frangens, terens térrea, * Granum purum excúſſa pálea, ſummi Regis intrat in hórrea. ℣. Vivo pani morte junctus, vita vivit vita functus. Granum purum. Benedíctio. Cujus feſtum cólimus.

Lectio viij.

CErtè cùm ſe ſequéntibus nova mandáta propóneret, dixit: Niſi quis renuntiáverit ómnibus quæ póſsidet, non poteſt meus eſſe diſcípulus. Ac ſi apértè dicat: Qui per vitam veterem aliêna concupiſcitis, per novæ converſatiônis ſtúdium & veſtra largímini. Quid verò in hac lectiône dicat, audiâmus: Qui vult poſt me venire, ábneget ſemetipſum. Ibi dicitur, ut abnegâmus noſtra: hìc dicitur, ut abnegêmus nos. Et fortâſsè laborióſum non eſt hómini relinquere ſua: ſed valdè laborióſum eſt relinquere ſemetipſum. Minus quippè eſt abnegâre quod habet, valdè autem multum eſt, abnegâre quod eſt. ℟. Mihi autem abſit gloriári, niſi in Cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti: * Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. ℣. Ego enim Stigmata Dómini Jeſu in córpore meo porto. Per quem. Glória Patri. Per quem. Benedíctio. Ad ſocietâtem.

Lectio ix.

AD ſe autem nobis veniéntibus Dóminus præcêpit, ut renuntiêmus noſtris: quia quicúmque ad fidei agônem venimus, luctâmen contra malignos ſpíritus ſúmimus. Nihil autem maligni ſpíritus in hoc mundo próprium póſsident: nudi ergo cum nudis luctári debêmus. Nam ſi veſtitus quiſque cum nudo luctâtur, citiùs ad terram dejícitur, quia habet undè teneâtur. Quid enim ſunt terrena ómnia, niſi quædam córporis induménta? Qui ergo contra diábolum ad certâmen próperat, veſtiménta abjíciat, ne ſuccúmbat. Te Deum laudâmus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

CRucis vox hunc allóquitur, ter dicens: Tu te præpara, vade Franciſce répara domum meam, quæ lábitur. Pſalmus. Dóminus regnávit, cum réliquis. 18. Antiphona. Crucis verbum propónitur frátribus per Antónium: & Franciſcus ad óſtium in Crucis modum cérnitur. Antiphona. Crucis arbor exímia, per os Franciſci súrgere appárens, cogit fúgere dracônem, & dæmónia. Antiphona. Crucis ſignum, Tau líttera fronti Franciſci ſcribitur: quæ váriè diſtinguitur miránda lucis ópera. Antiphona. Crucis magnum myſtérium ſuper Franciſco cláruit: dum ſignâtus appáruit Cruce duórum énſium.

Capitulum. *Gal.6. d*

FRatres, Mihi autem abſit gloriári, niſi in cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

Hymnus. P laude turba paupércula. 37. ℣. Signáſti, Dómine, ſervum tuum Franciſcum. ℟. Signis Redemptiônis noſtræ.

Ad Benedictus, Antiphona.

O martyr deſidério, Franciſce, quanto ſtúdio compátiens hunc ſéqueris, quem paſſum libro réperis, quem aperuiſti. Tu cóntuens in âëre Seraph in cruce póſitum, ex tunc in palmis, látere, & pédibus effígiem fers plagârum Chriſti. Tu gregi tuo próvide, qui poſt felicem tránſitum, diræ prius & lívidæ, glorificâtæ ſpéciem carnis prætendiſti.

Orátio.

DOmine Jeſu Chriſte, qui frigeſcénte mundo, ad inflammándum corda noſtra tui amôris igne,



in carne beatíſsimi Patris noſtri Franciſci Paſsiônis tuæ ſacra Stigmata renováſti: concêde propítius; ut ejus méritis & précibus crucem júgiter ferâmus, & dignos fructus pœniténtiæ faciâmus. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Ad Tertiam, Antiphona.

Crucis verbum propónitur. Capitulum. Fratres, Mihi autem abſit, ut ſuprà.

℟. breve. Amâvit eum Dóminus, * Et ornâvit eum, Amâvit eum. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et ornâvit. Glória Patri. Amâvit eum. ℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium.

Ad Sextam, Antiphona.

Crucis arbor exímia.

Capitulum. *Gal.6. d*

ET quicúmque hanc régulam ſecúti fúerint, pax ſuper illos, & miſericórdia, & ſuper Iſraël Dei.

℟. br. Os juſti, * Meditábitur ſapiéntiam. Os juſti. ℣. Et lingua ejus loquêtur judícium. Meditábitur. Glória Patri. Os juſti. ℣. Lex Dei ejus in corde ipſius. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Ad Nonam, Antiphona.

Crucis magnum myſtérium.

Capitulum. *Gal.6. d*

DE cétero nemo mihi moleſtus ſit; ego enim, ſig-

ſtigmata Dómini Jeſu in córpore meo porto. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpíritu veſtro, fratres, Amen.

℟. br. Lex Dei ejus, * In corde ipsíus. Lex. ℣. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. In corde. Glória. Lex. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et oſténdit illi regnum Dei.

Ad Véſperas, Antíphona. Crucis vox, cum reliquis de Láudibus. 18. Pſalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Domínica. 133. & loco último, Pſalmus. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137. Capitulum. Fratres, Mihi autem abſit. Hymn. Decus morum. 38.

℣. Signáſti, Dómine, ſervum tuum Franciſcum.
℟. Signis redemptiónis noſtræ.

Ad Magníficat, Antíphona. Crucis appáret hóſtia tenſis in Cruce bráchiis, ſex alis tecta variis cum vultus elegántia: quæ Franciſci cor attrahit augens ei chariſmata, ſúaque ſacra Stigmata in ejus carnem prótrahit.

Orátio ut ſupra. 13.

Deinde fit Commem. ſequentis.

## DIE XVIII. SEPTEMBR.

In feſto B. Joſeph à Cupertino Confeſsóris.

Omnia de Commúni Confeſsóris non Pontíficis j. loco, lxxiij. præter Oratiónem.

In Hymno. Iſte Conféſſor, mutatur tertius Verſus.

Lectiónes primi Noctúrni, de Scriptúra occurrénte.

Orátio.

DEus, qui ad Unigénitum Fílium tuum exaltâtum à terra ómnia tráhere diſpoſuiſti: pérfice propítius, ut méritis, & exémplo Seráphici Confeſsóris tui Joſephi, ſupra terrénas omnes cupiditátes elevâti, ad eum pervenire mereâmur. Qui tecum vivit.

In ij. Véſperis fit à Capítulo de ſequenti, Comm. præcedentis.

## DIE XXII. SEPTEMBRIS.

Fit de S. Thoma de Villanova Epiſcopo & Confeſſóre.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviário Romano die xviij. hujus.

Nona Lectio, & Comm. SS. Mauritii & Sociórum mártyrum in Láudibus.

In ſecundis Veſperis fit à Capítulo de ſequenti, Commemor. præcedentis.

## DIE XXVI. SEPTEMBR.

In feſto B. Luciæ virginis, Tertii Ordinis.

Duplex minus.

Omnia de Commúni Vírginum j. loco, xc. præter Lectiones primi Nocturni, quæ ſunt de Scriptúra occurrénte.

Orátio. Exáudi.

Lectio nona & Commemorátio SS. Cypriáni & Juſtinæ mártyrum.

Veſperæ de ſequénti cum Commemorat. præcedentis.

## DIE XXVII. SEPTEMBR.

In feſto S. Elzeárii Confeſſóris, Tertii Ordinis.

Duplex majus.

Omnia de Commúni Confeſsóris non Pontif. lxxiij. præter ſequentia.

Orátio.

DEus, qui beátum Elzeárium, Confeſsórem tuum, inter cétera virtútum insignia, virgináli pudicítia in conjúgio decoráſti: concéde propítius; ut cujus ſacra ſolémnia celébriter venerâmur in terris, ejus beáta consórtia felíciter conſequâmur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Comm. B. Luciæ, Antíphona. Veni ſponſa. ℣. Diffúſa eſt. Orátio, Exáudi nos.

In primo Noctúrno Lectiónes de libro Eccleſiáſtici. Beátus vir, de Commúni Confeſsóris non Pontíficis ij. loco. lxxiij.

In ſecúndo Noctúrno.

Lectio iv.

ELzeárius, qui & Eleázarus, Conféſſor tértii Ordinis beáti Franciſci, de regióne Provinciæ oriúndus, vir insignis nobilitâtis (fuit enim Comes Ariáni) ab anno tertiodécimo vitæ ſuæ jejúniis vacans, in nocte funem multórum nodórum ſubtùs cingêbat ad carnem, frænum laſciviæ petulántis, & ſecrêtum memoriále vúlnerum Salvatóris, & in die cilícium portábat, ut luce & ténebris dolóres ſuſtinêret: atque hujúſmodi dolóribus & jejúniis corpus ſuum caſtigans, in ſervitûtem ſpíritus redigêbat. Sanctam & immaculâtam virginitâtem non ſolùm ánimo, ſed étiam córpore conſervâvit, cum ſancta Delphina cónjuge ſua ducens perpétuum cœlibâtum, non aſpernántes jura conjúgii, nec virginitâtem in áliquo violántes.

℟. Honéſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodívit eum ab inimícis, & à ſeductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

IN páuperes erat adeò liberális, ut nullus omninò pauper pro Dei amóre póſtulans, ab eo ferâtur habuiſſe repúlſam. Propóſiti ſui erat eſurientes páſcere, nudos veſtíre, infirmos viſitáre, peregrínos tecto ſuſcípere. Consúmpta languóribus atque inédia miſerórum



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum membra reſovêbat: qui in paupéribus Chriſtum páuperem, in infirmis infirmitatem, quam pro nobis aſſúmpſit, agnoſcêbat. Et ut perféctiùs Chriſti amâtor contémneret ſemetipſum, leproſôrum ſániem lavâbat & vúlnera: pedes oſculabâtur, & ora: ſerviebâtque ipſis vir nóbilis tanto devotiónis affectu, tamquam ſi ipſum Chriſtum cérneret in lepróſis.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, ſtolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradíſi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

INtélligens autem quòd ad oratiónis perfectiónem, ómnium tendit ſtructúra virtûtum, vix umquam, cùm póterat, ab oratióne ceſſâbat. Sicque in omni loco aptus erat orâre, ut in omni ſede terrârum conſtitûta monſtrâret regna cælórum. Horas Canónicas ritu, quem tenet ſancta Romána Eccléſia, tam devótè dicêbat, quaſi óculis mentis Deum júgiter cérneret: tam íntegrè, ut ne quidem iota unum vel ápicem præteríret. Numquam eum ad indignatiónem vis ulla compulit: nemo turbâtum vidit, nemo mutâtum. Cùm ergo eſſet Paríſiis, cognóſcens ſe morti appropinquâre, confeſſus eſt devótè cum magna lacrymârum effuſióne. Sicque poſt ómnia Sacraménta devótè ſuſcépta, felíciter migrâvit ad Dóminum.

℟. Iſte homo perfécit ómnia, quæ locûtus eſt ei Deus, & dixit ad Deum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & pervénit ad cæléſtia regna. Quia te. Glória. Quia.

In tértio Nocturno Homília venerábilis Bedæ Presbyteri in Evangelium. Nolite timêre puſillus grex, ut in Commúni Confeſsóris non Pontíficis. lxxxviij.

In ſecúndis Véſperis fit Commemorátio ſequéntis Feſti.

## DIE XXVIII. SEPTEMBR.

In feſto B. Bernardíni de Feltria Confeſsóris.

Duplex minus

Omnia de Commúni Confeſsóris non Pontíficis primo loco, lxxiij. præter Lectiónes j. Nocturni, quæ ſunt de Scriptúra occurrénte.

Véſperæ de Dedicatióne ſancti Michaêlis Archángeli, cum Commem. præcedéntis.

# FESTA OCTOBRIS.

## DIE I. OCTOBRIS.

Fit de S. Remígio Epiſc. & Conf. Semid. ad libitum.



Omnia ùt in fine Breviárii Romani inter Feſta ad libitum.

Véſperæ de ſequénti, Commemorátio præcedéntis.

## DIE III. OCTOBRIS.

Vigília ſancti Patris noſtri Franciſci, cum jejúnio.

Fit de feſto Tranſlatiónis ſanctæ Claræ vírginis.

Duplex minus.

In ij. Véſperis SS. Angelórum Cuſtódum fit Commem. hujus.

Pro Commemor. Antiph.

Duce cæléſti Númine, matre favénte vírgine, Clara re, Clara nómine, ſpreto patérno límine, ſpreto natívo ſánguine, eſt in Sanctórum lúmine, ac Beatórum ágmine, glória tibi Dómine. ℣. Ora pro nobis beáta Clara. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Orátio.

FAmulos tuos, quæſumus Dómine, beatæ vírginis tuæ Claræ votivam Tranſlatiónem recenséntes: cæléſtium gaudiórum ſua fácias interventióne partícipes, & tui Unigéniti cohærédes. Qui tecum vivit, & regnat in unitâte Spíritus ſancti Deus.

Ad Matutinum, Invitatór.

℟ Regi, qui carnem induit, ſit laus cordis & oris: * Cujus in Clara cláruit perfecti vis amóris. Pſalmus. Venite, exultêmus. 2.

Hymnus.

GEnerat virgo fílias
Mentis matérnæ conſcias,
Chriſti ſponſas & ſócias,
Corruptiónis inſcias.
Clarum nomen effúnditur,
Sanctum nomen exténditur,
Facto doctrina próditur,
Virtus divina pánditur.
Conſtruúntur cœnóbia
Vaſti per orbem ſpatia,
Creſcit Sorórum cópia,
Claret matris notítia.
Déficit virtus córporis
Morbo prolíxi témporis,
Sumit augméntum robóris
Virtus ſacrâti péctoris.
Tandem languóre prémitur,
Læta nimis egréditur,
Dies extrêma cláuditur,
Spíritus cælo rédditur.
Te proſequéntes láudibus
Piis favéto précibus,
Adéſto poſtulántibus
Tuis virgo ſupplícibus.
Vírginis hujus mérito,
Laus Patri ſit ingénito,
Glória Unigénito,
Virtus ſumma Paráclito.
Amen.

In primo Nocturno, Aña. Hæc una de prudéntibus præfúlſit virgo prudens, in annis puelláribus Chriſto placêre ſtudens. Pſal. Dómine Dóminus noſter, cum reliquis de Commúni Vírginum. xciv. Antiphona. Excélſi ſervus vírginem Franciſcus incitâvit, amâre Deum hóminem, quem amor huma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum membra refovêbat: qui in paupéribus Chriſtum páuperem, in infirmis infirmitatem, quam pro nobis aſſúmpſit, agnoſcêbat. Et ut perfectiùs Chriſti amâtor contémneret ſemetipſum, leproſórum ſániem lavâbat & vúlnera: pedes oſculabâtur, & ora: ſerviebâtque ipſis vir nóbilis tanto devotiónis affectu, tamquam ſi ipſum Chriſtum cérneret in leproſis.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, ſtolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradiſi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

INtélligens autem quòd ad oratiónis perfectiónem, ómnium tendit ſtructûra virtûtum, vix umquam, cùm póterat, ab oratióne ceſſâbat. Sicque in omni loco aptus erat orâre, ut in omni ſede terrárum conſtitûta monſtrâret regna cælórum. Horas Canónicas ritu, quem tenet ſancta Romána Eccléſia, tam devótè dicêbat, quaſi óculis mentis Deum júgiter cérneret: tam integrè, ut ne quidem iota unum vel ápicem præteríret. Numquam eum ad indignatiónem vis ulla compulit: nemo turbâtum vidit, nemo mutâtum. Cùm ergo eſſet Pariſiis, cognóſcens ſe morti appropinquâre, confeſſus eſt devótè cum magna lacrymârum effuſióne. Sicque poſt ómnia Sacraménta devótè ſuſcépta, feliciter migrâvit ad Dóminum.

℟. Iſte homo perfécit ómnia, quæ locûtus eſt ei Deus, & dixit ad Deum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & pervénit ad cæléſtia regna. Quia te. Glória. Quia.

In tértio Nocturno Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri in Evangelium. Nolite timêre puſillus grex, ut in Communi Confeſſóris non Pontíficis. lxxxviij.

In ſecundis Véſperis fit Commemorátio ſequéntis Feſti.

## DIE XXVIII. SEPTEMBR.

In feſto B. Bernardini de Feltria Confeſſoris.

Duplex minus

Omnia de Communi Confeſſóris non Pontificis primo loco, lxxiij. præter Lectiónes j. Nocturni, quæ ſunt de Scriptura occurrénte.

Véſperæ de Dedicatióne ſancti Michaëlis Archángeli, cum Commem. præcedéntis.

# FESTA OCTOBRIS.

## DIE I. OCTOBRIS.

Fit de S. Remigio Epiſc. & Conf. Semid. ad libitum.



Omnia ut in fine Breviárii Romani inter Feſta ad libitum.

Véſperæ de ſequénti, Commemorátio præcedéntis.

## DIE III. OCTOBRIS.

Vigília ſancti Patris noſtri Franciſci, cum jejúnio.

Fit de feſto Translatiónis ſanctæ Claræ vírginis.

Duplex minus.

In ij. Véſperis SS. Angelórum Cuſtódum fit Commem. hujus.

Pro Commemor. Antiph.

Duce cæléſti Númine, matre favénte vírgine, Clara re, Clara nómine, ſpreto patérno límine, ſpreto natívo ſánguine, eſt in Sanctórum lúmine, ac Beatórum ágmine, glória tibi Dómine. ℣. Ora pro nobis beáta Clara. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Orátio.

FAmulos tuos, quæſumus Dómine, beátæ vírginis tuæ Claræ votívam Translatiónem recenséntes: cæléſtium gaudiórum ſua fácias interventióne partícipes, & tui Unigéniti cohærédes. Qui tecum vivit, & regnat in unitâte Spíritus ſancti Deus.

Ad Matutinum, Invitatór. ℟egi, qui carnem induit, ſit laus cordis & oris: * Cujus in Clara cláruit perfecti vis amóris. Pſalmus. Venite, exultêmus. 2.

Hymnus.

GEnerat virgo filias
Mentis matérnæ conſcias,
Chriſti ſponſas & ſócias,
Corruptiónis inſcias.
Clarum nomen effúnditur,
Sanctum nomen exténditur,
Facto doctrina próditur,
Virtus divina pánditur.
Conſtruúntur cœnóbia
Vaſti per orbem ſpátia,
Creſcit Sorórum cópia,
Claret matris notítia.
Déficit virtus córporis
Morbo prolixi témporis,
Sumit augméntum robóris
Virtus ſacráti péctoris.
Tandem languóre prémitur,
Læta nimis egréditur,
Dies extrêma clauditur,
Spíritus cælo rédditur.
Te proſequéntes láudibus
Piis favéto précibus,
Adeſto poſtulántibus
Tuis virgo ſupplícibus.
Vírginis hujus mérito,
Laus Patri ſit ingénito,
Glória Unigénito,
Virtus ſumma Paráclito.
Amen.

In primo Nocturno, Aña. Hæc una de prudéntibus præfúlſit virgo prudens, in annis puelláribus Chriſto placêre ſtudens. Pſal. Dómine Dóminus noſter, cum reliquis de Communi Vírginum. xciv. Antiphona. Excélſi ſervus vírginem Franciſcus incitâvit, amâre Deum hóminem, quem amor huma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

manâvit. Pſalm. Cæli enárrant. Antiph. Cuncta pro Chriſti nómine contémnens, crine tonſo, coram altári Dóminæ nubit ætérno Sponſo. Pſalmus. Dómini eſt terra. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, proſperè procéde, & regna. Pater noſter. Abſolútio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

℟. j. Franciſci pia plántula mirè fructificávit in orbe, cum diſcipula Clara, quam informávit, * Caſtitátis per ſæcula cultum multiplicávit. ℣. Virgo ſub ſacra régula, multárum jam præámbula, ſe Deo conſecrávit. Caſtitátis. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

℟. ij. In via pœniténtiæ glebas terit membrórum: ſemen ſerit juſtítiæ, lucem diffúndit morum: * Lucrátur ſic quotídiè theſáurum meritórum. ℣. Cujus fervéntes hódiè greſſus devótæ fíliæ ſequúntur exemplórum. Lucrátur. Benedíctio. Spíritus ſancti grátia.

℟. iij. Hæc paupertátis título pollens, intitulâta: poſt Chriſtum ſine ſæculo curru exonerâta: * Relícto foris ſæculo, mens intùs eſt ditáta. ℣. In paupertátis nídulo, noſtri præſépis párvulo páuperi conformâta. Relícto. Glória Patri. Relícto.

In ſecundo Noctúrno, Añ. Obláta per Gregórium reſútat poſsidêre: nihilque tranſitórium cum Chriſto vult habêre. Pſalm. Eructávit. Antiphona. Parat magiſtra váſculum, ut óleum quærátur: mox verò per miráculum vas plenum cælo datur. Pſalmus. Deus noſter refúgium. Antiphona. Hortátur hæc, ut páuperes páuperis matris natæ, nequáquam ſint degéneres à matris paupertáte. Pſalmus. Magnus Dóminus. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo. ℟. Deus, in médio ejus, non commovébitur. Pater noſter. Abſolútio. Ipſius pietas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Lectio iv.

CUm venerábilis virgo Clara quadraginta duóbus annis in Monaſtério ſancti Damiáni Abbatiſſa, & primicéria ómnium páuperum Dominárum, in ſtúdio altíſsimæ paupertátis Deo fidéliter deſerviſſet, ad bravium ſupérnæ vocatiónis præcedénte languóre multíplici propinquábat. Excreſcéntibus autem infirmitátibus, cum appropinquâret ad éxitum, nullóque per decem & ſeptem dies aliménto ſuſcépto, tantùm fuit à Dómino vigoráta, ut omnes ad ſe veniéntes in Chriſti ſervítio confortâret. Hora dénique ſui tránſitus proximánte: ecce, quaſi nocte média, in véſtibus albis turba vírginum ingréditur, ſerta áurea in ſuis capítibus deferéntes: inter quas una præ céteris elegántior erat, & tanti ſplendóris, ut noctem in diéi lucem convérteret, Virgo ſcílicet vírginum mater Dómini Salvatóris. Procédit ígitur ad lectum Regína cæli, ubi ſponſa Fílii decubábat: & amantíſsimè ſuper eam ſe inclínans, compléxum dulcíſsimum præſtat. Profértur à virgínibus mire pulchritúdinis pálium, & Claræ vírginis corpus tégitur, & thálamus adornátur.

℟. A cívibus obsídio removétur ob lácrymas & preces ſanctæ Claræ, * Dum cínere & cilício jubet Soróres óptimas ad Deum exclamâre. ℣. Oratiónum prælio merétur gentes péſsimas de clauſtro deturbâre. Dum cínere. Benedíctio. Chriſtus perpétuæ.

Lectio v.

IN craſtíno ígitur beáti Lauréntii egréditur illa ánima ſanctíſsima prǽmio perpétuo laureánda: templóque carnis ſolúto, ſpíritus felíciter migrávit ad aſtra, anno vidélicet ab incarnatióne Chriſti milléſimo ducentéſimo quinquagéſimo tértio, duodécimo die Auguſti. Rumor in continénti de tránſitu vírginis totum, ſtupéndo audítu, cóncutit pópulum civitátis. Cónfluunt viri, cónfluunt mulíeres ad locum: atque in tanta multitúdine gentes inúndant, ut ſola viderêtur cívitas remanêre. Omnes ſanctam, omnes Deo charam proclámant. Accúrrit poteſtas cum catérva mílitum & multitúdine armatórum, ſeróque illo ac tota nocte cuſtódias ádhibent diligénter, ne fortè pretióſo theſauro, qui jacêbat in médio, pati contíngeret detriméntum. Commovêtur ſecúnda die cúria tota Románа, Chriſti vidélicet Vicárius cum Cardinálibus accedéntes ad locum, tótaque cívitas verſus ſanctum Damiánum dírigit greſſus.

℟. Amica crucis plángere Crucifíxum novítias docet, quem ipſa plangit. * Crux ei digno póndere majóres dat delícias, quo major dolor angit. ℣. Hæc Chriſti ſui múnere morbos atque moléſtias fugat dum crucem tangit. Crux ei digno. Benedíctio. Ignem ſui amóris.

Lectio vj.

COnſedénte autem Summo Pontífice, Cardinálium quoque & Prælatórum



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum cœtu, Oſtiénſis Epíſcopus, de vanitáte vanitátum ſumpta dicéndi matéria, vanitátis contemptricem nóbili ſermóne comméndat. Circúmdant illicò ſanctum funus dignatióne devóta Presbýteri Cardinales, & circa vírginis corpus ſólita complent officia. Tandem, quia nec tutum censétur eſſe, nec dignum, ut tam pretióſum pignus longè diſtet à cívibus, levátur corpus cum hymnis & láudibus, cum clangóre tubárum, ac jubilatióne ſolémni, & ad ſanctum Geórgium honorificè deportátur. Nam & hic locus eſt, ubi ſancti Patris Franciſci corpus viginti octo annis antè honorificè pósitum fúerat: ut qui viam vitæ vivénti paráverat, & moriénti locum, quodam præságio futurórum, débitè præparáret. Factus eſt proindè concúrſus populórum multórum ad túmulum vírginis: ipſaque vitæ ſanctitáte clara, cœpit étiam claréſcere miráculis. Quibus certa veritáte compértis, duóbus annis ab ipſius tránſitu revolútis, Dóminus Papa Alexánder Quartus eam catálogo Sanctórum adſcripſit. Et poſt quinque annos, compléta Eccléſia, & dedicáto altári ad honórem ipſius, ſacrum ejus corpus translátum eſt.

℟. Vivens in mundo lábili, Sponſo conjúncta nóbili, ſursùm deliciátur: clauſaque carne frágili, tamquam in vaſe fictili, * Theſauro gloriátur. ℣. Hæc in rota versátili, fulta virtúte ſtábili, cum Chriſto delectátur. Theſáuro. Glória. Theſáuro.

In tertio Nocturno, Antiph. Cor verbis ſapiéntiæ medúllitùs appónit, cùm prædicátor grátiæ verba vitæ propónit. Pſalmus. Cantáte. j. Antiphona. Trahit de teſta núcleum, de littera ſapórem, de petra ſugens óleum, de ſpina legens florem. Pſalm. Dóminus regnávit, exúltet. Antiphona. Format Clara diſcípulas cæléſti diſciplina: cujus eſt ad juvénculas convictus pro doctrina. Pſalm. Cantáte. ij. ℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo ſuo habitáre facit eam. Pater noſter. Abſolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedictio. Evangélica lectio.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Léctio vij. Cap. 25.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbviam ſponſo & ſponſæ. Et réliqua.

Ho-



Homilia S. Gregórii Papæ.

*Homilia 12. in Evangélia.*

SÆpè vos, fratres chariſſimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre: ſed hodiérna ſancti Evangélii lectióne compéllor dícere, ut & bona quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis: ne per hoc quod à vobis rectum géritur, favor aut grátia humána requirátur: ne appetítus laudis ſubrépat, & quod foris oſténditur, intùs à mercéde vacuétur. Ecce enim Redemptóris voce decem vírgines, & omnes dicúntur vírgines, & tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes ſunt recéptæ: quia eárum quædam, dum de virginitáte ſua glóriam foris éxpetunt, in vaſis ſuis óleum habére noluérunt.

℟. Carnis templo ſolúto ſpíritus cælos ſcandit, & patet áditus: * Benedictus ſit talis éxitus, multò magis talis intróitus. ℣. Vivo pani morte juncta; vita vivit, vita functa. Benedictus. Benedictio. Cujus feſtum cólimus, ipſa.

Léctio viij.

SEd prius quæréndum nobis eſt, quid ſit regnum cælórum, aut cur decem virgínibus comparétur, quæ étiam vírgines prudéntes, & fátuæ dicántur. Cum enim cælórum regnum conſtat, quia reprobórum nullus ingréditur, étiam fátuis virgínibus cur ſímile eſſe perhibétur? Sed ſciéndum nobis eſt, quòd ſæpè in ſacro elóquio regnum cælórum præſéntis témporis Eccléſia dícitur. De quo álio in loco Dóminus dicit: Mittet Fílius hóminis Angelos ſuos, & cólligent de regno ejus ómnia ſcándala. Neque enim in illo regno beatitúdinis, in quo pax ſumma eſt, inveníri ſcándala póterunt, quæ colligántur.

℟. De pane paſcit único turbam Sorórum páuperum: claret ſigno mirífico, virtus ſignórum véterum, * Dum cibat ex tam módico magni convéntus númerum. ℣. Pro ténui viático menſa lætátur Súperum: regno beátur cælico pro vilitáte cínerum. Dum. Glória Patri. Dum. Benedictio. Ad ſocietátem.

Pro Vigilia ſancti Patris noſtri Franciſci, nona Léctio de Homilia S. Gregórii Papæ in Evangelium. Si quis vult poſt me venire, ut in feſto SS. Stigmatum, 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

POſt vitæ claræ términum, Clara cum turba vírginum, ad cælos evolávit: ſuum compléxa Dóminum, regnet in regno lúminum, quo Dóminus regnávit. Pſalmus.

mus. Dóminus regnâvit, cum reliq. 18. Antiphona. Agnes ad Agni núptias, & ætérnas delícias poſt Claram evocâtur; ubi per Sion fílias, poſt tránſitas miſérias, ætérnè jubilâtur. Antiph. Sicut ſorôre prǽvia Chriſti paſsi veſtígia ſectâtur gaudens cruce: ſic, dum hæc ſignis rútilat, Agnes, poſt ipſam vígilat, Deus, ad te de luce. Antiphona. Honôrat Chriſti déxtera, per ſanitâtum múnera, vírginis mauſolǽum: ſanat morbos & vúlnera: ut benedícant ópera, quæ fecit Deus, Deum. Antiph. Laudans laudâre ſtúdeat, in laudem ſemper pródeat plebs iſta Salvatôris: quam tanta ditat ſanctitas, non ceſſet ipſa cívitas à laude Conditôris.

Capitulum. 2. Cor. 10. d

FRatres, Qui gloriâtur, in Dómino gloriêtur. Non enim qui ſeipſum comméndat, ille probâtus eſt; ſed quem Deus comméndat.

Hymnus.

O Clara luce clárior,
Lucis ætérnæ fília,
Dies iſta ſolémnior
Tua colit ſolémnia.
Vitæ labéntis gáudia
Spernéndo, Chriſtum ſéqueris
Paſcéntem inter lília:
Tuque cum Chriſto páſceris.
Cuſtos ſacrârum Vírginum,
Omni virtûte prǽvia,
Ducis ad ſponſum Dóminum
Puellârum collégia.
Franciſco duce mílitans
Evincis trina prǽlia:
Carnem namque ſuppéditas,
Mundum, atque dæmónia.
Jam jam in regno lúminum
Patri conregnas fília:
Da te ſequéntum ágminum
Recta fore veſtígia.
Sit Patri, Nato, Flámini
Decus, honor, & glória:
Noſque comméndent Númini
Sanctæ Claræ ſuffrágia.
Amen.

℣. Ora pro nobis beâta Clara. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Benedictus, Antiphona. Novum ſidus emícuit, candor lucis appáruit, lux claritâtis ádfuit, cæli ſpléndor enítuit: nam lux, quæ lucem inſúit, Claram clarêre vóluit.

Orátio.

FAmulos tuos, quǽſumus Dómine, beatæ vírginis tuæ Claræ votivam Tranſlatiônem recenséntes, cæléſtium gaudiôrum ſua fácias interventiône partícipes, & tui Unigéniti cohærédes. Qui tecum vivit.

Deindè fit Commem. Vigíliæ: Antiphona & Verſus de Féria occurénte.

Orátio. Dómine Jeſu Chriſte, qui frigeſcénte mundo, ùt in feſto ſacrórum Stigmatum. 13.

Ad Tertiam, Antiphona. Agnes ad Agni núptias. Capitulum. Fratres, Qui gloriâtur, ùt ſuprà.

℟. breve. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próſperè procéde, & regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo. ℟. Deus, in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam, Antiphona. Sicut ſorôre prævia.

Capitulum. 2. Cor. 11.

ÆMulor enim vos Dei æmulatióne. Deſpóndi enim vos uni viro vírginem caſtam exhibêre Chriſto.

℟. breve. Adjuvâbit eam. * Deus vultu ſuo. Adjuvâbit. ℣. Deus, in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvâbit. ℣. Elêgit eam Deus, & præelêgit eam. ℟. In tabernáculo ſuo habitâre facit eam.

Ad Nonam, Antiphona. Laudans laudâre ſtúdeat.

Capitulum. Sap. 4.

O Quàm pulchra eſt caſta generátio cum claritâte! immortális eſt enim memória illíus: quóniam apud Deum nota eſt, & apud hómines.

℟. breve. Elêgit eam Deus, * Et præelêgit eam. Elêgit eam. ℣. In tabernáculo ſuo habitâre facit eam. Et præelêgit. Glória Patri. Elêgit eam. ℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. ℟. Proptereà benedíxit te Deus in ætérnum.

Véſperæ de S. P. noſtro Franciſco ſine aliqua Commemoratióne.

## DIE IV. OCTOBRIS.

## IN FESTO SERAPHICI PATRIS NOSTRI FRANCISCI,

### Confeſsôris Trium Ordinum Fundatôris.

Duplex j. Claſsis.

Ad Véſperas, Antiphona.

FRanciſcus vir cathólicus, & totus Apoſtólicus, Eccléſiæ tenéri fidem Románæ dócuit, Preſbyteróſque mónuit præ cunctis reveréri. Pſalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Domínica, 133. & loco ultimi, Pſalm. Laudâte Dóminum omnes Gentes. 137. Antiphona. Cœpit ſub Innocéntio, curſúmque ſub Honório perfécit gloriôſum: ſuccédens his Gregórius, magnificâvit ámplius miráculis famôſum. Antiphona. Hunc ſanctus præelégerat in patrem quandò præérat Eccléſiæ Minóri: hunc ſpíritu prophético prævíſum, Apoſtólico prædíxerat honóri. Antiphona. Fran-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Franciſcus Evangélicum nec ápicem vel únicum tranſgréditur, nec ióta: nil jugo Chriſti ſuávius huic: ónere nil lévius, in hujus vitæ rota. Antiphona. Hic creatúris ſmperat, qui nútui ſubjécerat ſe totum Creatóris: quidquid in rebus réperit delectaménti, régerit in glóriam Factóris.

Capitulum. *Galat. 6. d*

FRatres, Mihi autem abſit gloriári, niſi in cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

Hymnus.

PRoles de cælo pródiit,
Novis utens prodigiis,
Cælum cæcis apéruit,
Siccis mare veſtigiis.
Spoliátis Ægýptiis
Tranſit dives, ſed páuperis
Nec rem, nec nomen pérdidit,
Factus felix pro miſeris.
Aſſúmptus cum Apóſtolis
In montem novi lúminis
In paupertátis prædiis
Chriſto Franciſcus íntulit.
Sac tria tabernácula,
Votum ſecútus Simonis:
Quem hujus non deſéruit,
Numen vel omen nóminis:
Legi, Prophétæ, grátiæ
Gratum gerens obſéquium,
Trinitátis Officium
Feſto ſolémni célebrat.
Dum réparat virtútibus
Hoſpes triplex hoſpítium:
Et beatárum méntium
Dum templum Chriſto cónſecrat.
Domum, portam, & túmulum
Pater Franciſce viſita,
Et Hevæ prolem miſeram
A ſommo mortis éxcita.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Franciſce. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Magnificat, Antiphona. O ſtupor, & gáudium, ô Judex homo méntium, tu noſtræ milítiæ currus, & auriga. Ignea præséntibus transfigurátum Frátribus, in ſolári ſpécie vexit te quadriga. In te ſignis rádians, in te ventúra núntians, requiêvit ſpíritus duplex Prophetárum. Tuis adſta póſteris, Pater Franciſce, míſeris, nam incréſcunt gémitus ovium tuárum.

Orátio.

DEus, qui Eccléſiam tuam beáti Franciſci méritis fœtu novæ prolis amplíficas, tribue nobis ex ejus imitatióne terréna deſpícere, & cæléſtium donórum ſemper participatióne gaudére. Per Dóminum noſtrum.

Et non ſit Commemorátio Translatiónis S. Claræ Vírginis.

Ad Matutinum, Invitatór. Regi qui fecit ópera Chriſto, confiteántur: * Cujus in ſancto vúlnera Franciſco renovántur. Pſalmus. Veníte, exultêmus. 2.

Hymnus.

IN cæléſti collégio
Novus collêga cólitur;
In Sanctórum roſário
Novéllus flos prodúcitur.
Franciſcus florens grátia,
Forma factus humílium;
Lætus potitur glória,
Sortis conſors ſublimium.
Metit de ſparſo ſémine
Plenæ meſsis manipulum;
Fallens ſub terræ tégmine
Noſtræ ſalûtis æmulum.
Hic carnis ſupercilium
Legi ſubjêcit ſpíritus:
Mundum vicit & vitium,
Se victo victor inclytus.
Linguæ manus præámbula
Verbo parâvit sémitam,
Et ampleçtúntur ſæcula
Doctrinam facto próditam.
In paupertâtis prædio
Minôrum plantans víneam,
Oſténdit magiſtério
Vitæ vivéndi líneam.
Ad ætérnas divítias
Turbam alléxit páuperum,
Quos ad cæli delícias
Lingua vocâvit óperum.
Vita, doctrína ſplénduit:
Reſpléndet & miráculis:
Sic præfuit, quod prófuit
Viva lucérna pópulis.
Summi Regis palátio
Doctor loca diſcípulos,
Salûtis privilégio
Chriſti præmúni fámulos.
De ténebris miſériæ
Sequáces ſtellæ prǽviæ;
Quærâmus Patrem grátiæ,
Consórtes tandem glóriæ.
Amen.

In primo Nocturno, Aña. Hic vir in vanitâtibus nutrítus indecénter, divinis chariſmátibus præventus eſt cleménter. Pſalmus. Beátus vir, cum réliquis de Commúni Confeſsóris non Pontíficis. lxxiv. Antiphona. Excélſi déxteræ grátia mirificè mutátus, dat lapſis ſpem de vénia cum Chriſto jam beátus. Pſalm. Quare fremuérunt. Antiphona. Manſuéſcit, ſed non pénitùs in primis per languóres, qui captis armis cælitùs ad plenum mutat mores. Pſalmus. Dómine quid multiplicáti. ℣. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum. Pater noſter. Abſolútio. Exáudi. ℣. Jube domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

De Epiſtola B. Pauli Apóſtoli ad Gálatas.

Lectio j. *Cap. 5. d & 6.*

SI ſpíritu vívimus, ſpíritu & ambulêmus. Non efficiâmur inânis glóriæ cúpidi, invicem provocántes, invicem invidéntes. Fratres, & ſi præoccupâtus fúerit homo in áliquo delicto, vos, qui ſpirituáles eſtis, hujúſmodi inſtrúite in ſpíritu lenitâtis, conſide-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rans teipſum, ne & tu tentêris. Alter altérius ónera portâte, & ſic adimplébitis legem Chriſti. Nam ſi quis exiſtimat ſe áliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſedûcit. Opus autem ſuum probet unuſquiſque & ſic in ſemetipſo tantùm glóriam habêbit, & non in áltero. Unuſquiſque enim onus ſuum portâbit. Commúnicet autem is, qui catechizâtur verbo, ei qui ſe catechizat in ómnibus bonis.

℟. Franciſcus ùt in públicum ceſſat negotiári, in agrum mox Domínicum ſecêdit meditári: * Invéntum Evangélicum theſaurum vult mercári. ℣. Deum quid agat únicum conſúltans, audit cǽlicum insigne ſibi dari. Invéntum. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ij.

NOlite errâre: Deus non irridêtur. Quæ enim ſemináverit homo, hæc & metet. Quóniam qui séminat in carne ſua, de carne & metet corruptiônem: qui autem séminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam ætérnam. Bonum autem faciéntes non deficiâmus: témpore enim ſuo metêmus non deficiéntes. Ergo dum tempus habêmus, operêmur bonum ad omnes, máximè autem ad domeſticos fidei. Vidête quálibus lítteris ſcripſi vobis mea manu. Quicúmque enim volunt placêre in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm ut crucis Chriſti perſecutiônem non patiántur. Neque enim qui circumcidúntur legem cuſtódiunt: ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra gloriéntur.

℟. In Dei fervens ópere ſtatim ùt ſua véndidit, paupéribus impéndere pecúniam inténdit, * Quæ gravi ſuo póndere cor líberum offéndit. ℣. Quam formidánte páupere presbyteri recípere, abjéctam vilipéndit. Quæ gravi. Benedíctio. Spíritus ſancti grátia.

Lectio iij.

MIhi autem abſit gloriári, niſi in cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifíxus eſt, & ego mundo. In Chriſto enim Jeſu neque circumcíſio áliquid valet, neque præpútium, ſed nova creatûra. Et quicúmque hanc régulam ſecúti fúerint, pax ſuper illos, & miſericórdia, & ſuper Iſraël Dei. De cétero nemo mihi moléſtus ſit: ego enim ſtigmata Dómini Jeſu in córpore meo porto. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpíritu veſtro, fratres. Amen.

℟. Dum pater hunc perſéquitur, latens dat locum iræ, conſtánter poſt aggréditur in públicum prodire. * Squalénti vultu cérnitur, putâtur inſaníre. ℣. Luto, ſaxis impétitur: ſed pátiens vir nítitur ùt ſurdus pertransíre. Squalénti. Glória Patri. Squalénti.

In ſecúndo Nocturno, Aña. Pertráctum domi vérberat plus cunctis furens pater: objúrgans vincit, cárcerat, quem furtim ſolvit mater. Pſalmus. Cùm invocárem. Antiphona. Jam liber patris fúriæ non cedit effrænáti, clamans ſe voluntáriè pro Chriſto mala pati. Pſalmus. Verba mea. Antiphona. Ductus ad loci Præſulem ſua patri reſignat: nudúſque manens, éxulem in mundo ſe deſignat. Pſalm. Dómine Dóminus noſter. ℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium. Pater noſter. Abſolútio. Ipſius piétas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Lectio iv.

FRanciſcus de vallis Spoletánæ pártibus civitâte Aſsíſii trahens oríginem, primúmque Joannes vocâtus à matre, dehinc Franciſcus à patre, vocatiònis quidem patérnæ vocábulum ténuit, ſed & rem materni nóminis non relíquit. Licèt enim inter vanos fúerit hóminum fílios juveníli ætâte nutrítus in vanis, & poſt aliquâlem litterârum notítiam, lucratívis mercatiônum deputâtus negótiis, ſupérno tamen ſibi aſsiſténte præsídio, nec inter laſcívos júvenes poſt carnis petulántiam ábiit, nec inter cúpidos mercatóres ſperâvit in pecúnia & theſáuris. Inerat namque júvenis Franciſci præcórdiis divínitùs índita cum lenitâte manſuetúdinis quædam ad páuperes miſerátio liberâlis: quæ ſecum ab infántia creſcens, tanta cor illius benignitâte replêverat, ut jam Evangélii non ſurdus audítor, omni propóneret ſe peténti tribúere, máximè ſi divínum allegâret amôrem. In ipſo namque juventûtis flore, firma ſe Dómino ſponſiône conſtríngens, quòd numquam (ſi poſsibílitas áfforet) peténtibus pro amôre Dómini ſe negáret. Dum promiſſum tam nóbile uſque ad mortem ſervâre non deſtitit, ad copioſióra in Deum dilectiónis & grátiæ increménta pervênit.

℟. Dum ſeminúdo córpore laudes decántat Gállicè zelâtor novæ legis, latrónibus in némore, * Reſpóndet ſic prophéticè: Præco ſum magni Regis. ℣. Au-

dit in nivis frigore projéctus: Jace rúſtice, futûrus paſtor gregis. Reſpóndet. Benedíctio. Chriſtus perpétuæ.

Léctio v.

VErùm licèt huic júgiter in corde ipsius divini amôris vigéret igniculus, ignorâbat adhuc adoleſcens curis terrénis implicitus cæléſtis allocutiônis arcânum; donec facta manu Dómini ſuper eum, & caſtigâtus fuit exteriùs prolixi languôris gravédine, & clarificâtus intériùs ſancti Spiritus unctiône. Corpóreis póſtmodùm viribus utcúmque resúmptis, mentéque mutâta in méliùs, cùm militem quemdam, nóbilem quidem génere, ſed inopem rebus, óbvium inſperáto habuiſſet occúrſu, generóſi Regis, & páuperis Chriſti memor efféctus, tanta fuit erga virum pietâte permôtus, ut decéntia, quæ ſibi de novo paráverat, induménta depóneret, illúmque prótinùs, ſe nudáto, veſtiret. Nocte verò ſequénti, cùm ſe ſopóri dediſſet, palátium ſpatióſum & magnum cum militáribus armis Crucis ſignáculo inſignitis, is, pro cujus amôre militi egéno ſubvénerat, dignatíva ſibi revelatiône monſtrâvit: necnon viſa ómnia ſua fore, militúmque ſuôrum, ſi Crucis Chriſti vexillum conſtánter aſſúmeret, ſub aſſeveratiônis certitúdine promiſit.

℟. Amicum quærit priſtinum, qui ſpretum in cœnóbio tunicula contéxit: contémptu gaudens hóminum, * Lepróſis fit obséquio, quos ánteà deſpéxit. ℣. Sub typo trium Ordinum, tres nutu Dei prævio Eccléſias eréxit. Lepróſis fit. Benedíctio. Ignem ſui amôris.

Léctio vj.

EX tunc à públicæ negotiatiônis tumúltu ſe ſúbtrahens, ſolitária loca quærêbat amica mœróribus. In quibus cúm gemítibus inenarrabílibus inceſsánter inténderet, poſt longam precum inſtántiam, quam ſibi perfectiônis ſémitam à Dómino poſtulâbat oſténdi, ad votum exaudíri proméruit. Una quippè diêrum, dum ſic ſequeſtrâtus orâret, appáruit ei Chriſtus Jeſus velùti Cruci confixus, eídem tam efficáciter ingerens Evangélicum illud: Qui vult venire poſt me, ábneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequâtur me; ut mentem ipsius intrinſecùs & incéndio dilectiônis addúceret, & abſýnthio compaſsiônis impleret. Nam & ad præmiſſæ viſiônis contúitum liquefacta eſt ánima ejus, & memória paſsiônis Chriſti viſcéribus cordis ipsius ádeò impréſſa medúllitùs, ut & Crucifixi plagas óculis mentis interiùs quaſi júgiter cérneret: & vix extériùs à lacrymóſis gemítibus continéri valêret.

℟. Audit in Evangélio, quæ ſuis Chriſtus loquitur ad prædicándum miſsis. Hoc, inquit, eſt quòd cúpio. * Lætánter his innítitur memóriæ commiſsis. ℣. Non utens virga, cálceo, nec pera: fune cíngitur, duplicibus dimiſsis: Lætánter. Glória Patri. Lætánter.

In tértio Nocturno, Aña. Cor verbis novæ grátiæ ſolícitus appônit, verbúmque pœniténtiæ ſimplíciter propônit. Pſalmus. Dómine, quis habitâbit. Antiphona. Pacem, ſalûtem núntiat in ſpiritus virtûte, veræque paci sóciat longinquos à ſalûte. Pſalmus. Dómine in virtûte. Antiphona. Ut novis Sancti mérita remunerèntur natis: his nova tradit mónita, viam ſimplicitátis. Pſalmus. Dómini eſt terra. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. Pater noſter. Abſolútio. A vinculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.



Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 11. d*

IN illo témpore reſpóndens Jeſus dixit: Confiteor tibi Pater, Dómine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapiéntibus, & prudéntibus, & revelâſti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía ſancti Auguſtini Epiſcopi.

*Serm. 8. de Verbis Dómini.*

SI dignè, ſi diligénter, ſi quod primum eſt, piè conſiderêmus, inveniêmus primitùs non ſemper, cùm in Scriptúris légimus confeſsiônem, debêre nos intelligere vocem peccatôris. Máximè autem hoc dicéndum fuit, & hinc admonénda cháritas veſtra, quia mox ùt hoc verbum sónuit vox lectôris, ſecûtus eſt étiam ſonus tunſiônis péctoris veſtri, audito ſcilicet, quod Dóminus ait, Confiteor tibi Pater: in hoc ipſo quod sónuit Confiteor, péctora tutudiſtis.

℟. Carnis ſpicam contémptus área Franciſcus frangens, terens térrea, * Granum purum excúſſa pálea, ſummi Regis intrat in hórrea. ℣. Vivo pani morte junctus, vita vivit vita functus. Granum purum. Benedíctio. Cujus feſtum cólimus.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lectio viij.

Tundere autem pectus quid eſt, niſi argúere quod latet in pectore, & evidénti pulſu occultâtum caſtigâre peccâtum? Quare hoc fecistis, niſi quia audiſtis: Confiteor tibi Pater? Confiteor audiſtis; qui confitêtur non attendiſtis. Nunc ergo advértite. Si, Confiteor, Chriſtus dixit, à quo longè eſt omne peccâtum; non ſolius eſt confitéri peccatôris, ſed étiam aliquando laudatôris. Confitémur ergo, ſive laudántes Deum, ſive accusántes noſmetipſos. Pia eſt útraque conféſſio, ſive cùm te reprehéndis, qui non es ſine peccâto; ſive cùm illum laudas, qui non poteſt habêre peccâtum.

℟. De paupertâtis hórreo ſanctus Franciſcus sâtiat turbam Chriſti famélicam; in via ne deficiat: * Iter pandit ad glóriam, & vitæ viam ámpliat. ℣. Pro paupertâtis cópia regnat dives in pátria, reges ſibi ſubſtituens, quos hic ditat inópia. Iter pandit. Glória. Iter pandit. Benedictio. Ad ſocietâtem.

Lectio ix.

Confiteor tibi Pater Dómine cæli & terræ. Confiteor tibi, laudo te. Laudo te, non accûſo me. In quo te laudo? Quia abſcondiſti hæc à ſapiéntibus & prudéntibus, & revelâſti ea párvulis. Quid eſt hoc, fratres? A contrário ſenſu intelligite: Abſcondiſti hæc, inquit, à ſapiéntibus & prudéntibus: & non dixit: Revelâſti ea ſtultis & imprudéntibus, ſed dixit: Abſcondiſti à ſapiéntibus & prudéntibus, & revelâſti ea párvulis.

Te Deum laudâmus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

Sanctus Franciſcus, prævîis orationum ſtudiis, quid fáciat inſtrúctus: non ſibi ſoli vívere, ſed áliis proficere vult Dei zelo ductus. Pſalmus. Dóminus regnâvit, cum réliquis. 18. Antiphona. Hic prædicándo círcuit, & quem non homo dócuit, fit doctis in ſtupôrem: virtûtum verba lóquitur, novúmque nova séquitur milítia ductôrem. Antiphona. Tres Ordines hic órdinat: primúmque Fratrum nóminat Minôrum: pauperúmque fit Dominârum médius: ſed Pœniténtum tértius ſexum capit utrúmque. Antiphona. Doctus doctrîce grátia, doctus experiéntia, quæ ſunt perfectiônis, hæc Fratres docet ómnia, tam factis quàm frequéntia mellífui ſermônis. Antiphona. Laudans laudâre mónuit, laus illi ſemper ádfuit, fuit, laus, inquam, Salvatôris: invîtat aves, béſtias, & creatúras álias ad laudem Conditôris.



Capitulum. *Gálat. 6. d*

Fratres: Mihi autem abſit gloriári, niſi in Cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

Hymnus.

Plaude, turba paupércula,
Patre ditâta páupere:
Laudis propîna pócula
Sacro depréſſa úbere.

Hic ſimplex, rectus, húmilis,
Pacis cultor amábilis,
Lumen in vaſe fíctili
Ardens, lucens in frágili.

Vili contéctus tégmine,
Sancto caléſcens flámine,
Vicit algôrem, cáumata
Chriſti dum geſtat Stigmata.

Carnem mundúmque cónterens,
Hoſtes malignos próterens
Auream victor méruit
Auréolam, dum dócuit.

Pauper, nudus egréditur:
Cælum dives ingréditur:
Spargit virtûtum múnera,
Ægris profligat vúlnera.

Verôrum Pater páuperum
Nos páuperes fac ſpíritu:
Consórtes redde Superûm
Eréptos ab intéritu.

Patri, Nato, Paráclito
Decus, honor, & glória,
Sancti ſint hujus mérito
Nobis ætérna gáudia.
Amen.

℣. Ora pro nobis beâte Pater Franciſce. ℟. Ut digni efficiâmur promiſſiónibus Chriſti.

Ad Benedictus, Antiphona.

O martyr deſidério, Franciſce, quanto ſtúdio compátiens hunc séqueris, quem paſſum libro réperis, quem aperuiſti. Tu cóntuens in äëre Seraph in cruce póſitum, ex tunc in palmis, látere, & pédibus effígiem fers plagârum Chriſti. Tu gregi tuo próvide, qui poſt felicem tránſitum, diræ priùs & lividæ, glorificâtæ ſpéciem carnis prætendiſti.

Oratio.

Deus, qui Eccléſiam tuam beáti Franciſci méritis fœtu novæ prolis amplíficas: tribue nobis ex ejus imitatiône terréna deſpícere, & cæléſtium donôrum ſemper participatiône gaudêre. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Antiphona.

Hic prædicándo círcuit.

Capitulum. Fratres, Mihi autem.

℟. breve. Amâvit eum Dóminus, * Et ornâvit eum. Amâvit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et ornâvit. Glória Patri. Amâvit eum.

℣. Os juſti meditâbitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad Sextam, Antíphona.

Tres Ordines hic órdinat.

Capitulum. *Gálat. 6. d*

ET quicúmque hanc régulam ſecuti fúerint, pax ſuper illos, & miſericórdia, & ſuper Iſraël Dei.

℟. breve. Os juſti, * Meditábitur ſapiéntiam. Os juſti. ℣. Et lingua ejus loquêtur judícium. Meditábitur. Glória Patri. Os juſti. ℣. Lex Dei ejus in corde ipſius. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Ad Nonam, Antíphona.

Laudans laudâre mónuit.

Capitulum. *Gálat. 6. d*

DE cétero nemo mihi moléſtus ſit: ego enim ſtígmata Dómini Jeſu in cópore meo porto. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpíritu veſtro, fratres, Amen.

℟. breve. Lex Dei ejus, * In corde ipſius. Lex Dei ejus. ℣. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. In corde. Glória Patri. Lex Dei ejus. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et oſténdit illi regnum Dei.

In ſecúndis Véſperis, Antíphona. Sanctus Franciſcus, cum réliquis de Láudibus. 36. Pſalmi & Capítulum ut in primis Véſperis. 30. Hymnus.

DEcus morum, dux Minórum
Franciſcus tenens bravium,
In te vite datur vitæ,
Chriſte Redémptor ómnium.

Plaudat frater, regnat Pater
Concivis cæli civibus:
Cædat fletus, pſallat cœtus,
Exúltet cælum láudibus.

Demptum ſolo, datum polo
Signórum probant ópera:
Ergo vivit, nam adivit
Ætérna Chriſti múnera.

Pro terrénis votis plenis,
Repórtat dona glóriæ,
Quem decóras, quem honóras,
Summæ Deus cleméntiæ.

Hunc ſequántur, huic jungántur,
Qui ex Ægýpto éxeunt:
In quo duce, clara luce.
Vexilla Regis pródeunt.

Regis ſignum, ducem dignum
Insignit manu, látere:
Lux accêdit, nox recêdit,
Jam lucis orto ſídere.

Eſt dux fidus, clarum ſidus
Ducit, relûcet, dévia
Devitándo, demonſtrándo
Beáta nobis gáudia.

Mina gregem dux ad Regem
Colliſor hoſtis cállidi:
Nos condúcas, & indúcas
Ad cœnam Agni próvidi.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Franciſce. ℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Ad Magníficat, Antíphona.

O virum mirábilem in ſignis & prodígiis, languóres cum dæmóniis quóslibet pelléntem, dat aurem ſuis ávium prædicans ſilvéſtrium verbis intendéntem. O vitam laudábilem, qua fidem ſic magníficat: ſed & multos vivíficat mórtuos defúnctus. Franciſce nos cæléſtium fac consórtes cívium, quibus es conjúnctus.

Orátio ut ſupra: dein Commem. ſequéntis: ſed ſine Commemoratióne SS. Plácidi & Sociórum mártyrum.

Infra Octâvam S. Patris noſtri Franciſci, ad Benedictus & Magníficat dicúntur Antíphonæ ſequéntes.

Ad Benedictus, Antíphona.

Sancte Franciſce própera, veni Pater, accélera ad pópulum qui prémitur, & téritur ſub ónere, pálea, luto, látere, & ſepúlto Ægýptio ſub sábulo, nos líbera, carnis extíncto vítio.

Ad Magníficat, Antíphona.

Salve ſancte Pater, pátriæ lux, forma Minórum, virtûtis ſpéculum, recti via, régula morum: carnis ab exílio duc nos ad regna polórum.

## DIE V. OCTOBRIS.

Secúnda die infra Octâvam S. P. N. Franciſci.

Fit de SS. Coſma & Damiáno Martýribus. Semidúplex.

Omnia ut in Breviário Románo die xxvij. Septémb. Nona Léctio de SS. Plácido & Sóciis martýribus, cum Commemoratióne Octávæ, Antíphona. Sancte Franciſce, & SS. Mártyrum in Láudibus Antíphona. Iſtórum. ℣. & ℟. ex primis Véſperis.

Véſperæ de S. Brunóne Confeſſóre cum Commemoratióne præcedéntis, & Octávæ, Antíphona. Salve ſancte Pater.

## DIE VI. OCTOBRIS.

Tértia die infra Octâvam S. P. N. Franciſci.

Fit de S. Brunóne Confeſſóre, Duplex, cum Commemoratióne Octávæ Antíphona. S. Franciſce.

In ij. Véſperis fit Commemorátio Octávæ, Antíphona. Salve ſancte Pater. & S. Marci Papæ & Confeſſóris, & SS. mártyrum Sérgii, Bacchi, Marcélli & Apuléii.

## DIE VII. OCTOBRIS.

Quarta die infra Octâvam S. P. N. Franciſci.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In ſecúndo Noctúrno, Léctio iv.

INſignis ſectâtor crucifixi Jeſu, vir Dei Franciſcus à ſuæ converſiónis primórdiis tanta diſciplinæ rigiditâte carnem crucifigêbat cum vítiis, motúſque ſenſuáles tam ſtricta frænâbat

 bat



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bat modéſtiæ lege, ut vix neceſſária súmeret ſuſtentatióni natúræ. Nam cocta cibária ſanitátis témpore vix admittêbat, & raró: admiſſa veró aut commixtióne cíneris intérdum faciêbat amára, aut áquei ſuperfuſióne liquóris ut plúrimùm reddêbat insípida. Quàm veró diſtrictam in potu parcitátem ſerváverit, carnem ſuam à vino abſtrahens, ut transférret animam ad ſapiéntiæ lucem, hinc liquidó valêmus advértere, quòd & de aqua frígida, cùm ſitis æſtuâbat ardóre, vix audêbat ad ſufficiéntiam bíbere. Nuda humus, ùt ſæpiùs, léctulus erat laſſáto corpuſculo, cervical lapis, vel lignum: veſtiſque ſimplex, rugóſa & hiſpida, teguméntum: pro eo quòd experiéntia certa didícerat, hoſtes malignos duris & áſperis in fugam convérti, delicátis autem & móllibus ad tentándum fórtiùs animári.

℟. Dum ſeminúdo córpore laudes decántat Gállicè zelátor novæ legis, latrónibus in némore, * Reſpóndet ſic prophéticè: Præco ſum magni Regis. ℣. Audit in nivis frígore projectus: Jace rúſtice, futúrus paſtor gregis. Reſpóndet. Benedíctio. Chriſtus perpétuæ.

Léctio v.

RIgidus in diſciplína ſuper cuſtódiam ſuam invigilâbat atténtiùs: curam gerens præcípuam de impretiábilis cuſtoditióne theſáuri, caſtitátis vidélicet in vaſe fictili: quod & poſſidêre ſtudêbat in ſanctitúdinis honóre, per utriuſque hóminis integérrimam puritátem. Tanta quoque per exercitatiónes hujúſmodi fulgêre cœpit in ſénſibus venuſtáte pudóris, ut plenum jam carnis affecútus domínium, fœdus cum óculis pepigíſſe viderêtur, quòd non ſolùm carnálem aſpéctum procul refúgeret, ſed & curióſum vanitátis cujuſcúmque contúitum omníno cavêret. Verùm licèt cordis & córporis puritátem adéptus, ſanctificatiónis quodámmodò proximâret ad ápicem, non ceſſábat tamen lacrymárum ímbribus júgiter óculos expiáre mentáles, cæléſtium claritátum concupiſcéndo mundítiam, & corporeórum lúminum parvipendéndo jactúram.

℟. Amícum quærit priſtinum, qui ſpretum in cœnóbio túnicula contéxit: contémptu gaudens hóminum, * Lepróſis fit obſéquio, quos ánteà deſpéxit. ℣. Sub typo trium Ordinum, tres nutu Dei prævio Eccléſias eréxit. Lepró-





ſis fit. Benedíctio. Ignem ſui amóris.

Léctio vj.

OMnium virtútum cuſtos & decor humílitas, ádeò virum Dei ſui juris effécerat, ut quamvis múltiplex in eo fulgêret prærogatíva virtútum: hæc tamen in ipſo tamquam Minórum mínimo, præcípuum viderêtur affecúta domínium. Sóciam quoque ſanctæ humilitátis paupertátem excélſam, perféctus Chriſti ſectátor charitáte ſibi ſtúduit ſic deſponsáre perpétua, quòd non ſolùm pro ea patrem matrémque relíquit, verùm étiam quæ habêre pótuit, univérſa diſperſit. Nemo tam auri, quàm iſte cúpidus paupertátis: nec theſáuri cuſtodiéndi ſolicítior ullus, quàm iſte cúpidus hujúſmodi Evangélicæ margarítæ: cùm & à princípio Religiónis uſque ad mortem túnica, chorda, & femorálibus dives, in ſola viderêtur gloriári penúria, & egeſtáte gaudêre. Si quando enim pauperiórem ſe quémpiam ſecúndùm exterióorem hábitum cérneret, ſeipſum prótinùs árguens, excitâbat ad símile; tamquam ſi ǽmula paupertáte concértans, vinci ſe in illo ſpíritus quadam nobilitáte timêret.

℟. Audit in Evangélio, quæ ſuis Chriſtus lóquitur ad prædicándum miſſis. Hoc, inquit, eſt quod cúpio. * Lætánter his innítitur memóriæ commiſſis. ℣. Non utens virga, cálceo, nec pera: ſune cíngitur, duplícibus dimíſſis. Lætánter. Glória Patri. Lætánter.

In tértio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap.* 11. *d*

IN illo témpore reſpóndens Jeſus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cæli & terræ, quia abſcondíſti hæc à ſapiéntibus & prudéntibus, & reveláſti ea párvulis. Et réliqua.

De Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

*Serm. 48. de Témpore poſt médium.*

APerit cæléſte myſtérium quòd ſic placúerit Deo, ut párvulis magis quàm prudéntibus iſtius mundi grátiam ſuam reveláret. Quod Apóſtolus Paulus ſtylo plenióre digéſſit, dicens: Nonne ſtultam fecit Deus ſapiéntiam hujus mundi? Nam quóniam Dei ſapiéntiam non cognóvit hic mundus per ſapiéntiam, plácuit Deo per ſtultítiam prædicatiónis ſalvos fácere credéntes.

℟. Carnis ſpicam contémptus área Franciſcus frangens, terens térrea, * Granum pu-

rum excúſſa pálea, ſummi Regis intrat in hórrea. ℣. Vivo pani morte junctus, vita vivit vita functus. Granum purum. Benedíctio. Cujus feſtum cólimus.

Lectio viij.

Ait ergo: Ità Pater, quóniam ſic fuit plácitum ante te. Cæléſtium enim verbórum arcâna atque virtútes ſapiéntibus abſcondúntur, & parvulis revelántur. Parvulis malítia non ſenſu: ſapiéntibus verò ſtultítiæ præſumptióne, non prudéntiæ cauſis. Factíque hujus æquitâtem Dóminus patérnæ voluntátis judício confírmat: ut qui dedignántur párvuli in Deum fieri, ſtulti deinceps in ſapiéntia ſua fiant. Vide quàm terríbilis in consíliis Dóminus. Diſce veræ humilitátis exémpla, nec témerè diſcútias ſupérnæ diſpenſatiónis consília. Cùm enim intuliſſet utrúmque, ſcílicet, quód áliis advéntus ſui ſacraménti reveláverit; ab áliis verò abſcónderit: non mox ratiónem réddidit, ſed ſic Deo plácitum dixit: hoc oſténdens maniféſtè, quia injúſtum eſſe non poteſt, quod plácuit juſto.

℟. De paupertátis hórreo ſanctus Franciſcus sátiat turbam Chriſti famélicam, in via ne deficiat: *Iter pandit ad glóriam, & vitæ viam ámpliat. ℣. Pro paupertátis cópia regnat, dives in pátria, reges ſibi ſubſtituens, quos hic ditat inópia. Iter pandit. Glória. Iter pandit. Benedíctio. Ad ſocietâtem.

Nona Lectio légitur de S. Marco.

In Láudibus Commem. ejuſdem, & ſanctórum Sérgii & Sociórum mártyrum.

Véſperæ fiunt de ſancta Birgítta vidua, cum Commem. Octávæ, Antiphona. Salve ſancte Pater, pátriæ lux, forma Minórum, virtûtis ſpéculum, recti via, régula morum; carnis ab exílio duc nos ad regna polórum.

## DIE VIII. OCTOBRIS.

Quinta die infra Octâvam S. P. N. Franciſci.

Fit de ſancta Birgítta vídua, Duplex, cum Commemoratióne Octávæ, Antiphona. Sancte Franciſce. 39.

In ſecúndis Véſperis fit Commemorátio de SS. Dionyſio, Rúſtico, & Eleuthério, & Octávæ, Antiphona. Salve ſancte.

## DIE IX. OCTOBRIS.

Sexta die infra Octâvam beáti Patris noſtri Franciſci.

Fit de SS. martyribus Dionyſio, Rúſtico, & Eleuthério, Semiduplex, cum Commemoratióne Octávæ, Antiphona. Sancte Franciſce. 39.

In ſecúndis Véſperis à capitulo fit de ſequénti, cum Commemorat. ſanctórum mártyrum Dionyſii, Rúſtici, & Eleuthérii, & Octávæ, Antiphona. Salve ſancte Pater, pátriæ lux, forma Minórum, virtûtis ſpéculum, recti via, régula morum: carnis ab exílio duc nos ad regna polórum.

In Ditióne Regis Hiſpániæ Véſperæ de ſequénti ſine ulla Commemoratióne.

## DIE X. OCTOBRIS.

Séptima die infra Octâvam S. P. N. Franciſci.

Fit de S. Franciſco Bórgia Confeſſóre. Semiduplex.

In Láudibus fit Comm. Octávæ S. P. N. Franciſci, Antiphona. Sancte Franciſce. 39.

Véſperæ de Octâva, ut in primis Véſperis Feſti, cum Commem. S. Franciſci de Bórgia.

## DIE XI. OCTOBRIS.

Octáva S. Patris noſtri Franciſci. Duplex.

Omnia ut in die 25. præter ea, quæ hic ponúntur.

In primo Noctúrno, Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In ij. Noctúrno. Lectio iv.

Ipſe tránſitum ſuum longè antè præſcivit, diéque óbitus imminénte, dixit Frátribus, ſui corpóris tabernáculum deponéndum in próximo: quemádmodùm demonſtrâtum ſibi fúerat à Chriſto. Biénnio ítaque ab impreſsióne ſacrórum Stigmatum, anno vidélicet à ſua converſióne vigéſimo, ad ſanctam Mariam de Portiúncula ſe deférri popóſcit: ut ubi per Vírginem Matrem Dei ſpíritum concéperat perfectiónis & grátiæ, ibidem mortis ſolúto débito ad brávium perveníret retributiónis ætérnæ. Perdúctus autem ad locum præfâtum, ùt veritâtis exémplo monſtráret, quód nihil erat ei commûne cum mundo, in illa infirmitâte tam gravi, quæ omni languóri conclûſit, ſuper nudam humum ſe totum nudâtum depóſuit: quàtenùs hora illa extréma, in qua poterat adhuc hoſtis iráſci, nudus luctarétur cum nudo. Décubans ſic in terra & púlvere nudâtus athlêta, manu ſiniſtra dextri láteris vulnus, ne viderétur, obtéxit, faciéque ſeréna sólito more leváta in cælum, inténdens illi glóriæ totus, magnificâre cœpit Altiſsimum, pro eo quòd expeditus ab ómnibus liber jam transíret ad ipſum.

℟. Dum ſeminúdo córpore laudes decántat Gállicè zelâtor novæ legis, latróni-

bus

bus in némore, * Reſpóndet ſic prophéticè: Præco ſum magni Regis. ℣. Audit in nivis frigore projéctus: Jace rúſtice, futûrus paſtor gregis. Reſpóndet.

Léctio v.

HOra dénique ſui tránſitus jam inſtánte: omnes Fratres exiſténtes in loco ad ſe fecit vocári: & eos conſolatiónis verbis pro ſua morte demúlcens, patérno affectu ad divinum eſt hortâtus amôrem. Poſſeſsiónem quoque paupertâtis & pacis hereditária ipſis ſucceſsióne relinquens & legans: ut ſe ad ætérna proténderent, ac contra mundi hujus munirent pericula, vigilánter admónuit: & ad crucifixi Jeſu perféctè ſectánda veſtigia, omni, qua pótuit, efficácia ſermónis indúxit. Circumſedéntibus verò filiis coram páuperum Patriárcha, cujus jam caligáverant óculi non ſenectûte, ſed lácrymis: vir ſanctus cæcútiens, & morti jam próximus, exténdit ſuper eos manus in modum Crucis bráchiis cancellátis, pro eo quòd hoc ſignum ſemper amâbat, & ómnibus Frátribus, tam præſéntibus quàm abſéntibus, in Crucifixi virtûte ac nómine benedixit.

℟. Amicum quærit priſtinum, qui ſpretum in cœnóbio tunicula contéxit: contémptu gáudens hóminum, * Lepróſis fit obſéquio, quos ánteà deſpéxit. ℣. Sub typo trium Ordinum, tres nutu Dei prævio Eccléſias eréxit. Lepróſis fit.

Léctio vj.

POſt hæc Evangélium ſecúndùm Joánnem ab illo loco: Ante diem feſtum Paſchæ, ſibi legi popóſcit, ut in eo vocem dilécti pulſántis audiret, à quo ſolus eum jam páries carnis diſjungêbat. Tandem cunctis in eum complétis myſtériis, orans & pſallens vir beâtus, obdormivit in Dómino, & ánima illa ſanctiſsima carne ſolûta, in ætérnæ claritâtis abýſſum abſórpta eſt. Ipſa tunc hora, unus ex Frátribus & diſcipulis ejus, vir útique ſanctitâte famóſus, ánimam illam felicem conſpéxit ſub ſpécie ſtellæ præfulgidæ, cándida ſubvéctam nubécula ſuper aquas multas in cælum trámite recto conſcéndere, utpotè quæ conſciéntiæ nitôre candéſcens, & meritôrum prærogativa refulgens, tam efficáciter ſursùm ferebâtur affluéntia gratiârum, & deiformitâte virtûtum, ut à viſiône cæléſtis lucis & glóriæ nec módicum retardári valêret.

℟. Au-



℟. Audit in Evangélio, quæ ſuis Chriſtus lóquitur ad prædicándum miſsis. Hoc, inquit, eſt quod cúpio. * Lætánter his innititur memóriæ commiſsis. ℣. Non utens virga, cálceo, nec pera: fune cingitur, duplícibus dimiſsis. Lætánter. Glória Patri. Lætánter.

In tértio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap.* 11. *d*

IN illo témpore, reſpóndens Jeſus dixit: Confiteor tibi Pater, Dómine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapiéntibus & prudéntibus, & revelâſti ea párvulis. Et réliqua.

De Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

*Serm.* 12. *de Verbis Apoſtoli cap.* 7. *&* 8.

DIſcite à me, inquit, quóniam mitis ſum, & húmilis corde. Quid tamen fecit propter te? Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ùt homo. Ecce propter te Deus factus eſt homo: & non te vis agnóſcere, cùm ſis homo? Ecce propter te Deus factus eſt homo ſine peccáto: & non vis te agnóſcere cum peccáto? ùt vénias ad illum, qui ait: Venite ad me omnes qui laborâtis, & oneráti eſtis, & ego vos reficiam.

℟. Carnis ſpicam contémptus área Franciſcus frangens, terens térrea, * Granum purum excûſſa pálea, ſummi Regis intrat in hórrea. ℣. Vivo pani morte junctus, vita vivit vita functus. Granum purum.

Léctio viij.

TOllite jugum meum ſuper vos. Tuliſti hoc jugum? Tuliſti? Sentis te habêre ſeſsôrem? Tuliſti hoc jugum? Dicis, Tuli. Sentis te habêre ſeſsôrem? Sentis te habêre rectôrem? Séntio, inquis. Illi ergo dic: Greſſus meos dirige ſecúndùm verbum tuum. Regit te ſub jugo ſuo, & ſub sárcina ſua. Ut enim sárcina ejus ſit tibi levis, & jugum ejus ſuâve: ille tibi amôrem inſpirâvit. Amánti ſuâve eſt, non amánti durum eſt. Amánti ſuâve eſt, Dóminus dedit ſuavitâtem.

℟. De paupertâtis hórreo ſanctus Franciſcus sátiat turbam Chriſti famélicam, in via ne deficiat: * Iter pandit ad glóriam, & vitæ viam ámpliat. ℣. Pro paupertâtis cópia regnat dives in pátria, reges ſibi ſubſtituens, quos hic ditat inópia.

Iter.

Iter pandit. Glória. Iter pandit.

Léctio ix.

AN fortè, quia veniſti áudiens: Venite ad me; hoc ipſum tibi arrogâre conténdis: quia veniſti? Ecce, inquis, veni ad illum arbitrio meo, voluntâte mea. Quia veni, réficit me: quia veni, jugum ſuum impónit mihi ſuâve: quia dat amôrem, ſárcinam ſuam levem impônit mihi amánti & diligénti. Hæc ómnia fecit in me: ſed quia veni ad eum. Ergo hoc ſapis, quia veniſti: tu tibi hoc præſtitiſti? Quid enim habes quod non accepiſti? Quómodò veniſti? Credéndo veniſti: ſed nondum perveniſti. Adhuc in via ſumus. Vénimus, ſed nondum pervénimus. Vis noſſe quia & hoc præſtitum eſt tibi? Ipſum audi vocántem: Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, tráxerit eum.

Te Deum laudâmus. 17.

Veſperæ à capitulo de S. Seraphino ut infrà, cum Commemoratióne præcedéntis.

## DIE XII. OCTOBRIS.

In feſto ſancti Seraphini de Aſculo, Ord. Capuccinórum.

Duplex minus.

Omnia de Commûni Confeſsóris non Pontificis ij. loco, lxxxiij. præter Lectiónes primi Nocturni, quæ ſunt de Scriptûra occurrente.

Veſperæ de ſequenti, cum Commemoratióne præcedéntis.

## DIE XIII. OCTOBRIS.

In feſto SS. Daniélis & Sociórum mártyrum.

Duplex ij. Claſsis.

Orátio.

FRatérna nos, Dómine, mártyrum tuórum corôna lætificet: quæ & fidei noſtræ præbeat increménta virtûtum, & multiplici nos ſuffrágio conſolêtur. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

In primo Nocturno Lectiónes. Fratres, Debitóres ſumus, de Commûni pluſimôrum Martyrum. xl.

In ſecúndo Nocturno.

Léctio iv.

ANno ſalutíferi Chriſti ſupra milléſimum ducenteſimo vigeſimo séptimo, ſexto Idus Octóbris, dum áurea illa naſcéntis Ordinis Seraphici témpora feliciter promicârent, vir ſanctitúdinis venerándæ Frater Daniël Miniſter Calábriæ cum ſex aliis Frátribus, vidélicet Angelo, Samuêle, Donulo, Leóne, Hugolino, atque Nicoláo, martýrii lauream inſigniter adéptus eſt. Hi à Fratre Elia Generâli Miniſtro, Patriſque Franciſci tunc agénte vices, obténta facultâte, è Túſciæ plagis, ducénte Chriſto, Ceptam Saracenôrum urbem perrexérunt. Illuc cùm perveniſſent, procedéntes in urbis medium, libera voce Chriſtum ſolum eſſe mundi Salvatôrem unánimes conclámant. Verùm poſtquam aliquámdiù ea, quæ ſunt Chriſtiánæ fidei veritatiſque Evangélicæ, palàm proteſtâti fuiſſent, taxaſſentque miſerándam eôrum vecórdiam ac cæcitâtem, à furéntibus turbis arrépti, flagris cæſi ſunt, variiſque affécti contumeliis ac opprobriis. Quæ illi propter Chriſtum ómnia nihil pendéntes, illôrum demùm dómino ſiſtúntur.

℟. Sancti tui Dómine mirábile conſecúti ſunt iter, ſerviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæſi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, & in mari Rubro via ſine impediménto. ℣. Quóniam percúſsit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra appáruit.

Léctio v.

EOs Tyránnus tonſis de religióſo more capillis, intrépidis vúltibus, ore étiam imperióſo ac férvido loquéntes aſpiciens, mente captos arbitrâtur. Jubet proindè in cárcerem eos cónjici, ferreiſque vinculis conſtringi. Octávo autem die ad ſe dedúctos intérrogat, velintne quæ de Chriſtiána fide priùs aſſeveráſſent írrita eſſe, ſuôque Deo abnegáto, ad Mahuméticæ legis ritum convérti? At verò, quæ dixerant illi, conſtabiliéntes válidis ratiónibus Spiritu veritâtis aſpirante, oſténdunt nullum abſque Baptiſmo, uniúſque Redemptôris hóminum Chriſti Jeſu ſuffrágio ad ſalûtem áditum eſſe. Eos igitur Arbáldus judex cápite animadvérti decrêvit. Tunc lata ſenténtia, beâtus Pater Dániël, sócios filióſque ſuos exhilarans, dixit: Gaudeâmus in Dómino fideliſſimi commilitónes, feſtiviſque diem hunc gáudiis conſecrêmus. Adſtant enim Angeli ánimas noſtras è córporis ergáſtulo ſolútas, in empýrea regna cum palmæ trophæo deductúri. Nos hódiè in ſuam ſortem candidáti Mártyres excipient. En nobis cælôrum jánua apérta eſt. Quid morâmur, quò minùs ad eôrum beatitúdinem convolêmus?

℟. Vérbera carnificum non timuérunt ſancti Dei, moriéntes pro Chriſti nómine: * Ut herédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora ſua propter Deum

Deum ad ſupplícia. Ut herédes.

Léctio vj.

POrrò ubi ſuis nudáti ſunt veſtiméntis, quaſi forent ad lautiſsimas épulas invitáti, è régia mirum in modum exultabúndi ad ſupplícii locum próperant. Haudquáquàm fácile ſit relátu, quàm pias Deo tunc perſonent laudes, quàmque impénsè grátias agant. At ubi, quoad licuit, Deo ſupplicavére, ſuáſque ánimas commendavére, ſpiculatóri tandem flecténtes cervícem, cápitis obtruncatióne glorióſam pro Chriſti fide mortem paciſcuntur. Eórum ítaque conquaſsátis capítibus, cadávera crudeliſsimè collúſa, membratímque diſcérpta, magno fuére púeris ac céteris ludíbrio: útpotè quæ per urbem túrpiter raptáta ſint, ac dilaniáta; ſed póſteà à Chriſtiánis collécta, cóngruo honóre cóndita fúerunt in Alphondega Maſsiliénſi. Quæ poſt hæc cùm Regis Portugálliæ fílius dono accepíſſet, in Hiſpániam tránſtulit; ubi horum ſuffrágiis vária pleríſque impendúntur benefícia, crebris uſquequáque miráculis ſuæ probitátis fidem non vulgárem faciéntibus. ℟. Tamquàm aurum in fornâce probâvit eléctos Dóminus, & quaſi holocáuſti hóſtiam accêpit illos: & in témpore erit reſpéctus illórum: * Quóniam donum & pax eſt eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquieſcent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tértio Noctúrno Homília S. Ambróſii Epiſcopi in Evangélium. Deſcéndens Jeſus, de Commúni plurimór. Martyrum. lii. ℟. viij. Hæc eſt vera. xlviij.

In ſecúndis Véſperis fit Commemorátio S. Callíſti Papæ & mártyris.

## DIE XVI. OCTOBRIS.

Fit de S. Eduárdo Rege & Confeſsore, Semidúplex.

Vide Offícium in Breviário Románo, die xiij. Octobris.

## DIE XIX. OCTOBRIS.

In feſto S. Petri de Alcántara Confeſsóris, Primi Ordinis.

Dup. ij. Claſſ. cum Oct.

In ij. Véſperis S. Lucæ Evangeliſtæ fit de S. Luca, cum Comm. S. Petri de Alcántara; at ubi celebrátur feſtum ſancti Petri tamquam de Titulári, vel Patróno, Véſperæ fiunt de S. Petro cum Commemor. S. Lucæ.

### AD VESPERAS.

Antiphona.

SAnctus Petrus de torrénte mortificatiónis in via bibit, proptéreà exaltávit caput in glória. Pſalmus. Dixit Dóminus, cum reliq. de Domínica, 133. & loco último. Pſalm. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137. Antiphona. Memor fuit teſtaménti Patris ſui Franciſci, Eccléſias & domos páuperes ædificávit. Antiphona. In omni angúſtia & preſsûra parâtum cor ejus ſperâre in Dòmino. Antiphona. A ſolis ortu uſque ad occáſum laudábile nomen Dómini magnificávit. Antiphona. Omnes Gentes laudábant eum, & in conſpéctu Príncipum admirábilis fuit.

Capítulum. *Phil. 3.*

FRatres, Imitatóres mei eſtóte, & observáte eos qui ità ámbulant: ſicut habêtis formam noſtram.

Hymnus.

PEtre ſol terris óriens Ibéris,
Lucis ut ſpargas rádios per orbem,
Quos tuo læti cánimus triúmpho,
Suſcipe laudes.

Per te in antiquos renováta mores
Clara Franciſci ſóboles niteſcit,
Creſcit & virtus redivíva largo
Múnere cæli.

Omne quod vitam máculat peróſus,
Mente conſtánti pereúntis ævi
Déſpicis pompam, precibúſque placas
Núminis iram.

Artubus caſtis nímiùm ſevêrus
Te fame, & diris crúcias flagellis,
Sternis & noctu fatigâta duro
Stípite membra.

Dignus hinc celſas habitâre ſedes,
Sæpè ſublîmis volitâre in altum
Viſus, & mundi fúgiens tumúltum,
Próximus aſtris.

Nunc preces audi, gemitúſque noſtros,
Integros nobis ſine labe mores,
Et tuos noſtris ánimis ſalúbres
Ingere ſenſus.

Annuat rerum Sator, & perénne
Sit decus Patri, genitǽque Proli,
Et tibi Flamen Deus unus omni
Témpore ſǽculi. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Petre. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Magníficat, Antiphona. O virum ineffábilem, qui vivens in carne, ſpíritu ambulávit, & nihil in terris desíderans, converſatiónem ſuam ſemper in cælis habêbat.

Orá-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**Orátio.**

Deus, qui beátum Petrum Confeſsórem tuum admirábilis pœniténtiæ, & altiſsimæ contemplatiónis múnere illuſtráre dignátus es: concéde propítius, ut ejus ſuffragántibus méritis, carne mortificáti, cæléſtium donórum partícipes fieri mereámur. Per Dóminum noſtrum.

**Ad Matutinum, Invitatór.** Regem glóriæ, qui húmilem exaltávit Petrum, * Veníte adorêmus. **Pſalmus.** Veníte, exultêmus, 2.

**Hymnus.**

Petrum Paréntis óptimi
Germen canâmus inclytum,
Qui páuperum paupérrimus
Extrêma quæque pértulit.
Hic Chriſti amôre sáucius,
Ut pérditis ſuccúrreret,
Stupénda pœniténtiæ
Exémpla mundo præbuit.
Sitim, famémque ſúfferens,
Et veſte tectus híſpida,
Quidquid luéndum eſt, nóxiis
A ſe flagéllis éxigit.
Loris revinctus férreis
Exángue corpus cónficit,
Et singulis ex ártubus
Emânat unda sánguinis.
Dum flexo adôrat póplite
Crucis ſacrâtum ſtípitem:
Crux émicat divínitus,
Ipſúmque ſplendor imbuit.
Decus Minôrum ſúſcipe
Laudes precéſque ſúpplicum:
Tuos ab alto miſtiùs
Pater beâte réſpice.
Sit laus Patri, ſit Filio,
Tibique ſancte Spíritus;
Duc per Petri veſtigia
Nos ad ſupérna gáudia.
Amen.

**In primo Nocturno, Antiph.** Petrus ob pœniténtiam áridæ radíci símilis, ſecus decúrſus aquárum grátiæ plantátus, fructus dedit in témpore ſuo. **Pſalmus.** Beátus vir, **cum réliq. de Comm. Conf. non Pontíficis.** lxxiv. **Antiphona.** Servívit Dómino in timôre, & exultávit ei cum tremôre. **Pſalmus.** Quare fremuérunt. **Antiphona.** Dormivit, & ſoporâtus eſt, quia Dóminus ſuſcêpit eum in oratióne. **Pſalmus.** Dómine, quid multiplicáti ſunt. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum. Pater noſter. **Abſolútio.** Exáudi Dómine. ℣. Jube domne. **Benedict.** Benedictióne perpétua.

De Epiſtola B. Pauli Apóſtoli ad Philippénſes.

**Léctio j.** *Cap.* 3.

Fratres, Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrâtus ſum propter Chriſtum detriménta. Verúmtamen exiſtimo ómnia detriméntum eſſe propter eminéntem ſciéntiam Jeſu Chriſti Dómini mei: propter ómnia detriméntum feci, & árbitror ùt ſtércora, ut Chriſtum lucrifáciam, & invéniar in illo non habens meam juſtítiam, quæ ex lege eſt; ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu: quæ ex Deo eſt juſtitia in fide ad cognoſcéndum illum & virtûtem reſurrectiónis ejus, & ſocietâtem paſsiónum illíus: configurâtus morti ejus: ſi quo modo occúrram ad reſurrectiónem, quæ eſt ex mórtuis: non quòd jam accéperim, aut jam perféctus ſim: ſequor autem, ſi quómodò comprehéndam, in quo & comprehénſus ſum à Chriſto Jeſu.

℟. Mórtuus eſt Pater noſter Seráphicus, & quaſi non eſt mórtuus; símilem enim ſibi reliquit Petrum poſt se: * Quem conſtítuit defensôrem domus ſuæ. ℣. Hic ambulávit per omnes vias Patris ſui, non declinávit ad déxteram, ſive ad ſiniſtram. Quem conſtítuit. **Benedict.** Unigénitus Dei Filius.

**Léctio ij.**

Quicúmque ergo perfécti ſumus, hoc ſentiámus: & ſi quid áliter sápitis, & hoc vobis Deus revelávit. Verúmtamen ad quod pervénimus, ut idem ſapiámus, & in eádem permaneâmus régula. Imitatôres mei eſtôte fratres, & obſervâte eos, qui ità ámbulant, ſicut habêtis formam noſtram. Multi enim ámbulant, quos ſæpè dicêbam vobis (nunc autem & flens dico) inimícos Crucis Chriſti: quorum finis intéritus: quorum Deus venter eſt: & glória in confuſióne ipſórum, qui terrêna ſápiunt. Noſtra autem conversátio in cælis eſt: undè étiam Salvatôrem expectâmus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformábit corpus humilitâtis noſtræ configurâtum córpori claritâtis ſuæ, ſecúndùm operatiónem, qua étiam poſsit ſubjícere ſibi ómnia.

℟. Ecce ſervus meus complácuit ſibi in illo ánima mea, dedi ſpíritum meum ſuper eum. * Cùm transíeris per aquas, tecum ero, & flúmina non opérient te. ℣. Honorábilis factus es in óculis Dei, & glorióſus. Cùm transíeris. **Benedictio.** Spíritus ſancti grátia.

**Léctio iij.** *Cap.* 4.

De cétero fratres, quæcúmque ſunt vera, quæcúmque pudica, quæcúmque juſta, quæcúmque ſancta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplínæ, hæc cogitâte. Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc ágite: & Deus pacis erit vobíſcum. Gavíſus ſum an-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

autem in Dómino vehementer: quóniam tandem aliquándo refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebátis: occupáti autem erátis. Non quaſi propter penúriam dico: ego enim dídici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliári, ſcio & abundáre (ubique & in ómnibus inſtitútus ſum) & ſatiári, & eſuríre, & abundáre, & penúriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confórtat.

℟. Noli timére ſervus meus, quem elégi, effúndam ſpíritum meum ſuper ſemen tuum: * Benedictiónem meam ſuper ſtirpem tuam. ℣. Gérminans germinábit ſicut lílium, eritque ánima eórum quaſi hortus irríguus. Benedictiónem. Glória Patri. Benedictiónem.

In ſecúndo Noctúrno, Aña. Mirificávit Dóminus ſanctum ſuum, & exaudívit eum clamántem ad ſe. Pſalmus. Cùm invocárem. lxxvij. Antiph. Exultábat in Deo ſpíritus ejus, & ipſe habitábat in eo. Pſalmus. Verba mea. Antiphona. Admirábile réddidit nomen tuum Dómine in univérſa terra, & ideò conſtituiſti eum ſuper ópera mánuum tuárum. Pſalmus. Dómine Dóminus noſter. ℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Pater noſter. Abſolútio. Ipſius píetas. Benedict. Deus Pater omnípotens.

Lectio iv.

Petrus natióne Hiſpánus, nobílibus paréntibus Alcántaræ in Extremadúra natus, ab ineúnte ætáte morum innocéntia & gravitáte futúræ præbuit indícia ſanctitátis. Vix ſextum pueritiæ annum attígerat, cùm oratióni frequénter vacans, ſupernárum rerum contemplatióni atténto ſic ánimo adhærére cœpit, ut in Deo totus abſórptus, intérdum extra ſe raperétur. Provéctior deinceps ætáte, poſt ſtúdia, in quibus miré in dies proficiébat, piis misericórdiæ opéribus, carcéribus, & infírmis viſitándis, Eccléſiis, ac Religioſórum dómibus perluſtrándis, atque Miſsis devótè inſerviéndis, tempus omne inſumébat. Ab eo témpore atrox córpori ſuo, tamquam infenſíſsimo hoſti, bellum indícens, præter cibi parſimóniam, atque à vino abſtinéntiam, ob leviſsimos deféctus aſpérrimis illud flagéllis macerábat. Quotídiè ſibi tamquam mórtuo Pſalmum: De profúndis récitans, priúſquam cubitum iret, ánimam ſuam Deo commendábat.

℟. Miniſter Chriſti fuit in labóribus plúribus, in plagis ſupra modum, in itinéribus ſæpè, perículis flúminum, perículis in ſolitúdine: * In ærúmnis, in vigíliis, & in jejúniis multis, in fame & ſiti, in frígore & nuditáte. ℣. In ómnibus exhibuit ſemetipſum ſicut Dei miniſtrum in multa patiéntia. In ærúmnis. Benedíctio. Chriſtus perpétuæ.



Lectio v.

Altióris perfectiónis flamma ſuccénſus, Seráphicum ſtrictióris diſciplinæ Inſtitútum ſextodécimo ætátis ſuæ anno in nova Cuſtódia ſancti Evangélii, ſive Extremadúræ, Fratrum Minórum Diſcalceatórum ſuſcépit. Mox noviciatus primórdia tanto virtútis ardóre arrípuit, ut rigidíſsimæ pœniténtiæ orándi aſsiduitátem adjúngens, provectióres étiam hoc ſtúdii génere in ea domo anteíret. Anno probatiónis felíciter explé to, ad altióra mortificatiónis, ſtrictióris inópiæ, ac ſublimióris contemplatiónis exercítia anhelábat. In oculórum cuſtódia præcipuè enítuit, Eccléſiæ ac cellæ (in qua per íntegrum annum commorátus fúerat) ex qua matéria laqueária forent, numquam obſervávit: & poſt exáctum in Convéntu triénnium, Fratres non ex vultu, ſed ex ſolo cognoſcébat audítu, quod étiam cùm ad propínqua loca ex obediéntia mitterétur, rigidè eſt proſecútus. Siléntium quoque, puri cordis cuſtódiam, à princípio ita cóluit, ut per tres annos contínuos, quoſdam in ore lapíllos déferens, à verbis otióſis diſceret abſtinére.

℟. Virtúte multa prǽditus ſanctus Pater, invíctum ab oratióne ſpíritum non relaxábat, * Cum fructu óperum próferens divínæ ſapiéntiæ verba. ℣. Diébus ac nóctibus non ceſsábat à ſupernis collóquiis & oratióne. Cum fructu. Benedíctio. Ignem ſui amóris.

Lectio vj.

Poſt plura Religiónis miniſteria, in quibus tamquam ómnium noviſsimum ſeſe exhibuit, fratrum Præfectus conſtitútus, ipſórum, hoſpitúmque pedes própriis mánibus lavábat; cum iiſdem panem oſtiátim emendicábat: & intérdum inter cæmentários opífices bajuli officio fungebátur. Infirmórum curam à Deo peculiáriter ſibi commiſſam dictitans, in ſubditórum neceſſitátibus ſublevándis ita ſollícitus erat, ut nobílium tamen virórum largitiónibus perſæpè fræna injíceret, véritus ne cultus paupertátis, à ſe únicè dilectus, eleemoſynárum cópia obruerétur. Quare fratres his inſtrúc-

tructi exémplis, atque à ſalutáribus ſancti viri mónitis, ad perfectióris vitæ normam inflammáti, nonnúllis Conſtitutiónibus (quæ arctióris diſciplinæ formam continébant) Petro admonénte ſeſe ultrò ſubjecérunt. Adiit quoque vir religiónis zelo plenus Luſitániæ Regnum, ubi arctiſsimæ Arabidórum paupertátis inítia adjúvit, atque provéxit.

℟. Cùm introiſſet in hortum, in quo fixa erat Crux, expánſis mánibus orábat, dicens: * Súſcipe me, & ſalva me, ó bona Crux. ℣. Reſplenduérunt montes ab ea, & nubes lúcida obumbrávit caput ejus. Súſcipe me. Glória Patri. Súſcipe me.

In tértio Nocturno, Aña. Nullam concéſsit réquiem córpori ſuo, ideò requiéſcit in monte ſancto tuo. Pſalmus. Dómine, quis. lxxx. Antiphona. Prævéntus eſt in benedictiónibus dulcédinis, & lætificávit eum Dóminus in gáudio cum vultu ſuo. Pſalmus. Dómine in virtúte. Antiphona. Innocens mánibus, & mundo corde miſericórdiam accêpit à Deo ſalutári ſuo. Pſalm. Dómini eſt terra. ℣. Lex Dei ejus in corde ipſius. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. Pater noſter. Abſolútio. A vínculis. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap. 12.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nolíte timêre puſillus grex, quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía ſancti Petri Chryſólogi Epiſcopi.

*De Terrenórum cura deſpiciénda, Sermóne 22.*

PRæmia ſtatuúntur his ſemper, quibus certámina dura proponúntur, ac pro magnitúdine certáminis, prǽmii propónitur magnitúdo. Hic eſt, quòd diſcípulis ſuis Chriſtus regnum ponit in prǽmio, ut in certámine non cedant perículis, non timóri. Perícula déſpicit, qui tendit ad regnum; victóriæ cúpidus neſcit timêre. Nolíte timêre, inquit, puſillus grex, quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Grex puſillus mundo, magnus Deo: puſillus, quia glorióſos vocat eos, quos inſtituit ad óvium innocéntiam, & manſuetúdinem Chriſtiánam. Puſillus grex eſt, qui non de magno minúitur, ſed creſcit de puſillo. Puſillus grex naſcéntis Eccléſiæ ſic deſignat infántiam, quam veníre ad regni ſui inſulas increméntis cæléſtibus mox promíttit.

℟. In magna ſiccitáte preces fudit ad Deum, & ecce cæli contenebráti ſunt, & facta eſt plúvia grandis. * Quis eſt hic, quia venti & plúviæ obédiunt ei? ℣. Dum ſacra myſtéria in campo perágeret, dixit, & ſtetit ſpíritus procéllæ. Quis eſt. Benedíctio. Cujus feſtum cólimus.



Léctio viij.

ADjécit quid faciéndum ſit regnatúris: Véndite quæ poſsidétis, date eleëmóſynam, fácite vobis ſácculos, qui non veteráſcunt, theſáurum non deficiéntem in cælo. Véndite quæ poſsidétis. Dejéctæ mentis eſt, qui familiáris rei méminit, cùm vocátur ad regnum: jacens ánimus plebejus nummulum theſáuris regálibus antepónit; pauper ſenſus parvis incúbans perdit magna, & inhians temporálibus, déſerit ſempitérna. Véndite, inquit, quæ poſsidétis. Homo, tali mónitu Chriſtus te ditáre vóluit, non nudáre; manêre tibi tua vóluit, non períre; perpetuári non vacuári ſǽculos imperávit: juſsit te transferre, non pérdere.

℟. Dómine Jeſu Chriſte, cui ſanctus Petrus adeò fidéliter in vita ſua ſervívit, ut in témpore iracúndiæ fíeret reconciliátio: * Exáudi propter eum preces noſtras, & da nobis ſalútem ánimæ & córporis. ℣. Qui fámulæ tuæ Teréſiæ dixiſti, te ſemper in Petri nómine peténtes exaudītúrum. Exáudi. Glória Patri. Exáudi. Benedíctio. Ad ſocietátem.

Léctio ix.

THeſáurum non deficiéntem in cælo, quò fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Pius consílio Patris agit, quàm jure dominántis: inter inſídias latrónum, & tineárum morſus, quare tua recóndas objúrgat: pervígiles noctes, dies ánxios, ſollícita témpora ne tibi ipſe fácias, commonéntis. Auri cuſtos, ſervátor argénti, ſecuritátem non habet, neſcit quiétem: & cui deeſt ſecúritas, quies perit, pœna dives eſt ille, non cenſu. Theſáurum non deficiéntem in cælo, hoc eſt dícere, Ubi ego ſum ibi pónite: date mihi, ego ſervo.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

MIrábilis in Petro Dóminus, cujus teſtimónia credibília facta ſunt nimis. Pſalm. Dóminus regnávit, cum réliquis. 18. Antiphona. Potens ópere & ſermóne, multiplicávit pópulum Dei, & oves páſcuæ ejus. Antiphona. Adhǽſit ánima mea poſt te, quia caro mea flagelláta eſt pro te Deus meus. Antiph.

Charitáte vulnerátus, creatúras omnes cæli & terræ ad benedicéndum Dóminum provocâbat. Antiphona. Ignis, grando, nix, glácies, ſpíritus procellárum faciébant verbum ejus.

Capitulum. *Philip.* 3.

FRatres, Imitatóres mei eſtóte, & obſerváte eos, qui ità ámbulant: ſicut habêtis formam noſtram.

Hymnus.

HOrtus Minórum fértilis
Florem novéllum gérminat,
Odóre qui gratiſsimo
Mundi replévit ámbitum.
Miris nitens virtútibus,
Signis refúlget plúrimis:
Terris, aquis, & ignibus,
Auræque nimbis imperat.
Ex fuſte tellus árido
Invita frúctus prótulit:
Sanctis ſubácta greſsibus
Iter dedérunt flúmina.
Delápſa nix è núbibus
Suſpénſa cæli róbore,
Cunctis ſtupéndam ſæculis
Parâvit ædem córpori.
Extinxit ignis ímpetum,
Agros rigávit ímbribus,
Jejúna Fratrum córpora
Eſca cibávit cælica.
Præſens adeſt abſéntibus,
Affert medêlam lánguidis,
Caſus futúros próſpicit,
Motúſque cordis détegit.
Patri ſimul cum Fílio,
Sanctóque laus ſit Flámini,
Qui nos ad aulam glóriæ
Petri precátu dírigat. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Petre. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Benedictus, Antiphona. Beátus Petrus quaſi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióſo, fluénta grátiæ propinávit in pópulo, & accêpit ſtolam glóriæ in conſummatióne virtútis.

Oratio.

DEus, qui beátum Petrum Confeſsórem tuum admirábilis pœniténtiæ, & altíſsimæ contemplatiónis múnere illuſtrâre dignátus es: concêde propítius, ut ejus ſuffragántibus méritis, carne mortificáti, cæléſtium donórum partícipes fíeri mereâmur. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Antiphona. Potens ópere & ſermóne.

Capitulum. Fratres, Imitatóres mei eſtóte, ut ſupra.

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit eum.

℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium.

Ad Sextam, Antiphona. Adhæſit ánima mea.

Capitulum. *Philip.* 4.

QUæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc ágite: & Deus pacis erit vobiſcum.

℟. br. Os juſti, * Meditábitur ſapiéntiam. Os. ℣. Et lingua ejus loquêtur judícium. Meditábitur. Glória. Os. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Ad Nonam, Antiphona. Ignis, grando.

Capitulum. *Philip.* 4.

SCio & humiliári, ſcio & abundáre (ubique & in ómnibus inſtitútus ſum) ſatiári, & eſuríre, & abundáre, & penúriam pati: ómnia poſſum in eo qui me confórtat.

℟. br. Lex Dei ejus, * In corde ipsius. Lex. ℣. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. In corde. Glória Patri. Lex. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et oſténdit illi regnum Dei.

Ad Véſperas, Antiphonæ, Pſalmi, Capitulum, Hymnus & ℣. ut in primis Véſperis. 48.

Ad Magnificat, Antiphona. O ſanctíſsima ánima, in cujus tránſitu cæli cives occúrrunt, Angelórum chorus exúltat, & glorióſa Trínitas invitat, dicens, Mane nobiſcum in ætérnum.

Orátio ut ſupra.

Deinde fit Commemorátio ſequentis.

## DIE XX. OCTOBRIS.

Secunda die infra Octávam ſancti Petri.

Fit de S. Wenceſláo Duce & mart.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviário Romano die xxviij. Septémbris.

In Láudibus fit Commemorátio Octávæ.

Véſperæ de SS. Urſula & Sociábus virgínibus & martýribus cum Commemoratióne præcedentis, & Octávæ S. Petri, ac S. Hilariónis Abbátis.

## DIE XXI. OCTOBRIS.

Tértia die infra Octávam S. Petri.

Fit de SS. virgínibus & martýribus Urſula & Sociábus.

Duplex minus.

Omnia de Commúni Vírginum & Mártyrum. xc.

In utríſque Véſperis & Láudibus. ℣. Adducéntur regi vírgines poſt eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi. Antiphona. Prudentes vírgines aptâte veſtras lámpades: Ecce ſponſus venit, exíte óbviam ei.

Orátio.

DA nobis, quæſumus Dómine Deus noſter, ſanctárum vírginum, & mártyrum tuárum Urſulæ, & Sociárum ejus palmas inceſsábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póſſumus celebrâre, humílibus ſaltem frequentêmus obséquiis. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Deindè fit Commemorátio Octávæ S. Petri, ut in ij. Véſperis. Poſteà S. Hilariónis Abbátis.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

Pro Monialibus autem eſt Duplex majus. Lectiónes primi Nocturni. Confitébor tibi, de Commúni ij. loco. cvj.

In ſecúndo Nocturno.

Lectio iv.

GRatiáno Imperatóre, Flávius Clemens Máximus, Románi exércitus in Británnia Dux, arrépta tyránnide, Imperátor à milítibus acclamátur. Indè cópias in Gállias tranſmittens, ab infénſis Gratiáno Legiónibus excéptus, Impérium ſibi corróborat. Cúmque Armoricórum úberem regiónem, ejéctis antíquis habitatóribus, Británnicis milítibus, quos ſecum dúxerat, diviſiſſet, quo novas colónias propagáret in pósteros, Connani Británnici réguli (quem Britannórum Ducem habébat in exércitu) consílio, miſſa Legatióne in Británniam, ſingulis milítibus novis colónis ſingulas vírgines conjúgio fœderándas póſtulat.

℟. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna. Et dedúcet.

Lectio v.

HAud viſa Británniæ réguli absúrda petítio: Unde in grátiam novi Imperatóris, & quòd fílias ſuas non niſi gentílibus ſuis, iiſque donátis nova Província prædivítibus honeſtiſſimè collocándas ſcirent: pro número mílitum tótidem deléctæ ſunt vírgines: omnes número úndecim míllia; quarum princeps erat Urſula, Diónoci Cornúbiæ regis fília, deſponsáta Connáno Duci Britannórum mílitum in exércitu Máximi. Cunctæ ígitur Londíni colléctæ impóſitæ ſunt invítæ navígiis. Solvéntes nautæ dum Armoricórum regiónem cógitant, à ſæva procélla in Germánicum littus dejiciúntur.

℟. Dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam. Proptéreà.

Lectio vi.

COntigit adéſſe tunc ibi Hunnórum cópias, quas à Gratiáno Imperatóre advérsùs Máximum evocátas ferunt. Nacti ígitur Bárbari præclárum illud vírginum agmen, impoténti libídinis æſtu furéntes, in eas írruunt. Sed cùm hortánte Urſula, mortem pótiùs appétere, quàm virgínei pudóris jactúram pati, invícto ánimi vigóre decreviſſent: Hunni in rábiem immanitátis convérſi, ad unam omnes trucídant. Sicque Urſula, ſuper cómitum ſuárum velut cæléſtium margaritárum pretióſum acérvum, glorióſa víctima procúmbens, púrpura pro Chriſto ſui ſánguinis decoráta, triumphatórem tot vírginum exércitum, géminis nempè virginitátis, & martýrii láureis insígnem ducens, cælum víctrix intrávit. Quarum córpora Colonienſes ſummo honóre condidérunt: earúmque illúſtrem agónem chriſtiánus orbis floréntì ſemper memória célebrat.

℟. Afferéntur Regi vírgines poſt eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténdè, próſperè procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tértio Nocturno Lectiónes de Homilía S. Gregórii Papæ in Evangélium. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, ut in Commúni Vírginum primò loco. ciij.

Nona Lectio ex duábus de S. Hilarióne Abbáte.



In Láudibus fit Commemorátio Octávæ, & S. Hilariónis Abbátis.

In ſecúndis Véſperis à Capítulo de ſequénti Commemor. præcedéntis. Apud Moniáles Commemorátio ſequéntis, & Octávæ.

## DIE XXII. OCTOBRIS.

Quarta die infra Octávam ſancti Petri.

In feſto beáti Ladisláï de Gielnow Confeſſóris.

Duplex.

Omnia de Commúni Confeſſóris non Pontif. lxxiij. præter ea, quæ ſequúntur.

In Hymno, Iſte Conféſſor, mutátur tértius Verſus.

Orátio.

DEus, qui beátum Ladisláum religióſa perfectióne voluiſti ómnibus prælucére: concéde propítius; ut ejus exémplo in virtútibus júgiter proficiámus. Per Dóminum.

Lectiónes primi Nocturni de Scriptúra occurrénte.

In ſecúndo Nocturno.

Lectio iv.

LAdisláus in óppido Gielnóvii Diœcéſis Gneſnénſis in Polónia natus, mira vitæ innocéntia pueritiam tranſégit. Adhuc adoléſcens in Ordine Fratrum Minórum Obſervántium S. Franciſci, quorum antiquam diſciplinam ſanctus Joánnes à Capiſtráno non diù antè in Polónia pro-

propagáverat, ſolémnia vota nuncupávit. In arrépta religióſæ perfectiónis via ita profécit, ut abſolútæ ſanctitâtis exémplar viderêtur. Aſsíduis jejúniis, & vigíliis corpus ſubêgit: oratiónis, & contemplatiónis grátia, charitâte, humilitâte, aliíſque religióſi hóminis virtútibus máximè enítuit, ac regulárem in primis obſervántiam ardénti zelo promóvit.

℟. Honéſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodívit eum ab inimícis, & à ſeductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

CUm céteris ſanctitâte, zelo, ac doctrina prælucêret, ad régimen ſui Ordinis aſsúmptus eſt: ſæpè Cuſtódis Conventus Varſavienſis, & Vicárii Provinciæ Polóniæ munus ſumma cum laude obivit. Divini verbi prædicatióni óperam navâvit egrégiam. Præ áliis autem virtútibus obediéntiam, ac própriæ voluntâtis abdicatiônem máximè cóluit; cùm enim ei Cœnóbii óptio darêtur, & sócii, qui famularêtur, è Superiórum nútibus pendêre ſe velle proféſſus eſt. Singulári pietâte, ac devotiône erga Chriſti Dómini Paſsiônem afficiebâtur, quæ tam altè ipſius menti hærêbat, ut illius memóriam ſuis in conciónibus numquam omitteret.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, ſtolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradíſi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

SAcro Paraſcéves die cùm de Domínica Paſsiône ad pópulum conciônem habêret, eique Chriſti dolóres, & cruciátus præ óculis póneret, ſacratiſsimum Jeſu nomen ingéminans, in éxtaſim raptus eſt, & ſuper ambônem univérſo ſpectánte pópulo elevâtus. Mox languôre corréptus, plenus méritis, ac ómnibus Eccléſiæ Sacraméntis ritè, ſanctéque reféctus migrâvit ad Dóminum quarto Nonas Maii anno milléſimo quingentéſimo quinto, & in Eccléſia ſui Ordinis Varsáviæ ſepúltus eſt. Ejus mérita, & ſanctitâtem ſtatim poſt mortem miráculis Deus comprobâvit; præſentémque in ſuis calamitâtibus opem agnoſcéntes Polóni, & Lithuáni inter ſuos primários Patrónos beâtum Ladisláum adlegérunt. Ipſius cultum Summus Póntifex Benedíctus



Quartuſdécimus ratum hábuit, & Apoſtólica auctoritâte amplificâvit.

℟. Iſte homo perfécit ómnia, quæ locûtus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iſte eſt qui contémpſit vitam mundi, & pervênit ad cæléſtia regna, Quia te. Glória Patri. Quia.

In iij. Nocturno Lectiónes de Homilía S. Petri Chrysólogi in Evangélium. Nolite timêre, ut ſexta die infra Octávam S. Petri. 65.

Véſperæ de S. Joánne à Capiſtráno, cum Commemoratióne præcedéntis tantum.

## DIE XXIII. OCTOBRIS.

Quinta die infra Octávam ſancti Petri.

In feſto S. Joánnis à Capiſtráno Confeſ. Primi Ordinis.

Duplex ij. Claſsis, cum Octáva.

Omnia de Commúni Confeſſóris non Pontíficis primo loco. lxxiij. præter ſequéntia.

℣. Ora pro nobis beáte Joánnes. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Magníficat, in utriſque Véſperis & Láudibus, Antíphona. O zelâtor fidei, perſecûtor hæreticórum, lumen Virtûtum, exterminâtor Turcârum, prædicátor egrégie, Doctor populórum, Joánnes fideliſsime Ordinis Minórum, eſto nobis præſídium è regno Beatórum.

Orátio.

DEus, qui Eccléſiam tuam beáti Joánnis méritis & doctrinis mirabíliter ſublimáſti, & per eum de pérfidis tyránnis in virtûte ſanctiſsimi Nóminis Jeſu fidéles tuos triumphâre feciſti: præſta quæſumus; ut de inimícis noſtris ejus interceſsióne prævaléntes in terris, præmiári cum ipſo mereâmur in cælis. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitâte.

Deinde fit Commemorátio præcedéntis.

In primo Nocturno Lectiónes de Libro Sapiéntiæ. Juſtus ſi morte. lxxv.

In ſecúndo Nocturno.

Lectio iv.

JOánnes Capiſtráni in Marſis patre Germáno nóbili, & matre ibidem ex honéſta família natus, amiſſo patre, adhuc púerulus matri perſuáſit, ut víduæ ſtatum ſecúndis núptiis præférret. In Gymnáſio Peruſíno chriſtiánis, & liberálibus diſciplínis inſtrúctus, & ob ſciéntiam juris egrégiam áliquot civitátibus à Neápolis Rege Ladisláo præféctus, tam ſanctè geſsit rem-

rempúblicam, ut quoddam vitæ religióſæ tyrocinium jam tum pónere viderêtur. Perúſii, dum, perturbâtis rebus, tranquilitâtem revocâre ſtudet, cápitur ipſe, & in vincula conjicitur; in quibus hómine Franciſcáno ſibi apparénte, & ad ſánctius miniſtérium vocánte, deindè coróna clericâli mirabíliter accépta, inter Fratres Minóres Obſervántes Deo famuiári conſtituit; à quibus poſt áſpera experiménta conſtántiæ admiſſus eſt.

℟. Honéſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodívit eum ab inimícis, & à ſeductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

IN divínis lítteris magíſtrum hábuit ſanctum Bernardínum Senénſem, cujus & vivéntis exémpla egrégiè imitâtus, & mórtui glóriam aſsíduè curâvit. Severióre diſciplína, atque ſcriptis, quæ plúrima édidit ad mores formándos, máximè énituit. Eum Martínus Póntifex Quintus ad extinguéndam Fratricellórum Sectam unà cum ſancto Jacóbo de Márchia Inquiſitórem inſtítuit; de quibus felíciter triumphántem contra omnes hæréticos generâlem Inquiſitôrem creâvit. In terris ſanctæ Románæ Eccléſiæ citra Pharum, Joánna ſecúnda Regína flagitánte, Judáïci fœ́noris iniquitâtem compréſsit. Eugénii Quarti auctoritâte, ſancto Laurentio Juſtiniáno adjutôre, & cómite, Jeſuatôrum cauſam, eiſque crimina falſò objécta cognôvit, eorúmque innocéntiam vindicâvit. In Oriénte multis óptimè conſtitútis, Armenôrum ad Eccléſiæ ſinum reductiônem curâvit, quæ in Concílio Florentíno, ubi véluti ſol quidam fulſit, perſpécta eſt. A Nicoláo Quinto contra Judæos, & Saracénos generâlis Inquisitor in omni Itália conſtitûtus, Romæ Judeôrum magiſtrum cum ſectatóribus quadraginta ad veritâtis profeſsiônem redúxit.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, ſtolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradíſi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

IDem Póntifex, poſtulánte Frederíco Tértio Imperatôre, illum in Germániam legâvit, ut hæréticos ad Cathólicam fidem, & Príncipum ánimos ad concórdiam revocâret. Sexennáli peregrinatiône in Germánia, aliiſque provínciis Dei glóriam mirificè auxit, Huſsitis, Adamítis, Thaboritis, Hebræiſque innúmeris doctrínæ veritâte, ac luce miraculôrum ad Eccléſiæ ſinum tradúctis. Ægros quamplúrimos ſanâvit, mórtuos ſuſcitâvit, mutis loquêlam reſtítuit. Tauríno à Turcis obséſſo, divíno Spíritu incitâtus, & inexpérto mílite raptim conſcripto, ſuppétias áttulit: innitóque ſæpiùs cum formidábili hoſte, & Chriſtianôrum cervícibus imminénte conflictu, cùm Joánnes míliti cruceſignâto, eré̂cto vexíllo, ſanctíſſimum invocans nomen Jeſu præíret, insígnis parta victória eſt. His, atque aliis præclárè geſtis ex córporis fatigatiône letháli morbo contrácto, Villácum defértur. Ægrótum Ladislâus Pannóniæ Rex, Mathias Corvínus, ac viri Príncipes álii viſitárunt; eóſque ipſe ad tuéndam chriſtiánam religiônem hortâtus, & ſanctis Eccléſiæ Sacraméntis munítus, vir Apoſtólicus, & voluntâte Martyr ánimam Deo reddit anno ſalútis milléſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto.

℟. Iſte homo perfécit ómnia, quæ locútus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iſte eſt qui contémpſit vitam mundi, & pervênit ad cæléſtia regna. Quia te. Glória Patri. Quia.

In tértio Nocturno. Homilía ſancti Gregórii Papæ. Sint lumbi veſtri, lxxxij.

In ij. Veſperis fit Commememorátio Octávæ ſancti Petri, ℣. Juſtum.

## DIE XXIV. CCTOBRIS.

Sexta die infra Octávam S. Petri.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptúra occurrente.

In ſecúndo Nocturno.

Lectio iv.

REgina virtûtmm cháritas ádeò ſancti viri cor repléverat, ac penetráverat; ut vocem, qua Dei amor exprimerêtur, audire vix umquam poſſet ſine cordis immutatiône, ſuávi ejúsdem charitâtis incéndio exardéſcens, nec cellæ angúſtiis retinéri, nec cordis anxietâtes pati ſufficiens in campos & hortos properábat, ut áëris refrigério æſtum temperâret. A Chriſti præséntia diútiùs abéſſe non ſuſtinens, ab horto súbito ímpetu raptus per áëra, ſæpiùs coram Altári ſe ſiſtêbat. Quóties de hoc divíno amôre in privâtis collóquiis, vel in conciônibus ſermónem inſtituêbat,





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bat, verba tam fórvida ac ignita erant, ut audiéntes ad devotiônem mirè inflammaréntur ac ipſe ſénſibus omninò deſtitûtus, coram ipſis in dulciſsima éxtaſi ſuſpenderêtur. Cuidam eum interrogánti, quare óculos ferè numquam attólleret, reſpóndit: Qui Deum ſuum in corde gerit, ómnia viſibília contémnit.

℟. Miniſter Chriſti fuit in labóribus plúribus, in plagis ſupra modum, in itinéribus ſæpè, perículis flúminum, perículis in ſolitúdine: * In ærúmnis, in vigíliis, & in jejúniis multis, in fame & ſiti, in frígore & nuditâte. ℣. In ómnibus exhibuit ſemetípſum ſicut Dei miniſtrum in multa patiéntia. In ærúmnis.

Lectio v.

HÆc autem cháritas non ſolùm ipſum per devotiônem ſursùm agêbat in Deum, & per compaſsiônem transformâbat in Chriſtum; verùm étiam per condeſcenſiônem ad próximum inclinâbat. Difficíllima persæpè itínera arripiêbat, ut civium, familiarúmque ſuórum ánimos reconciliâret. Conſtitútis in áliqua gravi tribulatiône, étiam per miráculum, appárens eóſdem conſolabâtur. Erga cœnóbii ſui ægrótos peculiâris ſolicitúdinis officia, quamvis humíllima, exercêbat, aliiſque in neceſsitâte pública laborántibus ſuccurrêbat. Ad Monaſtérii portam mendícis miniſtrâre, quin étiam eórum cápita, & membra sórdida ablúere, induménta reſarcíre ac lavâre, pléraque ália charitâtis officia illis exhibêre frequéntius conſuêvit. De aliénis factis Fratres ſuos judicâre, aut censóris munus ágere, numquam permíſit: neque eos, qui de ſuæ reformatiónis contradictóribus conquerebántur, audíre volêbat: ſed eos hortabâtur, ut pro illis tamquam pro benefactóribus Divínam cleméntiam imploràrent.

℟. Virtûte multa præditus ſanctus Pater, invíctum ab oratiône ſpíritum non relaxábat, * Cum fructu óperum próferens divínæ ſapiéntiæ verba. ℣. Diébus ac nóctibus non ceſsábat à ſupérnis collóquiis & oratiône. Cum fructu.

Lectio vj.

MIrábiles Apoſtólicus hic pœniténtiæ Præco, potens ópere & ſermône, fructus rétulit pro animárum ſalûte: ſacrum dumtáxat códicem déferens, ex quo ſuæ prædicatiônis arguménta únicè depromêbat. Nec tantùm verbi Dei efficácia, ſed & próprii vultus pallôre obſtinâta corda hóminum ad Dei amôrem convertêbat: ſólitus elígere motíva ſermônum áſpera, atque in vitiis reprehendéndis vehementióra, quibus ex redemptiônis noſtræ memória leniménta ſuavióra obdúceret. In ſacrârum Litterárum profúnda intelligéntia, atque in difficíllimis Theologíæ locis explicándis, ſinguláris ejus ſciéntiæ donum illúxit: quod experiménto comprobárunt nonnúlli viri docti, qui ánteà ejus famam parvipendébant. Exindè factum eſt, ut in plúribus ſæculárium dómibus, eo duce, nova oratória aperiréntur, in quibus aſsíduè preces, & de rebus Divínis collóquia miſcebántur. Indè mirus animárum proféctus in iis regiônibus dimanâvit.

℟. Cùm introiſſet in hortum, in quo fixa erat Crux, expánſis mánibus orâbat, dicens: * Súſcipe me, & ſalva me, ô bona Crux. ℣. Reſplenduérunt montes ab ea, & nubes lúcida obumbrâvit caput ejus. Súſcipe me. Glória Patri. Súſcipe me.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12. *d*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nolíte timêre puſillus grex, quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía ſancti Petri Chryſólogi Epiſcopi.

*De Terrenórum cura deſpiciénda, Sermône* 23.

HOdiè Dóminus Evangélici gregis puſilla, & ténera primórdia quàm blanda exhortatiône ſit conſolâtus, audiſtis. Nolíte timêre puſillus grex, quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Aufert ſpes ánxias, dúbios tollit evéntus, omnémque propéllit, & exclúdit timôrem, quando in exórdio ipſo regnum naſcéntibus pollicêtur, quóniam complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Quis de victu, quis de veſtitu, quis de plebéjo cenſu, & vernâlis céſpitis vilitâte ſuſpirat? De regno certus, de dominatiône ſecûrus, ſatis ſibi ínvidet, qui elevâtus ad ſumma, ipſe ſe ad humília déjicit, ad egêna depônit.

℟. In magna ſiccitâte preces fudit ad Deum, & ecce cæli contenebráti ſunt, & facta eſt plúvia grandis. * Quis eſt hic, quia venti & plúviæ obédiunt ei? ℣. Dum ſacra myſtéria in campo perágeret, dixit, & ſletit ſpíritus procéllæ. Quis eſt.

Léctio viij.

SEd ſcire convenit, Pater iſte quis eſt, vel qualis eſt, vel quod regnum filiis ſuis repromittit. Quis ſit iſte Pater, quotidiè te confitènte cognóſcis, cùm clamas: Pater noſter, qui es in cælis: qualis autem ſit, ipſa operum magnitúdine pervidiſti: ex nihilo fecit cælum, terram ſolidávit ex liquido, montes ſtátuit ad ſtatéram, mária intra legitimos términos ſola præcepti auctoritáte conclúſit. Verùm ſi regni, quod promittit puſillis, deſideras noſcere qualitátem, ipſe aperit, ſic dicéndo: Sinite párvulos venire ad me; talium eſt enim regnum cælórum. ℟. Dómine Jeſu Chriſte, cui ſanctus Petrus adeò fidéliter in vita ſua ſervivit, ut in tèmpore iracúndiæ fieret reconciliátio: * Exáudi propter eum preces noſtras, & da nobis ſalútis ánimæ & córporis. ℣. Qui fámulæ tuæ Teréſiæ dixiſti, te ſemper in Petri nómine petèntes exauditúrum. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

Léctio ix.

ESſe in cælo mirum eſt, in cælo vivere, eſt majeſtátis, jam regnáre in cælo quanti ſit, ſenſus déſinit æſtimáre mortális: & tamen homo, quod æſtimáre non potes, percepiſti, Apóſtolo ſic dicénte: Quod óculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hóminis aſcéndit, quæ præparávit Deus diligéntibus ſe: & quod te meréri dúbitas, habère te, & poſsidêre, jam cógeris confitéri. Quid ergo cum terra illi, qui póſsidet cælum? Quid illi cum humánis, qui adéptus eſt jam divina? Niſi fortè placent gémitus, eligúntur labóres, amántur pericula, péſsima mors deléctat, & illáta mala bonis ſunt gratióra collátis.

Te Deum laudámus. 17.

In Láudibus fit Commemorátio Octávæ S. Joánnis, étiam in Véſperis, ℣. Juſtum, cui additur SS. mártyrum Chryſanthi & Dáriæ.

## DIE XXV. OCTOBRIS.

Séptima die infra Octávam S. Petri.

In primo Noctúrno, Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In ſecúndo Noctúrno.

Léctio iv.

ASſiduo altiſsimæ contemplatiónis pábulo reféctus, præclárum de oratióne Tractátum própria experiéntia, & Dei illápſu edóctus, conſcripſit. Singulári devotiónis reveréntia venerábile Euchariſtiæ Sacraméntum proſecútus, eo ſpiritus ardóre ſacrum myſtérium peragébat, ut plures ejus celebratióne magis ad pietátem, dum persæpè in éxtaſim raperétur, quàm aliórum ſermónibus ſe commótos fuiſſe profiteréntur. Hanc devotiónem Domínicæ Paſsiónis meditatióne ſummóperè fovebat, pro qua ubique, & præcipuè in locis eminentióribus, Cruces érigi curávit, ut ad ejus aſpéctum ómnes ad bajulándam Chriſti Crucem invitáret animarétque. In Convéntu Pedróſi, Calvárii quamdam imáginem ad vivum éxprimi fecit, ubi persæpè ante Crucem bráchiis expánſis juxta morem ferventer orans, totus in eum transformabátur, cum quo crucifigi ardentiſſime cupiébat. ℟. Miniſter Chriſti fuit in labóribus plúribus, in plagis ſupra modum, in itinéribus ſæpè, periculis flúminum, periculis in ſolitúdine: * In ærúmnis, in vigiliis, & in jejúniis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditáte. ℣. In ómnibus exhibuit ſemetipſum ſicut Dei miniſtrum in multa patiéntia. In ærúmnis.

Léctio v.

ACceſsit ad hanc altiſsimi ſpiritus uniónem, mira ejúſdem córporis elevátio; dum in choro orans, & in Dei contemplatióne abſórptus, aliquando uſque ad laqueária, ſpiritus ardóre ſæpè ad radíces arborum in genua provolútus, ſuprémos ramos, velut avis volando contingeret. In itinéribus contemplatióni inténtus, multis à ſolo palmis elevári à viatóribus viſus fuit. Semel Crucem in horto Pedróſi devótis óculis contemplántem ſurſùm ferri, & in äëre coram ipſa ſuſpéndi, lucidiſsimos quoque ex óculis rádios in eámdem Crucem emitténtem, candidámque nubem caput ejus circumdántem, totam inſuper viciniam eo ſplendóre illuſtrátam, obſtupeſcéntes Fratres conſpexérunt. Non ſemel Chriſti Salvatóris præséntia perfrui promeruit, Virgo quoque Deipara ſe ei viséndam exhibuit; & ſanctus Franciſcus, aliique ſpiritus cæléſtes cum concive ſuo familiáriter colloquebántur. ℟. Virtúte multa præditus ſanctus Pater invictum ab oratióne ſpiritum non relaxábat, * Cum fructu óperum próferens divinæ ſapiéntiæ verba. ℣. Diébus ac nóctibus non ceſsábat à ſupérnis collóquiis & oratióne. Cum fructu.

Léc-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Léctio vj.

PRophetíæ dono illúſtris, quæ ventúra erant, pronuntiábat. Quemdam adoleſcéntem benedictiónem ſuam enixe efflagitántem, cùm ab urbe quamprimùm recédere decreviſſet, de gravi diſcrímine, quod illi imminébat, in hæréticam ſcilicet quamdam opiniónem incidendi, præmónuit. Scholárem áltum reſpiciens, mundo quamprimùm renuntiatúrum, ſacrúmque religiónis hábitum ſuſceptúrum divinitùs agnóvit. Eódem ſupérno lúmine íntima conſcientiárum ſcrutabátur, ac miraculóſe (cùm longè diſtáret) pœniténtibus ſuis intérdum ſeſe viséndum præſtábat, dulcíque collóquio inquiétos eórum ánimos ſedábat. Infúſam hanc ſancto viro divinórum cognitiónem comprobávit Deus in admiránda illa novi ſíderis apparitióne, cùm ipſe urbem Avilam ad conſolándam ſanctam Teréſiam primùm acceſsiſſet, & in candidiſsimæ illius colúmbæ viſióne, quæ caput ejus circumvólitans, humeróque deindè reſidens, roſtrum auri immiſit, quaſi cæléſtem ei doctrínam dictáre monſtráſſet.

℟. Cùm introíſſet in hortum, in quo fixa erat Crux, expánſis mánibus orábat, dicens: * Súſcipe me, & ſalva me, ó bona Crux. ℣. Reſplenduérunt montes ab ea, & nubes lúcida obumbrávit caput ejus. Súſcipe me. Glória Patri. Súſcipe me.

In tértio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap. 12. d*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nolíte timére puſillus grex: quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía S. Petri Chryſólogi Epíſcopi.

*De Terrenórum cura deſpiciénda, Sermóne 25.*

VIdeámus, quod dat Pater tantus conſilium regnatúris: Véndite quæ poſsidétis, & date eleemóſynam. Si victúros vos, ſi regnatúros, ſi vos jam dívites eſſe créditis in ſupernis, ubi futúri, quò migratúri, ubi regnatúri eſtis vos, illa quæ veſtra ſunt jam præcédant; opes míſeras cum miſericórdia commutáte: quæ humána ſunt, in Divína convértite. Et ne cui forſan deéſſet evéctio ad portánda illa, quæ dimittitis, angariátus eſt pauper; ferunt páuperes ónera noſtra, & voléntes ferunt, quia tali non deprimúntur póndere, ſed levántur.

℟. In magna ſiccitáte preces fudit ad Deum, & ecce cæli contenebráti ſunt, & facta eſt plúvia grandis. * Quis eſt hic, quia venti & plúviæ obédiunt ei? ℣. Dum ſacra myſtéria in campo perágeret, dixit, & ſtetit ſpíritus procéllæ. Quis eſt.



Léctio viij.

ECce docet avarítiam, qui cœperat ſuadére contémptum. Fácite vobis ſácculos, qui non veteráſcunt: & qui theſaurizántes temporáliter arguébat, ad totum cupiditátis fómitem jubet ſácculos ſine fine perquiri. Chriſte, quo te pértrahit amor tuórum? Ut avárum lucrifácias, facis eum, quod deſíderat, non quod opórtet, audíre; ſácculos ímperas, ætérnos theſauros, qui non deficiant, vis paráre; ut avárus, dum conſuéta percúrrit ad lucra, aut virtútem cápiat, aut à virtúte capiátur. Verè Pater es, qui cum tuis quibuſcúmque párvulis ſic agis.

℟. Dómine Jeſu Chriſte, cui ſanctus Petrus ádeò fidéliter in vita ſua ſervívit, ut in témpore iracúndiæ fieret reconciliátio: * Exáudi propter eum preces noſtras, & da nobis ſalútem ánimæ & córporis. ℣. Qui fámulæ tuæ Teréſiæ dixiſti, te ſemper in Petri nómine peténtes exauditúrum. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

Nona Léctio légitur de SS. martyribus Chryſántho & Daria.

In Laudibus Commemorátio Octávæ S. Joannis, ℣. Juſtum, & SS. Mártyrum.

Véſperæ de die Octáva S. Petri, ut in primis Véſperis feſti, cum Commemor. ut infrà.

## DIE XXVI. OCTOBRIS.

Octáva ſancti Petri.

Duplex minus.

Omnia ut in die feſto, præter Lectiónes.

Et fit Commemorátio Octávæ S. Joannis. ℣. Juſtum, & S. Evariſti Papæ.

In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In ſecúndo Noctúrno.

Léctio iv.

COnfirmávit quoque Deus inſignem ſervi ſui ſanctitátem innúmeris miráculis. Aliquándo nives è cælo decidéntes, mirabíliter in áëre ſuſpénſæ in modum teſtúdinis, tectum quoddam ei efformárunt, ſub quo noctis ac tempeſtátis incómmoda ſecúrior evaſit. Dum ſacra intérdum in apérto campo perágeret, ſolum illud loci ſpá-

ſpátium, ubi pópulus Miſſæ præſens erat, nec aquæ quidem gutta, nec venti mínima vis attíngere auſa fuit. Aliàs plúvia de cælo cadénte ſiccis veſtibus per públicas vias inceſsit. In magna ſiccitáte précibus ſuis copióſum à Deo imbrem obtínuit. Báculum ſuum, ut Fratrum occúrreret neceſſitáti, devótè terræ infígens, mox divína virtúte fructíferum réddidit. Rápidos flúvios ſiccis pédibus plúries pertransívit. Accenſum ignem in quodam Convéntu per flammas ipſas innóxius incédens, ſine mora extínxit. Sicque ſanctificátis viri ſancti ſénſibus ómnia eleménta obséquium præſtitérunt.

℟. Miniſter Chriſti fuit in labóribus plúribus, in plagis ſupra modum, in itinéribus ſæpè, perículis flúminum, perículis in ſolitúdine: * In ærumnis, in vigíliis, & in jejúniis multis, in fame & ſiti, in frígore & nuditáte. ℣. In ómnibus exhíbuit ſemetipſum ſicut Dei miniſtrum in multa patiéntia. In ærúmnis.

Léctio v.

PLures gravi morbo laborántes à mortis diſcrímine revocávit. Demérſum in púteo infántem, chorda, qua cingebátur, in eum locum demiſſa, mirabíliter extráxit: Mulíeris óculos luce orbátos léviter tangens, data ei benedictióne, prótinus illuminávit. Iter fáciens, ſæpiùs sóciis laſsitúdine conféctis compátiens, opportúnam eis eſcam, & aquæ fontem à Deo impetrávit. Féminam quamdam à dæmone per multum témporis decéptam, de prava illa conſuetúdine, quam cum malígno tentatóre ignoránter habúerat, commonefécit; atque audíta ejus confeſsióne, eam pluréſque álios vexátos à ſpirítibus immúndis liberávit. Hinc máximus populórum ad eum fiébat concúrſus, ipſúmque tamquam hóminem à Deo miſſum, novúmque Apóſtolum acclamábant.

℟. Virtúte multa prǽditus ſanctus Pater, invíctum ab oratióne ſpíritum non relaxábat, * Cum fructu óperum próferens divínæ ſapiéntiæ verba. ℣. Diébus ac nóctibus non ceſsábat à ſupérnis collóquiis & oratióne. Cum fructu.

Léctio vj.

TAndem poſt multos labóres, ac diutúrnas infirmitátes, quas ſemper conſtánti pértulit ánimo, anno Dómini milléſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecúndo, cùm annum ſexagéſimum tértium perágeret, Arénis gravi morbo decúmbens, Fratres ſuos ad paupertátis extrémæ cultum obnixè cohortátus eſt. A Deípara & à ſancto Joánne Evangeliſta viſitári, atque ab ipſa auguſtiſsima Trinitáte, ſibi in máxima claritáte apparénte, ad cæléſtes núptias invitári proméruit. Demùm Pſalmo, Lætátus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Dómini íbimus, cùm ingénti cordis exultatióne recitáto, pauló poſt humi in génua procúmbens, ea, quam prædíxerat, hora, in Dómino ſanctè obdormívit. Eódem témpore ſanctæ Teréſiæ magno ſplendóre corúſcans appáruit, ſeque ad réquiem pérgere, & felícem eſſe pœniténtiam, quæ tantam ſibi promerúerat glóriam, indicávit. Ejus corpus in Eccléſia Fratrum Diſcalceatórum ſancti Franciſci Arénis depóſitum, ſingulári populórum veneratióne inviſitur. Tandem plúrimis fulgéntem miráculis Clemens Papa Nonus anno Dómini milléſimo ſexcenteſimo ſexagéſimo nono in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Cùm introiſſet in hortum, in quo fixa erat Crux, expánſis mánibus orábat, dicens: * Súſcipe me, & ſalva me, ô bona Crux. ℣. Reſplenduérunt montes ab ea, & nubes lúcida obumbrávit caput ejus. Súſcipe me. Glória Patri. Súſcipe me.



In tértio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap. 12.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nolíte timére puſillus grex, quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía S. Petri Chryſólogi Epiſcopi.

*De Terrenórum cura deſpiciénda, Sermóne 25.*

DOmine tu vidiſti, quia in theſáuris tota fides, tota ſpes in sácculis ſit avàris, & ideò imputríbiles in cælo sácculos vis parári, ut qui te non ſéquitur ad cælum, ſequátur ſaltem sácculos ſuos. Avàre, fac tibi sácculos, & fac jubénte Deo, quia votis tuis ánnuit divína Majéſtas, ſed fac tibi sácculos erogándo, quia quidquid pauper accéperit, Pater cæléſtis ſuſcipit, & ubi recondit? in cælo. Et ne ſortem perdidiſſe te dóleas vel uſúram, céntuplum in cæléſti fœnore recipies, quidquid in cælum paupere tranſmíſeris perferénte.

℟. In magna ſiccitáte preces fudit ad Deum, & ecce cæli contenebráti ſunt, & facta eſt plúvia grandis. * Quis

* Quis eſt hic, quia venti & plúviæ obédiunt ei? ℣. Dum ſacra myſtéria in campo perágeret, dixit, & ſtetit ſpíritus procéllæ. Quis eſt.

Lectio viij.

Uſûra mundi centum ad unum, Deus unum áccipit ad centum; tamen hómines cum Deo nolunt habêre contráctum. Sunt fórſitan de cautiône ſolíciti: quare? Nonne homo hómini exíguæ chártulæ obligatiône conſtríngitur? Deus tot & tantis volumínibus cavet, & débitor non tenétur? ſed dicis, Eſto quòd débeat, quo exigénte reſtituet? ſeipſo; quia non poteſt ille mentiri, idem ipſe eſt & exeêtor & débitor. Non erit in reddéndo durus, qui profúſus eſt in largiéndo: crede homo Deo, quod tibi Deus dedit, majóra réddere vult, cùm vult debêre largítor.

℟. Dómine Jeſu Chriſte, cui ſanctus Petrus adeò fidéliter in vita ſua ſervívit, ut in témpore iracúndiæ fieret reconciliátio: * Exáudi propter eum preces noſtras, & da nobis ſalútis ánimæ & córporis. ℣. Qui fámulæ tuæ Teréſiæ dixiſti, te ſemper in Petri nómine peténtes exauditúrum. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

Nona Lectio légitur de ſancto Evariſto Papa & mártyre.

In Láudibus Commemorátio Octávæ S. Joannis, & S. Evariſti Papæ & mártyris.

In ſecundis Veſperis fit Commemorátio ſequéntis, & Octávæ S. Joannis Confeſſôris.

## DIE XXVII. OCTOBRIS.

Tranſlátio ſancti Ivônis Confeſſôris.

Semidúplex.

Omnia dicúntur de Commúni Confeſſôris non Pontíficis, lxxiij. præter ea, quæ hic fiunt própria.

In Hymno, Iſte Confeſſor dicátur: Hac die lætus méruit ſuprémos Laudis honôres.

Orátio.

Deus, qui beátum Ivônem Confeſſôrem tuum innúmeris decoráſti miráculis, te ſuppliciter deprecámur: ut qui hodiérna die ejus Elevatiônem & Tranſlatiônem celebrâmus, ipſius apud te patrocínia ſentiâmus. Per Dóminum.

Et fit Commemorátio Octávæ S. Joannis.

In primo Nocturno Lectiônes de Scriptúra occurrénte.

In ſecúndo Nocturno.

Lectio iv.

Ivo Préſbyter Ordinis Pœniténtium beáti Franciſci, in Británnia regióne Gálliæ honéſtis paréntibus natus, ab ineúnte ætáte religióni déditus fuit. Litteris egrégiam óperam navávit; ſed ita ſemper in illis verſátus eſt, ut non ſolùm ob eárum ſtúdium pietátem minimè deſerúerit, ſed hujus cultum illárum ſtúdio longiſsimè anteposúerit. Nam pudicítiam perpétuò ſervávit: vino cibis lautióribus, ac delíciis ómnibus abſtinuit, ceteráſque virtútes, præſértim verò ſanctam oratiônem ſummóperè cóluit. Primùm Lutétiæ Pariſiôrum liberálibus diſciplínis imbûtus fuit: deindè Aureliánæ ſacræ Theologiæ ac Juri Pontifício óperam dedit. Quibus in ſtúdiis adeò profécit ut primùm à Theodonénſi Archidiácono, póſteà à Trecorénſi Epiſcopo judex cúriæ ſuæ electus fúerit. Quo quidem officio áliquot annos ſumma fide, integritáte, atque indúſtria functus eſt.

℟. Honéſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodívit eum ab inimícis, & à ſeductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Verùm cùm illud vitæ genus móribus & inſtitúto ipſius minimè eſſet accommodátum, cuperétque abjéctam, páuperem, & quiêtam vitam ágere, & pópulum ſibi commiſſum per ſeipſum curáre (erat enim Párochus cujúſdam Eccléſiæ) ſponte illo ſe magiſtrátu abdicávit, & ad Eccléſiam ſuam ſe cóntulit. Ubi honéſtis véſtibus, quibus ánteà pro ſua dignitáte utebâtur, depóſitis, deſpéctis ac vílibus indûtus eſt, ſub quibus étiam cilícium celátum hábuit. Síngulis quartis Fériis ac Sábbatis jejunâbat: & in jejúniis ab Eccléſia inſtitútis, nihil áliud ſibi ad prándium, quàm panem & aquam admittêbat. Somni tantùm capiêbat, quantum neceſsitáti córporis ſatis eſſet. Lectus erat nuda humus aut crates; pulvinus ſacrôrum Bibliórum codex.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, ſtolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradíſi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

Jam verò oratiône & contemplatiône adeò delectabâtur, ut ſomni, cibi, ac potus obliviſcerêtur. Aliquándo étiam cóntigit, ut abſque omni cibo & potu corporáli hebdómadam totam in cubículo ſuo incluſus manêret. Ex quo egréſ-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

egréſſus, non álio oris ac totíus córporis flatu appáruit, quàm ſi quotidiè opiparè epulâtus fuiſſet. Rem divínam quotidiè faciêbat tanto pietâtis ardôre, ut quodam die, dum ſacroſáncta myſtéria adſtántibus ſpectánda & adoránda (ùt fieri ſolet) in ſublíme tólleret, ígneus quidam globus miri ſplendôris illa ámbiens viſus fúerit. Exímiæ fuit hoſpitalitâtis, & in omnes páuperes charitâtis: ita ut ſine ipſis nec vívere poſſe viderêtur. Semper enim domi ſuæ páuperes ac peregrinos habêbat: quibus ſuis mánibus pedes abluêbat, & aquam mánibus infundêbat, & in céteris rebus miniſtrâbat. Miráculis & in vita & poſt mortem cláruit. Quibus permôtus Summus Póntifex Clemens Sextus, eum in Divôrum númerum rétulit.

℟. Iſte homo perfécit ómnia, quæ locútus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iſte eſt qui contémpſit vitam mundi, & pervênit ad cæléſtia regna. Quia te. Glória Patri. Quia.

In iij. Nocturno Lectiónes de Homilía ſancti Gregórii Papæ in Evangélium. Sint lumbi, ut in Commúni Confeſſôris non Pontíficis lxxxij.

Nona Lectio de Vigília Apoſtolôrum Simônis & Judæ.

In Láudibus fit Commemor. Octávæ S. Joánnis, Antiph. O zelátor. ℣. Ora pro nobis. Orátio. Deus, qui, ut ſupra. 61.

Et Vigíliæ Apoſtolôrum.

Véſperæ de SS. Apoſtolis Simône & Juda, ſine ulla Commemor.

## DIE XXVIII. OCTOBRIS.

In feſto SS. Apoſtolôrum Simônis & Judæ.

In ij. Véſperis fit Commemor. Octávæ S. Joánnis Capiſtráni.

## DIE XXIX. OCTOBRIS.

Séptima die infra Octávam S. Joánnis.

Semidúplex.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In ſecúndo Nocturno

Lectio iv.

ADſcríptus Minôrum ſodalítio Joánnes ita cunctis virtútibus claréſcere cœpit, ut is, qui præerat, díxerit, magnum Ordinis ornaméntum ipſum futûrum. Corpus flagéllis, cilício, vigíliis macerávit; ſenſuúmque cuſtódia, ac modis ómnibus caſtitátem illibâtam ſervâvit. Sæpè in rerum divinârum contemplatiône defíxus donis cæléſtibus ornári méruit. Vir profundíſſimæ humilitâtis, & contémptus ſui, in tanta nóminis fama abjéctis munéribus fungi ſólitus, & cuílibet vel ínfimi órdinis miniſtrâre. Ut Aquilánum Epiſcopátum accíperet addúci non pótuit. Plures Ordinis Províncias citra, & ultra montes viſitáre juſſus ſanctiórem diſciplínam ubíque reſtítuit, vel confirmávit. Obſervántium Famíliam, cui iterùm poteſtâte vicária præféctus fúerat, óptimis légibus, exemplíſque conſtabilítam ſic ampliâvit, ut máximam Ordini univérſo corónam, ſancto Jacóbo Picéno teſtánte, attúlerit.

℟. Honéſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodívit eum ab inimícis, & à ſeductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

PRædicatióni Verbi Dei ſédulò incúmbens, Itáliam ferè univérſam luſtrâvit, quo in múnere obeúndo & virtûte ſermônis, & miraculôrum frequéntia innúmeras propè ánimas à peccatôrum cœno in viam ſalûtis redúxit. Pópulos inveterâtis ódiis, armíſque certántes ad concórdiam revocâvit. Ortóne cum cives, plúries compóſiti, ſubíndè véteres inimicítias renovárent, Joánnes advocâta conciône diſſidiôrum facem inter eos à dæmone mirabíliter detécto, accénſam, extínxit. Aleârum, mulierúmque ornátus immódici tam acer fuit inſectâtor, ut hæc vitiôrum, & vanitâtum inſtruménta ultrò in forum ab ómnibus deportâta, combuſtáque fúerint. Hebrǽis, & Hæréticis invíſus graves eôrum calúmnias, & inſídias forti ánimo pertulit; atque in hǽreſum, & vitiôrum monſtra, quoad vixit, divíni verbi gládium exercêre numquam déſtitit.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, ſtolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradíſi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

DEíparæ Vírginis cultor exímius, & laudâtor fuit. Multa ſigna édidit virtûte nóminis Jeſu, in cujus propagánda veneratióne imitâtor magíſtri Bernardíni fuit, quem pro eôdem ſanctíſſimo nómine calúmniis tradúctum Romæ in Baſílica Príncipis Apoſtolôrum coram Martíno Quinto ſtrénuè defêndit. Aquilæ imménſa multitúdine inſpectánte fraudibus dæmonum diſ-

diſsipátis, tanti nóminis dignitâtem, & poténtiam oſténdit, ad ejúſque typum adorándum corda ómnium accéndit. Flúvios Padum, & Silim, ſtrato ſuper aquas pállio, cum ſóciis trajêcit. Martíni Quinti óbitum, & Eugénii Quarti ſucceſsiónem, aliáque multa prophético ſpíritu prædixit.

℟. Iſte homo perfécit ómnia, quæ locûtus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & pervénit ad cæléſtia regna. Quia te. Glória Patri. Quia.

In tértio Noctúrno.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 12.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris. Et réliqua.

Homilía ſancti Petri Chryſólogi Epiſcopi.

DIſcumbénti hómini Deus aſtat, & aſtat in cæléſtibus: epulánti ſervo ſervit Dóminus, & ſervit accinctus: púeris ſuis, miniſtris ſuis miniſtérium facit Chriſtus, & facit in patris jam glória conſtitûtus. Homo calumniâris: eſt adhuc quod detúlerit Patri, qui tibi in terra lavándo pedes extrêmum repræſentávit obſéquium, & repromittit in cæléſtibus noviſsimam ſervitûtem. Ille tibi in cæléſtibus parat convívium, ſe miniſtro: & tu illi in terra non déſinis contínuas ingérere, & generâre blaſphémias.

℟. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtútes operâtus eſt, & de omni corde ſuo laudâvit Dóminum: * Ipſe intercêdat pro peccâtis ómnium populôrum. ℣. Ecce homo ſine queréla, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia ſua. Ipſe intercêdat.

Lectio viij.

FAciet & ille tránſitus ſuos, quia tránſiens miniſtrâbit illis: de dominatióne ad fidélium ſuórum pia tránſiet, & magiſtrâbit obſéquia, ad te de miſericórdi Patre ſeveriſsimum tranſíbit in júdicem. Confiténtibus, expectántibus, miniſtrâbit épulas, miniſtrâbit & tibi, ſed dignam de tua negatióne ſenténtiam. Si in ſecúnda & tértia vigília vénerit: vigílias mundus plures, tres tantùm vigílias novit expectátio Trinitâtis: quare tamen à ſecúnda cœpit, & tácuit primam? Quia prima jam vigília in ortu Domínicæ Nativitâtis excéſſerat.

℟. Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris: * Et vos ſímiles homínibus expectántibus dóminum ſuum, quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia neſcitis qua hora Dóminus veſter ventúrus ſit. Et vos ſímiles. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

PRobant hoc Paſtóres, qui dum ſupra gregem ſuum vígilant, gregis ipſum Paſtórem in præſépio inveníre, vidêre, tenêre meréntur, & auctórem: ſed quæ ſit ſecúnda & tértia vigília, requirâmus. Sicut útique prima vigília eſt ſui ortus in carne, ità ſecúnda eſt vigília, qua noſtra redit & reſuſcitâtur in carne. Dénique ut ad reſurgentem véniat, ánnuus excitâtur & evígilat mundus. Tértia vigília eſt illa, qua expectátio tota noviſsimo veniéntis finítur advéntu: ut ſicut ille reſurréxit nobis: ità nos illi jam perpétuam reſurgâmus ad vitam.

Te Deum laudâmus. 17.

DIE XXX. OCTOBRIS.

Octâva S. Joannis Confeſsóris.

Duplex minus.

Omnia ut in primis Véſperis Feſti, 61.

In primo Noctúrno Lectiones de Script. occurrente.



In ſecúndo Noctúrno.

Lectio iv.

INnúmera ſunt, quæ in Germánia, aliíſque Provínciis Joánnes dedit ſanctitâtis argumenta. Verbum Dei quotídiè, quamquam víribus fractus, prædicâbat, & pópulo fídei Chriſtiánæ rudiménta explicâbat. Ad eum permúlti, ut Apóſtolum álterum, vel pótius Angelum cælo demiſſum, non ut Núntium modò Apoſtólicæ Sedis, ventitâbant. Qua frequéntia, & honóris ſignificatióne nihil ipſe commôtus dícere ſolêbat: Non nobis Dómine, non nobis, ſed nómini tuo da glóriam. In Polóniam miſſus ad Caſimírum Regem legatiónem geſsit toti Regno ſalutárem; cui étiam Regi multa prædixit, quorum véritas comprobâta evéntu eſt.

℟. Honeſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodívit eum ab inimícis, & à ſeductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

IN multis Príncipum Germanórum convéntibus expeditiónis in Turcas hortâtor díligens, & impúlſor fuit. Cùm verò Calliſtus Tértius, ipſo potiſsimùm de-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

deprecánte, crucesignátos mittere decreviſſet, Joánnes fúlguris inſtar per Pannóniam, aliáſque provincias volitávit; qua verbo, qua litteris Príncipum ánimos ita ad bellum accéndit, ut brevi míllia Chriſtianórum ſeptuaginta conſcripta ſint. Ejus conſílio, ac virtúte potiſſímùm Tauruneńſis victória reláta eſt, centum ac viginti Turcárum míllibus partim cæſis, partim fugátis. Cujus victóriæ cùm Romam núntius veniſſet octávo Idus Auguſti, idem Calliſtus ejus diei memóriæ ſolémnia Transfiguratiónis Chriſti Dómini perpétuò conſecrávit.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, ſtolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradíſi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Léctio vj.

HAnc illúſtrem victóriam mors eſt Joánnis conſecúta in óſculo Dómini. Defúncto exéquiæ in Pannónia, & Germánia, ac tota Itália per tríduum, Villáci verò, ubi ejus corpus elátum eſt, per ſeptem dies perſolútæ. Ipſíus glóriam poſt mortem multis miráculis Deus oſténdit: quibus permóti Fredericus Imperátor, Pannóniæ Reges, Epiſcopi, civitátes Apoſtólicam Sedem, ut eum Sanctis adſcriberet, exorárunt. Leo Décimus primùm Capiſtráni oppidánis concéſſit, ut eum diem, quo Joánnes obíerat, quotánnis feſtum habérent: deindè Gregórius Quintus Décimus Offícium adjécit: Innocéntius Undécimus de beáto Viro inter Sanctos referéndo decrétum édidit; rétulit verò Alexánder Octávus anno milléſimo ſexcenteſimo nonagéſimo; & Joánnis nomen formidábile Turcis máxima Urbis celebritáte conſecrávit; eóque facto lætítiam Chriſtiáni pópuli, barbarórum poténtia multis prǽliis per id temporis fracta jam exultántis, plenióriem fecit.

℟. Iſte homo perfécit ómnia, quæ locútus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iſte eſt qui contémpſit vitam mundi, & pervénit ad cæléſtia regna. Quia te. Glória Patri. Quia.

In tértio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap. 12.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris. Et réliqua.

Homília ſancti Fulgéntii Epiſcopi.

*Ex Sermóne de Confeſſ.*

SI juſtum Dómini ſermónem ſecúndùm litteram velímus accípere, nihil in eo cómmodi ſpirituális póſſumus invenire: quid enim próficit ad ánimæ ſalútem, ſi áliquis corporáliter aut lumbos præcíngat, aut lucérnam accéndat? in lumbis itaque concupiſcéntia carnális oſténditur, in lucérnis verò fides, & cháritas Chriſtiána monſtrátur. Jubens ígitur Dóminus lumbos noſtros præcíngi, concupiſcéntias carnis ſine dúbio præcípit refrænári. Imperans autem, ut lucérnas ardéntes habeámus, hoc útique jubet, ut & lúmine veræ fídei ſplendeámus, & ſanctæ charitátis opéribus ferveámus.

℟. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtútes operátus eſt, & de omni corde ſuo laudávit Dóminum: * Ipſe intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo ſine queréla, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia ſua. Ipſe intercédat.

Léctio viij.

ISta, quæ de Evangélio propoſúimus, cum Prophéticis ſermónibus conferámus. Utrúmque enim teſtaméntum Deus inſtítuit, unus Dóminus dedit: etſi ſunt utriúſque Teſtaménti divérſa pro tempóribus Sacraménta: concórdat tamen in utróque ſalútis humánæ ſenténtia, qua præcípitur, ut non peccémus, & jubétur, ut bonis opéribus inſiſtámus. Per Iſaíam Dóminus omnes his ádmonet verbis: Auférte malum cogitatiónum veſtrárum ab óculis meis, quiéſcite pervérsè ágere, díſcite benefácere. Quid eſt enim, Sint lumbi veſtri præcíncti, niſi quieſcite ágere pervérsè? quid eſt, Sint lucérnæ ardéntes, niſi díſcite benefácere?

℟. Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum ſuum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia neſcítis qua hora Dóminus veſter ventúrus ſit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos.

Léctio ix.

PRæcingúntur enim fidélium lumbi, dum concupiſcéntia mala comprímitur, dum iníqua cogitátio cohibétur, dum libídini reſiſtit ánimus, dum laſcíviæ denegátur afféctus, dum calcátur luxúria, dum avarítia contémnitur & rapína, dum próximi læſio devitátur, dum ſupérbia vin-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

citur, dum invídia ſuperâtur. Ardent verò lucérnæ fidélium, dum rectæ fidei régulam ſervant, dum in ſinu Matris Eccléſiæ longanimiter perſevérant, dum terrêna contemnunt, & cæléſtia concupiſcunt, dum ſolicitè pacem cuſtodiunt, dum ſe invicem purè díligunt, dum mútuo ſe honôre prævéniunt, dum manſuetúdine cordis, & humilitâte proficiunt, dum miſericôrdiæ ópera libenter, atque hilariter fáciunt, dumque in opéribus bonis, non hominibus, ſed Deo placêre conténdunt.

Te Deum laudâmus. 17.

## FESTA NOVEMBRIS.

### DOMINICA II.

Novémbris, vel ália ab Ordinario elécta.

Fit de Patrocínio B. M. Vírginis.

Duplex majus.

Omnia ut in fine Breviárii Románi inter feſta particulária, ſed in Antiphona ad Magnificat in primis Véſperis, & in vij. ℟. loco feſtivitâtem lege ſanctum Patrocinium.

### DIE IV. NOVEMBRIS.

In feſto S. Cároli Epiſcopi & Confeſsôris.

Fit Commemorátio Octávæ, SS. Vitâlis, &c. Martyrum, & B. Helenæ virg. in primis Véſperis & Laudibus.

### DIE X. NOVEMBRIS.

In feſto Translatiônis S. Ludovici Epiſcopi, & Confeſsôris.

Duplex minus.

Véſperæ à Capitulo de Translat. S. Ludovici, cum Commem. Dedicat. Baſilicæ Salvatôris.

In Hymn. Iſte Conféſſor, mutâtur tértius Verſus.

℣. Ora pro nobis beâte Ludovíce: ℟. Ut digni efficiâmur promiſsiónibus Chriſti.

In primis Véſperis & Laudibus, Antiphona. Roſa vernans charitâtis, lílium virginitâtis, ſtella fulgens Ludovicus, vas ſanctitâtis, ora pro nobis Dóminum.

Orátio.

Deus, qui Eccléſiam tuam diſpoſitiône mirábili novis ſemper illúſtras Sanctórum ſplendóribus: tribue quæſumus; ut qui beáti Ludovici Confeſsôris tui atque Pontificis Translatiône gratulâmur, ad ejus consórtium feliciter perducâmur. Per Dóminum noſtrum.

Deinde fit Commemor. Dedicatiônis Baſilicæ Salvatôris, & SS. Tryphônis, Reſpicii & Nymphæ mart. In primo Nocturno Lectiónes de Scriptura occurrénte.

In ii. Nocturno, Lectio iv.

Cum beátus Ludovícus Epiſcopus Toloſânus poſt ipsius tranſitum ex hac vita, plúrimis & máximis miráculis coruſcâret, ſupplicátio facta eſt Chriſti Vicário, Bonifácio ſcilicet Octávo, ut Sanctórum catalógo adſcribi jubêret in terris, quem Sanctórum collégio Deus ſociáverat in cælis. Sed cùm incépta re, Bonifácius, & poſt ipſum Benedíctus Undécimus ex hac vita migráſſent; Dóminus Clemens Papa Quintus de eádem re per ſolémnes núntios cum inſtántia magna requiſitus, miſit ad civitâtem Marsíliæ duos Epiſcopos, qui de miráculis beáti Ludovíci diligéntem fácerent inquiſitiônem. Quam cùm perfeciſſent, & eam Summo Pontifici præſentáſſent, & ipſe quibúſdam Cardinâlibus examinándam tradidiſſet, ántequàm de ipſa reférrent, ex hac vita decéſsit. Cui cùm ſucceſsiſſet Joánnes Vigéſimusſecúndus, qui ſanctitâtem beáti Ludovici expéctus fúerat, útpotè qui fuit ejus sócius & magiſter, & præſens in ejus óbitu, perfécit quod à ſuo Prædeceſsôre fúerat inchoâtum.

℟. Invêni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, & filius iniquitâtis non nocêbit ei. Manus.

Lectio v.

Anno ígitur incarnatiônis Domínicæ milleſimo trecentéſimo décimo ſexto, séptimo Idus Aprilis, Pontificátus ſui anno primo, ipſum ſanctum Ludovícum Sanctôrum catálogo fecit adſcribi in civitâte Aviniônis, ubi tunc Romána cúria reſidêbat. Anno verò Dómini milléſimo trecentéſimo décimo nono, ſexto Idus Novémbris, præséntibus plúribus Cardinálibus per Summum Pontificem ad hoc miſsis, & áliis Prælátis, præsénte étiam Dómino Robérto Jerúſalem & Siciliæ Rege, ipsius Sancti fratre uterino, cum consórte ſua Regina Sáncia, & Regina Fránciæ, ipsius Sancti nepte; plúribus étiam Principibus, Barónibus, & áliis ſolémnibus persónis, & imménſa pópuli multitúdine, qui omnes ad Translatiónem ipsius Sancti convénerant, ſanctum corpus ejus translâtum eſt in pretióſum ſepúlchrum ad ejus glóriam præparâtum; & honôre débito cónditum eſt in Eccléſia Fratrum Minôrum Marsiliæ, in qua jampridem fúerat tumulâtum.

℟. Póſui adjutórium ſuper poténtem & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invêni David ſervum





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vum meum, óleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vj.

NEc prætermittendum eſt quod ad ejus glóriam Dóminus oſténdere vóluit. Nam cùm per decem & octo, aut viginti annos jacuiſſet ſub terra, inventum eſt in cápite ejus cérebrum ità recens & integrum, ac ſi Sanctus ipſe adhuc viveret. De quo miráculo omnes qui áderant ſtupefacti, Deum magnificè laudavérunt. Quod dictus Dóminus Robertus reverénter accipiens, & ſecum Neápolim déferens, in quadam imágine de argénto & auro, quam ad honórem ejus fecit ópere mirifico fabricári, & gemmis ac lapidibus pretióſis ornari, illud honorificè collocávit. Non ſolùm autem in loco, in quo jacet, vel ubi ejus ſacræ habéntur reliquiæ; ſed étiam in divérſis mundi pártibus ipſum piè invocántibus beneficia Dei méritis ejus exúberant, præſtánte Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spíritu ſancto vivit & regnat in ſǽcula ſæculórum, Amen. ℟. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtútes operátus eſt, & omnis terra doctrina ejus repléta eſt: * Ipſe intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iſte eſt, qui contémpſit vitam mundi, & pervénit ad cæléſtia regna. Ipſe intercédat. Glória Patri. Ipſe.

In iij. Nocturno légitur Homília S. Hilárii Epiſcopi in Evangelium. Vigiláte, de Commúni Confeſſóris Pontíficis. lxvij.

Nona Léctio de SS. Tryphóne, &c. martyribus cum Commemor. in Láudibus.

Véſperæ à Capítulo de S. Martino Epiſcopo & Confeſſóre, cum Comm. Tranſlatiónis S. Ludovici, & S. Mennæ mártyris.

## DIE XII. NOVEMBRIS.

In feſto S. Didaci Confeſſ. Primi Ordinis.

Dupl. ij. Claſ. cum Octáv.

Ad Véſperas, Antiphona. Beátus Didácus, cum réliquis de Láudibus. 89. Pſalmus. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica. 133. & loco ultimi, Pſalmus. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capitulum. *1. Cor. 1. d*

FRatres, Vidéte vocatiónem veſtram, quia non multi ſapiéntes ſecúndùm carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elégit Deus, ut confúndat ſapiéntes.

Hymnus.

FAllácis undas ſǽculi
Mundique fugit rétia,
Ducénte Chriſti Spíritu,
Primis ab annis Didacus.
Deſérta dum petit loca,
Corpúſque caſtigat ſuum,
Perfúndit illum lárgiùs
Cæléſtis imber grátiæ.
Sublime mox ſcandit jugum
Franciſci iter per árduum,
Et ſancta per veſtigia
Seque árctiùs ligat Deo.
Immúnda quidquid áppetit,
Mirátur, & quidquid caro,
Calcat, relinquit, négligit,
Lucrétur ut Chriſtum ſibi.
Jeſu, tibi ſit glória,
Qui magna ſolus éfficis,
Cum Patre & almo Spíritu,
Per ſæculórum ſǽcula. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Didace. ℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Ad Magníficat, Antiphona. Tanto beátus Didacus erga Chriſti páuperes amóre flagrábat, ut cùm illórum calamitátes pro voto ſubleváre non poſſet, vim lacrymárum profúndens, verbis eos dulciſſimis ſolarétur.

Orátio.

OMnipotens ſempitérne Deus, qui diſpoſitióne mirábili infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propitius humilitáti noſtræ, ut piis beáti Didaci Confeſſóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam ſublimári mereámur. Per Dóminum.

Et ſit Comm. S. Martini Epiſcopi & Confeſſóris.



Ad Matutinum, Invitatór. Deum, cui ſemper humílium deprecátio plácuit, * Veníte adorémus. Pſalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

INopem canámus Didacum
Cæli bonis prædivitem,
Húmilem canámus Didacum
Ad celſa vectum ſidera.
Chriſti potens ô déxtera,
Quæ ſúſcitat de púlvere
Egénum, & inter Principes
In ſede ſublimi locat!
En qui reliquit ómnia,
Felix recépit ómnia,
Illúſtribus miráculis
Latè corúſcat inclytus.
Corpus flagéllis ſæpiùs
Quod áſperis afflixerat,
Odóre flagrat plúrimo,
Et membra ſanat lánguida.
Summo Patri ſit lúminum
Natóque Patris glória,
Et cum beáto Spíritu,
Cunctis in ævum ſǽculis.
Amen.

In primo Nocturno, Aña. Cùm beátus Didacus ægrotórum fratrum Romæ curam géreret; in pública inópia apud Chriſti páuperes ómnia abundábant. Pſalmus. Beátus vir, qui non ábiit, cum réliquis de Commúni Confeſſóris non Pontíficis. lxxij. Antiphona. Servo ſuo iter agénti menſam parávit Deus, & vero Iſraëlítæ in deſérto cibária miniſtrávit. Pſalmus,

Quare frémuérunt. Antiphona. Ægrótos ſigno Crucis obſignans, óleo lámpadis perungêbat, multórum vários languóres mirabíliter Crucis virtûte ſanâbat. Pſalmus. Dómine, quid multiplicáti. ℣. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum. Pater noſter. Abſolútio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua. De Epiſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. *Cap. 1. & 2*

VErbum Crucis pereúntibus quidem ſtultítia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapiéntiam ſapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi ſápiens? ubi ſcriba? ubi conquiſítor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei ſapiéntia non cognóvit mundus per ſapiéntiam Deum: plácuit Deo per ſtultítiam prædicatiónis ſalvos fácere credéntes. Quóniam & Judǽi ſigna petunt, & Græci ſapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Chriſtum crucifíxum: Judǽis quidem ſcándalum, Géntibus autem ſtultítiam, ipſis autem vocátis, Judǽis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtûtem, & Dei ſapiéntiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapiéntius eſt homínibus: & quod infírmum eſt Dei, fórtius eſt homínibus.

℟. Beátus Dídacus in adoleſcéntia ſua cœpit Deo ſervíre in timôre & ſimplicitâte, * Corpus ſuum caſtígans, & in ſervitûtem rédigens. ℣. Pœniténtis hábitu ſuſcépto, in ſolitárium locum ſeceſſit. Corpus ſuum. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ij.

VIdête enim vocatiônem veſtram fratres, quia non multi ſapiéntes ſecúndùm carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elêgit Deus, ut confúndat ſapiéntes: & infírma mundi elêgit Deus, ut confúndat fórtia, & ignobília mundi, & contemptibília elêgit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrúeret: ut non gloriêtur omnis caro in conſpéctu ejus. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapiéntia à Deo, & juſtítia, & ſanctificátio, & redémptio, ut quemádmodùm ſcriptum eſt: Qui gloriátur, in Dómino gloriêtur.

℟. Seráphici Franciſci Religiônem profeſſus ſumma humilitâte in ea per omnem vitam permánſit, * Ut ómnibus prælucêret ſanctitâtis exémplo. ℣. Tanto ſtúdio in regulæ obſervatiône verſabâtur. Ut ómnibus. Benedíctio. Spíritus ſancti grátia.

Lectio iij. *Cap. 2.*

ET ego cùm veníſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitâte ſermônis aut ſapiéntiæ, annúntians vobis teſtimónium Chriſti. Non enim judicávi me ſcire áliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifíxum. Et ego in infirmitâte, & timôre, & tremôre multo fui apud vos: & ſermo meus & prædicátio mea non in perſuaſibílibus humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtenſiône ſpíritus & virtûtis: ut fides veſtra non ſit in ſapiéntia hóminum, ſed in virtûte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos: ſapiéntiam verò non hujus ſæculi, neque príncipum hujus ſæculi, qui deſtruúntur: ſed lóquimur Dei ſapiéntiam in myſtério, quæ abſcóndita eſt, quam prædeſtinâvit Deus ante ſǽcula in glóriam noſtram, quam nemo príncipum hujus ſæculi cognôvit.

℟. Iſte eſt qui contémpſit vitam mundi; & pervênit ad cæléſtia regna, * Et invéntus eſt in número ſanctôrum. ℣. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtútes operâtus eſt. Et. Glória Patri. Et.



In ſecúndo Noctúrno, Aña. Púerum è ſuccénſo furno extráctum, ſanctæ Dei Genitrícis auxílio matri incólumem repræſentâvit. Pſalmus. Cùm invocárem. Antiphona. Corpus quod vivens Spíritus ſancti templum fúerat, mórtuum non computruit, ſed ſuávi odôre omnes mirificè recreábat. Pſalmus. Verba mea. Antiphona. Puélla ſurda & muta & paralýſi debilitâta, beáti Dídaci mórtui manu tacta illicò ſenſus recêpit, totôque córpore eſt roborâta. Pſalmus. Dómine Dóminus noſter. ℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium. Pater noſter. Abſolútio. Ipſius pietas. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Lectio iv.

REx regum ante ómnia ſæcula Chriſtus Dóminus, qui propter ſalûtem hóminis pérditi, in plenitúdine témporis factus eſt homo, Eccléſiam ſuam únicè diléctam, ſuôque pretióſo ſánguine acquiſítam, ſupra firmam petram, cui firmitâtem dedit in ſeipſo ſummo anguláari lápide à Chriſtiánæ fidei primórdiis

ædificávit, & uſque ad ſæculi conſummatiónem, per omnes témporum ætátes, mirabiliter ædificat: divinum verò & admirábile hujus ædificatiónis artificium, nec inflâta mundi ſapiéntia capit, & diabólica aſtútia ac ſupérbia contremiſcit. Nimirùm Pater miſericordiárum, qui facit mirabilia ſolus, hanc divinam ſtructûram in beáti Didaci initiis profectu & fine, per eximiam ſanctitátem his tempóribus mirificè demonſtrávit, ut verum ſit, quod omni ſǽculo, omníque témporum ætáte, Sanctus ſanctórum Deus Eccléſiam ſuam diléctam beáti Franciſci méritis, non ſolùm fœtu novæ prolis multiplicat, ſed Sanctórum ſidéribus quotidiè exórnat.

℟. Infirmórum curæ præféctus, Fratres ægrótos ómnibus charitátis officiis proſequebátur: * Et quorúmdam úlcera lambéndo abſtergêbat. ℣. Eximia in eo fides, & grátia curatiónum elúxit. Et quorúmdam. Benedíctio. Christus perpétuæ.

Léctio v.

Natus igitur beátus Dídacus in Hiſpánia, in óppido Provinciæ Bǽticæ, nómine Sanctus Nicoláus de Portu, diœcéſis Hiſpalénſis, circiter annum milleſimum quadringenteſimum, génere & parentibus húmilis, ſed virtútibus clarus: ut qui magnus futûrus erat, à minimo inciperet. Et is quidem ut fœcúndus ager cæléſtis grátiæ imbre irrigátus, úberes fructus citò prótulit: nam adoléſcens ex médio Babylónis fúgiens, hoc eſt, ex láqueis & periculis; pœniténtis hábitum indûtus, in propinquam ſolitáriam Eccléſiam, unà cum pio quodam Sacerdóte, ſpirituális vitæ duce & ſócio, quaſi Angélicæ exercitatióni opportúnam ſecéſsit: ubi novus Chriſti miles in hujus fallácis mundi contemptióne, & ómnium humanárum rerum deſpiciéntia, in humilitátis opéribus, in agélli Eccléſiæ próximi cultúra, & labóre mánuum ſuárum, ac eleëmoſynárum alimónia, in ſubveniéndis próximis, in córpore edomándo, & ſpiritu ſubjiciéndo, & cæléſtium contemplatióne ſe aſsiduè exércens, magna cum oppidanórum ædificatióne præclárum tyrocinium póſuit.

℟. In ſimplicitáte & in ſincerítáte Dei, & non in ſapiéntia carnáli, * Sed in grátia Dei converſári ſumus in hoc mundo. ℣. Glória noſtra hæc eſt, teſtimónium conſciéntiæ noſtræ. Sed in grátia. Benedíctio. Ignem ſui amóris.





Léctio vj.

Poſt áliquot verò annos, ut ſe arctióribus vinculis Chriſto adſtringeret, & à mundi tempeſtátibus quàm longiſsimè diſcéderet, & ſub ſuávi obediéntiæ jugo Deo ſecúriùs & fructuóſiùs ſerviret, in portum Seráphicæ Religiónis ſancti Franciſci quàm tutiùs áppulit, eámque in Convéntu de Arrizáfa Fratrum Minórum de Obſervántia inire decrêvit, Regulámque proféſſus, unus quidem ómnibus erat hábitus, unum pietátis inſtitûtum, diſpar tamen ejus obſervatiónis ſtúdium, virtutúmque accrétio. Hic autem jam athlêta Chriſti ampliſsimum virtûtum ſtádium ingréſſus; quæ retrò ſunt oblivíſcens, & ad ea quæ ſunt prióra ſe exténdens, cœpit omni contentióne córporis & ſpiritus proſequi (divina grátia ſuffragánte) bravium ſupérnæ vocatiónis. Quamvis enim láïcus, & de número Converſórum, abſque humanárum litterárum perítia, máxima cum cordis ſimplicitáte, Régulam adeò tenáci memóriæ commendâsit, ut ſicut alióquin rudis eam verbátim didicit, ſic ad præſcriptum illius ad amúſsim toto témpore vitæ ſuæ inviolabiliter vixit.

℟. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elégit Deus, * Ut non gloriétur omnis caro in conſpéctu ejus. ℣. Quod ſtultum eſt Dei, ſapiéntius eſt homínibus. Ut non. Glória Patri. Ut non.

In tértio Noctúrno, Aña. Adoléſcens in beáti Didaci ſacéllo orans, & vigilans, à miſerábili dæmonis vexatióne curátur. Pſalm. Dómine, quis habitábit. Antiphona. Méritis beáti Didaci partúriens à propinqua morte liberátur, fœtus mórtuus ad vitam revocátur. Pſalmus. Dómine in virtûte. Antiphona. Dixit beátus Didacus in ſomni quiéte filio Regis: Confide in Dómino Princeps, quia ſanus fies: & mox è ſummo vitæ periculo liberátur. Pſalmus. Dómini eſt terra. ℣. Lex Dei ejus in corde ipſíus. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. Pater noſter. Abſolútio. A vínculis. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Léctio vij. *Cap. 18.*

In illo témpore: Acceſſérunt diſcípuli ad Jeſum, dicéntes: Quis, putas, major eſt in regno cælórum? Et réliqua.

De Homilía ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

*Ex Homilía 59. in Matth.*

ADvocans Jeſus párvulum, ſtátuit eum in médio eórum, & dixit: Amen dico vobis, niſi converſi fuéritis, & efficiámini ſicut párvulus iſte, non intrábitis in regnum cælórum. Curióſè, inquit, ſcrutámini vos, quis veſtrûm major ſit, & de primátus honóre conténditis: ego autem, ſi quis humiliórem ſe céteris non effécerit, ipſo ingréſſu cæléſti omníno indígnum áffero. Rectè autem ante óculos monſtratióne párvuli totam rem póſuit, ipſo aſpectu eos convértens, ac perſuádens, ut abſque ſimulatióne áliqua humilitátem amplectántur.

℟. In Canária magna cùm martýrii palmam ſe conſecutúrum ſperáret, * Non martýrio volúntas, ſed voluntáti martýrium défuit. ℣. Deo illum reſervánte, ut multos Chriſto lucrifáceret. Non. Benedíctio. Cujus feſtum cólimus.

Lectio viij.

PArvuli autem non invidére, nec inánem expectáre glóriam, nec primátus deſideráre dignitátem novérunt; ſed máximam hanc virtútem póſſident, puram dico ſimplicitátem & humilitátem. Non ergo fortitúdine tantùm ac prudéntia, ſed humilitátis quoque virtúte & ſimplicitáte nobis opus eſt, quæ ſi non adeſt, ſalus noſtra certè cláudicat. Párvuli enim, nec ſi contumeliéntur aut verberéntur, afficiúntur ódio: nec, ſi laudántur aut honorántur, ulla commovéntur arrogántia. Vides quómodò rursùs ad præclára natúræ ópera nos próvocat, ut oſténdat poſſe nos voluntátem iſtam nancíſci, & perniciósam Manichæórum rábiem acúto concídit gládio? Si enim natúra per ſe mala eſt, cujus grátia philoſophándi exémpla indè trahit?

℟. Animam Deo reddítúrus, Cruce mánibus aſſúmpta, ſummo pietátis affectu dícere cœpit: * Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera. ℣. Et in illo ſuaviſſimo ampléxu obdormívit in Dómino. Dulce lignum. Glória Patri. Dulce lignum. Benedíctio. Ad ſocietátem.

Lectio ix.

PArvulum autem ætáte, & quidem mea ſenténtia valdè párvulum, qui ab ómnibus eſſet paſſiónibus liber, in médio ſtátuit. Iſta enim ætas omni arrogántia, omni glóriæ inſánia, omni contentiónis cupiditáte, ceteriſque hujúſmodi affectibus



immúnis eſt. Cùmque præcipuis muniátur virtútibus, ſimplicitátis ſcilicet & humilitátis, de nulla iſtárum ſupérbit: ità dúplici philoſophía ornátur: nam & hæc bona póſſidet, & nihil ſibi propter hæc árrogat. His de causis in médio párvulum ſtátuit.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES, & per Horas, Antiphona.

BEátus Dídacus ſtádium virtútis ingréſſus, carnem ſuam labóribus & flagéllis, vigíliis ac jejúniis edomábat. Pſalmus. Dóminus regnávit, cum réliquis, 116. Antiphona. Oratióni ſemper inténtus, Dei collóquio júgiter fruebátur. Antiphona. In ſchola oratiónis divínitùs erudítus, de rebus cæléſtibus ſenſus miríficos proferébat. Antiphona. Ad inſulas Canárias miſſus, infidéles multos ad Chriſti fidem verbo atque exémplo perdúxit. Antiphona. Omnes in ſervo Dei copióſum charitátis ſpíritum, & ſingulárem apud Deum grátiam agnoſcébant.

Capitulum. *1. Cor. 1. d*

FRatres, Vidéte vocatiónem veſtram, quia non multi ſapiéntes ſecúndùm carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elégit Deus, ut confúndat ſapiéntes.

Hymnus.

MUndi Redémptor óptime,
Qui morte mortem déſtruis,
Tuam Crucem ſanctiſſimam
Omnes ad aſtra tóllimus.
Diléxit illam Dídacus,
Amóre dulci ſáucius,
Illámque poſt te fórtiter
Conſors triúmphi ſúſtulit.
Carnem rebéllem cómprimens,
Eſcam malórum péſſimam,
Senſúſque confixit, tuæ
Tecum ipſe confixus Cruci.
Tandem ad beáta prǽmia
Athléta fortis évolans,
Suávi ſopóre ſólvitur
Charæ Crucis compléxibus.
Te Chriſte clementiſſime
Véniam præcámur ſúpplices,
Tu pro tuis fidélibus
Audi precántem Dídacum.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Dídace:
℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ad beáti Dídaci corpus ſurdi áudiunt, muti loquúntur, paralýtici ſanántur, ab obſeſſis corpóribus dæmones expellúntur, ægróti ad vitam ab ipſo mortis límine revocántur.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui diſpoſitióne

ne mirábili infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concêde propitius humilitâti noſtræ; ut piis beâti Didaci Confeſsôris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam ſublimári mereámur. Per Dóminum noſtrum.

Ad Tertiam, Antiphona. Oratióni ſemper inténtus.

Capitulum. Fratres, Vidête, ut ſupra.

℟. breve. Amâvit eum Dóminus, * Et ornâvit eum. Amâvit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et ornâvit. Glória Patri. Amâvit eum.

℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judicium.

Ad Sextam, Antiphona. In ſchola oratiônis.

Capitulum. 1. Cor. 1. d

EX ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapiéntia à Deo, & juſtitia, & ſanctificátio, & redémptio: quemádmodum ſcriptum eſt: Qui gloriátur, in Dómino gloriêtur.

℟. breve. Os juſti. * Meditábitur ſapiéntiam. Os juſti. ℣. Et lingua ejus loquêtur júdicium. Meditábitur. Glória Patri. Os juſti.

℣. Lex Dei ejus in corde ipſius. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Ad Nonam, Antiphona. Omnes in ſervo Dei.

Capitulum. 1. Cor. 2.

NOn enim judicavi me ſcire áliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

℟. br. Lex Dei ejus, * In corde ipſius. Lex. ℣. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. In corde. Glória Patri. Lex Dei. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et oſtendit illi regnum Dei.

In ij. Véſperis, Antiphona. Beâtus Didacus, cum reliquis de Láud. 89. Pſalmi, Capitulum & Hymnus ut in primis Véſperis 82.

℣. Ora pro nobis beáte Didace.

℟. Ut digni efficiâmur promiſsiônibus Chriſti.

Ad Magnificat, Antiphona. Beâtus Didacus, dum tempus ſuæ reſolutiônis inſtâret, Crucem ampléxus & oſculâtus, atque óculis in vitâle lignum defixis, & verba illa magno affectu pronúntians: Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera, quæ ſola fuiſti digna portâre Regem cælórum, & Dóminum; ſanctam Deo ánimam réddidit.

Deinde fit Commemorâtio S. Martini Papæ & mártyris. Quod feſtum, ſi occúrrat in Dominica, celebrêtur prima die non impedita.

DIE



## DIE XIII. NOVEMBRIS.

Secúnda die infra Octâvam ſancti Didaci.

Fit de S. Martino Papa & mart. Semiduplex, cum Commemoratiône Octâvæ.

In ſecúndis Véſperis à Capitulo de ſequénti, cum Commemor. præcedéntis, & Octâvæ.

## DIE XIV. NOVEMBRIS.

Tértia die infra Octâvam ſancti Didaci.

Fit de S. Andréa Avellino Confeſsôre.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviário Románo die x. hujus.

In Láudibus fit Commemorátio Octâvæ.

Veſperæ de ſequénti, cum Commemor. præcedéntis & Octâvæ.

## DIE XV. NOVEMBRIS.

Quarta die infra Octâvam ſancti Didaci.

Fit de S. Gertrúde virgine, Duplex minus.

Omnia ut in Breviário Románo.

In Láudibus fit Commemorátio Octâvæ.

Veſperæ de ſequénti, Commemorátio præcedéntis, Antiphona Símile eſt regnum, & Octâvæ.

## DIE XVI. NOVEMBRIS.

Quinta die infra Octâvam ſancti Didaci.

In feſto S. Agnétis virginis, ſorôris S. Claræ.

Duplex majus.

Omnia de Commûni Virginum primo loco. &c.

In Laudibus fit Commemorátio Octâvæ.

In ſecúndis Véſperis fit Commemorátio ſequéntis, Antiphona Símile eſt regnum, & Octâvæ.

## DIE XVII. NOVEMBRIS.

Sexta die infra Octâvam ſancti Didaci.

In feſto beátæ Saloméæ virginis, Ordinis ſanctæ Claræ.

Duplex minus.

Omnia de Commûni Virginum, &c. præter ſequéntia.

Orátio.

DEus, qui in beáta Saloméa terréni regni contémptum cum virginitâtis candôre in connúbio ſociáſti: concêde nobis quǽſumus; ut ejus exémplo tibi caſto & húmili corde ſerviéntes immarceſcíbilem corônam glóriæ in cælis cónſequi mereâmur. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

In primo Nocturno Lectiónes de Scriptura occurrénte.

In ſecúndo Noctúrno.

Lectio iv.

SAloméa Régio ſánguine Cracóviæ orta, Leſci quinti Polóniæ Principis, & Grimisláвæ Duciſſæ Ruſsiæ filia, Boleſlai Pudici beátæ Cunegúndis virgi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ginis ſponſi ſoror, ab ipſa infántia ſingularibus à Deo natúræ, & grátiæ exornâta donis, admiranda futúræ ſanctitâtis præmonſtrâvit indícia. Ex tunc enim elúxit in ea óptima indoles, & juncta morum ſuavitáti matúritas: pietáti veró ſupra ætâtem addícta, adhuc puéllula virginitâtem ſuam Deo ſtatúerat conſecrándam, ſed parentum voluntâti obſequi juſſa, qui Prócerum Polóniæ permóti conſilio ad graviſsima evitánda diſsidia, précibus Andréæ Hungarórum Regis annúerant, triénnis in Hungáriam abdúcitur Colománo régio Hungáriæ Príncipi deſponſánda. Crevit ibi ſub óptima diſciplína in dies humanióribus litteris & pietâte proficiens. Núptiis ſubindè in legitima ætâte celebrátis, mútuo cum ſponſo consénſu virginitâtem ſuam, ùt conſtans ſcriptórum tradítio eſt, perpétuo illibâtam ſervâvit. Cujus integritáti ut proſpiceret, virórum collóquia declínans, triplici cilício, jejúniis, vigíliis, & oratióne ſe præmunívit.

℟. Propter veritâtem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedûcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próſperè procêde, & regna. Et dedûcet.

Lectio v.

COlománo Halíciæ ſceptro in Rúſsia potíto, Salomêa étiam in regáli sólio Chriſto humíliter ſátagens famulári, sæculi faſtum exóſa, ſplendidiórem, quo pro ſtatus ſui ratióne utebâtur, ornâtum depóſuit, iis deinceps contenta induméntis; quæ víduas dumtáxat geſtâre moris erat. Integras ſæpè noctes contemplatióni inténta tradúxit, inter quam aliquándo cælitùs emiſſa voce ad majórem terrenârum rerum contémptum roborári proméruit. Sponſo dénique è vivis ſublâto, Cracóviam revértitur, ubi, & régias opes in excitándis Fratrum Minórum, Clariſſarúmve Monaſtériis, ac páuperum ſublevándis inópiis insúmpſit, & altióris perfectiónis ſuccénſa deſidério, mundo núntium remíſit, ac ſanctæ Claræ inſtitútum in Zavichoſtiénſi profeſſa eſt Monaſterio; indè ob Tartarórum incurſiónes ad áliud ſolitário loco extructum Cœnóbium, quod ſanctæ Maríæ de Scala appellátur, unà cum Moniálibus ſe contulit. Utrobíque autem Abbatíſſæ múnere functa, in exacta religioſárum legum cuſtódia, mortificatiónis, & patiéntiæ ſtúdio ſe exércens



alúmnis ſuis ómnium virtûtum exemplar facta eſt, & magiſtra.

℟. Dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitâtem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritâtem, & manſuetúdinem, & juſtítiam. Proptérea.

Lectio vj.

COmplétis autem viginti octo Monáſticæ vitæ annis, dum inter Miſsârum Solémnia Evangélii lectióni, qua à téneris annis delectabâtur, atténderet, extrémo morbo corripitur; ſtatímque mortem intra octíduum ſibi imminêre prophético ſpíritu prænuntiâvit. Qua inſtánte, ſodâles ſuas ad mútuæ pacis, charitâtis, & caſtitâtis amórem cohortâta, cæléſti dénique Deiparæ, cum púero Jeſu ſibi apparénte, recreâta viſióne, ad immaculâti Sponſi núptias feliciter evolávit die décima séptima Novémbris, anno ſalûtis ducentéſimo ſexagéſimo octávo ſupra milleſimum, ætâtis ſuæ ſexagéſimo séptimo. Animam ipſius ſub ſpécie lucidiſsimi ſíderis ex ore prodeúntem ſe conſpexiſſe adſtántes Soróres memóriæ prodidérunt. Angelórum étiam concéntus eádem hora audíti ſunt. Percrebreſcénte autem ejus ſanctitâtis, & miraculórum fama, corpus séptimo ab óbitu menſe elevâtum, & miro fragrans odóre, puriſsimóque liquóre circumfúſum, quo ægri perúncti ſtatim ſanáti ſunt, repértum, ad Cracoviénſem ſancti Franciſci Fratrum Minórum Eccléſiam, ùt vivens optáverat, ſolémniter traslâtum, confluéntes úndique pópuli venerántur. Cultum hunc quátuor ſæculórum decúrſu júgiter auctum, ritéque recógnitum, Clemens Papa Décimus approbâvit, diémque óbitus ipsíus Eccleſiáſtico officio celebrándum indúlſit.

℟. Afferéntur regi vírgines poſt eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia & exultatióne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próſperè procêde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

Lectiónes tértii Noctúrni de Commúni Vírginum primo loco. &c.

In Laúdibus fit Commemorátio Octávæ S. Dídaci.

In ſecúndis Véſperis fit à Capítulo de ſequénti, Commemor. præcedéntis, & Octávæ.

## DIE XVIII. NOVEMBRIS.

Séptima die infra Octávam ſancti Dídaci.

Fit de Dedicatióne Baſilicárum SS. Apoſtolórum Pe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Petri & Pauli, cum Commemor. Oct. in Láudibus, Antiphona. Ad beáti Dídaci. 89.

Véſperæ de S. Eliſabeth viduæ, cum Commemoratióne Octávæ S. Dídaci, ut in primis Véſperis Feſti, & præcedéntis tantùm.

## DIE XIX. NOVEMBRIS.

In feſto S. Eliſabeth Viduæ, Tértii Ordinis.

Duplex ij. Claſsis.

Ad Véſperas, ómnia de Commúni nec Vírginum nec Mártyrum. cxj. præter ſequéntia.

In utríſque Véſperis & Láudibus.

℣. Ora pro nobis beáta Eliſabeth. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Orátio.

Tuórum corda fidélium Deus miſerátor illúſtra: & beátæ Eliſabeth précibus glorióſis fac nos próſpera mundi deſpícere, & cæléſti ſemper conſolatióne gaudére. Per Dóminum.

Deindè fit Commemorátio Octávæ S. Dídaci.

Póſteà Commemor. Dedicatiónis.

In primo Nocturno Lectiónes. Mulíerem fortem, de Commúni non virginum. cxiiij.

In ij. Noctúrn. Léctio iv.

Eliſabeth Andréæ Regis Hungáriæ fília, ab infántia Deum timére cœpit, & creſcens ætáte, crevit étiam devotióne. Hæc póſteà Ludovíco Landtgrávio Háſsiæ & Thuringiæ in cónjugem copuláta, etſi ea quæ ſui viri erant curáret, non minùs quæ Dei ſunt ſédula exequebátur. Noctúrno namque témpore à látere viri ſurgens, oratiónibus & genufléxiónibus occupabátur: ſicque dum eſſet vir in accúbitu ſuo, nardus ejus dabat ſanctitátis odórem. Et licèt extérius induerêtur regálibus, ne terréni viri óculos offéndere viderêtur; intérius tamen ſub cilícii tégmine cæléſtem ſponſum gerêbat abſcónditum. Diébus ſíngulis pietátis officio dédita, víduis, pupíllis, ægrótis, cárcerum inclúſis ergáſtulis, & egéntibus ſíngulis ſinguljária ſubventiónis remédia miniſtrábat. Cujúſdam étiam páuperis gravi cápitis languóre corrépti, quaſi fílii curam gerens, capíllos ejus manu tondêbat própria, caput frequénter in pomárii ſecréto lavans, ut óculos fúgeret ancillárum. Cùm Teutóniam gravis urgêret inédia, captáta viri abséntia, domus ſuæ fruménta egéntibus erogávit.

℟. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedûcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próſperè procêde, & regna. Et dedûcet.

Léctio v.

Poſtquam autem à lege viri ſolúta eſt, depóſitis glóriæ ſæculáris exúviis, Ordinem Pœniténtium beáti Franciſci ingréſſa, vilis túnicæ decóre veſtitur, ac divitiárum contémpta jactántia, & generoſitáte paréntum, nobiliſsimis orta natálibus, ſe mundo fecit ignóbilem, ut nobilitarêtur in cælis, pro coróna ſuſcípiens cínerem, & cilícium pro fáſcia pectoráli. Pallébant ora jejúniis, abſtinéntiæ tenuitáte conféсta: & jam mártyrem adhuc vivéntem caro præmórtua teſtabâtur. Dum autem die quadam defíxis in cælum óculis contemplatióni vacáret, ut quaſi de humánæ converſatiónis consórtio viderêtur abſtrácta, Dei Fílium dulcem Jeſum ad ſe inclinátum cælis paténtibus vidit inter ália ſibi conſolatiónis leniménta dicéntem: Si tu vis eſſe mecum, ego ero tecum, & à te nullátenùs ſeparâbor.

℟. Dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam. Proptéreà.



Léctio vj.

Tunc ſúmptibus própriis nóbile hoſpitále conſtrúxit, ampla poſſeſsióne dotátum; ſuáque pretióſa monília, & grandem pecúniæ quantitátem eidem loco liberáliter eſt largíta. In quo recéptam multitúdinem páuperum corporáli viſitábat obséquio, affluénter eis neceſsária ſubminiſtrans, pedes eórum & cápita incredíbili humanitáte lavándo; & leproſórum úlcera, étiam aſpéctu horribília, cápitis ſui velo mundándo. Deindè propinquórum deſtitúta ſuffrágio, caſtris & poſſeſsiónibus céteris ſpoliátur. Sed ipſa miſeratiónis ſólitæ non oblíta, lanam mánibus operabátur & linum: de ſui labôris impéndio nudos páuperum húmeros veſtitúra. Cùmque in his ac plúrimis áliis ſanctis opéribus uſque ad finem vitæ preſeveráſſet, domeſticis ſuis prædícens óbitum ſuum, Deo ſpíritum réddidit anno Dómini milléſimo ducenteſimo trigeſimo primo, tertiodécimo Kaléndas Decémbris. Sacrum autem corpus ipſius poſt ſanctæ ánimæ ſeparatiónem, ſtatim cœpit plúrimis & máximis coruſcáre miráculis. Quibus audítis & certa fide compértis, Dóminus Papa Gregórius Nonus eam Sanctórum collégio annumerávit.

℟. Fal-

℟. Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipſa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum ſuárum, & láudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória. Múlier.

In tértio Noctúrno Homilía S. Gregórii Papæ in Evangel. Símile eſt regnum cælórum theſauro, de Commúni non Vírginum. cxvij.

Lectio nona de S. Pontiáno Papa & mártyre.

In Láudibus fit Commemorátio Octávæ S. Dídaci, & S. Pontiáni.

In Véſperis Commemorátio ſequéntis, & Octávæ S. Dídaci.

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

Fit de S. Gregório Thaumatúrgo Epíſcopo & Conf. Semidúplex.

Vide Offícium in Breviário Románo, die xvij. Novémbris: & in Hymno, Iſte Conféſſor, mutatur tértius Verſus.

Lectio Nona ex duábus una de S. Chryſógono mártyre, & in Láudibus Commemorátio.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

In feſto B. Delphínæ vírginis Tértii Ordinis. Dúplex majus.

Omnia de Commúni Vírginum. xc.

Orátio.

DEus, qui beátam Delphinam fámulam tuam inter cétera virtútum insígnia, virgináli pudicítia in conjúgio decoráſti: concéde propítius; ut cujus ſacra ſolémnia celébriter venerámur in terris, ejus beáta consórtia felíciter conſequámur in cælis. Per Dóminum.

Deindè fit Commemorátio S. Catharínæ, Antiph. Símile eſt regnum, & S. Petri Alexandríni.

In primo Noctúrno Lectiónes de Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios. De Virgínibus. xcvj.

Lectiónes ſecúndi & tértii Noctúrni de eódem Commúni primo loco.

Nona Lectio de S. Petro, & Commem. in Láudibus.

Véſperæ de ſequénti, Commemorátio præcedéntis.

DIE XXVII. NOVEMBR.

In feſto Omnium SS. Trium Ordinum S. P. N. Franciſci. Dúplex ij. Claſsis.

Ad Véſperas, Antíphona. Vidi turbam, cum réliquis de Láudibus, 102. Pſalmus, Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 133. & loco ultimi, Pſalmus. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 137.

Capítulum. *Apoc. 7.*

ECce ego Joánnes vidi álterum Angelum aſcendéntem ab ortu Solis, habéntem ſignum Dei vivi, & clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum eſt nocére terræ, & mari, dicens: Nolíte nocére terræ, & mari, neque arbóribus, quoadúſque ſignémus ſervos Dei noſtri in fróntibus eórum.

Hymnus.

PLacáre, Chriſte, sérvulis,
Quibus Patris cleméntiam
Tuæ ad tribúnal grátiæ
Patróna Virgo póſtulat.
Vos purpuráti Mártyres,
Vos candidáti præmio
Confeſsiónis, exules
Vocáte nos in pátriam.
Choréa caſta Vírginum,
Et quos erémus íncolas
Tranſmíſit aſtris, cælitum
Locáte nos in ſédibus.
Auférte gentem pérfidam
Credéntium de fínibus,
Ut unus omnes únicum
Ovíle nos Paſtor regat.
Deo Patri ſit glória,
Natóque Patris único,
Sancto ſimul Paráclito
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Oráte pro nobis, omnes Sancti Ordinis Minórum.
℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Magníficat, Antíphona. Triumphántium Mártyrum victor exércitus, ſanctórum Confeſsórum ſacer Convéntus, beatórum Fratrum nóbilis cœtus, Vírgines Dómini, ſanctǽque Mulíeres, & Seráphici Minórum inſtitúti cultóres omnes intercédite pro nobis.

Orátio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui Eccléſiam tuam váriis Sanctórum ſplendóribus ſemper illúſtras, prótegis atque consérvas: concéde propítius, ut beáti Franciſci, & Sanctórum filiórum ejus, quorum ómnium mérita nos ſub una tribuíſti celebritáte venerári, précibus; & hic ab ómnibus mundémur offénſis, & in futúro glória perfruámur ætérna. Per Dóminum noſtrum.

Ad Matutínum, Invitatór. Regem regum Dóminum veníte adorémus; * Quia ipſe eſt coróna Sanctórum ómnium. Pſalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus, Placáre Chriſte, ut ſuprà in Véſperis.

In primo Noctúrno, Aña. Novit Dóminus viam juſtórum, qui in lege ejus meditántur die, ac nocte. Pſalmus. Beátus vir, cum réliquis ut in Breviário Románo in feſto ómnium Sanctórum. Antíphona. Mirificávit Dóminus Sanctos ſuos, & exaudívit eos clamántes ad ſe. Pſalmus. Cùm invocárem. Antíphona. Admirábile eſt nomen tuum, Dómine, quia glória, & honóre coronáſti ſanctos tuos, & conſtituíſti eos ſuper



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per ópera mánuum tuárum. Pſalmus. Dómine Dóminus noſter. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte juſti. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

De libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Léctio j. *Cap. 7.*

ECce ego Joánnes vidi álterum Angelum aſcendéntem ab ortu Solis, habéntem ſignum Dei vivi: & clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum eſt nocêre terræ, & mari, dicens: Nolite nocêre terræ, & mari, neque arbóribus, quoadúſque ſignémus ſervos Dei noſtri in fróntibus eórum. Et audivi númerum ſignatórum; centum quadraginta quátuor millia ſignáti ex omni tribu filiórum Iſraël.

℟. O Patriárcha páuperum Franciſce! Tu Seráphicæ milítiæ currus, & auriga: Tu húmilis Minórum famíliæ Pater amantiſsimus: Tu puſilli gregis Paſtor vigilantiſsimus: * Tuis hic decertántibus adſta milítibus: tuórum geméntium réſpice filiórum preces; gregi tuo periclitánti próvide, nam increſcunt gemitus óvium tuárum. ℣. Tu, qui in ſacro tuo córpore redemptiónis noſtræ ſigna ab ipſo Redemptóre ſuſcipere meruiſti. Tuis.

Léctio ij.

POſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat ex ómnibus géntibus, & tribubus, & pópulis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpéctu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in mánibus eórum, & clamábant voce magna dicéntes, Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno: Et omnes Angeli ſtabant in circúitu throni, & ſeniórum, & quátuor animálium: Et cecidérunt in conſpéctu throni in fácies ſuas, & adoravérunt Deum dicéntes: Amen. Benedíctio, & cláritas, & ſapiéntia, & gratiárum áctio, honor, virtus, & fortitúdo Deo noſtro in ſæcula ſæculórum. Amen.

℟. Clara Franciſci filia digniſsima, virgóque puriſsima, omni ſæculi vanitáte, ornatúque contémpto, evangélica Minórum tamquam pretióſa invénta margaríta, carnáli ſpreto connúbio, * Caſtitátis per orbem cultum propagávit. ℣. Chriſto conjúncta ſponſo innúmeras illi génerat vírgines Virgo filias. Caſtitátis.

Léctio iij.

ET reſpóndit unus de ſenióribus, & dixit mihi: Qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & undè venérunt? Et dixi illi, Dómine mihi tu ſcis. Et dixit mihi, Hi ſunt, qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas, & dealbavérunt eas in ſánguine Agni, ideò ſunt ante thronum Dei, & ſérviunt ei die ac nocte in templo ejus. Et qui ſedet in throno, habitábit ſuper illos: non eſúrient, neque sitient ampliùs, nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus; quóniam Agnus, qui in médio throni eſt, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. Et abſtérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum.

℟. Propter teſtaméntum Dómini, & leges patérnas Sancti Dei perſtitérunt in amóre fraternitátis. * Quia unus fuit ſemper ſpíritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum habitáre fratres in unum. Quia. Glória Patri. Quia.

In ſecúndo Nocturno, Aña. Dómine, qui operáti ſunt juſtítiam, habitábunt in tabernáculo tuo, & requiéſcent in monte ſancto tuo. Pſalm. Dómine quis. Aña. Hæc eſt generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob. Pſalmus. Dómini eſt terra. Antiphona. Lætámini in Dómino, & exultáte juſti, & gloriámini omnes recti corde. Pſalmus. Beáti quorum remiſſæ. ℣. Exúltent juſti in conſpéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætitia.



Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Léctio iv.

QUi Sanctórum mérita religióſa charitáte mirátur, quique juſtórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores ſanctos, atque juſtitiam imitétur: quóniam quem deléctat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa cultum Dei obſéquium. Quare aut imitári debet, ſi laudat; aut laudáre non debet, ſi imitári detréctat: ut qui álium laudat, laudábilem ſe reddat: & qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipſe vitæ ſanctitáte reddátur. Nam ſi proptéreà juſtos, fideléſque diligimus quòd in ipſis juſtítiam fidémque ſuſpicimus: poſſumus nos quoque eſſe quod ſunt, ſi faciámus ipſi quod fáciunt.

℟. Sacerdótes Dei benedícite Dóminum: * Sancti, & húmiles corde laudáte Deum. ℣. Qui diligitis Dóminum, lætámini in Dómino, & exultáte in láudibus ejus. Sancti & húmiles.

Léctio v.

NEque enim difficile nobis eſt, quod ab ipſis géritur, imitári, cum ſine præ-

præcedénti exémplo ab antiquis tália geſta conſpícimus: ut non ipſi aliórum æmuli redderéntur, ſed æmulándæ virtûtis ſeipſos nobis præbérent exémplum: ut dum nos ex ipſis, & ex nobis álii profíciant, ſic Chriſtus in ſuis ſemper ſervis in Eccléſia ſancta laudêtur. Unde ab orígine mundi innocens Abel occíditur, Henoc Deo placens tranſfértur, juſtus Noë invenítur, Abraham fidêlis probátur, Móyſes manſuêtus dignóſcitur, Jeſus caſtus, David lenis, Elías accéptus, Dániël ſanctus, tres púeri victóres reddúntur.

℟. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, * Et laudes eórum núntiet Eccléſia. ℣. Nomen eórum requirêtur à generatiône in generatiônem. Et.

Léctio vj.

APóſtoli diſcípuli Chriſti, credéntium magiſtri habéntur: è quibus erudíti Confeſsóres fortíſsimi pugnant, Mártyres perfécti triúmphant, & Chriſtiáni ſemper exércitus diábolum Deo armáti debéllant, in iſtis ſemper pares virtútes, diſsímiles pugnæ, glorióſæ victóriæ. Undè tu Chriſtiáne delicâtus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna víncere, ſine certámine triumphâre? Exere vires, fórtiter dímica, atróciter in prælio iſto concérta. Conſídera pactum, conditiônem atténde, milítiam noſce; pactum quod ſpopondíſti, conditiônem qua acceſsíſti, milítiam cui nomen dedíſti.

℟. Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardentes in mánibus veſtris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum ſuum quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia neſcítis qua hora Dóminus veſter ventûrus ſit. Et vos. Glória. Et.

In tértio Noctúrno, Aña.

Timête Dóminum omnes Sancti ejus, quóniam nihil deeſt timéntibus eum. Ecce óculi Dómini ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eórum. Pſalmus. Benedícam Dóminum. Antiphona. Dómine ſpes Sanctórum, & turris fortitúdinis eórum, dediſti hereditâtem timéntibus nomen tuum, & habitábunt in tabernáculo tuo in ſǽcula. Pſalmus. Exáudi Deus deprecatiônem meam. Antiph. Qui dilígitis Dóminum, lætámini in Dómino, & confitémini memóriæ ſanctitátis ejus. Pſalm. Dóminus regnâvit, exúltet terra. ℣. Juſti autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum eſt merces eórum.

Lec-



Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap.* 12.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nolíte timêre puſíllus grex, quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homília ſancti Bonaventúræ Epiſcopi.

*Comment. ſuper Luc.* 12.

PUſíllus grex dícitur reſpéctu multitúdinis reprobórum: Multi ſunt vocáti, pauci verò elécti. Vel puſíllus ratiône modicitâtis própriæ: Vidête vocatiônem veſtram, quia non multi ſapiéntes ſecúndùm carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elégit Deus, ut confúndat ſapiéntes, & infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: & ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrúeret, ut non gloriêtur omnis caro in conſpéctu ejus. Vel puſíllus ratiône humilitâtis voluntáriæ: Vos autem greges mei, greges páſcuæ meæ, hómines eſtis, & ego Dóminus Deus veſter: eſt enim Deus humílium; Magna poténtia Dei ſolíus, & ab humílibus honorâtur: Et tálibus promíttit Deus regnum: Sínite párvulos, & nolíte eos prohibêre ad me veníre: ſubjúngitur, Tálium eſt enim regnum cælórum, ideò ſubdit: Quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum: Húmilem ſpíritu ſuſcípiet glória; & Job, Qui humiliâtus fúerit, erit in glória.

℟. Média nocte clamor factus eſt: * Ecce ſponſus venit, exíte óbviàm ei. ℣. Prudéntes Vírgines aptáte veſtras lámpades. Ecce ſponſus.

Léctio viij.

HÆc autem ſuperexcelléntia regni promíſsi indûcit ſpem, & inducéndo ſpem indûcit ſecuritâtem, & per hoc auſert puſillanimitâtem timôris, & ardórem cupiditátis: ſicut egéntes, multos autem locupletántes, tamquam nihil habéntes, & ómnia poſsidéntes. Solùm enim illud regnum eſt vera cordis poſéſsio, quæ cor implet, & auférri non poteſt, quia intùs eſt: Ecce regnum Dei intra vos. Et nota, quòd Patri complácuit puſíllis, id eſt paupéribus ſpíritu dare regnum glóriæ. Undè Matthæus: Beáti páuperes ſpíritu, quóniam ipsórum eſt regnum cælórum, quia tales deſíderant ætérna: Deſidérium ſuum juſtis dábitur. Et in Pſalmo, Deſidérium páuperum exaudívit Dóminus, quóniam contémnunt

tem-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

temporália. Qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accipiet, & vitam ætérnam poſsidébit.

℟. Date eis de fructu mánuum ſuárum: * Et laudent eas in portis ópera eárum. ℣. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam. Et laudent. Glória Patri. Et laudent.

Lectio ix.

AMplectúntur ſpirituália: ſi ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cupidi. Item complácuit Deo dare eis véniam. Humílium & manſuetórum ſemper tibi plácuit deprecátio, ſcilicet ad dandam véniam. Miſerébor cui volúero, & clemens ero in quem mihi placúerit. Plácuit dare grátiam Iſaías: Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum: Eléctus meus, complácuit ſibi in illo anima mea. Dedi Spíritum meum ſuper eum, judícium géntibus próferet. Plácuit dare ſapiéntiam. Matthæus: Abſcondiſti hæc à ſapiéntibus, & prudéntibus, & revelaſti ea párvulis. Plácuit dare glóriam ætérnam, ſicut hic: Nolíte timére puſillus grex: quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES, & per Horas, Antiphona.

VIdi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat ex ómnibus géntibus, ſtantes ante thronum. Pſalm. Dóminus regnávit, cum reliq. 18. Antiphona. Et ſeniores ſtabant in circúitu throni, & cecidérunt in facies ſuas, & adoravérunt Deum. Antiphona. Redemiſti nos Dómine Deus in ſánguine tuo ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne, & feciſti nos Deo noſtro regnum. Antiphona. Benedicite Dóminum omnes elécti ejus, ágite dies lætitiæ, & confitémini illi. Antiphona. Hymnus ómnibus ſanctis ejus, filiis Iſraël pópulo appropinquánti ſibi, glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

Capitulum. *Apoc. 7.*

ECce ego Joánnes vidi álterum Angelum aſcendéntem ab ortu ſolis, habéntem ſignum Dei vivi, & clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum eſt nocére terræ, & mari, dicens, Nolite nocére terræ, & mari, neque arbóribus, quoadúſque ſignémus ſervos Dei noſtri in fróntibus eórum.



Hymnus.

SAlútis ætérnæ dator,
Jeſu redémptis ſúbveni:
Virgo parens cleméntiæ,
Dona ſalútem ſérvulis.

Cohors triúmphans Mártyrum,
Almus Sacerdótum Chorus,
Et virginális caſtitas
Noſtros reátus abluant.

Quicúmque in alta ſiderum
Regnátis aula Principes,
Favéte votis ſúpplicum,
Qui dona cæli flágitant.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paráclito
In ſæculórum ſæcula.
Amen.

℣. Oráte pro nobis, omnes Sancti Ordinis Minórum. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Benedictus, Antiphona. Te candidátus Mártyrum exércitus: Te glorióſus Pontíficum chorus: Te beátus Confeſsórum cœtus: Te laudábilis Minórum númerus: Te omnes Sancti, & elécti voce confiténtur unánimes: Beáta Trínitas, unus Deus.

Orátio.

OMnipotens ſempitérne Deus, qui Eccléſiam tuam váriis Sanctórum ſplendóribus ſemper illúſtras, prótegis atque conſérvas: concéde propítius, ut beáti Franciſci, & Sanctórum Filiórum ejus, quorum ómnium mérita nos ſub una tribuiſti celebritáte venerári, précibus, & hic ab ómnibus mundémur offénſis, & in futuro glória perfruámur ætérna. Per Dóminum.

Ad Primam ad Abſolutiónem Capituli. Hi ſunt, qui venérunt, ut infra ad Nonam.

Ad Tertiam, Antiphona. Et ſeniores. Capitulum. Ecce ego Joánnes, ut ſuprà. 102.

℟. breve. Lætámini in Dómino, * Et exultáte juſti. Lætámini in Dómino. ℣. Et gloriámini omnes recti corde: Et exultáte. Glória Patri. Lætámini in Dómino. ℣. Exúltent juſti in conſpéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætitia.

Ad Sextam, Antiphona. Redemiſti.

Capitulum. *Apoc. 7.*

ET audívi númerum ſignatórum: centum quadragínta quátuor míllia ſignáti ex omni tribu filiórum Iſraël.

℟. breve. Exúltent juſti, * In conſpéctu Dei. Exúltent juſti. ℣. Et delecténtur in lætitia. In conſpéctu. Glória Patri. Exúltent juſti. ℣. Juſti autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum eſt merces eórum.

Ad Nonam, Antiphona. Hymnus ómnibus.

Capitulum. *Apoc. 7.*

HI ſunt, qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas, & dealbavérunt eas in ſánguine Agni.

℟. br. Juſti autem, * In perpétuum vivent. Juſti autem. ℣. Et apud Dóminum eſt merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Juſti autem. ℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis.

In ſecúndis Véſperis ómnia ut in primis, ſed loco ultimi, Pſalmus. Crédidi. 137.

A Capitulo de ſequenti, Commemorátio præcedentis, ut infra.

Pro Commemoratióne, Aña.

O quàm glorióſum eſt regnum, in quo cum Chriſto gaudent omnes Sancti, amicti ſtolis albis ſequúntur Agnum quocúmque ierit.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis.

Orátio.

OMnipotens ſempitérne Deus, qui Eccléſiam tuam variis Sanctórum ſplendóribus ſemper illúſtras, prótegis atque conſérvas: concéde propítius, ut beáti Franciſci, & Sanctórum Filiórum ejus, quorum ómnium mérita nos ſub una tribuíſti celebritáte venerári, précibus, & hic ab ómnibus mundémur offénſis, & in futúro glória perfruámur ætérna. Per Dóminum noſtrum.

## DIE XXVIII. NOVEMBR.

In feſto S. Jacóbi de Marchia Confeſſóris, Ordinis Minórum de Obſervántia.

Duplex ſecúndæ Claſſis, cum Octáva.

Omnia de Commúni Confeſſóris non Pontíficis ſecúndo loco, lxxxiij. præter ea, quæ hic ſequúntur.

In utríſque Véſperis & Laudibus.

℣. Ora pro nobis beáte Jacóbe. ℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Orátio.

DEus, qui ad animárum ſalútem, & peccatóres è vitiórum cœno ad viam virtútis revocándos beátum Jacóbum Confeſſórem tuum Evangélii præcónem exímium effeciſti: concéde propítius; ut ejus interceſſióne à peccátis omnibus expiáti vitam conſequámur ætérnam. Per Dóminum.

Lectio iv.

JAcóbus Monte Prándonum Picéni óppido in Diœcéſi Aſculána piis paréntibus natus ab ipſa pueritia bonárum ártium, & litterárum ſtúdia magna cum pietáte conjúnxit. Adoléſcens mundi vanitátem

có-



cógitans, Carthuſianórum Inſtitúto nomen dare conſtitúerat; Deo tamen, qui eum ad animárum ſalútem, & fidei propagatiónem deſtináverat, ducénte, Minórum familiam ingréſſus eſt. In ipſo tyrocinio, quod in Cœnóbio Cárcerum apud Aſſiſium póſuit, obediéntia, paupertáte, ceteriſque virtútibus ita excélluit, ut religióſæ perfectiónis exémplar abſolutiſſimum ab ómnibus haberétur. Virginitátem perpétuò illibátam ſervávit, trium horárum ſomno conténtus, réliquam noctem Divinis in láudibus, cruéntis flagellatiónibus, rerúmque cæléſtium contemplatióne tranſigébat. Lorícam ferream ſupra nudas carnes annis geſtávit propè viginti, quam póſteà juſſu ſacerdótis, qui ejus confeſſiónes excipiébat, cilício aſpérrimo commutávit. Semel in die pane, & aqua veſcebátur, ádditis raró crudis fabis, herbiſque ſylvéſtribus obſónii loco. Quam duríſſimam vivéndi ratiónem ténuit, donec ætáte provéctum, & ob aſſíduos labóres mala afféctum valetúdine, ut mitiùs aliquántò ſecum ágeret, ſancti Bernardíni Senénſis auctóritas impúlit.

℟. Honéſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodívit eum ab inimícis, & á ſeductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

SAcérdos factus, & ad munus concionándi deléctus, vivo, & efficáci ſermóne flagitia hóminum conſtánter, & líberè increpábat; nec viros nóbiles, ac poténtes reprehéndere eſt véritus, ſi quos criminibus irretítos offendiſſet; tantúſque fiébat ad eum audiéndum concúrſus, ut cùm frequéntiam cápere vel magna templa non poſſent, in platéis, atque áreis ſuggéſta érigi paſſim oportéret. Hinc Imperatóres, Reges, & Præſules ampliſſimi certátim apud ſe eum concionántem habére voluérunt. Mediolani de Magdalénæ lácrymis dicens, ſex & triginta impudícas mulieres à turpi quæſtu avocávit, quibus étiam pecúnia corrogáta ad piè vivéndum domicílium extrúxit. Tum Sfortia Duce, ac cívibus veheménter inſtántibus, ut Archiepiſcopále munus ſuſciperet, eam dignitátem conſtantiſſimè recuſávit. Bis centéna Infidélium millia baptíſmi lavácro tinxiſſe, & in Hungária brevi témpore quinquaginta Hæreticórum millia ad Eccléſiæ ſinum re-



du-

duxiſſe fertur. In Itália nequiſſimam Fraticellórum ſectam iterùm, ac tértiò reviviſcéntem pénitùs extinxit. Ferrarienſi Concilio, quod poſteà Floréntiam tranſlâtum fuit, intérfuit. Sigiſmúndum & Albértum Imperatóres in máximis Regni difficultátibus, præſértim verò expeditióne in Turcas promovénda, & Hæréticis debellándis consílio, & ópera adjúvit. Sancto Joánni à Capiſtráno ſacri ſociális belli advérsùs Turcas, Pontifíciæ Legatiónis Conſiliário in Hungária defúncto, ſuſféctus fuit.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, ſtolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornâvit eum. Et ad portas.

### Lectio vj.

Martini Quinti, Eugénii Quarti, Nicolài Quinti, Callíxti Tértii, Pii Secúndi, Pauli item Secúndi, & Sixti Quarti contra Hæréticos Fraticéllos, Manichæos redivívos, Paterénos, Huſsítas, Taboritas legatiónibus functus eſt. Quibus in expeditiónibus Itáliam univérſam non ſemel percúrrit; Illíricum tértiò, Pannóniam, Sarmátiam, Bohémiam, finitimáſque provincias peragrâvit. Tot autem itínera ſine sǽculo, & pera Apoſtolórum more pédibus conféçit, ope Divína únicè fretus, quæ tum máximè pátuit, cùm rejéctus à Nauta Padum amnem, pállio ſuper aquas inſtráto, cum ſócio pertránſiit. Dénique Neápoli, quò Sixti Quarti juſſu, inſtánte Ferdinándo Rege, proféctus erat, extrémo morbo corréptus, Eccléſiæ Sacraméntis ritè ſuſcéptis, anno milléſimo quadringentéſimo ſeptuagéſimo ſexto, ætátis octogéſimo quinto, quarto Kaléndas Decémbris ſpíritum Deo réddidit. Multis poſt óbitum miráculis cláruit, quibus ritè cógnitis Urbánus Octávus ejus Officium, & Miſſam ab Ordine Fratrum Minórum, & à Clero Neápolis celebrári permíſit, quæ Jacóbum inter álios Patrónos cooptáverat. Corpus ejus in Æde ſacra ſanctæ Maríæ Novæ incorrúptum adhuc, & flexíbile pérmanet. Quod cùm Vincéntius Cardinális Urſinus, qui poſt Benedíctus Décimus Tértius fuit, ſuis mánibus contrectáret, & Philíppo Quinto Hiſpániæ Regi venerándum offérret, odórem ſuaviſſimum expiráre compértum eſt. Idem verò Póntifex anno milléſimo ſeptingentéſimo vigéſimo ſexto Jacóbum novis miráculis coruſcántem



tem in Sanctórum número retulit.

℟. Iſte homo perfécit ómnia, quæ locútus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iſte eſt qui contémpſit vitam mundi, & pervénit ad cæléſtia regna. Quia te. Glória. Quia.

In ſecúndis Véſperis fit Commemorátio ſequéntis, & Sancti Saturníni mártyris.

## DIE XXIX. NOVEMBRIS.

Secúnda die infra Octávam S. Jacobi de Márchia.
Vigília S. Andréæ Apóſtoli.
Fit de S. Joanne à Cruce Confeſſóre.
Semiduplex.

Omnia ut in Breviário Románo ſub xxiv. hujus.

Nona Léctio de Vigília, cum Commemoratióne Octávæ. Antiphona. Similábo. Vigíliæ & S. Saturníni, in Láudibus.

Véſperæ de ſequénti ſine ulla Commemoratióne.

## FESTA DECEMBRIS.

## DIE I. DECEMBRIS.

Quarta die infra Octávam S. Jacobi de Márchia.
Semiduplex.

In primo Noctúrno, Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In ſecúndo Noctúrno.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

*De S. Philogónio, paulò poſt médium.*

### Lectio iv.

Quantum autem ſit pietátis arguméntum, quòd Deus illum tanto magiſtrátu dignum judicárit, audi. Chriſtus excitátus à morte, quid dicit Petro? poſtquam enim illum interrogáſſet, Petre amas me? iſque reſpondíſſet: Tu Dómine ſcis quòd amo te, dicit illi: Si díligis me, paſce oves meas. Hoc autem dicébat, non ſolùm ut nobis certiſſimè declaráret, quantópere ipſum diligeret Petrus: verùm étiam, ut palàm fáceret, quantam habéret benevoléntiam erga ſuas oves. Itaque ſi quis volúerit illi commendátus eſſe, curam hábeat óvium illius, públicam quærat utilitátem, fratrum ſuórum ſalúti proſpiciat.

℟. Honéſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodívit eum ab inimícis, & à ſeductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. Et.

### Lectio v.

Nullum enim officium hoc Deo chárius eſt; & ob id alicubi dicit: Simon, Simon, expetívit te sá-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ſátanas, ut cribráret te tamquam tríticum, ſed ego rogávi pro te, ne defíciat fides tua. Quid ígitur hujus ſolicitúdinis curǽque prǽmium mihi repéndis? eámdem curam, quam nobis impéndit, repóſcit. Nam & tu, inquit, aliquándo convérſus confírma fratres tuos. Neque prorsùs ália res eſt, quæ perindè decláret, noceátque quis ſit fidélis & amans Chriſti, quàm ſi fratrum curam agat, proque illórum ſalûte gerat ſolicitúdinem.

℟. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, ſtolam glóriæ induit eum: * Et ad portas paradíſi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

Léctio vj.

HÆc omnes áudiant & Mónachi, qui móntium occupárunt cacúmina, quique modis ómnibus ſeipſos mundo crucifixérunt, quo pro víribus Eccleſiárum præféctos ádjuvent, horúmque curas léniant précibus, concórdia, charitâte; ſciéntes, quòd niſi modis ómnibus opituléntur iis, qui tot perículis objiciúntur, per grátiam Dei, totque negotiórum curas ſuſtinent, quibuſcúmque poſſunt ratiónibus auxiliéntur, quamquam procul habitántes, & victus ſors ipſis periſſet, & tota in ſcópulum impegiſſet ſapiéntia.

℟. Iſte homo perfécit ómnia, quæ locûtus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iſte eſt qui contémpſit vitam mundi, & pervênit ad cæléſtia regna. Quia te. Glória. Quia.

In tértio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Léctio vij. *Cap. 12. d*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nolíte timêre puſíllus grex: quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía S. Petri Chryſólogi Epíſcopi.

*Ex Sermône 23.*

AUdiſtis hódiè, quemádmodùm Dóminus paſtorâli júbilo clangôrem tubæ cæléſtis adjúnxit, ut diu inclinátas óvium mentes ad divína tólleret, cæléſte prótinùs promovêret ad regnum. Acquiſívit humílitas, ſupérbia quod amíſit: & grex puſíllus ac mitis, totas & várias edómuit própria manſuetúdine feritâtes: puſíllus grex vicit ac fregit tot génera beſtiárum, quot diverſitâtes súbdidit jugo Chriſti natiónum.





℟. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtútes operátus eſt, & de omni corde ſuo laudávit Dóminum: * Ipſe intercêdat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo ſine queréla, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia ſua. Ipſe intercêdat.

Léctio viij.

GRex puſíllus ac mitis diu conténtus occídi, diu devorári paſſus eſt, donec gentílis ſævítia ſánguine ſatiáta, vel cárnibus, Evangélici pábuli ſuavitâtem, & divíni fontis fluénta degúſtans, totum contágium ſǽculi evitáret, & paſtum: atque in hóminem redíret ex béſtia, qui ex hómine fúerat dilápſus in béſtiam. Hoc ſenſiſſe antè Prophétas, hoc Apóſtolos impléſſe, hoc pertuliſſe mártyres conſtat, atteſtánte illo qui dicit: Propter te mortificâmur tota die, æſtimáti ſumus ùt oves occiſiônis. Ut verò iſte grex novi órdinis aggrederêtur prælium, ubi vivit ille qui fuit occíſus; imitátus eſt ſuum Regem, illum ſecûtus eſt Agnum, qui ſicut ovis ad occiſiônem ductus eſt.

℟. Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris: * Et vos ſímiles homínibus expectántibus dóminum ſuum, quando revertátur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia neſcitis qua hora Dóminus veſter ventûrus ſit. Et vos ſímiles. Glória Patri. Et vos.

Léctio ix.

TIbi ergo Rex, tibi ſacérdos, tibi paſtor, tibi ſacrifícium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum factus eſt qui fécerat totum. Et qui ſibi numquam, tibi tóties immutâtur, propter te várias monſtrâtur in formas, qui manet única ſuæ majeſtâtis in forma. Et quid plura? dat ſe tibi Deus homo, ut ferre potes, quia, ùt eſt, tu non potes ſuſtinêre.

Te Deum laudámus. 17.

## DIE II. DECEMBRIS.

Quinta die infra Octávam S. Jacobi de Márchia.

Fit de S. Bibiána Vírgine & mártyre.

Semidúplex.

In Láudibus fit Commemorátio Octávæ.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# OFFICIA SANCTORUM,

## Qui à tértio Ordine S. Patris noſtri Franciſci celebrántur cum Octâva.

**DIE I. SEPTEMBRIS.**

Octâva die S. Ludovici Regis & Confeſsóris.

Capitulum. *Eccli.* 31.

BEátus vir, qui invéntus eſt ſine mácula, & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperâvit in pecúniæ theſáuris: quis eſt hic, & laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita ſua.

Hymnus.

GAude Mater Eccléſia,
Novæ laudis præcónio:
Quam Ludovici glória
Solémni replet gáudio.
De regno terræ véhitur
Ad regni cæli ſólium:
Cujus vita dignóſcitur
Forma virtûtum ómnium.
Fide purus, ſpe pátiens,
Et charitâte férvidus:
Omni peténti lárgiens,
Pius, pudicus, próvidus.
Fraus, furor, violéntia
Relegántur à ſúbditis:
Signa coruſcant vária,
Virtûtum ejus méritis.
Pro corôna juſtitiæ
Jam coronâtus glória,
Noſtræ memor miſériæ,
Cæli procûret præmia.
Trino Deo, & ſimplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos regis mirifici
Corônet per ſuffrágia. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Ludovice. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Magnificat, Antiphona. Magnificat geſta clariſsima ſancti Ludovici divino cúltui devôtum hódiè præſens collégium; cujus ſancta conſcéndit ánima, ſub fine felici regni perpétui cum ſanctis pátriæ ſublime ſólium.

Oratio.

DEus, qui beátum Ludovicum Confeſsórem tuum, de terréno regno ad cæléſtis regni glóriam tranſtuliſti, ejus, quæſumus, méritis & interceſsióne, Regis regum Jeſu Chriſti Filii tui fácias nos eſſe consórtes. Qui tecum vivit & regnat.

Deindè fit Commemor. S. Ægidii Abbâtis, & SS. duodecim Fratrum mártyrum.

Ad



Ad Matutinum, Invitatór. Regem regum Dóminum. * Venîte adorêmus. Pſalmus. Venîte, exultêmus. 2.

Hymnus.

NOva regis præcónia
Solémni digna cántico,
Devôta promat Fráncia
Cantu plaudens angélico.
Regis hujus religio,
Et aſpéctus gratiſsimus
Monſtrâbant, quid de prǽmio
Ejus guſtâret ánimus.
Monſtrant quoque mirácula,
Quantus ſit in cæléſtibus,
Morbos atque pericula
Suis fugándo précibus.
O quàm dulce ſpectáculum
In Ludovico cérneret,
Qui virtûtis ſignáculum
Ejus vultum inſpiceret!
Nam vultus ejus cláritas
Numquam in terra córruit:
Nec effectus benígnitas
Deo præſénte cáruit.
Trino Deo, & ſimplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos regis mirifici
Corônet per ſuffrágia, Amen.

In primo Nocturno, Aña. Beátus, qui ſólium, iter & consilium malórum vitâvit: ſanctus ab infántia Ludovicus hæc tria ſemper declinâvit. Pſalmus. Beátus vir, qui non ábiit, cum réliquis, ùt in Communi Confeſſ. non Pont. lxxiv. Antiphona. Regni ſedem conſecûtus, húmilem ſe præbuit: & in Sion conſtitûtus, cultu Dei cláruit. Antiphona. Suſcéptus ad méritum, glória dotâtur: caput Deo súbditum cælo coronâtur. ℣. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Lectiónes de Scriptûra occurrénte.

℟. j. Rex regum regi filio regáles parans núptias, poſt certâmen in ſtádio, * Glorióſo commércio cæli præbet delicias. ℣. Pro regno temporáli, regnum habet cæléſtium Ludovicus in prǽmium. Glorióſo.

℟. ij. Felix terra, cujus rex ſápiens, juſtus, clemens, modéſtus, pátiens: * Cujus vultus eſt malos fériens, atque virtus bonos alliciens. ℣. Ludovicus ſic terris præfuit, quòd regnándo cælos promeruit. Cujus vultus.

℟. iij. Hunc natûra génuit regno fructuóſum, volúntas exércuit mundo gratióſum. * Deus ipſum præbuit cælo glorióſum. ℣. Normam vitæ póſuit hunc Deus, & tribuit ſignis virtuóſum. Deus. Glória Patri. Deus.

In ſecundo Nocturno, Aña. Invocántem exaudivit Deus regem húmilem, & præcláris inſignivit ſignis ſuum púgilem. Antiphona. Dedúctus in juſtitia, clemens ſub-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ſubjéctis præſuit, leges, pœnas, & præmia ſapiénter inſtituit. Antiph. Coronátur glória Sanctus, & honôre, quia mundi gáudia duxit in timôre. ℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judicium.

Lectio iv.

PLura ália ſanctus Rex Ludovicus, plena ſalûtis mónita, ántequam ſpíritum rédderet cælo, reliquit Philippo filio ſuo. Bellum (inquiens) contra Chriſtiános ſine urgénte causa, & consilii tui judicio, ne inferas: ſuſcipere coáctus, Eccléſias, & insóntes consérves. Si tibi in áliquem bellum ſit, aut ſi inter ſe súbditi diſſéntiant, reconciliáre, & compónere ómnia ſtude. Cui gládium, & ſtatêram juſtitiæ committas, atténde diligénter. Optimos regni júdices elegiſſe non ſufficiat; ſed iis ſolérter invígila, & quómodò ſe gerant inquíre. Sanctæ Románæ Eccléſiæ, & Summo Pontífici, tuo Patri ſpirituali devotiſſimus ſemper, & obedientiſſimus eſto. Ordinátæ ſint, & moderátæ impénſæ domus tuæ. Admóneo te, fili mi, & adjurándo præcípio, ut ſi me priôrem evocáverit Deus ex hac vita, pro ſalûte ánimæ meæ toto Gálliæ regno Miſſas celebrári, & oratiónes Deo offerri cures. Dénique exopto tibi, & à Deo conférri precor quidquid bonum patrem filio expétere par eſt.

℟. Glorióſus appáruit, non cultu præſidéntis; ſed cùm incúltus præſuit, more David ludéntis, * Nec ex hoc ſibi défuit auctóritas regéntis. ℣. Virgam virtûtis hábuit, in qua malos compéſcuit, ſed ſub norma cleméntis. Nec ex hoc.

Lectio v.

MOrti próximus ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacraménto muníri vóluit: in qua ſe tam certo crédere verùm Chriſti corpus continéri profeſſus eſt, ac ſi eum óculis in ea forma, qua cælum conſcéndit, intuerêtur. Demùm ſacro unctus óleo, & Cælitibus in auxílium advocátis, ac ſpeciáliter ſancto Jacóbo, ſancto Dionyſio, & ſancta Genovéfa, ſupra cíneres recúmbens; expánſis mánibus ſupra pectus in modum Crucis, óculis in cælum eréctis, ore próferens: Introíbo in domum tuam Dómine, adorábo ad templum ſanctum tuum, & confitêbor nómini tuo, ac ánimam ſuam Deo commendans, hora nona, (qua vidélicet Chriſtus Dei Filius

pro



pro mundi ſalûte expirâvit) vigéſima quinta Augúſti, anno Dómini milléſimo ducenteſimo ſeptuagéſimo feliciter obdormivit. Eúmdem porrò ſervum ſuum, in terris perpétua memória, & glóriæ in cælis ætérna corôna donâtum: Deus etiam miráculis honorávit.

℟. Coram Rege conſpícitur, liber in præda pérditus, miraculóſè fuit Rex Saracénis tráditus: * Et hóſtibus expóſitus. ℣. Jonas undis erípitur, Joſeph detentùs ſólvitur, & David antro póſitus. Et hóſtibus.

Lectio vj.

HOc insígnis miráculi loco ducéndum, quód infidéles audita ejus morte inſoleſcéntes, fruſtrà ante victóriam triúmphum cecinerint: Dei enim providéntia, Cárolus Siciliæ Rex, defuncti Regis frater, præcláro exército comitátus, pauló pòſt Tunas áppulit, & impetum Barbarôrum ſic repréſſit, ut pacem expétere coácti, his tantùm conditiónibus eam impetrárint, ut captivos omnes Chriſtiános libertáte donárent, ut Religióſis Dominicánis, & Franciſcánis liberam per totum regnum Evangélii prædicándi, & credéntes baptizándi poteſtâtem fácerent; ac rex Tunénſis Regi Siciliæ quadraginta aureôrum míllia quotánnis ſólveret. Ità verè affirmári poteſt defúnctum Regem de Mauris triumphâſſe, & exercítui noſtro victóriam ſuis précibus impetrâſſe. Ejus ſanctum corpus primum in Siciliam delâtum, deindè in Monaſterio ſancti Dionyſii, juxta Pariſios, honorificè cónditum eſt. Miráculis dénique coruſcántem Bonifacius Octâvus in númerum Sanctôrum rétulit.

℟. Cùm eſſet in accúbitu Rex intérnæ dulcédinis, arcens poténti ſpíritu peſtes carnis & sánguinis: * Bonórum ſeptus ámbitu, ſceptro fulſit regíminis. ℣. David regis ſedit in sólio, Salomônis utens judicio. Bonôrum. Glória Patri. Bonôrum.

In tertio Nocturno, Aña.

Habitâbit confidénter Rex in monte Dómini, quia vixit innocénter omni gratus hómini. Antiphona. Rex virtûtis in virtûte divina lætâtur, quia ſibi de ſalûte ſpes firma donâtur. Antiphona. Innocens manus præbuit cordis quoque munditiam Ludovico, qui méruit regni cæléſtis prǽmia. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap.* 19.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere ſibi regnum, & reverti. Et réliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

*Lib. 1. Quæſt. Evang. quæſt.* 46.

REgio longínqua, Eccléſia géntium uſque ad fines terræ. Revérti ſe tamen dicit: ábiit enim, ut plenitúdo géntium intráret: revertêtur, ut omnis Iſraël ſalvus fiat. Per decem mnas legem ſignificat, propter Decalogum. Decem autem ſervos, quibus ſub illa póſitis grátia prædicáta eſt. Sic enim intelligéndum eſt, eis datas mnas ad uſum, cùm intelléxerint eam ipſam legem, remóto velámine, ad Evangélium pertinêre. Cives ejus, qui poſt eum miſerunt legatiônem, dicéntes ſe nolle ut regnet ſibi, Judǽi ſunt, qui prædicatiônem Evangélii reſpuérunt.

℟. Fulget ſignis Rex inſignis, * Nam ægrótis ejus votis præſtántur remédia. ℣. Dati neci liberántur, claudi, cæci reparántur, fugántur dæmónia. Nam.

Léctio viij. *Paulò poſt.*

QUòd autem ſervi reddéntes ratiônem, ex eo quòd accéperant, laudántur, quia lucráti ſunt; ſignificat eos bonam réddere ratiônem, qui benè uſi ſunt eo quod accepérunt ad augéndas divítias Dómini per eos qui credunt in eum. Quod qui fácere nolunt, in illo ſignificáti ſunt, qui mnam ſuam in ſudário ſervâvit. Menſam, cui danda erat pecúnia, profeſsiônem ipſam religiônis accípimus, quæ tamquam públicè propónitur ad uſum neceſsárium ſalúti.

℟. Regnum mundi ſupergréſſus, & ejus ornâtum, regnum cæli jam ingréſſus ſibi præparâtum: * Noſtros ad ſe regat greſſus poſt hunc incolâtum. ℣. Péregrè Jacob egréſſus ad Patris mandâtum, Deum vidit, ſic proféſſus vitæ cœlibâtum. Noſtros. Glória Patri. Noſtros.

Nona Lectio de S. Ægidio.

## AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

LUdovicus hódiè decôrem indûtus eſt, cæléſtis pátriæ regnum conſecûtus. Pſalmus. Dóminus regnâvit, cum réliquis. 18. Antiphona. Omnis terra júbilet, Deo læta sérviens, láudibus invígilet, novum feſtum fáciens. Antiph. Ad te Deus meus, ſemper vigilâvit; ſicque numquam reus cælos penetrâvit. Antiphona. Benedíxit Creatórem in ſuis opéribus Ludovicus gerens morem datum cæli cívibus. Antiphona. Ludovicus Dóminum de cælis laudâvit, quando vitæ términum cælo dedicâvit.

Capitulum. *Eccli.* 31.

BEátus vir, qui invéntus eſt ſine mácula, & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperâvit in pecúniæ theſáuris; quis eſt hic, & laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita ſua.

Hymnus.

HYmnum novæ lætítiæ,
Regi canâmus ómnium,
Qui ſancto Regi Fránciæ,
Novi dat regni ſólium.
Ludovicus ex nómine
Lucis dator exprímitur,
Et cuſtos in certámine
Præséntis vitæ pónitur.
Crucis hoſtes concútiens,
Concúſſus ægritúdine,
Vitam invênit móriens,
Tali felix certámine.
Nam ſic in vita víguit,
Ut patiéndo vinceret;
Et hoc in morte méruit,
Ut moriéndo víveret.
Vivit ergo felíciter
Rex Francórum in glória,
Quem Chriſtus ſinguláriter,
Sua replévit grátia.
Trino Deo, & ſimplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos regis mirífici
Corônet per ſuffrágia. Amen.

℣. Ora pro nobis beâte Ludovice. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Benedictus, Antiphona.

Benedíctus Dóminus, qui nobis eréxit cornu, quod paulò minùs à David diléxit: hic virtûte géminus Rex in pace rexit, quem vivéndi términus ad cælos diréxit.

Orátio. Deus, qui, ut ſuprà. 104.

Deindè fit Commemor. S. Ægidii Abbâtis, & SS. duódecim Fratrum mártyrum.

In ij. Véſperis, Aña. Ludovicus hódiè, cum réliquis de Láudibus. Pſalmus. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, 133. & loco últimi, Pſalmus. Laudâte Dóminum omnes Gentes. 137. Capitulum, Hymnus, & ℣. ut ſuprà.

Ad Magnificat, Antiphona.

Magníficat miráculis Ludovícum divínitas, in quo cunctórum óculis David fulſit humílitas, Salomônis ſerénitas, & Ezechíæ véritas, quem gratiárum títulis ſolémnem fecit pópulis Jóſiæ par benígnitas.

Orátio ut ſuprà. 104.

Et fit Commem. S. Stéphani Confeſsóris.

DIE

## DIE I. OCTOBRIS.

Quinta die infra Octávam ſancti Elzeárii.

Lectiónes ij. Noctúrni ex libro Morálium ſancti Gregórii Papæ, Deridêtur juſti ſimplícitas, ut in Commúni uníus Confeſsóris non Pontíficis ij. loco. lxxxvj.

In tertio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap.* 12.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nolíte timêre puſíllus grex, quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía ſancti Petri Chryſólogi Epiſcopi.

*Undè ſuprà.*

SEd audiâmus jam, quid puſíllo gregi talis promíſerit paſtor. Nolíte timêre, inquit, puſíllus grex, quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. O bónitas effúſa! O inaudîta pietas! O ineffábilis afféctio! In ſocietâte cenſus paſtor oves aſsûmit, atque ad conſórtium dominatiônis ſervos Dóminus adſcíſcit: ad principâtum regni Rex gregem pópuli totíus admíttit. Sic ſic dat, cui deficere cenſus, cui regnum minui, vacuári poteſtas non poteſt largiéndo.

℟. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtútes operâtus eſt, & de omni corde ſuo laudâvit Dóminum, * Ipſe intercêdat pro peccâtis ómnium populórum. ℣. Ecce homo ſine queréla, verus Dei cultor, ábſtinens ſe ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia ſua. Ipſe intercêdat.

*Poſt pauca.*

Léctio viij.

ECce qui dat, dare lóquitur Patrem. Numquid largitâtem ſuam dénegat, ſic dicéndo? Abſit; non poteſtâtem minuit, ſed pandit afféctum, ſic dicéndo: non diſtántiam facit, ſed Patris ſuámque voluntâtem monſtrat, firmat unitâtem. Quod autem dixit, Complácuit; & non dixit, Plácuit; munus édocet Trinitâtis: quia quod erga nos Fílio plácuit, hoc complácuit Trinitâti.

℟. Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum ſuum, quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia neſcítis qua hora Dóminus veſter ventûrus ſit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos.

Nona Lect. de S. Remigio.

## DIE XIX. NOVEMBRIS.

In feſto S. Eliſabeth Regínæ Hungáriæ víduæ, Tertii Ordinis S. Franciſci.

Duplex j. Claſsis, cum Octâva tantùm pro Monialibus Tertiáriis.

Omnia dicúntur prout præſcripta reperiúntur 94. horum Officiórum: quia autem dies infra Oct. ejuſdem Feſti áliis Officiis ſunt impedítæ, ſolùm fiet Comm. ad Veſp. & Laudes per totam infra Oct. de ipſa S. Eliſabeth, excepta die xxiv. Novembris; tunc enim fit de ſexta die infra Octáv. S. Eliſabeth: & in die Oct. ſervabitur Decrêtum Sacræ Congregatiónis de die prima Mártii 1681. Vi cujus transferri debet Feſtum beâtæ Delphinæ, pro quo dies própria apud Tertium Ordinem Monialium erit xxix. Novembris.



## DIE XXIV. NOVEMBRIS.

Sexta die infra Octávam S. Eliſabeth.

In ſecúndo Noctúrno.

Ex Sermône S. Bonaventúræ Epiſcopi de S. Eliſabeth.

Léctio iv.

COmmendâtur beâta Eliſabeth ſuper perſónam Judith, de qua dícitur: Hæc erat in ómnibus famoſíſsima, timêbat enim Deum valdè, nec erat qui loquerêtur verbum malum de ea. Hæc erat famoſíſsima ex timôre cordis, timêbat enim Deum ex teſtimónio oris, nec erat qui loquerêtur de ea verbum malum. Ex tribus ſiquidem, quantum ad próximum, acquíritur bona fama: Ex probitâte; ſic enim famôſus fuit Rex David, qui interpretâtur manufórtis: Ex ſapiéntia; ſic enim famôſus fuit Rex Sálomon; omnes enim deſiderabant audire ſapiéntiam ejus: Ex ſanctitâte; ſic famôſus fuit rex Joſias: ſed beâta Eliſabeth fuit in ómnibus his famoſíſsima. Famôſa enim fuit ex probitâte, quam hábuit contra carnem, quam ſubjugâvit per cilícium aſperitâtis; contra mundum, quem ſubjugâvit per eminéntiam paupertâtis; contra diábolum, quem ſubjugâvit per exercítium humilitâtis.

℟. Propter veritâtem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedûcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próſperè procêde, & regna. Et dedûcet.

Léctio v.

DE primo: confortâtum eſt cor tuum, eò quòd caſtitâtem amáveris, & poſt virum tuum álium neſcíeris; & ideò manus Dómini confortâvit te, & eris benedícta in ætérnum. Máximæ enim fuit auſteritâtis: carnem mortificâvit auſteritâte, ſpíritum caſtitâte. Vovit enim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

enim caſtitâtem, ſive continéntiam in matrimónio, ſi ſuperviveret marito; & in juventûte elêgit beâtum Joánnem Evangeliſtam caſtitâtis ſuæ cuſtôdem. De ſecúndo juxta Apóſtoli mónitum: In ómnibus exhibeâmus nos, ſicut Dei miniſtros, in multa patiêntia, in tribulatiône, & ſéquitur: per infámiam, & bonam famam. Iſta enim miniſtrâvit Dómino in miniſtério paupertâtis. Cùm enim eſſet filia regis, expúlſa fuit à dotalitio ſponſi, poſt mortem ejus compulſa in paupertâte manêre, vel vivere; in hara porcórum pernoctâre, & média nocte véniens ad Fratres Minóres, fecit eos cantâre: Te Deum laudâmus, præ gáudio paupertâtis invéntæ.

℟. Dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitâtem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritâtem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: Proptéreà.

Léctio vj.

HÆc confúndit eos, qui paupertâtem vovérunt, & eidem libellum repúdii pórrigunt. Et nota, quòd dicit, per infámiam, & bonam famam. Hódiè enim páuperes Chriſti infamántur, qui bonæ famæ ſunt apud Deum, dum à malis hominibus blaſphemántur, & eis moléſtiæ & injúriæ inferúntur, & detractiónes. De tértio: Auribus noſtris audívimus famam ejus. Verba ſunt Angelórum famam Job commendántium. Cujus humílitas pátuit, cùm vétula, cui benéfica fúerat, eam in lutum impulit, & ſignum fuit perféctæ humilitâtis corde, & hábitu Minôrum, quem, ùt pótuit, aſsúmpſit: ſicut ego ipſe audivi ab ejus Confeſsôre, & ab ejus ancilla, quæ fúerat ſecum nutrita à juventûte; quæ tantæ auſteritâtis erat, quòd nec panem, nec carnes, nec piſces edêbat, nec vinum bibêbat, & ſuper tábulas ad dormiéndum jacêbat.

℟. Fallax grátia, & vana eſt pulchritûdo: * Múlier timens Deum, ipſa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum ſuárum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tértio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 13.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile eſt regnum cælôrum theſáuro abſcóndito in agro. Et réliqua.

De



De Homilia ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

VIdes quómodò vetus Teſtaméntum non ejicit, ſed láudibus effert, & theſáurum appéllat. Quare qui divinârum ſcripturârum imperiti ſunt, non erunt hi certè patresfamílias, qui, cùm nec à ſe ipſis habent, quǽrere indignum putant, ſed negligenter vivéndo inédia depéreunt. Non autem hi ſolùm, verùm étiam hærétici expértes ſunt hujus beatificatiônis, quia non poſſunt emíttere nova & vétera: nam, cùm vétera non téneant, nova crédere non poſſunt: ſicut è contrà, qui nova habent, hi vetéribus pénitùs carent.

℟. Os ſuum apéruit ſapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus: conſiderávit sémitas domus ſuæ, * Et panem otiôſa non comêdit. ℣. Guſtâvit & vidit quia bona eſt negotiátio ejus, non extinguêtur in nocte lucérna ejus. Et panem.

Léctio viij.

HÆc enim inter ſe magno juncta & connéxa vínculo ſuo. Audiâmus igitur, audiâmus quicúmque Scripturârum lectiônem negligimus, quantum damnum, quantam inópiam patiâmur. Et opuléntì quidem, qui cupiditâte pecuniârum insániunt, aſsiduè veſtes ſuas, ne tineis corrodántur, excútiunt: tu verò cùm oblivio, ómnibus tineis pejor, ac major peſtis, ánimam tuam dévoret, non accédes ad libros, non excútìes tíneas, non ordinâbis ánimam tuam, non aſpícies continuè imáginem virtûtis, nec membra ejus, & caput conſiderábis?

℟. Regnum mundi, & omnem ornâtum ſǽculi contémpſi propter amôrem Dómini mei Jeſu Chriſti: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructâvit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Quem. Glória Patri. Quem.

Nona Léctio de S. Chryſógono mártyre.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

Octâva die S. Eliſabeth.

In ſecúndo Noctúrno.

Léctio iv.

BEâta Eliſabeth fuit famóſa in ſapiéntia: ſápiens enim fuit theſaurária, ſcholaſtica, operária. De primo: Invénta pretiôſa margarita, dedit ómnia ſua, & comparâvit eam; non de vílibus, hoc eſt, de temporálibus, ſed de lapídibus pretióſis fecit theſáurum ſuum, hoc eſt, de bonis ſpirituálibus, ſcílicet virtûtum opéribus. Undè regnum mundi commu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mutávit in regnum cæli: Fama nóminis ejus creſcêbat, & per cuncta ora volitâbat. Undè ad exémplum ejus multæ nóbiles egérunt pœniténtiam, & ingréſſæ ſunt Religiônem. De ſecúndo: Sicut enim Salomôni infûſa eſt ſapiéntia dormiéndo, ſic iſti Beátæ in orándo, ut implerétur in ea illud: Viciſti famam virtútibus tuis. Legêbat in libro conſciéntiæ, & conferêbat cum Dómino oratiônem, & Deus inſpirâbat ſibi ſapiéntiam ſuam in devotiône, quod ſignâtum eſt in júvene illo ſcholári, pro quo orâvit, & oratiône infúſa eum inflammâvit, & ſic inflammâtus Ordinem Minórum intrâvit: in quo diù, & ſanctè vixit.

℟. Propter veritâtem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: *Et dedûcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, próſperè procêde, & regna. Et dedûcet.

Lectio v.

De tértio: Patet in ejus miráculis: infirmos curâbat, mórtuos ſuſcitâbat; ut implerêtur in ea illud: Exivit fama ejus in univérſam terram illam. Fuit étiam famôſa pro Religiône, & ſanctitâte ſua. Sancta enim fuit per puritâtem reſpéctu ſui, per pietâtem reſpéctu próximi, per charitâtem reſpéctu Dei. De primo; Velox apud cunctos fama percrébruit: Hæccine eſt illa inter pulchras pulchérrima? Pulchra enim fuit in conſciéntia, & pura. Cum enim adhuc eſſet quinquennis, ibat ante Altâre pſaltérium aperiéndo, genuflexiónes faciéndo, & propter hanc puritâtem contráxit divínam amicítiam. Qui díligit cordis munditiam, propter grátiam labiórum habêbit amicum Regem. De ſecúndo: Fama bona impínguat oſſa. Erat enim plena pinguédine compaſsiônis, quæ írrigat ariditâtem mentis, condônat enim fáciliter delinquéntibus.

℟. Dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitátem: *Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritâtem, & manſuetúdinem, & juſtítiam. Proptéreà.

Lectio vj.

Numquam enim, ſicut lego, invenitur iráta, vel turbáta; donâbat indigéntibus, ſerviêbat impoténtibus, ulcera, & poſtémata contrectâbat própriis mánibus. Eſuriéntes alêbat, nudis veſtiménta præbêbat, & mórtuis ſepultúram ſollícitè exhibêbat. Et hoc pátuit in Hoſpitáli, quod ipſa conſtrúxit, ubi compaſsiônem ſuam per ópera pietâtis oſténdit. De tértio: Fama virtûtis ejus diffundebâtur ubique, quia cháritas Dei erat diffûſa in ejus corde: ut ſcilicet ſoli Chriſto per dilectiónem adhærêret, omni álio delectábili ab ea remôto. Nam próprium filium anni & dimidii à ſe elongári fecit: duas ancillas quas à juventûte habúerat, ab ea ejus Conféſſor amôvit, poſſeſsiónibus ómnibus renuntiâvit. Quia dicitur: Si déderit homo omnem ſubſtántiam domus ſuæ pro dilectióne, quaſi nihil reputâbit eam. Undè ergo fuit famôſa in ſanctitâte? quia puríſsima in converſiône, piíſsima in compaſſiône, & ardentiſsima in dilectióne.

℟. Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo: *Múlier timens Deum, ipſa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum ſuârum, & laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tértio Nocturno.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 13.*

In illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile eſt regnum cælôrum theſáuro abſcóndito in agro. Et réliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

*Unde ſuprà, quæſt. 16.*

Ideò omnis ſcriba doctus in regno cælôrum, ſimilis eſt hómini patrifamílias, qui profert de theſáuro ſuo nova & vétera. Utrùm iſta concluſiône expónere vóluit, quem díxerit theſáurum in agro abſcónditum? Quóniam ſanctæ Scriptúræ intelligúntur, quæ nómine duórum Teſtamentórum novi & véteris concludúntur: quemádmodùm apud álium Evangeliſtam gládium bis acûtum tali concluſiône vidêtur expónere.

℟. Os ſuum apéruit ſapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus: conſiderâvit sémitas domus ſuæ, *Et panem otiôſa non comêdit. ℣. Guſtâvit & vidit quia bona eſt negotiátio ejus, non extinguêtur in nocte lucérna ejus. Et panem.

Lectio viij.

An quia in parábolis iſta locutus eſt, & cùm quæſiſſet ab eis utrùm intellexiſſent, reſpondérunt, ſe intellexiſſe? Fortáſsè iſta ſimilitúdine última patrisfamílias proferéntis de theſáuro ſuo nova & vétera, oſténdere vóluit eum doctum habéndum eſſe in Eccléſia, qui étiam ſcriptúras véteres parábolis expli-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

plicátas intelléxit, ab iſtis novis accipiens régulas: quia & iſta Dóminus per parábolas enuntiâvit, quamvis ipſe Chriſtus eſſet finis illòrum, id eſt, ut in eo illa vétera compleréntur.

℟. Regnum mundi, & omnem ornâtum ſæculi contémpſi propter amôrem Dómini mei Jeſu Chriſti: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructâvit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Quem. Glória Patri. Quem.

Nona Lectio de S. Petro Alexandrino.





# OFFICIUM DE SANCTISSIMO SACRAMENTO,

Quod Féria v. cujúſque Hebdómadæ, extra tempus Advéntus & Quadrageſimæ, non impedita Officio novem Lectiónum, étiam translato, fieri poteſt ritu Officii Semidúplicis, ex conceſsióne PII V. Pontificis Maximi.

## AD VESPERAS,

Antiphona.

SAcérdos in ætérnum Chriſtus Dóminus ſecúndùm órdinem Melchiſedech, panem & vinum óbtulit. Pſalmus. Dixit Dóminus. Antiphona. Miſerâtor Dóminus eſcam dedit timéntibus ſe in memóriam ſuôrum mirabílium. Pſalmus. Confitêbor. Antiphona. Cálicem ſalutâris accípiam, & ſacrificâbo hóſtiam laudis. Pſalmus. Crédidi. Antiphona. Sicut novéllæ olivârum, Eccléſiæ filii ſint in circúitu menſæ Dómini. Pſalmus. Beáti omnes qui timent. Antiphona. Qui pacem ponit fines Eccléſiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus. Pſalmus. Lauda Jeruſalem.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. *c*

FRatres, Ego enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis, quóniam Dóminus Jeſus in qua nocte tradebâtur, accêpit panem, & grátias agens fregit, & dixit: Accípite, & manducâte: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradêtur: hoc fácite in meam commemoratiônem.

Hymnus.

PAnge lingua glorióſi
Córporis myſtérium,
Sanguiniſque pretióſi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generóſi,
Rex effûdit géntium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversâtus,
Sparſo verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clauſit órdine.
In suprêmæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Obſervâta lege plenè
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis mánibus.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit:
Fitque ſanguis Chriſti merum,
Et ſi ſenſus déficit;
Ad firmándum cor ſincêrum
Sola fides ſúfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerêmur cérnui:
Et antiquum documéntum
Novo cedat ritui:
Præſtet fides ſuppleméntum,
Sénſuum deféctui.

Genitóri, Genitóque
Laus & jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit & benedíctio:
Procedénti ab utróque
Compar ſit laudátio. Amen.

℣. Panem de cælo præſtitiſti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in ſe habentem, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona.

O quàm ſuávis eſt Dómine ſpíritus tuus, qui ut dulcédinem tuam in fílios demonſtráres, pane ſuaviſſimo de cælo præſtito, eſuriéntes reples bonis, faſtidióſos dívites dimíttens inánes, allelúia.

Orátio.

Deus, qui nobis ſub Sacraménto mirábili, paſſiónis tuæ memóriam reliquíſti: tribue, quæſumus, ita nos Córporis & Sánguinis tui ſacra myſtéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter ſentiámus. Qui vivis.

Ad Completórium, & per Horas, in fine Hymnórum dicitur Jeſu, tibi ſit glória, Qui natus es de Vírgine.

Ad Matutinum, Invitatór.

Chriſtum Regem adorêmus dominántem Géntibus: * Qui ſe manducántibus dat ſpíritus pinguédinem. Pſalmus. Venite, exultêmus. 2.

Hymnus.

Sacris ſolémniis juncta ſint gáudia,
Et ex præcórdiis ſonent præcónia;
Recédant vétera, nova ſint ómnia,
Corda, voces, & ópera.

Noctis recólitur cœna noviſſima,
Qua Chriſtus créditur agnum & ázyma
Dediſſe frátribus, juxta legítima
Priſcis indúlta pátribus.

Poſt agnum týpicum, explétis epulis,
Corpus Dominicum datum diſcípulis,
Sic totum ómnibus, quod totum ſingulis,
Ejus fatêmur mánibus.

Dedit fragílibus córporis férculum,
Dedit & triſtibus sánguinis póculum,

Di-



Dicens, Accípite quod trado váſculum,
Omnes ex eo bíbite.

Sic ſacrifícium iſtud inſtituit,
Cujus officium committi vóluit
Solis Presbýteris, quibus ſic cóngruit,
Ut ſumant, & dent céteris.

Panis Angélicus fit panis hóminum,
Dat panis cǽlicus figúris términum:
O res mirábilis, mandûcat Dóminum
Pauper, ſervus, & húmilis.

Te trina Déitas únaque póſcimus,
Sic nos tu viſita, ſicut te cólimus:
Per tuas ſémitas duc nos quò téndimus,
Ad lucem quam inhábitas.
Amen.

In primo Noctúrno, Aña.

Fructum ſalutíferum guſtándum dedit Dóminus mortis ſuæ témpore. Pſalmus. Beátus vir. 3. Antiphona. A fructu fruménti & vini multiplicáti fidéles in pace Chriſti requiéſcunt. Pſalm. Cùm invocárem. 157. Antiphona. Communióne cálicis, quo Deus ipſe súmitur, non vitulórum ſánguine congregávit nos Dóminus. Pſalmus. Conſérva me Dómine. 10. ℣. Panem cæli dedit eis, allelúia. ℟. Panem Angelôrum manducâvit homo, allelúia. Pater noſter. Abſolútio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

Lectiónes primi Noctúrni legúntur de Scriptúra occurrente.

℟. j. Immolâbit hœdum multitûdo filiórum Iſraël ad véſperam Paſchæ: * Et edent carnes, & ázymos panes. ℣. Paſcha noſtrum immolâtus eſt Chriſtus: itaque epulêmur in ázymis ſinceritátis & veritátis. Et edent. Benedíctio. Unigénitus Dei Filius.

℟. ij. Comedêtis carnes, & ſaturabímini pánibus: * Iſte eſt panis, quem dedit vobis Dóminus ad veſcéndum. ℣. Non Móyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Iſte eſt panis. Benedíctio. Spíritus ſancti grátia.

℟. iij. Reſpéxit Elías ad caput ſuum ſubcinerícium panem: qui ſurgens comêdit & bibit: * Et ambulâvit in fortitúdine cibi illius uſque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Et ambulâvit. Glória Patri. Et ambulâvit.

In ſecúndo Noctúrno, Aña.

Memor ſit Dóminus ſacrifícii noſtri, & holocáuſtum noſ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

noſtrum pingue fiat. Pſalmus. Exáudiat te Dóminus. 15. Antíphona. Parátur nobis menſa Dómini adversùs omnes qui tribulant nos. Pſalmus. Dóminus regit me. 33. Antíphona. In voce exultatiónis réſonent epulántes in menſa Dómini. Pſalmus. Quemádmodùm desiderat. 66. ℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle ſaturávit eos, allelúia. Pater noſter. Abſolútio. Ipſius pietas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

MENSIBUS SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

Ex libro ſancti Ambróſii Epiſcopi de Sacraméntis.

Léctio iv. *Lib. 4. cap. 4.*

AUctor Sacramentórum quis eſt, niſi Dóminus Jeſus? De cælo iſta Sacraménta venérunt. Conſílium enim omne de cælo eſt. Verè autem magnum eſt & divínum miráculum, quòd pópulo pluit Deus manna de cælo: & non laborábat pópulus, & manducábat. Tu fortè dicis: Meus panis eſt uſitátus. Sed panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentórum: ubi accéſſerit conſecrátio de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur adſtruámus. Quómodò poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratióne. Conſecrátio ígitur quibus verbis eſt, & cujus ſermónibus? Dómini Jeſu. Nam réliqua ómnia quæ dicúntur, laudem Deo déferunt, orátio præmíttitur pro pópulo, pro régibus, pro ceteris: ubi venítur, ut conficiátur venerábile Sacraméntum, jam non ſuis ſermónibus ſacerdos, ſed útitur ſermónibus Chriſti.

℟. Cœnántibus illis accépit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, dedítque diſcípulis ſuis, & ait: * Accípite, & comédite: hoc eſt corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus ejus, ut ſaturémur? Accípite. Benedíctio. Chriſtus perpétuæ.

Léctio v.

ERgo ſermo Chriſti hoc cónficit Sacraméntum. Quis ſermo Chriſti? Nempè is, quo facta ſunt ómnia. Juſſit Dóminus, & factum eſt cælum: juſſit Dóminus, & facta eſt terra: juſſit Dóminus, & facta ſunt mária: juſſit Dóminus, & omnis creatúra generáta eſt. Vides ergo quàm operatórius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis eſt in ſermóne Dómini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant: quantò magis operatórius eſt, ut quæ erant, in áliud commuténtur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicéntem: Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandávit, & creáta ſunt. Ergo tibi ut reſpóndeam, non erat corpus Chriſti ante conſecratiónem, ſed poſt conſecratiónem dico tibi quòd jam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt: ipſe mandávit, & creátum eſt.

℟. Accépit Jeſus cálicem, poſtquam cœnávit, dicens: Hic calix novum teſtaméntum eſt in meo ſánguine: * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, & tabéſcet in me ánima mea. Hoc fácite. Benedíctio. Ignem ſui amóris.

Léctio vi. *Cap. 5.*

JAm redi mecum ad propoſitiónem meam. Magnum quidem & venerábile, quòd manna Judæis pluit è cælo. Sed intéllige, quid eſt ámplius, manna de cælo, an corpus Chriſti? Corpus Chriſti útique, qui auctor eſt cæli. Deindè manna qui manducávit, mórtuus eſt: qui manducáverit hoc corpus, fiet ei remíſſio peccatórum, & non moriétur in ætérnum. Ergo non otióſè, cùm áccipis, tu dicis, Amen; jam in ſpíritu cónfitens quòd accípias Corpus Chriſti. Dicit tibi Sacérdos, Corpus Chriſti: & tu dicis,





Amen. Hoc eſt, verum. Quod confitétur lingua, téneat afféctus.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducavérunt manna in deſérto, & mórtui ſunt: * Hic eſt panis de cælo deſcéndens, ut ſi quis ex ipſo mandúcet, non moriátur. ℣. Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcéndi: ſi quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic eſt. Glória Patri. Hic.

In tértio Noctúrno.

Antíphona. Introíbo ad altáre Dei: ſumam Chriſtum, qui rénovat juventútem meam. Pſalmus. Júdica me Deus. 73. Antiph. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti: & de petra, melle ſaturávit nos. Pſalm. Exultáte Deo. 103. Antiph. Ex altári tuo, Dómine, Chriſtum súmimus: in quem cor & caro noſtra exúltant. Pſalm. Quàm diléeta tabernácula. 104. ℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia. Pater noſter. Abſolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

MENSIBUS SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Léctio vii. *Cap. 6. f.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus turbis Judæórum:



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Caro mea, verè eſt cibus; & ſánguis meus, verè eſt potus. Et réliqua.

Homilía ſancti Hilárii Epiſcopi.

*Lib. 8. de Trinitáte, ante médium.*

NOn eſt humáno aut ſǽculi ſenſu in Dei rebus loquéndum. Quæ ſcripta ſunt, legámus: & quæ legérimus, intelligámus, & tunc perféctæ fidei officio fungêmur. De naturáli enim in nobis Chriſti veritáte quæ dícimus, niſi ab eo díſcimus, ſtultè atque impiè dícimus. Ipſe enim ait: Caro mea verè eſt eſca, & ſánguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſánguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritáte carnis & ſánguinis non relictus eſt ambigéndi locus.

℟. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum ſánguinem, *In me manet, & ego in eo. ℣. Non eſt ália nátio tam grándis, quæ hábeat deos appropinquántes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me manet. Benedíctio. Divínum auxílium.

Léctio viij.

NUnc enim & ipſius Dómini profeſſióne, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accépta atque hauſta id effíciunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc véritas non eſt? Contíngat planè his verum non eſſe, qui Chriſtum Jeſum verum eſſe Deum negant. Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc quod nos ſumus, in Deo eſt. Quòd autem in eo per ſacraméntum communicatæ carnis & ſánguinis ſimus, ipſe teſtátur, dicens: Et hic mundus jam me non videt, vos autem me vidébitis, quóniam ego vivo, & vos vivêtis, quóniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

℟. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, *Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus. Et qui. Glória Patri. Et qui. Benedíctio. Ad ſocietátem.

Léctio ix.

QUòd autem in nobis naturális hæc únitas ſit, ipſe ità teſtátus eſt: Qui edit carnem meam, & bibit ſánguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fúerit: ejus tantùm in ſe aſſúmptam habens carnem, qui ſuam ſúmpſerit. Perféctæ autem hujus unitátis ſacraméntum ſupériùs jam docúerat, dicens: Sicut me miſit vivens Pater, & ego vivo per Patrem: & qui mandúcat meam carnem, & ipſe vivet per me. Vivit ergo per Patrem: & quo modo per Patrem vivit, eódem modo nos per carnem ejus vivêmus.

Te Deum laudâmus. 17.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

SApiéntia ædificávit ſibi domum, miſcuit vinum: & póſuit menſam, allelúia. Pſalmus. Dóminus regnávit, cum réliquis. 18. Antiphona. Angelórum eſca nutrivíſti pópulum tuum, & panem de cælo præſtitíſti eis, allelúia. Antiphona. Pinguis eſt panis Chriſti, & præbêbit delícias régibus, allelúia. Antiphona. Sacerdótes ſancti incénſum & panes ófferunt Deo, allelúia. Antiphona. Vincénti dabo manna abſcónditum, & nomen novum, allelúia.

Capitulum. *1. Cor. 11. c.*

FRatres, Ego enim accépi à Dómino, quod & trádidi vobis: quóniam Dóminus Jeſus in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens fregit, & dixit: Accípite, & manducáte: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradêtur: hoc fácite in meam commemoratiónem.

Hymnus.

VErbum ſupérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus ſuum éxiens,
Venit ad vitæ véſperam.
In mortem à diſcípulo
Suis tradéndus ǽmulis,
Priùs in vitæ férculo
Se trádidit diſcípulis.
Quibus ſub bina ſpécie
Carnem dedit, & ſánguinem;
Ut dúplicis ſubſtántiæ
Totum cibáret hóminem.
Se naſcens dedit ſócium,
Convéſcens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in prǽmium.
O ſalutáris hóſtia,
Quæ cæli pandis óſtium:
Bella premunt hoſtília,
Da robur, fer auxílium.
Uni, trinóque Dómino
Sit ſempitérna glória:
Qui vitam ſine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Póſuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti ſátiat te, allelúia.

Ad Benedíctus, Antiphona. Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcéndi: ſi quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, allelúia.

Orátio.

DEus, qui nobis ſub Sacraménto mirábili, paſſiónis tuæ memóriam reliquíſti: tribue, quǽſumus,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ita nos Córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter ſentiámus. Qui vivis & regnas.

Ad Primam ℟. br. Chriſte Fili. ℣. Qui natus es de María vírgine.

Ad Tertiam, Antiphona. Angelórum eſca. Capitulum. Fratres, Ego enim accépi, ut ſupra. 129.

℟. breve. Panem cæli dedit eis, * Allelúia, allelúia. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Panem. ℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle ſaturávit eos, allelúia.

Ad Sextam, Antiphona. Pinguis eſt panis.

Capitulum. *1. Cor. 11. f*

Quotieſcúmque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. breve. Cibávit illos ex ádipe fruménti, * Allelúia, allelúia. Cibávit. ℣. Et de petra, melle ſaturávit eos. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Cibávit. ℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia.

Ad Nonam, Antiphona. Vincénti dabo manna.

Capitulum. *1. Cor. 11. f*

Quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indignè: reus erit córporis & ſánguinis Dómini.

℟. breve. Edúcas panem de terra, * Allelúia, allelúia. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia, allelúia. Glória Patri. Edúcas. ℣. Póſuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti ſátiat te, allelúia.

In ſecúndis Veſperis ómnia dicúntur ſicut in primis Veſperis. 125.

℣. Panem de cælo præſtitiſti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in ſe habéntem, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona. O ſacrum convívium, in quo Chriſtus súmitur: recólitur memória paſſiónis ejus: mens implétur grátia: & futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúia.

Orátio. Deus, qui nobis ſub Sacraménto, ut ſupra.





# OFFICIUM CONCEPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS,

Quod PAULUS V. quólibet Sábbato anni (extra Advéntum & Quadragéſimam, nec non Sábbata Vigiliárum, & Quátuor Témporum) non impedito Feſto novem Lectiónum étiam transláto, ritu Semidúplici recitári concéſſit. Omnia ut in Feſtis Sanctórum Hiſpanórum. 77.

# OFFICIUM IMPRESSIONIS SS. STIGMATUM IN CORPORE S. P. N. FRANCISCI,

Quod ſemel in menſe recitári poteſt, pónitur in ſuo principáli feſto xvij. Septémbris. Sed ubique additur Commemorátio S. Domínici, Antiphona, & ℣. de Commúni Confeſſóris non Pontíficis.

Orátio.

Deus, qui Eccléſiam tuam beáti Domínici Confeſſóris tui illumináre dignátus es méritis & doctrínis: concéde, ut ejus interceſſióne temporálibus non deſtituátur auxíliis, & ſpirituálibus ſemper profíciat increméntis. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

ita nos Córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári; ut redemptiônis tuæ fructum in nobis júgiter ſentiâmus. Qui vivis & regnas.

Ad Primam ℟. br. Chriſte Fili. ℣. Qui natus es de María vírgine.

Ad Tertiam, Antiphona. Angelôrum eſca. Capitulum. F ratres, Ego enim accépi, ut ſupra. 129.

℟. breve. Panem cæli dedit eis, * Allelúia, allelúia. Panem. ℣. Panem Angelôrum manducâvit homo. Allelúia, allelúia. G lória Patri. Panem. ℣. Cibâvit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle ſaturâvit eos, allelúia.

Ad Sextam, Antiphona. Pinguis eſt panis.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. *f*

Q Uotieſcúmque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibêtis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. breve. Cibâvit illos ex ádipe fruménti, * Allelúia, allelúia. Cibâvit. ℣. Et de petra, melle ſaturâvit eos. Allelúia, allelúia. G lória Patri. Cibâvit. ℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia.

Ad Nonam, Antiphona. Vincénti dabo manna.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. *f*

Q Uicúmque manducáverit panem hunc, vel biberit cálicem Dómini indignè: reus erit córporis & ſánguinis Dómini.

℟. breve. Edúcas panem de terra, * Allelúia, allelúia. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia, allelúia. G lória Patri. Edúcas. ℣. Póſuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti ſátiat te, allelúia.

In ſecúndis Veſperis ómnia dicúntur ſicut in primis Veſperis. 125.

℣. Panem de cælo præſtitiſti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in ſe habéntem, allelúia.

Ad Magníficat, Antiphona. O ſacrum convívium, in quo Chriſtus súmitur: recólitur memória paſsiônis ejus: mens implêtur grátia: & futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúia.

Orátio. D eus, qui nobis ſub Sacraménto, ut ſupra.

OF-



# OFFICIUM CONCEPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS,

Quod PAULUS V. quólibet Sábbato anni (extra Advéntum & Quadrageſimam, nec non Sábbata Vigiliárum, & Quátuor Témporum) non impedito Feſto novem Lectiónum étiam transláto, ritu Semidúplici recitári conceſsit. Omnia ut in Feſtis Sanctôrum Hiſpanórum. 77.

---

# OFFICIUM IMPRESSIONIS SS. STIGMATUM IN CORPORE S. P. N. FRANCISCI,

Quod ſemel in menſe recitári poteſt, pónitur in ſuo principáli feſto xvij. Septémbris. Sed úbique additur Commemorátio S. Domínici, Antiphona, & ℣. de Commûni Confeſsôris non Pontíficis.

Orátio.

D Eus, qui Eccléſiam tuam beáti Domínici Confeſsôris tui illumináre dignâtus es méritis & doctrinis: concéde, ut ejus interceſsiône temporálibus non deſtituâtur auxíliis, & ſpirituálibus ſemper profíciat increméntis. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.



OF-

# OFFICIUM
# S. P. N. FRANCISCI,

Quod Paulus Papa V. concéſſit Frátribus Minóribus Conventualibus, & Capuccinis, ut ſemel in menſe, die non impedita Feſto novem Lectiónum, recitáre poſſint ritu Semiduplici, per totum annum, étiam in Advéntu & Quadrageſima.

Omnia dicúntur, ut in ipſo die feſto, excéptis Lectiónibus.

Fit Commemorátio ſancti Dominici Confeſſóris in Véſperis, Antiphona. Similábo. ℣. Amávit. ℟. Stolam.

In Láudibus, Antiphona. Euge ſerve bone. ℣. Juſtum. ℟. Et oſténdit.

In ſecundis Véſperis, Aña. Hic vir deſpiciens. ℣. Juſtum. ℟. Et oſténdit. de Commúni Confeſſóris non Pontificis.

Orátio.

DEus, qui Eccléſiam tuam beáti Dominici Confeſſóris tui illumináre dignátus es méritis & doctrínis: concéde, ut ejus interceſſióne temporálibus non deſtituátur auxiliis, & ſpirituálibus ſemper proficiat increméntis. Per Dóminum noſtrum.

Lectiónes primi Noctúrni de Scriptúra occurrénte.

In ſecúndo autem & tértio Noctúrno ut infrà.

## MENSIBUS AUGUSTO ET SEPTEMBRI.

In ſecúndo Noctúrno.

Léctio iv.

ADerat quidem ſervo ſuo Franciſco is, qui eum únxerat, Spiritus Dómini: & ipſe Dei virtus & ſapiéntia Chriſtus, cujus virtúte fiébat & grátia, ut ſibi non ſolùm incérta & occúlta patéſcerent; verùm étiam mundi hujus eleménta patérent. Quodam namque témpore, cùm conſilium darétur à médicis, & inſtánter ſuaderêtur à Frátribus, ut contra infirmitâtem oculòrum paterêtur ſibi per coctúræ ſubveniri remédium, humíliter vir Dei aſſénſit, pro eo quòd id non ſolùm medêla contra ægritúdinem córporis, verùm étiam matéria foret exercéndæ virtûtis. Senſu verò carnis ipſius ad conſpéctum inſtruménti férrei jam igne candéntis naturáli quodam horròre concúſſo: vir ſanctus



tus ignem álloqui cœpit ùt fratrem, in Creatóris nómine ac virtûte præcipiens, ut ſuum ei temperâret ardôrem, quo ſuáviter uréntem ſuſtinêre valêret. Profundâto autem crepitánte ferro in ténera carne, & ab aure uſque ad ſupercilium coctúra protrácta, vir Deo plenus exúltans in ſpíritu: Laudâte (inquit ad fratres) Altíſſimum: quia (ut verum fátear) nec ignis ardor moléſtiam intulit, nec carnis me dolor afflixit.

℟. Dum ſeminúdo córpore laudes deántur Gállicè zelátor novæ legis, latrónibus in némore, * Reſpóndet ſic prophéticè: Præco ſum magni Regis. ℣. Audit in nivis frigore projéctus: Jace rúſtice, futûrus paſtor gregis. Reſpóndet.

Léctio v.

APud erêmum ſancti Urbáni ſervo Dei ægritúdine graviſſima laboránte, cùm ipſe natúræ deféctum séntiens, vini póculum péteret, nihilque de vino, quod ſibi dari poſſet, reſponderêtur adéſſe: juſſit aquam afférri, & allâtam ſigno Crucis édito benedixit, mox vinum efficitur óptimum, quod fúerat aqua pura; & quod desérti loci paupértas non pótuit, ſancti viri púritas impetrávit. Ad cujus guſtum prótinùs tanta facilitâte convâluit, ut evidénter claréſceret, quòd optâtum póculum illud à largo ſibi fúerit Datôre concéſſum, non tam ùt afficiens ad ſapôrem, quàm ùt éfficax ad ſalûtem.

℟. Amicum quærit priſtinum, qui ſpretum in cœnóbio tunicula contéxit: contémptu gaudens hóminum, * Lepróſis fit obſéquio, quos ánteà deſpexit. ℣. Sub typo trium Ordinum, tres nutu Dei prævio Eccléſias eréxit. Lepróſis fit.

Léctio vj.

TEmpore quodam quo Dómini famulus ſecus mare prædicâbat Cajétæ, cùm turbárum in eum pro devotióne ruéntium declinâre vellet appláuſum, in unam littori hæréntem raviculam proſiliit ſolus. Illa verò tamquam ſi motôris vi gubernarêtur intrínſeca, cernéntibus & admirántibus cunctis qui áderant, ſine aliquo remige lóngiùs ſe protráxit à terra. Cùm autem aliquánto ſpátio maris receſſiſſet in altum, ſtetit inter fluctus immóbilis, quámdiu expectántibus turbis in littore viro Dei prædicáre complácuit. Cùmque audito ſermône, viſóque miráculo, ac benedictióne accépta ipſo rogánte, multitúdo recéderet, non altérius quàm cæléſtis juſſiónis impúlſu na-

 vis

vis applícuit, tamquam in creatúra Factóri deſérviens Creatóris perfécto cultóri, & ſine rebellióne ſe ſúbderet; & ſine retardatióne parêret.

℟. Audit in Evangélio, quæ ſuis Chriſtus lóquitur ad prædicándum miſsis. Hoc, inquit, eſt quod cúpio. * Lætánter his innítitur memóriæ commiſsis. ℣. Non utens virga, cálceo, nec pera: fune cíngitur, duplícibus dimiſsis: Lætánter. Glória Patri. Lætánter.

In tértio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 11. d*

IN illo témpore, reſpóndens Jeſus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cæli & terræ, quia abſcondíſti hæc à ſapiéntibus, & prudéntibus, & reveláſti ea párvulis. Et réliqua.

De Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

*Serm. 9. de verbis Dómini.*

MIrum quibúſdam vidétur, fratres chariſsimi, cùm áudiunt Dóminum dicéntem: Veníte ad me omnes qui laborátis, & oneráti eſtis, & ego refíciam vos. Tóllite jugum meum ſuper vos, & cétera. Et conſíderant eos, qui jugum ipſum intrépida cervíce ſubiérunt, & illam ſárcinam manſuetíſsimis húmeris accepérunt, tantis agitári & exercéri difficultátibus hujus ſæculi, ut non à labóribus ad quiêtem, ſed à quiête ad labôrem vocáti videántur: cùm & Apóſtolus dicat: Omnes, qui volunt in Chriſto piè vívere perſecutiônem patiéntur.

℟. Carnis ſpicam contémptus área Franciſcus frangens, terens térrea, * Granum purum excúſſa pálea, ſummi Regis intrat in hórrea. ℣. Vivo pani morte junctus, vita vivit vita functus. Granum purum.

Léctio viij.

AIt ergo áliquis: Quómodò jugum lene eſt & ſárcina levis: quandóquidem illum jugum & ſárcinam ferre, nihil eſt áliud, quam piè vívere in Chriſto? Et quómodò dícitur: Veníte ad me omnes qui laborátis, & oneráti eſtis, & ego refíciam vos: ac non pótius dícitur: Veníte, qui vacátis, ut laborêtis? Nam & vacántes invênit, quos condúxit in víneam, ut ferrent æſtum diei? Et ſub illo jugo leni, & ſárcina levi audiámus Apóſtolum dícere: In ómnibus commendántes noſmetipſos tamquam Dei miniſtros: in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in neceſsitátibus, in angúſtiis, in plagis, & céteris.

℟. De paupertâtis hórreo ſanctus Franciſcus sátiat turbam Chriſti famélicam, in via ne defíciat: * Iter pandit ad glóriam, & vitæ viam ámpliat. ℣. Pro paupertâtis cópia regnat dives in pátria, reges ſibi ſubſtítuens, quos hic ditat inópia. Iter pandit. Glória. Iter pandit.



Léctio ix.

ET álio loco in eádem Epíſtola: A Judæis quínquies quadragénas una minus accépi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidátus ſum, ter naufrágium feci: nocte & die in profúndo maris fui, & cétera pericula quæ numerári quidem poſſunt, ſed tolerári, niſi Spíritu ſancto juvánte, non poſſunt. Omnia ergo illa quæ commemorávit áſpera & grávia, frequéntiùs & abundántiùs ſuſtinêbat: ſed proféctò áderat ei Spíritus ſanctus, qui in exterióris hóminis corruptióne interiórem renováret de die in diem, & guſtáta réquie ſpiritáli in affluéntia deliciárum Dei, in ſpe beatitúdinis futúræ ómnia præſéntia deliníret áſpera, & ómnia grávia relevâret.

Te Deum Laudâmus. 17.

MENSIBUS

Octóbri, Novémbri, & Decémbri, quæ diei Octávæ aſsignántur. 43.

Antiphonæ autem ad Benedíctus, & ad Magníficat, dicúntur prout infra Octávam, ſcilicet:

Ad Benedíctus, Antíphona. Salve Franciſce própera. 39.

Ad Magníficat, Antíphona. Salve ſancte Pater. 39.

Réliqua ómnia ut in die Feſti.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# OFFICIUM
# S. BONAVENTURÆ
## EPISCOPI, CONFESSORIS,
## ET ECCLESIÆ DOCTORIS,

Quod Sacra Rituum Congregátio ſub Innocéntio Papa XII. ſemel in menſe (extra Advéntum & Quadragéſimam) die non impedito Feſto novem Lectiónum, ritu Semiduplici celebrari concéſsit; celebrándum autem erit ante Officium S. Antónii, vel S. Claræ.

Omnia de Commúni Confeſsóris Pontif. lxxiij. præter ea, quæ hic habentur.

Ad Magnificat, Antiphona. O Doctor óptime. ℣. Ora pro nobis.

Orátio.

DEus, qui Eccléſiæ tuæ beátum Bonaventúram Confeſsórem tuum atque Pontificem, doctórem mirábilem tribuiſti: concéde propítius; ut apud te hunc pium ſemper interceſſórem habêre mereátur. Per Dominum.

Lectiónes primi Noctúrni de Scriptúra occurrente.

Lectiónes verò ſecúndi & tertii Nocturni dicúntur ordine infraſcripto.

MENSIBUS SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

In ſecúndo Noctúrno.

Lectio iv.

CUm Pariſiis legiſſet primum librum Géneſis, nóbile opus, quod de ſeptem viſiónibus Bonaventúræ intitulátur, éditum eſt. In libros ſententiárum celébria commentária édidit, ſecúndum & quartum præſértim. Eórum étiam ómnium ſenténtiam vérſibus bréviter compléxus eſt libéllo, cui, ob ſublime ingénium auctóris ibi inſpérſum, Senténtiæ ſententiárum Bonaventúræ titulus inditus eſt. Super evangéliis compendióſè, & utiliter ſcripſit, Lucæ præſértim Cancellárii piæ Matris Jeſu, quam péctori impréſſam aſsídua meditatióne ſemper éxtitit venerátus. Compóſuit & ſolémne Officium in honórem beáti Franciſci, & de ipſius vita hiſtóriam ſerióſo tractátu primùm, & ſecúndò reductóriè annotávit. Multa ália ſcripſit, in quibus ſummam eruditiónem cum pari pietátis ardóre conjúngens, Lectórem docéndo movet.

℟. Invéni David ſervum meum, óleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, & filius iniquitátis non nocébit ei. Manus.



Lectio v.

ET cùm jam beáti Franciſci religio, quam annis octo & decem ſancto regimine gubernávit, ipſius mónitis, & exémplis in ſolidióri ſanctitátis ſtatu firmáta eſſet, & viri cláritas ob vitæ ſanctitátem, doctrínæ eminéntiam, atque óperum divinitátem ubique elucéſceret, tunc fortè Romána Sedes plúrimùm laborábat difficultátibus, quæ in Concilio, quod Lugdúni congregabátur, inextricábiles emérſerant, Gregórius tunc Papa Décimus, & relíquus ſacer Senátus, illécti ſtúdio viri, quem levándis dictis difficultátibus, ac univerſális Eccléſiæ regímini intelligébant plúrimùm præſtitúrum, atque ob mérita alióquin ſublevándum, in Cardinálem, quamvis reluctántem promovérunt: & (quod rarum eſt) ex ipſo initio, ob viri excelléntiam, Epiſcopum Albanénſem conſtituérunt.

℟. Póſui adjutórium ſuper poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David ſervum meum, óleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vj.

MOxque pertractándis árduis rebus Concilii unus ipſe deléctus eſt, deputátis illis qui aſsiſterent Rothomagénſi, & Tripolitáno, claris Epiſcopis illius témporis, qui & ipſi de Religióne ſancti Franciſci ad Epiſcopátum ob méritum vocáti fúerant. In quo Concilio de multis illíus ſapiéntia ſanctè conſúltum, atque decrétum eſt, & Græcórum compóſitæ hæreſes, qui liberè ad Románæ Sedis obediéntiam rediérunt. Ad quorum reductiónem miſsi fúerant Frater Hierónymus de Eſculo, & Frater Bonagrátia Dalmata, Ordinis Minórum, Religióſi eximii mériti, quibus cum litteris revérſis, lætus idem Gregórius Fratres, ac Prælátos, qui in Concilio áderant, in Lugdunénſi Eccléſia convocávit. Ubi vir ſanctus præcláram hábuit oratiónem, propóſito thémate, quod légitur Baruch quinto: Exúrge

ge Jerúſalem, & circúmſpice ad Oriéntem, & vide colléctos Filios tuos ab Oriénte uſque ad Occidéntem.

℟. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtútes operátus eſt, & omnis terra doctrína ejus replêta eſt: * Ipſe intercêdat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iſte eſt, qui contémpſit vitam mundi, & pervénit ad cæléſtia regna. Ipſe intercêdat. Glória Patri. Ipſe.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 5. b*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal evanúerit, in quo ſaliêtur? Et reliqua.

Homilía ſancti Joánnis Chryſoſtomi.

*De Homilía 16. in Matthæum, circa médium.*

NOlite putâre, quóniam veni ſólvere Legem, aut Prophêtas. Non veni ſólvere Legem, ſed implêre. Hoc non ſolùm Judæórum impudentíſſima illa, ſed étiam hæreticórum valet ora frænâre: qui véterem Legem ex diábolo eſſe confingunt. Si enim ad diſſolvéndam tyránnidem illius Chriſtus advênit: cur legem ejus ádeò non ſolvit, ut & impleat? neque enim conténtus dixiſſet, non ſolvo: quod vel ſolùm certè ſufficeret, addit, impleo. Hoc autem dicere non modò non eſt adverſárii Legis, verùm étiam conſervatóris ejus, atque fautóris.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, ſtolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Léctio viij.

ET qui eam non ſolvit, inquit, quómodò étiam impléſſe vel legem dícitur, vel Prophêtas? Prophêtas quidem, qui ea, quæ de ipſo dixerant opéribus cuncta firmâvit. Propter quod per ſingula Evangeliſta dicêbat: ut impleretur, quod dictum eſt per Prophêtam. Et quando natus eſt Dóminus, & quando in eum párvuli admirábilem illum hymnum canêbant: & cùm ſuper áſinam ſedit: & in áliis omninò multis ea, quæ de illo Prophêtæ aliquándo prædixerant, evidénter implêvit: quæ ómnia niſi veniſſet ipſe, implêta procul dúbio non fuiſſent.

℟. In médio Eccléſiæ apéruit os ejus, * Et implêvit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctus. ℣. Jucunditátem & exultatiónem theſaurizâvit ſuper eum. Et implêvit. Glória Patri. Et implêvit.



Léctio ix.

LEgem verò non uno tantùm, ſed áltero & tértio implêvit modo. Uno quidem quia nihil ex legítimis ipſe tranſgréſſus eſt. Nam de omni à ſe lege compléta, audi quid díxerit: Sic enim decet nos implêre omnem juſtítiam: Judæis quoque dicêbat: Quis ex vobis árguet me de peccáto? rurſus verò diſcípulis: Venit, inquit, princeps mundi hujus, & in me invénit nihil. Olim autem étiam prædixerat Prophêta: Quia peccâtum non fecit. Uno igitur iſto legem implêvit modo.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE NOVEMBRI.

In ſecúndo Nocturno.

Léctio iv.

SAnctus Bonaventûra ſucceſsivè in vocatióne Cardinalátus pari ſanctitáte & óperum fructu perſevêrans: cùm in Dei Eccléſia diutiùs laboráſſet, ita ut cum Apóſtolo dícere poſſet: Bonum certámen certávi, curſum conſummâvi, fidem ſervávi: anno ſalútis milléſimo ducenteſimo ſeptuagéſimo quarto, & ſuæ ætátis quinquagéſimo tértio, hora matutína diei Domínicæ, quæ menſis Júlii erat tertiadécima, ex humánis ſublátus eſt, & ſanctis Pátribus (ùt crédere debêmus) in æternum victûrus redditus. Qua die ipſius venerábile corpus ſepulchro recónditur in Eccleſia ſancti Franciſci Lugdunenſi cum multis lacrymis, & conſternatióne Fratrum lamentántium ſe tanti viri ſocietáte deſtitui, qui parem ſibi in Dei Eccléſia relinquere non videbátur; Gregório Pontífice quàm máximè eum reputánte: qui ibidem públicè teſtátus eſt Eccléſiam Dei illius morte magnam incurriſſe jactûram.

℟. Invéni David ſervum meum, óleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & filius iniquitátis non nocêbit ei. Manus.

Léctio v.

IN cujus exéquiis, coram Papa & tota Cúria primam Miſſam celebrâvit Frater Petrus Tarantaſiénſis, Ordinis Prædicatórum, Epiſcopus Cardinális Oſtiénſis, & ſermónem hábuit propóſito thémate: Doleo ſuper te, mi frater Jónatha. Ubi inter céteras commemoratiónes gratiárum & donórum, quæ illi Deus dedit, étiam fuit, quód quicúmque eum vidébant ſtatim ipſius amóre capiebántur, ejúſque mónita libénter recipiébant; Græci præſértim, quibus

bus reducéndis ipsius elóquia & consília plúrimùm contulérunt. Benignus, affábilis, ómnibus gratus, & nulli umquam ſcandalo, pius, prudens, húmilis atque quiêtus: quarum virtûtum actiónes & officia ſemper ſtrénuè éxtitit execûtus. Quod etſi nullo ălio probánte docerêmur, ſatis ex divinis ſuis ſcriptis liquido patet.

℟. Póſui adjutórium ſuper potentem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David ſervum meum, óleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Léctio vj.

HUjus namque viri doctrína eſt devôta, ſápida & Seraphica, quæ legéntes non ſolùm illúminat, ſed inflámmat. Nec áliter eſſe poſſet cum de illo ſcribâtur in Chrónicis, quòd omnem veritâtem, quam percipiêbat intelléctu, ad formam devotiônis & laudatiônis divinæ redúcens, continuo ruminâbat afféctu. Sed & idem Alexándri de Ales præceptôris ipsius teſtimónio non obſcúrè probâtur. Qui in Bonaventúra cernens morum elegántiam, vitæ ſanctitâtem, córporis pulchritúdinem, venuſtâtem aſpéctus, elóquii ſuavitâtem, converſationiſque affabilitâtem, dicere ſæpè ſolêbat: Non vidêtur Adam in hómine illo peccâſſe. Cujus doctôris auctoritâtem tanti apud Eccléſiam valuiſſe conſtat, ut de illius dictis aut ſcriptis nefas putáverim dubitâre. Dénique omnes teſtáti ſunt, conſummâtum eſſe divinum oráculum per beátum Franciſcum de illo éditum: futûrum eum magnum virum in Eccléſia Dei, Religionémque ſuam magna per illum ſanctitâtis accreménta receptúram.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtútes operâtus eſt, & omnis terra doctrína ejus replêta eſt: * Ipſe intercêdat pro peccâtis ómnium populórum. ℣. Iſte eſt, qui contémpſit vitam mundi, & pervénit ad cæleſtia regna. Ipſe intercêdat. Glória Patri. Ipſe.

In tértio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 5. b*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliêtur? Et réliqua.

De homilía ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

*Ex Homilia 15. in Matth. circa médium.*

ALio verò modo legem implêvit, quia per nos quoque idipſum facit. Hoc eſt quippè mirábile, quia non ſolùm legem implêvit ipſe, ſed idem iſtud nobis quoque fácere, donâvit, quod Paulus ſignificándo dicêbat: Quóniam finis legis Chriſtus ad juſtítiam omni credénti. Et peccâtum illum damnâſſe dixit in carne, ut juſtificátio legis impleré:ur in nobis, qui non ſecúndùm carnem ambulâmus. Et rursùs: Legem ergo deſtrúimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatúimus. Quia enim ſtudêbat lex hóminem fácere juſtum, atque ad hoc inveniebâtur infírma, véniens Chriſtus, & per fidem certiſſimum modum juſtificatiónis indúcens, voluntâtem legis implêvit. Quod enim illa non pótuit, hoc per fidem ipſe confécit. Proptéreà quoque dixit: Non veni ſólvere legem, ſed adimplêre.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, ſtolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradíſi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Léctio viij.

SI verò áliquis diligénter exáminet, álium quoque tértium modum impléndæ ab eo legis invéniet. Quem verò iſtum? Ipſa útique præcépta, quæ erat datûrus. Non enim intéritus priórum, ſed augméntum pótiùs & compleméntum erant ea, quæ dicebántur à Chriſto. Illius quippè ſenténtiæ, quæ dicitur, Non occides, non interémptio, ſed adimplétio magis atque minútio eſt, dicere, Non iraſcâris, omniúmque ſimíliter ceterórum.

℟. In médio Eccléſiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctus. ℣. Jucunditâtem & exultatiónem theſaurizâvit ſuper eum. Et implêvit. Glória Patri. Et implêvit.

Octáva Léctio ſecátur in duas, donec própria aſſignétur.

Quando per annum fit de ſancto Bonaventúra, cum Verſus ad Laudes & Veſperas fit Ora pro nobis beáte Bonaventúra. In ſuffrágiis communibus ad Antiphonam Sancta Maria, dicéndus eſt ℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui. Dum autem Officium S. Bonaventúræ concúrrit cum Officio S. Antónii, ſive quandò in ij. Veſperis S. Bonaventúræ fit à Capítulo de S. António, ℣. de S. António erit Ora pro nobis, & de S. Bonaventúra Juſtum dedúxit.



OF-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# OFFICIUM SANCTI ANTONII PADUANI,

Quod Clemens X. celebrári concéſsit ſemel in menſe ritu Semiduplici, die non impedita Feſto novem Lectiónum, excepto témpore Advéntus, Quadrageſimæ, & Vigiliárum.

Ad Véſperas, Antiphona.

GAudeat Eccléſia, quam in defunctórum ſponſis ornat glória matrem filiórum. Pſalmus. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, & loco ultimi, Pſalmus. Laudáte Dóminum omnes gentes. Antiph. Sapiénte filio pater gloriátur, hoc & in António digne commendátur. Antiph. Qui dum ſapiéntiam ſæculi calcávit, prudens ſummi glóriam Patris exaltávit. Antiphona. Auguſtini primitùs régulæ ſubjéctus, ſub Franciſco pénitus mundo fit abjéctus. Antiphona. Quorum vitam móribus hic profitebátur, glorióſis pátribus jam conglorlátur.

Capitulum. *Sap. 7.*

OPtávi, & datus eſt mihi ſenſus: & invocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ: & præpóſui illam regnis & sédibus, & divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illius.

Hymnus.

EN gratulémur hódiè
Chriſto Regi jucúndiùs,
In cujus aula glóriæ
Jam júbilat Antónius.

Franciſci Patris æmulus,
Sic ille ſe contémperat:
Ut fonte manans rivulus,
Aquas vitæ circúmferat.

Longè latèque diffluit,
Sitique mortis áridos
Verbo ſalútis imbuit,
Dans rore ſacro vívidos.

Hic Stigmatum qui bajulo
Patri natus innititur;
Dum prædicat de titulo,
Confixus ille cernitur.

Sub tanto duce militans,
Vincéndo ſe non vincitur,
Duci miles cohábitans,
Jam bello non concutitur.

Nos in campo certáminis,
Patrum zelántes glóriam,
Hic ſub te noſtri nóminis,
Vincámus ignomíniam.

Præſtet hoc Nati Génitor,
Hoc Genitóris Génitus,
Ac par utrique Cónditor,
Paraclitus hoc Spíritus.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Antóni. ℟. Ut digni efficiámur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Magníficat, Antiphona. O proles Hiſpániæ, pavor infidélium, nova lux Itáliæ, nóbile depóſitum urbis Paduánæ; fer, Antóni, grátiæ Chriſti patrocínium, ne prolápſis véniæ tempus breve créditum défluat ináne.

Orátio.

ECcléſiam tuam, Deus, beáti Antónii Confeſſóris tui commemorátio votíva lætificet: ut ſpirituálibus ſemper muniátur auxíliis, & gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum noſtrum.

Ad Matutinum, Invitatór. Jam Chriſtum chorus húmilis alácriùs in júbilo colláudet, * In quo Sacérdos nóbilis Antónius de veritáte gaudet. Pſalmus. Venite, exultémus. 2.

Hymnus.

LAus Regi plena gáudio,
Qui merces militántium,
Seipſum dat António
Militiæ ſtipéndium.

Antóni, vir egrégie,
Qui tuæ, quam prænóveras,
Hic vivens arrhas glóriæ,
Chriſtum vivens, accéperas:

Pro te digna, dum móreris,
Natórum fit commótio,
Margaritæ non fúneris,
Cujus fias poſſéſsio.

Hujus honórem glóriæ
Prædixeras in Pádua,
Quæ tantis in te grátiæ
Manet donis irrigua.

Per te Pater cum Filio,
Conſolatórque Spíritus,
A críminis contágio
Nos hic emúndet fúnditùs.
Amen.

In primo Nocturno, Aña. Quaſi ſecus álveum rivuli plantátus, fructum temporáneum dedit hic beátus. Pſalmus. Beátus vir, cum réliquis de Commúni Confeſſóris non Pontific. lxxiv. Antiph. In Monte Sion prædicat Dómini præcéptum, & taléntum dúplicat cælitus accéptum. Pſalm. Quare fremuérunt. Antiphona. Cónterit miráculis peccatórum dentes, ſponſam Chriſti pátulis rictibus mordéntes. Pſalmus. Dómine, quid multiplicáti. ℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum. Pater noſter. Abſolútio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

Lectiónes de Scriptúra occurrente.

℟. j. Fúnditur inſóntium ſanguis à profánis, ſitque moriéntium merces vitæ panis. * Rumor ad Antónium volat non inánis. ℣. In Minó-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nóres gládium Fratres dat, in ódium Chriſti, Rex immánis. Rumor. Benedíctio. Unigénitus Dei Filius.

℟. ij. Optans fore ſócius glóriæ victôrum, quos occídit impius Rex Marrochiôrum: * Séquitur Antónius viam defunctôrum. ℣. Felix quem non gládius terret, ſed in mélius mutat, iniquôrum. Sequitur. Benedíctio. Spiritus ſancti grátia.

℟. iij. Fervet ad martýrium, dum rex terræ ſævit, ſed hoc deſidérium ſuum non implêvit, * De quo rex regnántium áliud decrêvit. ℣. Tandem in ſimplícium cœtu per indícium fama viri crevit. De quo Rex. Glória Patri. De quo Rex.

In ſecúndo Noctúrno, Aña. Grave cor quæréntium nugas, vanitâtem, díſcit per Antónium vitæ veritâtem. Pſalmus. Cum invocârem. Antiphona. Contra virum ſánguinum clamat & dolôſum, quòd hoc genus hóminum Deo ſit exôſum. Pſalmus. Verba mea. Antiphona. Laus perfécta prófluit ex lacténtis ore, in quo Chriſtus déſtruit hoſtem cum ultôre. Pſalmus. Dómine Dóminus noſter. ℣. Os juſti meditâbitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium. Pater noſter. Abſolútio. Ipsius piętas. ℣. Jube domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

MENSIBUS SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

Lectio iv.

CONſtitûtus enim in hac peregrinatiônis miséria, & vita flóruit, & doctrina. Quarum priôrem, id eſt, vitam, voluntária vílitas, ſimplex innocéntia, cúraque diſciplínæ comméndant. Alteram verò, quæ eſt doctrina, zelo juncta cháritas, véritas & modéſtia cómprobant. Sed hæc ómnia quàm excellénter in ipſo claruerint, quóniam per ſingula bréviter explicáre non poſſem, tangam ſuccinctè, quómodò cunctis æquáliter annuntiáverit veritâtem. Hæc ſiquidem virtus in ipſo cláruit in óculis ómnium, quæ quidem miráculis pótior eſt, quia illa plerúmque falláciter in vita decipiunt.

℟. Dono ſapiéntiæ plenus arrogántiæ faſtum qui timêbat: ſub indócti fácie, * Tantùm divínæ grátiæ lumen abſcondêbat. ℣. A ſe pondus glóriæ ſibi temeràriè súmere nolêbat. Tantùm. Benedíctio. Chriſtus perpétuæ.

Lectio v.

HIc itaque ſanctus in doctrinæ póculis mirabíliter áffluens, tanto juſtítiæ librámine ſíngulis ſua reddêbat, quòd ſive magnis ſive párvulis loquebâtur, æquè cunctos, veritâtis jáculo feriêbat. Nempè, qui jam cálicem paſsiônis ántea tam ávido corde ſitíerat, nullius magnitúdine, nec metu mortis pro veritâte cedêbat: ſed miránda ſtrenuitâte étiam magnatôrum tyránnidi reſiſtêbat. Tanta namque quaſdam reprehensíbiles grandéſque persónas ſeveritâte corrípuit, ut álii plerúmque famóſi prædicatóres hoc audiéntes, ipſi ad intrépidam viri conſtántiam trepidárent, & quodam puſillanimitátis rubôre perfúſi, longè abeſſe pótiùs quàm adéſſe voléntes, confúſas manu vel veſte frontes obdúcerent.

℟. Páuperum collégio, páuper in principio ſpíritu probâtus verbi miniſtério, * Non injéctu próprio datur, ſed vocâtus. ℣. A quo fit hæc dátio, *fiunt teſtimónio*, mora & incolâtus. Non injéctu. Benedíctio. Ignem ſui amôris.

Lectio vj.

ERat tamen ſermo ipsius pro divérſis opportunitátibus ſemper in grátia ſale conditus, erat, inquam, gratiôſus páriter & ſevêrus, ut audiéntibus amôrem ſimul ingéreret & timôrem. Sic igitur hujus peregrinatiônis incolâtus doctrina & vita præclârus, divínam in ſancto vocatiônem evidentiſsimè probat: quàm múltiplex poſt mortem miraculôrum cláritas neceſsária concluſiône confírmat.

℟. In doctrínæ póculis juſtus ſua ſingulis reddens affluêbat, loquens magnis, párvulis, * Veritâtis jáculis æquè feriêbat. ℣. Pótior miráculis virtus hæc in óculis ómnium clarêbat. Veritâtis. Glória Patri. Veritâtis.

MENSIBUS NOVEMBRI ET DECEMBRI.

In ſecúndo Noctúrno.

Lectio iv.

IGitur beâtus Antónius morti appropinquans, Unctiônem extrêmam devótè ſuſcipiens, Pſalmos pœnitentiáles cum Frátribus decantâvit. Quibus finítis, páululùm quaſi dimídia hora ſuſtinuit: & inter manus aſsiſténtium léniter quaſi dórmiens expirâvit. Mórtuus eſt autem ſexta Féria glorióſus Confeſſor Antónius, die menſis Júnii tertiadécima, anno Incarnatiônis Domínicæ milléſimo ducenteſimo trigéſimo primo. Poſt mortem verò ejus, non ſtatim ejus tránſitum Fratres propaláre volêbant, eò quòd tumultuántis

tis pópuli multitúdinem importúnè ſuper ſe irruitûram formidábant. Sed quod Fratres celándo non intimant, hoc mirabilióri órdine cunctis innótuit.

℟. Dono ſapiéntiæ plenus, arrogántiæ faſtum qui timêbat: ſub indócti fácie, * Tantùm divínæ grátiæ lumen abſcondêbat. ℣. A ſe pondus glóriæ ſibi temerárìè súmere nolêbat. Tantùm. Benedíctio. Chriſtus perpétuæ.

Léctio v.

ADhuc enim omnes, præter aſsiſténtes, ignorábant, cùm prótinùs catervâtim per civitâtem púeri gradiéntes clamábant: Mórtuus eſt Pater ſanctus: Mórtuus eſt (inquiunt) ſanctus Antónius. Quo audíto, máximus utriúſque ſexus factus eſt concúrſus populôrum: & ántequam corpus ſepultúræ tradâtur, non módica controvérſia óritur. Nam nonnúlli cívium eum apud Soróres páuperes ſepeliéndum júdicant, céteri verò apud Fratres. Cùmque ſedári non poſſent, per Fratres Epíſcopi ſenténtia poſtulâtur. Qui in cauſa ipſa diligénter procédens, quarto die poſt ſancti viri tránſitum pro Frátribus ſenténtiam diffinitivam tulit.

℟. Páuperum collégio, páuper in princípio ſpíritu probâtus verbi miniſtério, * Non injéctu próprio datur, ſed vocâtus. ℣. A quo fit hæc dátio, fiunt teſtimónio, mors & incolâtus. Non injéctu. Benedíctio. Ignem ſui amôris.

Léctio vj.

POſt latam autem senténtiam, Epiſcopus cum clero, Potéſtas cum magnâtibus, atque mílitibus, & innúmera pópuli multitúdine ordinâtis proceſsiónibus ad cellam pergunt, corpus súblevant, humeróſque ad portándum optimâtes quique ſubmíttunt. Sic demum cum hymnis & cánticis, ac luminárium numeroſitâte copióſa ſolémniter incedéntes, ad ſanctæ Dei Genitrícis Eccléſiam véniunt, ubi ipſum expletis Miſsárum ſolémniis honorificè die tránſitus ſui quinto ſepeliérunt. Statim autem miraculórum prodígia coruſcâre cœpérunt. Nam quacúmque infirmitâte deténti tumbam ejus contingébant, optâtam continuò ſanitâtem recipiébant. Qui verò accédere, vel addúci præ turba non póterant, ſalvi coram ómnibus étiam præ fóribus in platéa fiébant.

℟. In doctrínæ póculis juſtus ſua ſingulis reddens affluêbat, loquens magnis, párvulis, * Veritâtis jáculis æquè feriêbat. ℣. Pótior miráculis virtus hæc in óculis ómnium clarêbat. Veritâtis. Glória Patri. Veritâtis.

In tértio Noctúrno, Aña.

Gaude quondam ſǽculi tránſiens viâtor, ſummi tabernáculi nunc inhabitátor. Pſalmus. Dómine, quis habitâbit. Antiphona. Nobis fac propítium, à quo recepiſti cordis deſidérium, vitam quam petiſti. Pſalmus. Dómine in virtûte. Antiphona. Duc in montem Dómini, ora nos, Antóni, junctos Deo hómini loco ſancto poni. Pſalmus. Dómini eſt terra. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. Pater noſter. Abſolútio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

MENSIBUS SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Léctio vij. *Cap. 5. b*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

*Lib. 17. cap. 6. contra Fauſt. Manich.*

ILle legem adímplet, qui ea facit, quæ lex prǽcipit. Plenitúdo enim legis cháritas, ſicut dixit Apóſtolus. Iſtam charitâtem Dóminus exhibêre & donâre dignâtus eſt, mitténdo fidélibus ſuis Spíritum ſanctum. Undè item dicit idem Apóſtolus: Cháritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris per Spíritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Et ipſe Dóminus: In hoc ſcient omnes, quia diſcípuli mei eſtis, ſi vos ínvicem diligâtis.

℟. Vitam probant vílitas, ſimplex innocéntia, cura diſciplínæ: * Zelo juncta cháritas, véritas, modéſtia, teſtes ſunt doctrínæ. ℣. Sed ſignôrum cláritas probat hæc probántia, múltiplex in fine. Zelo. Benedíctio. Cujus feſtum cólimus.

Léctio viij.

IMplêtur étiam lex, cùm exhibéntur quæ ibi prophetâta ſunt. Lex enim per Móyſen data eſt, grátia & véritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Ipſa lex, cùm implêta eſt, grátia & véritas facta eſt. Grátia pértinet ad charitâtis plenitúdinem, véritas ad propheticárum impletiónem. Et quia utrúmque per Chriſtum, ideò non venit ſólvere legem, aut Prophêtas, ſed adimplêre: non ut legi adderéntur quæ déerant; ſed ut fierent quæ ſcripta erant: quod ipſa ejus verba teſtántur. Non enim ait: Iôta unum, aut

únus

unus apex non tranſibit à lege, donec addántur quæ deſunt, ſed donec ómnia fiant.

℟. Si quæris mirácula, mors, error, calámitas, dæmon, lepra fúgiunt: ægri ſurgunt ſani; * Cedunt mare, víncula, membra, reſque pérditas petunt, & accipiunt, júvenes & cani. ℣. Péreunt perícula, ceſſat & neceſſitas: narrent hi qui ſéntiunt, dicant Paduáni. Cedunt. Glória Patri. Cedunt. Benedíctio. Ad ſocietátem.

Octáva Léctio ſecátur in duas, donec própria aſſignétur, & incipit: Et quia.

## MENSIBUS NOVEMBRI ET DECEMBRI.

In tértio Noctúrno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Léctio vij. *Cap. 5. b*

IN illo témpore: Dixit Jeſus discípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

*Tract. 6. in Epiſt. 1. Joánn. in fine.*

QUicúmque ergo ſólverit unum ex mandátis iſtis mínimis, & docúerit ſic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum. Quid eſt, ſólverit? Quid eſt, docúerit? Sólvitur factis, & docétur verbis. Qui prǽdicas non furándum, furáris? ſolvit ergo in facto, qui furátur: & quiſquis docet ſic, mínimus vocábitur in regno cælórum, id eſt, in Eccléſia hujus témporis. Qui autem fécerit, & ſic docúerit, magnus vocábitur in regno cælórum. Ex eo quod dixit hic, Fécerit, contra hoc ibi dixit: Sólverit, id eſt, non fécerit, & docúerit ſic. Ille ergo ſolvit, qui non facit.

℟. Vitam probant vílitas, ſimplex innocéntia, cura disciplínæ: * Zelo juncta cháritas, véritas, modéſtia, teſtes ſunt doctrínæ. ℣. Sed ſignórum cláritas probat hæc probántia, múltiplex in fine. Zelo. Benedíctio. Cujus feſtum cólimus.

Léctio viij.

PHariſǽos cognábat, cum iſta díceret, qui ſolvébant legem factis, & docébant verbis. De quibus álio loco dicit: Quæ dicunt, fácite; quæ autem fáciunt, fácere nolíte: dicunt enim & non fáciunt. Proptéreà & hic ità ſéquitur: Dico enim vobis, niſi abundáverit juſtítia veſtra plus quàm Scribárum & Phariſæórum, non intrábitis in regnum cælórum: id eſt, niſi vos fecéritis, & ità docuéritis, quod illi non fáciunt, & ſic docent, non intrábitis in regnum cælórum. Quam ergo legem docébant Phariſǽi, & non faciébant, ipſam dicit Chriſtus non ſe veniſſe ſólvere, ſed adimplére: quia ipſa pértinet ad cáthedram Moyſi, in qua ſedéntes Phariſǽi, & docéntes, nec faciéntes, audiéndi ſunt, non imitándi.



℟. Si quæris mirácula, mors, error, calámitas, dæmon, lepra fúgiunt: ægri ſurgunt ſani; * Cedunt mare, víncula, membra, reſque pérditas petunt, & accípiunt, júvenes & cani. ℣. Péreunt perícula, ceſſat & neceſſitas: narrent hi qui ſéntiunt, dicant Paduáni. Cedunt. Glória Patri. Cedunt. Benedíctio. Ad ſocietátem.

Octáva léctio ſecátur in duas donec ália aſſignétur, & incipit: Quam ergo.

## AD LAUDES,

& per Horas, Antíphona.

DOmus ab António ſupra petram Dóminum póſita perſtábit, quam maris clátio, fluctus, ſeu vox flúminum ultrà non turbábit. Pſalmus. Dóminus regnávit, cum réliquis. 18. Antíphona. Lætus tuo júbilat in conſpéctu Dómine, quò jam introívit, lumen, quod es, símilat hunc tibi, qui lúmine frúitur, quo vivit. Antíphona. Totus in te sitiens, Deus, ad te vígilans éxtitit de luce: tu fons indéficiens, tu lux illi rútilans qui ſitis in cruce. Antíphona. Cæli, terræ, márium, benedícant Dóminum cunctæ creatúræ: qui tot per Antónium ſignis auget hóminum vitæ ſpem futúræ. Antíphona. Sono tubæ, týmpano, cíthara, pſaltério, cymbaliſque Deus, choro, chordis, orgáno, laudet in António mýſticè cor meum.

Capítulum. *Sap. 7.*

OPtávi, & datus eſt mihi ſenſus: & invocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ, & præpóſui illam regnis & sédibus: & divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus.

Hymnus.

JEſu lux vera méntium,
Nos illúſtra dilúculò,
Tot ſignis per Antónium
Opáco fulgens ſǽculo.
Hic nautis in naufrágio
Signo ſalútis ádfuit,
Quibus ſub lucis rádio
Viæ ducátum prǽbuit.
Hæréticum lux fídei
Signo purgat, dum jácitur
Ab alto, vaſis vitrei
Fragílitas non frángitur.
Irriſor lucis gratiæ
Signórum languet cléricus:
Poſt votum ſurgens, glóriæ
Sancti fit teſtis públicus.
Per hunc nos, Pater lúminum,
Signis, & lux de lúmne,
Illuſtratóris hóminum.
Cum Spíritus munímine.
Amen.

℣. Ora

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. Ora pro nobis beáte Antóni. ℟. Ut digni efficiâmur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Benedictus, Antiphona.

Gaude felix Pádua, quæ theſáurum póſſides, cujus in altário dignum fore lóculum viſio monſtrâvit: tu ſignis irrigua, tot in tuo próvides miſeris António, ſerva rei titulum, quæ ſic te ditâvit: ſed tu nos ad árdua, Pater, his qui præſides, quorum es poſſeſſio, transfer, quos hic vinculum mortis inclinâvit.

Orátio.

Eccléſiam tuam, Deus, beáti Antónii Confeſſóris tui Commemorátio votiva lætificet: ut ſpirituálibus ſemper muniâtur auxíliis, & gáudiis pérfrui mereâtur ætérnis. Per Dóminum noſtrum.

Ad Tertiam, Antiphona.

Lætus tuo júbilat. Capitulum. Optávi, & datus eſt mihi.

℟. breve. Amâvit eum Dóminus, * Et ornâvit eum. Amâvit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et ornâvit. Glória Patri. Amâvit eum.

℣. Os juſti meditâbitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judicium.

Ad Sextam, Antiphona.

Totus in te ſitiens.

Capitulum. *Sap. 7. b*

Vénérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéſtas per manus illíus, & lætâtus ſum in ómnibus: quóniam antecedêbat me iſta ſapiéntia, & ignorâbam, quóniam horum ómnium mater eſt. Quam ſine fictiône didici, & ſine invidia commúnico, & honeſtâtem illíus non abſcóndo.

℟. breve. Os juſti, * Meditábitur ſapiéntiam. Os juſti. ℣. Et lingua ejus loquêtur judicium. Meditábitur. Glória Patri. Os juſti.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Ad Nonam, Antiphona.

Sono tubæ.

Capitulum. *Sap. 7. b*

Mihi autem dedit Deus dicere ex ſenténtia, & præsúmere digna horum quæ mihi dantur: quóniam ipſe ſapiéntiæ dux eſt, & ſapiéntium emendâtor.

℟. breve. Lex Dei ejus, * In corde ipsius. Lex. ℣. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. In corde. Glória Patri. Lex Dei.

℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et oſténdit illi regnum Dei.

In ſecúndis Véſperis, Antiphona. Domus ab António, cum réliquis de Láudibus. 149. Pſalmi, Capitulum, Hymnus, & ℣. ut in primis Véſperis. 142.

Ad



Ad Magnificat, Antiphona.

O Jeſu perpétua lux, tot in António ſignis dans ſplendôrem, de quo non incóngrua nobis gloriátio tibi dat honôrem. Grátia per hunc tua nos in vaſe próprio ferre da liquôrem, lámpade non vácua lumen det opínio, cháritas ardôrem, fruſtrà virgo fatua glórians in álio, quærit venditôrem.

Orátio ut ſuprà. 150.

Quando per Annum fit de S. António, cum Verſus ad Laudes & Véſperas fit, Ora pro nobis, beáte Antóni, in Suffrágiis commúnibus ad Antiphonam Sancta María, dicéndus eſt ℣. Benedicta tu in muliéribus. ℟. Et benedictus fructus ventris tui. Dum autem Officium S. Antónii concúrrit cum Officio S. Claræ, ſive quando in ſecúndis Véſperis S. Antónii fit à Capitulo de S. Clara, ℣. de S. Clara erit Ora pro nobis, & de S. António Juſtum dedúxit.

# OFFICIUM
# S. CLARÆ VIRGINIS,

Quod CLEMENS X. celebrári concéſſit ſemel in menſe ritu Semidúplici, die non impedita Feſto novem Lectiónum, excipitur tamen tempus Advéntus, Quadragéſimæ, Quátuor Témporum & Vigiliárum, ex Decréto S. R. C. die 13. Junii 1682.

Omnia ut in die Translatiónis ipsius iij. Octóbris, 23. præter Oratiónem & Lectiónes ſecúndi Noctúrni, quæ dicúntur ut infrà.

Orátio.

Fámulos tuos, quæſumus Dómine, beátæ vírginis tuæ Claræ votivam Commemoratiônem recenséntes: cæléſtium gaudiórum ſua fácias interventióne partícipes, & tui Unigéniti coherédes. Qui tecum vivit.

In ſecúndo Noctúrno.

Lectio iv.

Cum mater Claræ, nómine Hortulâna, nóbilis fémina civitâtis Aſsíſii in Umbria nóbilem hanc plántulam úteri ſui geſtâret in hórtulo, & pártui jam vicina ante crucem



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. Ora pro nobis beáte Antóni. ℟. Ut digni efficiâmur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Benedictus, Antiphona.

Gaude felix Pádua, quæ theſáurum póſsides, cujus in altário dignum fore lóculum viſio monſtrâvit: tu ſignis irrigua, tot in tuo próvides miſeris António, ſerva rei titulum, quæ ſic te ditâvit: ſed tu nos ad árdua, Pater, his qui præſides, quorum es poſſéſsio, transfer, quos hic vinculum mortis inclinâvit.

Orátio.

ECcléſiam tuam, Deus, beáti Antónii Confeſſóris tui Commemorátio votiva lætificet: ut ſpirituálibus ſemper muniâtur auxíliis, & gáudiis pérfrui mereâtur ætérnis. Per Dóminum noſtrum.

Ad Tertiam, Antiphona.

Lætus tuo júbilat. Capitulum. Optávi, & datus eſt mihi.

℟. breve. Amâvit eum Dóminus, * Et ornâvit eum. Amâvit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et ornâvit. Glória Patri. Amâvit eum.

℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium.

Ad Sextam, Antiphona.

Totus in te ſitiens.

Capitulum. *Sap.7. b*

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéſtas per manus illíus, & lætátus ſum in ómnibus: quóniam antecedêbat me iſta ſapiéntia, & ignorâbam, quóniam horum ómnium mater eſt. Quam ſine fictiône didici, & ſine invidia commúnico, & honeſtâtem illíus non abſcóndo.

℟. breve. Os juſti, * Meditábitur ſapiéntiam. Os juſti. ℣. Et lingua ejus loquêtur judícium. Meditábitur. Glória Patri. Os juſti.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Ad Nonam, Antiphona.

Sono tubæ.

Capitulum. *Sap.7. b*

MIhi autem dedit Deus dicere ex ſenténtia, & præsúmere digna horum quæ mihi dantur: quóniam ipſe ſapiéntiæ dux eſt, & ſapiéntium emendâtor.

℟. breve. Lex Dei ejus, * In corde ipsius. Lex. ℣. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. In corde. Glória Patri. Lex Dei.

℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et oſténdit illi regnum Dei.

In ſecúndis Véſperis, Antiphona. Domus ab António, cum réliquis de Láudibus. 149. Pſalmi, Capitulum, Hymnus, & ℣. ut in primis Véſperis. 142.

Ad



Ad Magnificat, Antiphona.

O Jeſu perpétua lux, tot in António ſignis dans ſplendôrem, de quo non incóngrua nobis gloriátio tibi dat honôrem. Grátia per hunc tua nos in vaſe próprio ferre da liquórem, lámpade non vácua lumen det opínio, cháritas ardôrem, fruſtrà virgo fátua glórians in álio, quærit venditôrem.

Orátio ut ſupra. 150.

Quando per Annum fit de S. António, cum Verſus ad Laudes & Veſperas ſit, Ora pro nobis, beáte Antóni, in Suffrágiis commúnibus ad Antiphonam Sancta Maria, dicéndus eſt ℣. Benedicta tu in muliéribus. ℟. Et benedictus fructus ventris tui. Dum autem Officium S. Antónii concúrrit cum Officio S. Claræ, ſive quando in ſecúndis Véſperis S. Antónii fit à Capitulo de S. Clara, ℣. de S. Clara erit Ora pro nobis, & de S. António Juſtum dedúxit.

# OFFICIUM
# S. CLARÆ VIRGINIS,

Quod CLEMENS X. celebrári concéſsit ſemel in menſe ritu Semidúplici, die non impedita Feſto novem Lectiónum, excipitur tamen tempus Adventus, Quadragéſimæ, Quátuor Temporum & Vigiliárum, ex Decréto S. R. C. die 13. Junii 1682.

Omnia ut in die Tranſlatiónis ipsius iij. Octóbris, 23. præter Oratiónem & Lectiónes ſecúndi Noctúrni, quæ dicúntur ut infrà.

Orátio.

FAmulos tuos, quæſumus Dómine, beátæ virginis tuæ Claræ votivam Commemoratiônem recenséntes: cæléſtium gaudiórum ſua fácias interventióne partícipes, & tui Unigéniti coherédes. Qui tecum vivit.

In ſecúndo Noctúrno.

Lectio iv.

CUm mater Claræ, nómine Hortulâna, nóbilis fémina civitâtis Aſsíſii in Umbria nóbilem hanc plántulam úteri ſui geſtâret in hórtulo, & pártui jam vicina ante crucem Cru-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Crucifixum oráret atténtè, ut eam de partus periculo ſalúbriter expedíret, audivit vocem dicéntem ſibi: Ne páveas múlier, quia quoddam lumen ſalva partúries, quod ipſum mundum cláriùs illuſtrábit. Quo edócta oráculo, jam natam infántulam, & ſacri Baptiſmatis unda renatam, Claram vocávit. Edita mox in lucem párvula Clara, tempeſtiva velut auróra, divinórum cœpit chariſmatum lúmine claréſcere, ac inter téneros annos laudabílium morum ingenua probitáte clarére. Pietátis quidem ſuavitáte repléta, tam ex dono natúræ quàm grátiæ, manum libénter extendébat ad páuperes. Et, ut ſacrificium ſuum grátius Deo foret, próprio corpúſculo delicáta ſubtrahébat cibária, clamque per internúntios mittens reficiébat víſcera pupillórum.

℟. A cívibus obsidio. 25.

Lectio v.

SAnctæ oratiónis ſtúdium habébat amicum: ubi Chriſti Jeſu ſæpiùs odóre bono reſperſa, ſuaviſque Spíritus guſtu ad perénnes attrácta delícias, paulátim vitam cœlibem actitábat. Sub véſtibus quoque pretióſis ac móllibus ciliciolum gerébat abſcónditum: & tamquam nóbilis áltera virgo Cæcília, mundo extériùs florens, Chriſtum intériùs induens, diſſimuláto in póſterum mortáli conjúgio, virginitátem ſuam Dómino commendábat. Audiens veró tunc célebre nomen Franciſci, inſpiránte Patre ſpirituum, ad eúmdem ſe cóntulit, ſuique cordis arcánum deſidérium pateſécit. Suadénte igitur viro Dei mundi contémptum, & more fideliſſimi paranýmphi dúlcia Chriſti connúbia virgíneis áuribus inſtillánte: non trahit in longum virgo præclára conſénſum: quinimmò cœléſtis ignis ardóre ſuccénſa, terrénæ glóriæ vanitátem ex alto contémnit, carnis illécebras prorsùs horréſcit, torum in delícto ſe neſcitúram propónit, ac ejúſdem beáti Patris consiliis totáliter ſe committit. Jubet ex hoc Dei fámulus celebritáte imminénte Palmárum, ut in die feſto ornáta procédat ad palmam cum frequéntia populórum, ac nocte ſequénte cum Chriſto éxiens extra caſtra, mundánum gáudium in luctum convértat Domínicæ paſſiónis.

℟. Amica Crucis. 25.

Lectio vj.

IGitur patérna domo relícta, ad ſanctam Maríam de Angelis feſtinávit, ubi Fratres prudéntem vírginem óbviàm ſponſo cum lámpade non vácua procedéntem excepérunt. Quæ tandem, quemádmodùm ſanctus Franciſcus Fratrum, ſic ipſa ſacrárum Sorórum collégium inſtítuit: cum quibus in Eccléſia ſancti Damiáni vixit admirábili ſanctitáte. Quæ, Saracénis Aſsíſium obſidéntibus, & monaſtérium, cui illa præerat, invádere conántibus, ægra ſe ad portam afférri vóluit, únaque vas, in quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacraméntum erat inclúſum: ibíque orávit in hunc modum: Ne tradas, Dómine, béſtiis ánimas confiténtes tibi, & cuſtódi fámulas tuas, quas pretióſo Sánguine redemíſti. In cujus oratióne ea vox audíta eſt: Ego vos ſemper cuſtódiam. Saracéni autem partim ſe fugæ mandárunt: partim qui murum aſcénderant, capti óculis præcípites cecidérunt. Ipſa virgo paulò póſt jejúniis, oratiónibus, vigiliíſque confécta, cùm duos & quadraginta annos cum ſumma laude monaſtérium gubernáſſet, multaque edidíſſet mirácula, prídie Idus Auguſti ſacra Euchariſtia ſumpta, ánimam Deo réddidit, Innocéntio Quarto Summo Pontífice, qui ægrotántem vírginem inviſit, eíque ſupplíciter peténti Indulgéntiam peccatórum impertívit. Quam póſteà Alexánder Quartus inter ſanctas Vírgines rétulit.

℟. Vivens in mundo. 26.

Quando per annum fit de S. Clara, cum ℣. ad Laudes & Veſp. fit Ora pro nobis beáta Clara, in Suffrágiis Commúnibus ad Antiphonam Sancta María, dicéndus eſt ℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui. Dum autem Offic. S. Antónii concúrrit cum Officio S. Claræ, ſive quando in ſecúndis Véſperis Officii S. Antónii fit à Capítulo de S. Clara, ℣. de S. Clara erit Ora pro nobis, & de S. António, Juſtum dedúxit.

# LITANIÆ

Juxta præſcriptum Rubricárum, pro Noſtrátibus ex Indúlto Apoſtólico, ritè diſpóſitæ.

Kyrie eléiſon.
Chriſte eléiſon.
Kyrie eléiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exáudi nos.
Pater de cælis Deus, miſerére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, miſerére nobis.
Spíritus ſancte Deus, miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabriël, ora.
Sancte Raphaël, ora.
Omnes ſancti Angeli, & Archángeli, Oráte pro nobis.
Omnes Sancti beatórum Spirítuum Ordines, oráte.
Sancte Joánnes Baptiſta, ora.
Sancte Joſeph, ora.
Omnes ſancti Patriárchæ, & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomǽe, ora.
Sancte Matthǽe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddǽe, ora.
Sancte Mathía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli, & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Lauréntí, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancti Fabiáne & Sebaſtiáne, oráte.
Sancti Joánnes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gerváſi & Protáſi, oráte pro nobis.
Sancte Berárde, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Accúrſi, ora.
Sancte Adjúte, ora.
Sancte Otho, ora.
Sancte Dániël, ora.
Sancte Angele, ora.
Sancte Sámuël, ora.
Sancte Dónule, ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Huguline, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Om-



Omnes ſancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Silvéſter, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambróſi, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Bonaventúra, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Benvenúte, ora.
Omnes ſancti Pontífices, & Confeſſóres, oráte.
Omnes ſancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Pater noſter Franciſce, ora.
Sancte Antóni de Pádua, ora pro nobis.
Sancte Bernardíne, ora.
Sancte Jacóbe de Márchia, ora pro nobis.
Sancte Joánnes de Capiſtráno, ora.
Sancte Petre de Alcántara, ora pro nobis.
Sancte Franciſce Soláne, ora pro nobis.
Sancte Petre Regaláte, ora.
Sancte Dídace, ora.
Sancte Paſchális, ora.
Sancte Felix, ora.
Sancte Joſeph à Leoníſſa, ora pro nobis.
Sancte Fidélis à Sigmaringa, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Ivo, ora.
Sancte Elzeári, ora.
Sancte Roche, ora.
Sancte Conráde, ora.
Omnes ſancti Sacerdótes, & Levítæ, oráte pro nobis.
Omnes ſancti Mónachi, & Eremítæ, oráte pro nobis.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Clara, ora.
Sancta Catharína de Bonónia, ora.
Sancta Roſa de Vitérbio, ora pro nobis.
Sancta Anaſtáſia, ora.
Sancta Eliſabeth Hungáriæ, ora.
Sancta Eliſabeth Portugálliæ, ora.
Sancta Margaríta de Cortóna, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ trium Ordinum ſancti Patris Noſtri Franciſci, intercédite pro nobis.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Dómine.

Réliqua ut in Litaniis Univerſalis Eccléſiæ appoſitis in fine Pſalmórum Pœnitentialium.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### Formula Abſolutionis Plenariæ Religioſis, Tertiariis ſæcularibus, & Cordigeris in extremis conſtitutis, vigore Privilegiorum, elargiendæ.

FActa Confeſsione, & dictis, Miſereatur, & Indulgentiam, dicatur: Dominus noſter Jeſus Chriſtus per merita ſuæ ſacratiſsimæ Paſsionis te abſolvat, & gratiam ſuam tibi infundat, & ego auctoritate ipſius, ac beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Summorum Pontificum, mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, ſi quod incurriſti, & reſtituo te unioni, & participationi Fidelium, nec non ſanctis Sacramentis Eccleſiæ. Item eadem auctoritate, quatenùs ad præſens forum ſpectat, Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, tibique relaxo omnes pœnas Purgatorii, quas pro peccatis commiſsis meruiſti, concedens tibi remiſsionem, & indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum, & reſtituo te illi ſtatui innocentiæ, in quo eras, quando baptizatus fuiſti: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Quòd ſi hac vice non diſceſſeris, reſervo tibi gratiam uſque ad extremum mortis tuæ articulum.

Quia verò nonnulli Summi Pontifices Indulgentiam Plenariam prædictis Perſonis, in articulo mortis conſtitutis, benignè conceſſerint, ſine ulla dependentia ab electione Confeſſarii, qui talem Indulgentiam, nomine Pontificum, impertiatur; ideò ad majus ſpirituale ſolatium, non tamquam neceſſaria, ſed ut valde proficua, ſubjungenda eſt ſequens deprecatio, cui, in extremis laborans, devotè correſpondeat, Nomen Sanctiſsimum JESU ore vel cordè entæ invocando.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſsimam miſericordiam recipiat confeſsionem tuam, & remittat tibi omnia peccata quæcumque, & quomodocumque in toto vitæ decurſu commiſiſti, de quibus corde contritus, & ore confeſſus es, reſtituens tibi ſtolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti. Et per indulgentiam plenariam à Summis Pontificibus, Noſtratibus, in articulo mortis conſtitutis, conceſſam, liberet te à præſentis, ac futuræ vitæ pœnis; dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferi claudere, Paradiſi januam aperire, teque ad gaudia ſempiterna perducere, per ſacratiſsima ſuæ vitæ, paſsionis, & glorificationis myſteria. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto Deus unus vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.



# ANNOTATIO

### Pro præſentis Breviarii uſu, liberè ac licitè ex diverſitate Ditionum; & Inſtitutorum, quoad Feſta, ſeu Ritum, nonnumquam variando.

CUM plura adſint Officia particularia recitanda à Regularibus, quorum aliqua ſub Præcepto, alia verò ſub Verbis facultativis, pro diverſis Regnis, ſeu Ditionibus ſunt præſcripta: nec potuerint hic per extenſum apponi, ne Breviarium excreſceret ultra congruum: omnibus, ad quos præſentis Breviarii uſus, ex jam allatis Conceſsionibus, ſpectare dignoſcitur, notum eſſe cupimus, quòd tenentur, quiſque in Regno, ſeu Ditione, ubi moram traxerit reſpectivè, eadem Officia ad manum habere: eaque juxta Regulas aſsignatas in Rubricis, tam generalibus, quàm particularibus ejuſdem Breviarii, & præſertim ſub num. 11. & 168. recitare non prætermittant. Degentes autem in Ditionibus Majeſtati Catholicæ ſubjectis, quibus plura hujuſmodi ſunt conceſſa, uti tenebuntur Libello particulari, cum proprio Kalendario, pro Officiis earumdem Ditionum ſimul, cum hoc Breviario diſpoſito, & Tomis Ultra montes mittendis, ad id annectendo.

Perſonæ inſuper cujuſvis Inſtituti Cœtus Seraphici, quæ noſtri Capituli Generalis Conſtitutionibus parere non ſint adſtrictæ, quibuſque uſus Breviarii hujuſmodi à ſancta Sede fuerit conceſſus, ſua etiam particularia Feſta, cum peculiaribus Ritibus, conſervare poterunt, dummodò terminos Conceſsionum Apoſtolicarum, ullatenùs non tranſgrediantur. Et tam quoad Breviarium, quàm quoad reliquos Libros, divinum Officium concernentes, ſervandæ ſunt à Noſtratibus litteræ Apoſtolicæ nuperrimè emanatæ, ſequentis tenoris.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# CONSTITUTIO
# INNOCENTII PAPÆ XII.

Super Uſu Ritualis, Cæremonialis, Martyrologii, Miſsalis, ac Diurnalis Ordinis Seraphici; nec non ſuper Præcepto, ad hunc effectum noviſsimè promulgato.

## INNOCENTIUS PAPA XII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

EX debito Paſtoralis Officii, quo Catholicæ Eccleſiæ, per univerſum Orbem diffuſæ, regimini, Divina diſpoſitione, præſidemus, ea quæ à Regularium Ordinum, ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſalutem, ſapienti pietate, ab hac S. Sede inſtitutorum, magniſque in Eccleſiam Dei meritis fulgentium, Superioribus, ad ſervandam in divinis Officiis uniformitatem, prudenter conſtituta eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio, cùm id à Nobis petitur, libenter conſtabilimus.

Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Franciſcus Diaz à ſancto Bonaventura, Frater expreſsè Profeſſus Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, quòd cùm ipſe, ut injunctum ſibi dudum à venerabili Fratre Bonaventura Poërio Archiepiſcopo Salernitanenſi, qui tunc Miniſtrum Generalem dicti Ordinis agebat, munus expleret, non modo Breviarium, ſed etiam alios Libros Divini Officii, nempè Rituale, Cæremoniale, Martyrologium, Miſsale, ac Diurnale dicti Ordinis, longo labore, ſedulaque cura diſpoſuerit, ipſique Libri Typis in Alma Urbe noſtra impreſsi, propè diem in lucem prævia debita approbatione, benedicente Domino, prodituri ſint, dilectus etiam Filius Matthæus à ſancto Stephano modernus Miniſter Generalis ejuſdem Ordinis, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Perſonis ejus obedientiæ, ſeu directioni ſubjectis, quomodò circa Uſum eorumdem Librorum ſe gerere debeant, præcepit,





& mandavit, per ſuas patentes Litteras, deſuper emanatas, tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Fr. Matthæus à ſancto Stephano, Lector Jubilatus, totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, & ſervus, &c. Dilectis Nobis plurimùm in Domino omnibus, ac ſingulis Fratribus, & Monialibus aliiſque utriuſque ſexus Perſonis Ordinum, ac Congregationum Obedientiæ, ſeu Directioni noſtræ, ac Succeſſorum noſtrorum, ſub aliqua è Regulis à ſancta Sede approbatis, nunc & pro tempore ſubjectis, ac ſubjiciendis, ſalutem in eo, qui eſt vera ſalus. Delegata per Sanctiſsimum D. N. Innocentium Papam XII. Prædeceſsori noſtro opportuna facultate, ad hoc, ut tamquam Sedis Apoſtolicæ Commiſſarius, *Evangelicæ, & Apoſtolicæ Doctrinæ, Sacrorum Canonum, & Generalium Conciliorum, præſertim Tridentini Decretis, & ſanctorum Patrum Traditionibus, atque Regularibus, noſtri Ordinis Inſtitutis, Apoſtolica auctoritate confirmatis, inhærendo*, abuſus quoſcumque tolleret, Regulas, Inſtitutiones, & Eccleſiaſticam, Regularemque diſciplinam, ac in primis divinum Cultum, ubicumque excidiſſet *juxta ejuſdem Ordinis Regulam, & Conſtitutiones, dicta auctoritate confirmatas*; modis congruis (prout in Brevi, cujus initium, *Ex debito*: Die 18. Auguſti 1694. emanato, latiùs continetur) reſtitueret, ac redintegraret.

Ipſe Prædeceſſor noſter attentè recogitans ſe in his, quæ divinum Cultum concernunt, mentem Sanctitatis ſuæ facilè executurum, ſi de novo ederet in lucem, tum Rituale, tum Cæremoniale, tum Martyrologium, tum Miſſale, & Diurnale, ac Breviarium Romano-Seraphica, quæ pro toto Ordine impoſterum ubique deſervirent, R. A. P. Fr. Franciſcum Diaz à ſancto Bonaventura. Ordinis Patrem, ac Sacræ Congregationis Rituum Conſultorem, in notitia rerum prædictarum apprimè verſatum conſultò ſelegit, ad præſtandum Deo, ac Ordini noſtro hoc perutile, atque laudabile obſequium: Noſque pro eodem perficiendo, omnem eidem, à die aſſumptionis noſtræ ad Ordinis Miniſterium, duximus exhibere opem, atque aſsiſtentiam opportunam.

Hinc certiores effecti de ſolerti cura, qua priùs Rituale, deindè Cæremoniale, poſteà Martyrologium, ſucceſsivè Miſsale, ſubindè Diurnale, ac tandem Breviarium

rium prædicta, juxta formam à Sanctiſsimo Domino noſtro, ut præfertur, ſancitam, ad prælum idem diſpoſuit: nec non de approbationibus, quibus tam Sacra Rituum Congregatio, quàm idem Sanctiſsimus Kalendarium, & Rubricas, ad cujus, & quarum præſcriptum, cetera cuncta ordinari debebant, & reipſa ordinata conſpiciuntur, benignè comprobarunt: Nos, ad hoc, ut impreſsio Breviarii ab eodem Sanctiſsimo Apoſtolico munimine, cum Kalendario ac Rubricis præfatis, roborati, priùs incœpta, quàm citiùs perduceretur in finem, prout jam, opitulante Domino, cernitur terminata, omnem ex tunc adhibuimus operam, ac ſolicitudinem.

Nunc verò attendentes, quod ſub Titulo 12. Rubricarum particularium Breviarii præmemorati, cui Apoſtolicæ approbationes prædictæ jampridem acceſſerunt, ſequens adeſt diſpoſitio, videlicet, *Pro ordinando quotidiano Officio, recurrendum eſt ad Kalendarium à num. 5. diſpoſitum, & ad Tabulam Feſtorum Mobilium: nec non ad ſupræſcriptas Rubricas, tam generales Breviarii Romani, quàm particulares pro noſtro, hic, & in dierum ſingulorum Officiis exactè deſcriptas; omniumque ſervato præſcripto, dietim ſervabitur Regula Seraphica, quæ præcipit ut Clerici faciant divinum Officium ſecundum Ordinem S. R. E. excepto Pſalterio, ex quo habere poterunt Breviaria. Quoad Cæremonias verò, & alia ad rectè, ac ſanctè reddendum Domino Sacrificium Laudis, quoquomodo neceſſaria, & opportuna, obſervanda ſunt documenta à ſancto Bonaventura edita; nec non Ordinationes Capitulorum Generalium Apoſtolica auctoritate confirmatæ, proindè Rituale, Conſtitutiones, & Doctrinæ in Firmamento Trium Ordinum contentæ, ibidem à ſan. mem. Julio II. & tandem à fel. record. Clementi X. in Brevi* Ex commiſsi Nobis, die 28. Auguſti 1671. *cum aliis recentioribus, approbatè, & ſub nonnullis pœnis tunc, & nunc obſervari mandata. Forma itaque Deo perſolvendi divinas Laudes, hic præſcripta, ab omnibus Fratrum Ordinibus, & Congregationibus, Obedientiæ Miniſtri Generalis Fratrum Minorum S. Franciſci ſubjectis, nec non à Monialibus Conceptioniſtis, Coletaneis, de Annuntiata, & aliorum Inſtitutorum, quæ ſub eadem Obedientia debitum præſtant Altiſsimo obſequium, & famulatum, omninò tenenda eſt.*

Propterea, ne Fratres, ac Moniales noſtri Seraphici Cœ-



Cœtus commodo Ritualis, & Cæremonialis, nec non Martyrologii, Diurnalis, ac Miſſalis præfatorum diu careant, & ab obſervando præſcripto præinſertæ Rubricæ, Apoſtolica auctoritate, ùt præfertur, approbatæ, ſe quoquomodo excuſent: tenore præſentium eidem Conſultori commiſimus, & in Domino commendavimus, ut prædictos Libros divini Officii, nondum impreſſos, ad præſcriptum verò Kalendarii, Rubricarum, & Breviarii, ùt prædiximus, diſpoſitos, ſine ulla ulteriori mora Romæ Typis mandari curaret.

Vobis autem omnibus, tam Subditis, quàm Superioribus ſtrictè, ac ſub pœnis contentis in Brevibus *Cum ſicut*, die 21. Novembris 1696. & *Exponi Nobis*, die 3. Decembris 1697. à Sanctiſsimo Domino noſtro, pro approbatione, uſu, & impreſsione Breviarii jam dicti, expeditis, præcipimus, injungimus, & mandamus, ut poſtquam Libri hujuſmodi Romæ prælo mandati extiterint, æquè in ipſorum uſu, & aliorum materiæ ſimilis rejectione, & abolitione, Vos geratis, ac teneamini, juxta præfatorum Brevium præſcriptum, ſoli Breviario memorato ubique, & in omnibus vos ipſos conformare: ſic enim, & non aliter executioni mandata cenſebitur Commiſsio Prædeceſſori noſtro à Sanctiſsimo benignè facta, atque impartita. Nec ulli umquam fas ſit, ſine reatu culpæ, in re adeò gravi omninò vitandæ, quidquam in ſæpedictis Libris, Sancta Sede inconſulta, addere, vel minuere, aut quoquomodo, etiam in praxi, alterationibus depravare. Datæ in Sacro noſtro Aracælitano Conventu, die 4. Auguſti 1698. & 490. à prima noſtri Ordinis approbatione Apoſtolica.

Frater Matthæus à ſancto Stephano, Miniſter Gener. &c.

Loco ✠ Sigilli.

Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfatus Franciſcus præmiſſa, quo firmiùs ſubſiſtant, Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ Patrocinio communiri ſummoperè deſideret. Nos ſpecialem ipſi Franciſco gratiam facere volentes, cumque à quibuſvis Excomunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis

 oc-

occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis, ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, ac audita ſuper præmiſsis Venerabilis Fratris Proſperi Archiepiſcopi Myren. Fidei Promotoris relatione, Præceptum, & Mandatum à memorato Matthæo Miniſtro Generali facta, ut præfertur, expeditaſque deſuper ejuſdem Matthæi Miniſtri Generalis Patentes Litteras præinſertas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos Juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus.

Decernentes eaſdem præſentes, & præinſertas Patentes Litteras ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos, & quas ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſsis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palacii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenùs opus ſit, dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum, Congregationum, & Conventuum quorumcumque, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſsis, & ad Verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam in Libris hujuſmodi impreſsis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis,



tis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, utque eædem præſentes litteræ in principio, vel in fine dictorum Librorum, etiam quandocumque de novo imprimendorum, Typis imprimi debeant. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 10. Novembris 1698. Pontificatus noſtri anno octavo.

I. F. Cardinalis Albanus.

OF-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# OFFICIA
# ORDINIS FF. CAPUCCINORUM,

Quæ deſiderántur in hoc Breviário.

**DIE X. NOVEMBRIS.**

In feſto Translatiónis Almæ Domus Lauretánæ beatæ Mariæ Virginis. Duplex majus.

**AD VESPERAS,**

Antiphona. Domum tuam, cum reliq. de Laudib. 170. Pſalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis ut in Officio parvo beatæ Mariæ Virginis. cliij.

Capitulum. *Eccli.* 24.

IN ómnibus réquiem quæſivi, & in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcêpit, & dixit mihi Creátor ómnium: & qui creávit me, requiêvit in tabernáculo meo.

Hymnus. Ave maris ſtella, prout in Officio parvo beatæ Mariæ Virginis.

℣. Hæc eſt Domus Dómini firmiter ædificáta. ℞. Benè fundáta eſt ſupra firmam petram.

Ad Magnificat, Antiphona. Sanctificávit Dóminus tabernáculum ſuum: quia hæc eſt Domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo ſcriptum eſt: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

Orátio.

DEus, qui beátæ Mariæ Virginis Domum per incarnáti Verbi myſtérium miſericorditer conſecráſti, eámque in ſinu Eccléſiæ tuæ mirabiliter collocáſti: concêde, ut ſegregáti à tabernáculis peccatórum, digni efficiâmur habitatóres Dómus ſanctæ tuæ. Per eúmdem Dóminum noſtrum.

Et fit Commemorátio præcedéntis, Feriæ, & S. Melchiadis Papæ & martyris tantùm.

Ad Matutinum, Invitatór. Salvatórem mundi in Domo Virginis de Spiritu ſancto concéptum, * Venite adorémus. Pſal. Venite exultêmus. Hymnus. Cæléſtis Urbs Jeruſalem, prout in Feſto Dedicatiónis Eccléſiæ. cxxj.

In primo Nocturno, Antiph. Elevâta eſt magnificéntia tua ſuper cælos. Pſalm. Dómine Dóminus noſter, cum réliquis, prout in Officio parvo beátæ Mariæ Virginis. Antiphona. In ſole póſuit tabernáculum ſuum, & ipſe tamquam Sponſus procédens de thálamo ſuo. Antiphona. Quis aſcéndet in montem Dómini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens mánibus, & mundo corde. ℣. Domum tuam Dómine decet ſanctitûdo. ℞. In longitúdinem dièrum. Pater noſter. Abſolútio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne benedicere. Benedíctio. Benedictióne perpétua.



De libro tértio Regum.

Léctio j. *Cap.* 8.

STetit autem Sálomon ante altáre Dómini in conſpéctu eccléſiæ Iſraël, & expándit manus ſuas in cælum, & ait: Ergône putándum eſt quòd verè Deus hábitet ſuper terram? Si enim cælum, & cæli cælórum te cápere non poſſunt, quantò magis Domus hæc, quam ædificávi? Sed réſpice ad oratiónem ſervi tui, & ad preces ejus, Dómine Deus meus: audi hymnum & oratiónem, quam ſervus tuus orat coram te hódiè: ut ſint óculi tui apérti ſuper Domum hanc nocte ac die: ſuper Domum, de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi: ut exáudias deprecatiónem ſervi tui, & pópuli tui Iſraël, quodcúmque oráverint in loco iſto; & exáudies in loco habitáculi tui in cælo, & cùm exaudíeris, propitius eris.

℞. Vidi ſpecióſam ſicut colúmbam, aſcendéntem déſuper rivos aquárum: cujus inæſtimábilis odor erat nimis in veſtiméntis ejus: * Et ſicut dies verni circúmdabant eam flores roſárum, & lilia convállium. ℣. Quæ eſt iſta, quæ aſcéndit per desértum ſicut virgula fumi, ex aromátibus myrrhæ & thuris. Et ſicut dies verni.

Léctio ij.

SI fúgerit pópulus tuus Iſraël inimícos ſuos (quia peccatúrus eſt tibi) & agéntes pœniténtiam, & confiténtes nómini tuo vénerint, & oráverint, & deprecáti te fúerint in Domo hac: exáudi in cælo, & dimitte peccâtum pópuli tui Iſraël, & redúces eos in terram, quam dediſti pátribus eórum. Si clauſum fúerit cælum, & non plúerit propter peccâta eórum, & orántes in loco iſto, pœniténtiam égerint nómini tuo, & à peccátis ſuis converſi fúerint propter afflictiónem ſuam: exáudi eos in cælo, & dimitte peccâta ſervórum tuórum, & pópuli tui Iſraël: & oſtende eis viam bonam, per quam ámbulent, & da plúviam ſuper terram tuam, quam dediſti pópulo tuo in poſſeſsiónem. ℞. Quæ eſt iſta, quæ aſcéndit ſicut auróra consúrgens, pul-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pulchra ùt luna, eléƈta ùt ſol, * Terribilis ùt caſtrórum ácies ordináta ? ℣. Filia Sion tota formóſa, & ſuávis es, pulchra ut luna, eléƈta ùt ſol. Terribilis ùt caſtrórum.

Léƈtio iij.

SI quis cognóverit plagam cordis ſui, & expánderit manus ſuas in Domo hac, tu exáudies in cælo in loco habitatiónis tuæ, & repropitiáberis, & fácies ut des unicuique ſecúndùm omnes vias ſuas, ſicut videris cor ejus (quia tu noſti ſolus cor omnium filiórum hóminum) ut timeant te cunƈtis diébus, quibus vivunt ſuper fáciem terræ, quam dediſti pátribus noſtris. Inſuper & alienigena, qui non eſt de pópulo tuo Iſraël, cùm vénerit de terra longinqua propter nomen tuum (audiétur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & bráchium tuum extèntum ubique) cùm vénerit, ergo, & oráverit in hoc loco, tu exáudies in cælo, in firmaménto habitáculi tui, & fácies ómnia, pro quibus invocáverit te alienígena : ut diſcant univerſi pópuli terrárum nomen tuum timére, ſicut pópulus tuus Iſraël, & probent quia nomen tuum invocátum eſt ſuper Domum hanc.

℟. Quæ eſt iſta, quæ procéſſit ſicut ſol, & formóſa tamquam Jeróſalem ? * Vidérunt eam filiæ Sion, & beátam dixérunt, & Reginæ laudavérunt eam. ℣. Et ſicut dies verni circúmdabant eam flores roſárum, & lilia convállium. Vidérunt eam. Glória Patri. Vidérunt eam.

In ſecúndo Noƈtúrno, Aña. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum, & in ſæculum ſæculi. Antiphona. Sanƈtificávit tabernáculum ſuum Altíſsimus. Antiph. Homo natus eſt in ea, & ipſe fundávit eam Altíſsimus. ℣. Dómine diléxi decórem Domus tuæ. ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Pater noſter. Abſolútio. Ipſius píetas. ℣. Jube domne benedícere. Benediƈtio. Deus Pater omnípotens.

Sermo ſanƈti Bernárdi Abbátis.

*Sermóne 52. de divérſ.*

Léƈtio iv.

SApiéntia, quæ Dei erat, & Deus erat, de ſinu Patris ad nos véniens ædificávit ſibi Domum, ipſam ſcilicet Matrem ſuam Vírginem Maríam, in qua ſeptem colúmnas excídit. Quid eſt in ea ſeptem colúmnas excídere, niſi ipſam dignum ſibi habitáculum fide & opéribus præparáre ? nimirùm ternárius númerus ad fidem propter ſanƈtam Trinitátem, quaternárius pértinet ad mores propter quátuor principáles virtútes. Quòd autem in beáta María ſanƈta Trinitas fúerit, fúerit dico per præséntiam majeſtátis, ubi ſolus Filius erat per ſuſceptiónem humanitátis, teſtátur Núntius cæléſtis, qui ei arcána myſtéria réferans, ait : Ave grátia plena, Dóminus tecum ; & poſt pauca : Spíritus ſanƈtus ſupervéniet in te, & virtus Altíſsimi obumbrábit tibi. Ecce habes Dóminum, habes virtûtem Altíſsimi, habes Spíritum ſanctum, habes Patrem, Fílium, & Spíritum ſanƈtum.

℟. O quàm metuéndus eſt locus iſte ! * Verè non eſt hic álíud, niſi Domus Dei, & porta cæli. ℣. Hæc eſt Domus Dómini firmiter ædificáta, benè fundáta eſt ſupra firmam petram. Verè non eſt hic álíud.

Léƈtio v.

UTrùm autem & quátuor principáles virtútes, tamquam quátuor colúmnas poſséderit, inquiſitióne dignum vidétur. Primùm ergo videámus, an fortitúdinem habúerit, quæ nimirùm virtus quómodò illi abéſſe pótuit, quæ abjéƈtis ſæculáribus pompis, ſpretíſque voluptátibus carnis, ſoli Deo in virginitáte vívere propóſuit ? Ni fallor hæc Virgo eſt, quæ apud Salomónem légitur, Mulíerem fortem quis invéniet ? procul, & de últimis fínibus prétium ejus. Porrò, quòd témperans, & juſta fúerit, ex Angeli collocutióne, & ſui ipsius reſponſióne, luce clárius comprobámus. Salutáta quippè tam venerabíliter ab Angelo : Ave grátia plena, Dóminus tecum, non ſe éxtulit, quaſi quæ ex ſingulári grátiæ privilégio benediceréfur, ſed ſiluit, & qualis eſſet insólita hæc ſalutátio ſecum cogitávit. Qua in re, quid, niſi témperans fuit ? at verò, cùm de cæléſtibus myſtériis ab eódem Angelo doceréfur, diligénter quæsivit, quómodò conciperet, & páreret, quæ virum únique non cognóſceret ; & in hoc ſine dúbio prudens éxtitit.

℟. Fundáta eſt Domus Dómini ſupra vérticem móntium, & exaltáta eſt ſuper omnes colles, * Et vénient ad eam omnes Gentes, & dicent, Glória tibi Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos ſuos. Et vénient.

Léƈtio vj.

JUſtitiæ autem præ ſe fert inſigne, ubi ſe ancillam Dómini confitétur, nam quòd juſtórum ſit confeſsio, teſ-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

teſtâtur qui ait: Verúmtamen juſti confitebúntur nómini tuo. Fuit igitur beâta virgo Maria fortis in propóſito, témperans in ſiléntio, prudens in interrogatiône, juſta in confeſsiône. His itaque quátuor morum colúmnis, & tribus fidei prædíctis extrúxit in ea ſibi Domum Sapiéntia cæléſtis, quæ ádeò mentem ejus replêvit, ut de plenitúdine mentis fœcundarêtur & caro. Ipsius autem Virginis natâlis Domus divinis myſtériis conſecrâta, Angelôrum miniſtério ab Infidélium poteſtâte, in Dalmátiam priùs, deindè in Agrum Lauretânum Picénæ Provinciæ translâta fuit, ſedénte ſancto Cæleſtino Quinto: eamdémque ipſam eſſe, in qua Verbum caro factum eſt, & habitâvit in nobis, tum Pontifíciis diplomátibus, & celebérrima totius orbis veneratiône, tum continua miraculôrum virtûte, & cæléſtium beneficiórum grátia comprobâtur. Quibus permótus Innocéntius Duodécimus, quò ferventiùs erga Matris amantiſsimæ cultum fidélium memória excitarêtur, ejúſdem ſanctæ Domus Translatiônem anniverſaria ſolemnitâte in tota Picéni Provincia venerâtam, Miſſa étiam, & Officio próprio celebrári præcêpit.

℟. Domus mea Domus oratiônis vocábitur, dicit Dóminus: in ea omnis qui petit, áccipit; & qui quærit, invenit: * Et pulsánti aperiêtur. ℣. Pétite, & accipiêtis: quǽrite, & inveniêtis. Et pulsánti. Glória Patri. Et.

In tértio Noctúrno, Aña. Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus, adoráte Dóminum in aula ſancta ejus. Antiphona. Vidérunt omnes pópuli glóriam ejus. Antiphona. Cantâte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit Dóminus, allelúia. ℣. Domum tuam Dómine decet ſanctitûdo. ℟. In longitúdinem diêrum. Pater noſter. Abſolútio. A vínculis. ℣. Jube domne benedicere. Benedictio. Evangélica léctio.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Léctio vij. *Cap. 1.*

IN illo témpore: Miſſus eſt Angelus Gábriël à Deo in civitâtem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Virginem deſponsâtam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Virginis María. Et réliqua.

Homilía ſancti Bernárdi Abbâtis.

*Ex Homil. 1. ſuper Miſſus eſt.*

QUæ eſt hæc Virgo tam venerábilis, ut ſalutêtur ab Angelo; tam



húmilis, ut deſponsâta ſit fabro? Pulchra permixtio virginitâtis, & humilitâtis, nec mediócriter placet Deo illa ánima, in qua & humílitas commêndat virginitâtem, & virginitas exórnat humilitâtem: ſed quanta putas veneratiône digna eſt, in qua humilitâtem exáltat fœcúnditas, & partus cónſecrat virginitâtem? Audis virginem, audis húmilem? laudábilis virtus virginitas, ſed magis neceſsária humílitas: illa consúlitur, iſta præcipitur.

℟. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * Proptéreà benedixit te Deus in ætérnum. ℣. Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis, ex quibus te delectavérunt filiæ Regum in honôre tuo. Proptéreà benedixit.

*Ex Homilia 2. ſuper eódem loco.*

Léctio viij.

MIſſus eſt, inquit, Angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem profeſsióne, virginem dénique, qualem deſcribit Apóſtolus, mente & córpore ſanctam, nec nóviter, nec fortuitó invéntam, ſed à ſæculo eléctam, ab Altiſsimo præcógnitam, & ſibi præparâtam, ab Angelis ſervâtam, à Pátribus præfigurâtam, à Prophétis promiſſam, ut pauca loquar de plúribus, quam ſibi áliam prædixiſſe Deus vidêtur, quando ad ſerpéntem ait: Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Etſi adhuc dúbitas, an de Maria díxerit, audi quod ſequitur: Ipſa cónteret caput tuum: cui hæc ſervâta victória eſt, niſi Mariæ?

℟. Beâta es virgo Maria, Dei Génitrix, quæ credidiſti Dómino, perfécta ſunt in te, quæ dicta ſunt tibi: eccē exaltâta es ſuper choros Angelôrum: * Intercêde pro nobis ad Dóminum Deum noſtrum. ℣. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. Intercêde. Glória Patri. Intercêde.

*Ex Homilia 3. ſuper eódem loco.*

Léctio ix.

ET ingréſſus Angélus ad eam, dixit: Ave grátia plena, Dóminus tecum. Quò ingréſſus ad eam? Puto in ſacrárium pudíci cubículi, ubi illa fortáſsis clauſo ſuper ſe óſtio orâbat Patrem in abſcóndito. Solent Angeli adſtâre orántibus, & delectári in his, quos vident levâre puras manus in oratiône. Holocáuſtum ſanctæ devotiônis gaudent ſe offérre Deo in odôrem ſuavitátis. Mariæ autem oratiónes, quantum placúerint in conſpéctu Altiſsimi, Ange-

gelus indicávit, qui ingréſſus ad eam tam reverénter ſalutávit.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,
& per Horas, Antiphona.

Domum tuam Dómine decet ſanctitúdo in longitúdinem diérum. Pſalmus. Dóminus regnávit, cum réliq. de Domínica. 18. Antiphona. Domus mea, Domus oratiónis vocábitur: in ea omnis qui petit, áccipit; & qui quærit, invenit: & pulſánti aperiétur. Antiphona. Propter Domum Dómini Dei noſtri, quæſivi bona tibi. Antiph. Dómine Deus exaltáſti ſuper terram habitatiónem meam. Antiphona. Dómum majeſtátis meæ, & locum pedum meórum glorificábo.

Capitulum. Eccli. 24.

In ómnibus réquiem quæſivi, & in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, & dixit mihi Creátor ómnium: & qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Hymnus. Alto ex Olympi vertice, ut in Commúni Dedicat. Eccléſiæ. cxxxij.

℣. Introíbimus in tabernáculum ejus. ℟. Adorábimus in loco, ubi ſtetérunt pedes ejus.

Ad Benedictus, Antiphona. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis, & ipſi pópulus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eórum Deus.

Orátio. Deus, qui beátæ Maríæ, ut ſupra. 164.

Ad Primam in ℟. brevi dicitur ℣. Qui natus es de María vírgine.

Ad Tértiam, Antiphona. Domus mea. Capitulum. In ómnibus réquiem quæſivi, ut ſupra.

℟. br. Hic Domus Dei eſt, * Et porta cæli. Hic Domus. ℣. Et vocábitur Aula Dei. Et porta. Glória Patri. Hic Domus. ℣. Dómine diléxi decórem Domus tuæ. ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ad Sextam, Antiphona. Propter Domum Dómini.

Capitulum. Eccli. 24. b

Et ſic in Sion firmáta ſum, & in civitáte ſanctificáta ſimíliter requiévi, & in Jeruſalem poteſtas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei heréditas illius, & in plenitúdine ſanctórum deténtio mea.

℟. br. Dómine, * Diléxi decórem Domus tuæ. Dómine. ℣. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Diléxi decórem. Glória Patri. Dómine. ℣. Domum tuam Dómine decet ſanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Nonam, Antiphona. Domum majeſtátis meæ.

Capitulum. Eccli. 24. b



In platéis ſicut cinnamómum & bálſamum aromatizans odórem dedi, quaſi myrrha elécta dedi ſuavitátem odóris.

℟. br. Domum tuam Dómine, * Decet ſanctitúdo. Domum. ℣. In longitúdinem diérum. Decet ſanctitúdo. Glória Patri. Domum. ℣. Hic Domus Dei eſt, & porta cæli. ℟. Et vocábitur Aula Dei.

In ij. Veſperis ómnia ut in j. 164. præter Antiphonam ad Magníficat.

Ad Magníficat, Antiphona. O quàm metuéndus eſt locus iſte! Verè non eſt hic áliud niſi Domus Dei, & porta cæli.

Orátio ut ſupra. 164.

Fit Commemorátio ſequéntis & Fériæ tantùm.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

In feſto ómnium Sanctórum Ordinis Minórum.

Duplex ij. Claſsis.

Ad Veſperas, Antiphona. Vidi turbam magnam, cum réliquis de Láudibus. Pſalm. Dixit Dóminus, cum réliquis de Domínica, & loco últimi, Pſalm. Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Capitulum. Apoc. 7.

Ecce ego Joánnes vidi álterum Angelum aſcendéntem ab ortu Solis, habéntem ſignum Dei vivi: & clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum eſt nocére terræ, & mari dicens: Nolíte nocére terræ, & mari, neque arbóribus, quoadúſque ſignémus ſervos Dei noſtri in frontibus eórum.

Hymnus.

Placáre, Chriſte, sérvulis,
Quibus Patris clementiam,
Tuæ ad Tribúnal grátiæ
Patróna Virgo póſtulat.

Vos purpuráti Mártyres,
Vos candidáti præmio
Confeſsiónis, éxules,
Vocáte nos in pátriam.

Choréa caſta Vírginum,
Et quos erémus íncolas
Tranſmiſit aſtris, Cælitum
Locáte nos in ſédibus.

Auférte gentem pérfidam
Credéntium de fínibus,
Ut unus omnes únicum
Ovíle nos paſtor regat.

Deo Patri ſit glória,
Natóque Patris único,
Sancto ſimul Paráclito,
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte juſti. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magníficat, Antiphona. O Patriárcha Páuperum Franciſce, voſque filii ejus divínæ legis Doctóres, Chriſti Mártyres, ſancti Confeſsóres, vírgines Dómini, anachorítæ, ſanctǽque mulíeres, & beáti omnes intercédite pro nobis.

Orá-

Orátio.

OMnipotens ſempitérne Deus, qui nos Omnium Sanctôrum órdinis Minôrum mérita ſub una tribuiſti celebritâte venerári: quæſumus, ut deſiderâtam nobis tuæ propitiatiônis abundántiam, multiplicâtis interceſsóribus largiâris. Per Dóminum.

Deindè fit Commemorátio præcedéntis.

Ad Matutinum, Invitatór.

Regem regum Dóminum venite adorémus: * Quia ipſe eſt corôna Sanctôrum ómnium. Pſalmus. Venite, exultêmus. Hymnus. Placâre, Chriſte, ut ſupra. 171.

Antiphonæ, Pſalmi, Verſiculi, & Lectiônes trium Nocturn. dicúntur ùt in feſto Omnium Sanctôrum, die j. Novémbris, exceptis Reſponsóriis, quæ ſequuntur.

In primo Nocturno.

℟. j. Vidi Dóminum ſedéntem ſuper ſólium excélſum, & elevâtum: & plena erat omnis terra majeſtâte ejus, * Et ea quæ ſub ipſo erant, replêbant templum. ℣. Seráphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ álteri. Et ea.

℟. ij. Beâta es virgo María, Dei Génitrix, quæ credidiſti Dómino: perfécta ſunt in te quæ dicta ſunt tibi: ecce exaltâta es ſuper choros Angelôrum. * Intercêde pro nobis ad Dóminum Deum noſtrum. ℣. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. Intercêde.

℟. iij. Mihi autem abſit gloriári, niſi in Cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti: * Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. ℣. Ego enim ſtigmata Dómini Jeſu in córpore meo porto. Per. Glória Patri. Per.

In ſecúndo Nocturno.

℟. iv. O Doctor óptime, Eccléſiæ ſanctæ lumen, beâte Bonaventûra, divínæ legis amâtor: * Deprecâre pro nobis Filium Dei. ℣. Tu es ſacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchiſédech. Deprecâre.

℟. v. Si quæris miràcula, mors, error, calámitas, dæmon, lepra fúgiunt, ægri ſurgunt ſani: * Cædunt mare, vincula; membra, reſque pérditas, petunt, & accipiunt júvenes, & cani. ℣. Péreunt pericula, ceſſat & necéſsitas: narrent hi qui séntiunt, dicant Paduâni. Cædunt.

℟. vj. Sancti mei, qui in carne póſiti, certâmen habuiſtis: * Mercêdem labôris ego reddam vobis. ℣. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercêdem. Glória. Mercêdem.

In tértio Nocturno.

℟. vij. Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum ſuum, quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigilâte ergo, quia neſcitis qua hora Dóminus veſter ventûrus ſit. Et vos.

℟. viij. Clara virgo ſápiens, quam Dóminus vigilántem invênit, quæ accéptis lampádibus ſumpſit ſecum óleum: * Et veniénte Dómino intrâvit cum eo ad núptias. ℣. Adducéntur Regi vírgines poſt eam, afferéntur in lætítia, & exultatiône. Et veniente. Glória Patri. Et.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

VIdi turbam magnam, quam dinumerâre nemo póterat, ex ómnibus Géntibus, ſtantes ante thronum. Pſalmus. Dóminus regnâvit, cum reliq. Aña. Et habêbant nomen Agni, & nomen Patris ſcriptum in frôntibus ſuis. Antiph. Et cecidérunt in conſpectu throni in fácies ſuas, & adoravérunt Deum. Antiph. Benedícite Spíritus, & ánimæ Juſtôrum Dómino, benedícite ſancti, & húmiles corde Dóminum. Antiph. Laudâte Dóminum in ſanctis ejus, laudâte eum in firmaménto virtûtis ejus.

Capitulum. Ecce ego, ut ſupra. 171.



Hymnus.

SAlûtis ætérnæ dator,
Jeſu redémptor ſúbveni:
Virgo parens cleméntiæ,
Dona ſalûtem ſérvulis.
Cohors triúmphans Mártyrum,
Almus Sacerdôtum Chorus,
Et virginâlis cáſtitas
Noſtros reátus ábluant.
Quicúmque in alta siderum
Regnâtis aula Príncipes,
Favête votis ſúpplicum,
Qui dona cæli flágitant.
Virtus, honor, laus, glória
Deó Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paráclito
In ſæculôrum ſǽcula.
Amen.

℣. Exultábunt ſancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Te Mártyrum candidâtus laudat exércitus: Te glorióſus Pontificum chorus: Te beâtus Confeſsôrum cœtus: Te Vírginum, & Mulíerum laudábilis númerus: Te omnes Sancti, & elécti voce confiténtur unánimes. Beâta Trínitas unus Deus.

Orátio. Omnipotens, ſempitérne Deus, ut ſupr. 172.

Antiphonæ per Horas de Laudibus, ſed Capitula & ℟℟. br. ut in feſto Omnium SS. prima Novémbris. Ad Abſolutiônem Primæ, Capitulum. Benedictio & cláritas, & ſic ad Nonam.

Ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Ad Véſperas, Antiphona. Vidi turbam magnam, cum reliquis de Laudibus Pſalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Pſalmus. Crédidi. Capitul. Ecce ego. Hymnus Placâre Chriſte, ut ſuprà in primis Véſperis. ℣. Exultábunt ſancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis.

Ad Magnificat, Antiphona. O quàm gloriósum eſt regnum, in quo cum Chriſto gaudent omnes Sancti, amicti ſtolis albis ſequúntur Agnum quocúmque ierit.

Orátio. Omnipotens ſempitérne Deus, ut ſupr. 172.

FONDO BIBLIOTECA PUBLICA DEL ESTADO DE NUEVO LEON
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS